

**BELLARMINI OPERA**

950.3

5  
VEN. CARDINALIS

# ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI S. J.

## OPERA OMNIA

EX EDITIONE VENETA, PLURIBUS TUM ADDITIS TUM CORRECTIS,  
ITERUM EDIDIT

JUSTINUS FÈVRE,

PROTONOTARIUS APOSTOLICUS



TOMUS QUARTUS



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, EDITOREM

VIA DICTA DELAMBRE 13.

—  
1873.

BX 890

.B4

v. 4

BOSTON COLLEGE LIBRARY  
CHESTNUT HILL, MASS.

95013



CONTROVERSIARUM

# DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ

## LIBER PRIMUS

DE REALI PRÆSENTIA CHRISTI DOMINI IN SACRAMENTO EUCHARISTIÆ  
EX VERBO DEI.

*Ordo, ac partitio totius operis.*

De sacramento Eucharistiæ his omissis, quæ catholici Doctores inter se disputare salva fide, et pace christiana solent, quatuor hoc tempore inter catholicos et hæreticos versantur controversiæ principales : de quibus omnibus, Domino adjuvante, pro nostrarum virium tenuitate, juxta instituti operis rationem, disputare aggrediemur.

*Prima* igitur, ac præcipua controversia est de vera, ac reali, et substantiali præsentia corporis, et sanguinis Domini in hoc non minus admirabili quam venerabili Eucharistiæ sacramento. Sed quoniam ea controversia longissima necessario futura est, vitandæ confusionis causa, tribus modis tractabitur, ac si essent distinctæ quæstiones. *Primo* ex solo verbo Dei. *Secundo* ex solis Patribus antiquis. *Tertio* ex judicio rationis.

*Altera* de modo ac ratione existentiae Christi in Eucharistia; sitne ratio existentiae Christi in Eucharistia, conversio panis et vini in corpus, et sanguinem Christi, quæ ab Ecclesia catholica dicitur transsubstantiatio; an potius assumptio panis et vini ad unionem hypostaticam corporis et sanguinis Domini; aut omnipræsentia, sive ubiquitas, ut quidam loquuntur, humanitatis Christi, an aliquid aliud.

*Tertia* controversia principalis est de ipso Sacramento, ubi primum de natura ipsius disputandum erit, sitne res aliqua permanens, an actio transiens; ex qua quæstione illud etiam manifestum fiet, utrum in Eucharistia sit corpus Domini solum in usu, an etiam extra usum; deinde de materia, forma, fine,

seu effectu, de ministro, de usu, id est de communione sub una vel altera specie; et tandem de veneratione Sacramenti disseremus.

*Quarta et postrema de sacrificio.*

## CAPUT PRIMUM.

### *De hæresibus.*

Antequam veniamus ad quæstiones propositas de præsentia corporis Domini in Eucharistia, explicandæ erunt hæreses contrariæ, contra quas pugnandum est, et sententia Ecclesiæ, pro qua pugnandum.

Primi qui negarunt, Christi corpus esse in Eucharistia, videntur fuisse illi ipsi, qui primi hæresum zizania in Ecclesia serere cœperunt. Simoniani, Menandriani, et similes; de his loquens sanctus Ignatius in epistola *ad Smyrnenses*, sic ait: « Eucharistias, et oblationes non admittunt, eo quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, » quæ sententia citatur a Theodoro in 3 *Dialogo* ex epistola *ad Smyrnenses*; ubi tamen nunc non habetur.

Ne autem gloriantur Calvinistæ sententiam suam valde antiquam esse, illud est observandum, antiquissimos illos hæreticos, non tam sacramentum Eucharistiæ, quam mysterium Incarnationis oppugnasse. Idcirco enim (ut Ignatius ibidem indicat) negabant Eucharistiam esse carnem Domini, quia negabant Dominum habere carnem. Quare nullus veterum, qui de hæresibus scripserit, hunc errorem in catalogo posuit, ut patet ex Ireneo, Tertulliano, Philastrio, Epiphano, Augustino, Theodoro, Damasceno: neque ullus veterum disputat contra hunc errorem primis sexcentis annis. His igitur omissis, primi, qui veritatem corporis Domini in Eucharistia in quæstionem vocarunt, fuerunt Iconomachi post annum Domini 700, in quodam suo conciliabulo Constantinopolitano, quod ipsi septimam synodum falso vocabant. Hi enim (ut refertur in septima Synodo, actor. 6.) dicebant unicam esse imaginem Christi ab ipso Christo institutam, nimirum panem, et vinum in Eucharistia, quæ repræsentant Christi corpus, et sanguinem. Quocirca ab eo tempore Græci scriptores sæpe monent, Eucharistiam non esse figuram, sive imaginem corporis Domini, sed ipsum verum cor-

pus, ut patet ex ipsa Synodo septima loco citato, ex Damasceno lib. iv. cap. 14, ex Theophylacto in cap. 26 *Matth.* et in cap. 2 *prioris ad Corinthios*.

Secundus auctor hujus erroris fuit Joan. Scotus, non ille doctor subtilis, sed alius antiquior, qui tempore Caroli Magni, circa annum Domini 800, scripsit. Is enim primus in Ecclesia Latina de hære dubie scribere cœpit, cujus librum *de Eucharistia* damnatum fuisse in concilio Vereellensi, testatur Lantfrancus in suo libro *de Veritate corporis et sanguinis Domini in Eucharistia*.

Tertius fuit Bertramus tempore Caroli Crassi, circa annum Domini 886, ejus liber adhuc exstat. Is rursus in controversiam vocare cœpit, an esset vere in Eucharistia illud ipsum corpus Domini, quod de Virgine natum erat. Confutavit hunc errorem doctissime Paschasius, abbas Corbeiensis, qui illo ipso tempore floruit.

Quartus fuit Berengarius, archidiaconus Ecclesiæ Andegavensis, circa annum Domini 1050, qui auctor habetur hujus erroris, non quod primus eum invenerit, sed quod primus aperte defenderit, et propagare studuerit, et re ipsa propagaverit. Refutarunt Berengarium tres insignes scriptores, qui simul eum Paschasio editi sunt, Lantfrancus, Guitmundus, et Algerus: de quibus ita censuit Petrus Cluniaensis initio libri *de Sacrificio*, ut diceret Lantfrancum scripsisse contra hæresim Berengarii bene, plene, perfecte; Guitmundum melius, plenius, perfectius; Algerum optime, plenissime, perfectissime. Porro quatuor errores Berengarius docuit, per quos parens videtur fuisse omnium sectarum, quæ hoc sæculo vigent. Primo docuit, parvulos non esse baptizandos, ut Guitmundus testatur lib. i. *contra Berengarium*; atque hinc pater diei potest Anabaptistarum. Secundo docuit, corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi ut res significata est in suo signo, ut referunt Lantfrancus, Guitmundus, Algerus, auctores illius temporis; hinc vero pater est Sacramentariorum; quod agnoscit Calvinus in ultima admonitione ad Joachimum Wesphalum. Tertio docuit, post alteram palinodiam (nam ter revocavit errores suos, ut infra dicemus) corpus Domini esse

quidem vere in Eucharistia, sed simul cum pane, et vino; unde parens est Lutheranorum. Fuisse autem hunc errorem Berengarii, colligitur ex lib. I. Guitmundi, qui scribit nonnullos Berengarii discipulos, qui docebant, corpus Domini vere esse in Eucharistia, sed simul cum pane, dicere solitos hanc fuisse subtiliorem doctrinam Berengarii. Idem etiam colligitur ex concilio Romano sub Gregorio VII, cujus concilii meminit Thomas Waldensis tom. II. *de Sacrament.* cap. 43. Nam in eo concilio coactus est Berengarius confiteri non solum præsentiam realem corporis Domini in Eucharistia, ut antea coactus fuerat in concil. Romano, sub Nicolao II, sed etiam transmutationem panis in corpus Domini. Quarto docuit idem Berengarius, teste eodem Guitmundo ibidem, legitima matrimonia posse dissolvi, in quo etiam pater fuit omnium hujus temporis hæreticorum. Sed de hoc alias.

Quintus propugnator hujus erroris fuit Henricus quidam cum Petro Bruis, circa annum Domini 1140, qui asserebat semel tantum, id est, in ipsa ultima Domini cœna cum Apostolis, Christi corpus vere datum sub specie panis: deinceps autem meram esse deceptionem, quod sacerdotum ministerio dicitur aut creditur. Testis est, et refutator hujus erroris Petrus Cluniacensis, qui eodem tempore floruit, in tractatu *de Sacrificio*.

Sextus fuit auctor sectæ Albigensium, circa annum Domini 1208, ii enim inter alios plurimos errores, hunc etiam habuerunt, sacramentum Eucharistiæ, non esse verum corpus Domini. Testis est S. Antoninus in *Summa theologica* part. 4. tit. XI. cap. 7. §. 5.

Septimus fuit auctor sectæ Flagellantium, circa annum Domini 1350, teste Bernardo Lutzburgensi, in *Catalogo hæreticorum*.

Octavus fuit Joannes Wiclef, circa annum Domini 1370, is enim rursus docere cœpit non esse corpus Domini in Eucharistia, nisi ut in signo, ut patet ex IV. lib. *Trialogi* cap. 2. et sequentibus, usque ad 10. Hujus libri post annum Domini 1400, delati in Bohemiam, totum illud regnum infecerunt, ut scribit Æneas Sylvius lib. *de Origine Bohemorum* cap. 35, et Thomas Waldensis tom. XI. doctrina 10. Tametsi enim Joan. Huss ab hoc errore semper abhorruit, ut ostendit Joan. Cochlæus in *Historia Hussitarum*, tamen Jacobitæ, et alii permulti in Bohemia hunc errorem cum cœteris ex libris Wicleffi libenter hauserunt. Contra Wicleffum scripsit Thomas Waldensis in II. tomo *de Sacramentis*.

Nonus patronus hujus hæresis jam nostro sæculo fuit Andreas Carolstadius, archidiaconus Wirtembergensis, ac Lutheri discipulus primarius. Lutherus enim nunquam aperte hanc hæresim docuit, quin potius acerrime illi restitit aliquando: tamen sine dubio semina jecit hujus erroris, ut etiam Anabaptismi, de quo supra diximus; licet postea, tum Sacramentarios, tum Anabaptistas confutare conatus sit: siquidem multa docuit, ex quibus ansam præbuit Sacramentariis hujus hæresis renovandæ. Primum in epist. *ad Argentinenses* asserit se valde propensum fuisse in eam sententiam, quæ in Eucharistia nihil præter panem agnoscit, et conatum totis viribus hoc asserere, sed non potuisse Scripturis satisfacere, quæ contra objiciebantur. Quid igitur mirum, si discipuli ejus id tentare ausi sunt, quod magistro gratissimum fore putabant? Deinde lib. *de Captivate babylonica* cap. *de Baptismo*, asseruit Sacramenta non justificare, sed esse nuda signa. Ex quo recte colligi videtur in Eucharistia non esse revera Christum: quorsum enim ibi esset, si nihil nobis conferre debebat? In eodem lib. cap. *de Eucharistia*, negaverat, caput VI. Joannis ad Eucharistiam pertinere. At hæc fuit præcipua causa cur Sacramentarii negaverint realem præsentiam Christi in Eucharistia. Ibidem scripsit, verba Evangelistæ: *Hoc est corpus meum*, hunc facere sensum: Hic panis est corpus meum. Quæ sententia aut accipi debet tropice, ut panis sit corpus Christi significative; aut est plane absurda, et impossibilis: nec enim fieri potest, ut panis sit corpus Christi. Itaque maluerunt Lutheri discipuli recurrere ad tropum, quam admittere manifestam absurditatem.

Denique in libro *de Eucharistia* ad Waldenses, negat Eucharistiam adorandam, et in dubium revocat, an cum corpore sit etiam anima, et divinitas in Eucharistia. At certe ex his manifeste sequitur, non esse revera Christum in Eucharistia. Nam ubicumque revera est, adorandus est, nec potest ullo modo separari anima, et divinitas a Christi corpore, ut notissimum est. His ergo Lutheri sententiis edoctus Carolstadius anno 1525, vel, ut alii volunt 1524, librum edidit, in quo aperte negavit præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Vide de Carolstadio Joan. Cochlæum in *Actis Lutheri* anno 1525.

Decimus patronus hujus erroris fuit Huldricus Zwinglius, Tigurinus pastor, qui cum

aliquot annis docuisset Lutheri hæresim, ac palam asseruisset, in Eucharistia vere esse corpus Christi, sed cum pane; tandem eodem anno, quo Carolstadius, librum edidit *de Vera et falsa Religione*: at que in eo retractat sententiam suam, ac novam quamdam statuere nititur, nimirum, corpus Domini non esse in Sacramento, nisi ut in signo. Non est autem prætereundum, quam egregie purget Zwinglius inconstantiam suam. Dicit enim se multo antea agnovisse id quod verum erat, sed tempori servivisse; et in hoc laudari se a Christo tanquam servum prudentem, et fidelem, qui dat cibum familiæ in tempore suo. Sed nimis frigida excusatio est: non enim laudat Christus eos qui, ut tempori serviant, mentiuntur in rebus tanti momenti. Imo Zwinglius non tam se purgat, quam inquinat hæc sua defensione: ut enim ignorantiam tegat, improbitatem prodit.

Zwinglio comes accessit Joannes Oecolampadius apostata ex monaco Birgittano, qui eodem tempore librum scripsit, de genuina expositione verborum: *Hoc est corpus meum*, ubi etsi in re conveniat cum Zwinglio, tamen commodius exponere conatus est verba cœnæ, ut infra dicemus. Zwinglium, et Oecolampadium secuti sunt permulti eorum discipuli, ac præcipue Henricus Bullingerus Zwinglii successor, in sede Tigurina, qui scripsit Apologiam pro Zwinglio contra Lutheranos; et Bernardinus Ochinus, qui scripsit etiam librum de cœna Domini contra Westphalum, et Petrus Martyr, qui scripsit ingens volumen de Eucharistia contra Stephanum Gardinerum, in quo refellit solutiones Gardineri ad 255 argumenta Sacramentariorum.

Undecimus patronus insignis erroris Berengariani fuit Joau. Calvinus. Is igitur anno Domini 1536, edidit primo suas institutiones, ut apparet ex epistola dedicatoria ad regem Gallorum Franciscum, quas postea iterum edidit auctas anno 1539, et tandem anno 1559, tertio mutata forma, et quatuor libris comprehensas edidit.

Edidit etiam anno 1540, librum de cœna Domini gallice, quem post annos quinque Nicolaus Galasius latinum fecit; in quo libro extremo aperte, ac nominatim reprehendit tum Lutherum, tum Zwinglium, et se iudicem eorum constituit, ac novam opinionem introducit, quæ tamen revera nihil differt a sententia Zwinglii.

Unde paulo post, id est, anno 1549, edidit libellum de consensu suo cum Tigurinis in re

sacramentaria. Multa præterea de hæc rescripsit in lib. *de Reformanda Ecclesia*, in commentariis tum ad cap. xxvi Matth. tum ad cap. xi. prioris ad Corinth. et in responsionibus ad Joachimum Westphalum.

Calvinum sequitur Wilhelmus Klebitius, qui scripsit librum contra Heshusium, quem inscripsit: *Victoria veritatis, et ruina Papatus Saxonici*: quando videlicet in ditione comitis Palatini obtinuit Calvinismus. Item Petrus Boquinus, qui scripsit *Examen libri Heshusii de corpore Domini*, in quo egregie Calvinum tuctur. Denique Theodorus Beza, qui adhuc superest, Calvini Genevæ in cathedra pestilentia successor, multa scripsit pro errore calviniano, ut: *Summam doctrinæ de re Sacramentaria*; librum *de Cœna Domini* contra Westphalum; Dialogum qui inscribitur *Κρωφαγία*, sive *Cyclops* contra Tilmannum Heshusium.

Porro Calvini sententia breviter explicanda est, quia de industria obscure ab illo proponitur, ut mysterii aliquid continere videatur. Primò igitur docet Calvinus cum suis, symbola cœnæ tantum esse in terra: corpus autem Christi tantum esse in cœlo: proinde tanto intervallo abesse Christi corpus a pane, et vino in cœna, quanto abest terra ab altissimis cœlis. Quod videlicet Christi corpus nusquam sit nisi in certo, ac determinato loco cœli; id habet disertis verbis in fine *Consensus cum pastoribus Tigurinis*; idem habet etiam disertis verbis Beza in *Summa doctrinæ de re Sacramentaria* quæst. 6.

Secundo docet, symbola, et corpus Christi, licet loco inter se plurimum distent, tamen conjuncta esse, non solum ratione signi, quia unum est signum alterius, sed etiam quia cum signo Deus nobis vere exhibet ipsum verum Christi corpus et sanguinem, quo animæ nostræ vere alantur in vitam æternam. Id habet Calvinus in omnibus locis supra citatis. In cap. xxvi. Matth. sic loquitur: « Vere in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem, hoc est, substantia corporis Christi pascuntur animæ nostræ, ut vere unum efficiamur cum eo. » Et infra: « Non ergo vacuum et inane signum nobis proponitur, sed vere carnis et sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiunt. » Et lib. iv. *Institut.* cap. xvii. § 5. docet, comedere Christi carnem, non esse solum credere, sed vere participem fieri carnis ejus; et ponit exemplum: « Quæ enim admodum, enim, inquit, non aspectus, sed esus

panis alimentum corporis sufficit : ita vere, ac penitus participem Christi animam fieri convenit. » Et § 32 : « In sacra sua cœna jubet me sub symbolis panis ac vini, corpus ac sanguinem suum sumere : nihil dubito, quin et ipse vere porrigat, et ego recipiam. » Et in libro *de Cœna Domini*, cap. 2, ponit exemplum de columba, in qua apparuit Spiritus sanctus.

Ut enim illa columba dicta est Spiritus sanctus a Joanne Baptista, Joannis primo, quia certissimum signum erat præsentiae Spiritus sancti ; ita panis per metonymiam dicitur corpus Christi, quia est certissimum signum præsentiae corporis Christi, quod nobis datur in cœna.

Unde ibidem affirmat, Christum nobis in cœna veram, propriamque carnis et sanguinis sui substantiam donare. Similia habet etiam Beza loco notato, *de re Sacramentaria*, quæst. 6. Unde etiam quæst. 7. admittit illas propositiones Lutheranorum : Corpus Christi esse in pane, vel sub pane, vel juxta panem ; si sano modo intelligantur, id est, quod significant simul cum pane vere donari nobis corpus Christi. Quia vero hoc secundum videtur pugnare cum primo (quomodo enim corpus Christi vere nobis datur cum pane, et est præsens in cœna, si corpus Christi solum est in summo cœlo, et panis tantum est in terra ?) ideo ponit tertium dictum.

Tertio igitur dicit, non posse ingenio comprehendere, sed sola fide, quomodo fiat ista conjunctio rerum tam distantium. Sic loquitur lib. IV. *Institut.* cap. XVII, § 7 : « Nihil, inquit, restat, nisi ut in ejus mysterii admirationem prorumpam, cui nec mens plane cogitando, nec lingua explicando par esse potest. » Et § 10 : « Et si autem incredibile videatur in tanta locorum distantia penetrare ad nos Christi carnem ut nobis sit in cibum ; meminerimus, quantum supra sensus omnes nostros emineat arcana Spiritus sancti virtus, et quam stultum sit ejus immensitatem modo nostro velle metiri. Quod ergo mens nostra non comprehendit, concipiat fides, Spiritum vere unire, quæ locis disjuncta sunt. » Et § 32 : « Porro, inquit, de modo si quis me interroget, fateri non pudebit, sublimius esse arcanum, quam ut vel meo ingenio, comprehendere, vel enarrari verbis queat. » Similia habet Beza *de re Sacrament.* quæst. 9 : « Sed, inquit, nihilominus fatemur incomprehensibile esse mysterium Dei ; quo fit, ut quod est et manet in cœlis, et non alibi, nobis, qui

nunc in terra sumus, et non alibi, vere communicetur. » Et infra : « Quo fit ut tota hæc actio valde proprie *μυστήριον* vocetur. » Sed quia intelligebat Calvinus hoc suum mysterium plane esse incredibile, et apertissimam repugnantiam involvere, ideo addit quartum.

Quarto dicit, non ipsum corpus Christi ad nos descendere, sed quamdam vim substantialem ex Christi carne ad nos derivari per Spiritum ejus, tanquam per canalē quendam. Ubi videtur dicere non substantiam, sed qualitatem quamdam nobis dari. Sic enim loquitur lib. IV *Institut.* cap. XVII, § 12 : « Vinculum, inquit, istius conjunctionis est Spiritus Christi, ejus nexu copulamur : et quidam veluti canalē, per quem quidquid Christus ipse et est, et habet, ad nos derivatur. Nam si solem conspicimus radiis in terram emicantem ad generandos, fovendos, vegetandos ejus foetus, suam quodammodo substantiam ad eam trajicere ; cur inferior Spiritus Christi esset irradiatio ad communionem carnis et sanguinis ejus in nos tradendam ? » Et § 32 : « Ingenue confiteor, mixturam carnis Christi cum anima nostra, vel transfusionem, qualis ab ipsis docetur, me repudiare ; quia nobis sufficit, Christum e carnis substantia vitam in animas nostras spirare, imo propriam in nos vitam diffundere, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro. » Quod ergo dixerat supra § 10. ad nos usque penetrare Christi carnem, licet tanto intervallo distantem, debet intelligi, non per se, sed per virtutem suam. Quod tamen ipse viderit, quam recte cohæreat eum iis, quæ supra dixerat de præsentia Christi in cœna ; nisi etiam præsentiam intelligat, secundum virtutem, non secundum substantiam.

Quia vero, si realis aliqua qualitas, ex Christi corpore ad nos descenderet, periculum esset, ne nimis multum huic Sacramento tribueremus, ideo addit : Quinto, communicationem istam sive corporis Domini, sive virtutis ejus tantum fieri per fidem. Fides enim apprehendit Christum in cœlo existentem, et eum nostrum facit, ut participare possimus bona ipsius. Itaque nulla fit realis conjunctio Christi nobiscum, sed solum per cogitationem. In quo certe nullum est mysterium, nullum miraculum, nulla difficultas intelligendi. Quis enim non facillime capiat, fide apprehendi posse Christum, imo etiam totam Trinitatem ? Sic igitur habet Calvinus lib. IV. *Institut.* cap. 17. § 5 : « Interim vero hanc

non aliam esse, quam fidei manducationem, fatemur : ut nulla alia fingi potest.» Et § 31 : « Christus, inquit, præsens illis non videtur esse, nisi ad nos descendat : quasi vero, si ad se nos evehat, non æque potiamur ejus præsentia. » Hæc ille.

Ubi videtur corrigere, vel explicare, quod dixerat, § 10, carnem Christi magno miraculo ad nos penetrare : nunc enim sublato omni miraculo, dicit, nos fide ad ipsum ascendere. Item § 32, dicit, fidem esse, quæ pascitur Christi corpore : porro fides non aliter manducat, quam credendo. Idem repetit in aliis libris ; et idem habet Beza in lib. *de Summa doct. in re Sacrament.* quæst. 9, 10, 11 et 13. Neque moveri debemus quod Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. 17. § 5 et 11. negat, Christum sola cogitatione, vel intelligentia, manducari, ac dicit, non esse omnino idem credere in Christum, et manducare Christum.

Nam ibidem asserit, manducare Christum non esse quidem ipsum credere, sed effectum tamen ejus esse : nam credendo manducamus ; siquidem ex actu fidei sequitur, ut Christus sit in nobis, et nobis sua bona communicet. Unde Beza in lib. *de Cæna Domini* contra Westphalum cap. 9, dicit, hoc interesse inter fidem, et manducationem Christi, quod inter manum, et apprehensionem, quæ manu fit. Quia vero non est in nobis Christus nisi per fidem, ut perpetuo Calvinus, et Beza dicunt ; inde fit, ut non sit in nobis, nisi objective, quomodo in nobis est id omne, de quo actu cogitamus.

Porro ex hoc sequitur sextum eorum pronuntiatum, quo asserunt homines improbos non percipere corpus Christi, licet symbola percipiant. Nam (ut ait Beza in *Summa doct. de re Sacrament.* quæst. 13) : « Sicut symbola accipiuntur solo ore corporis, ita corpus Christi solo ore fidei : cum ergo non habeant impii os fidei, non percipiunt nisi symbola corporis Domini. » Docet hoc idem Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. 17, § 33 et 34. Imo in libello *de Consensu cum Tigurinis*, solos prædestinatos dicit, percipere symbola externa cum re per symbolum significata, sicut soli prædestinati habent veram fidem.

Septimum ac postremum eorum pronuntiatum est : non esse eam vim in sacramento Eucharistiæ, ut det ipsum corpus Christi, aut fidem non habenti, sed solum ut testetur, et confirmet, jam haberi. Ita habet Calvinus lib. IV. *Institut.* cap. 17, § 2 : « Magnum, inquit, fiducia, et suavitatis fructum ex hoc

Sacramento colligere possunt piæ animæ, quod testimonium habent, in unum corpus nos cum Christo coaluisse, ut quidquid ipsius est, nostrum vocare liceat. » Et § 5 : « Non, inquit, facit Sacramentum, ut Christus panis vitæ esse primum incipiat, sed in memoriam revocat panem vitæ esse factum, quo assidue vescamur. » Et infra : « Pollicetur enim nobis quidquid fecit, aut passus est Christus, id ad nos vivificandos factum esse. » Et in lib. *de Cæna Domini* cap. 3, docet, ad præparationem ad hoc sacramentum percipiendum requiri, ut quis antea fidem veram habeat, et per fidem sit factus Christi membrum, atque adeo Christum in se habeat. Denique nisi Calvinus diceret, Eucharistiam tantum esse testimonium acceptæ gratiæ, et veluti sigillum obsignans, et confirmans promissionem verbo factam, destrueret omnia, quæ antea docuit de Sacramentis.

Hinc autem nos tria colligere debemus. Primum, falso jactasse Calvinum sententiam suam de Eucharistia esse difficillimam, et incomprehensibilem humano ingenio, atque adeo summum mysterium. Non enim majus mysterium est, quod symbola panis, et vini revocent nobis in memoriam, Christum pro nobis passum, et mortuum esse, quam quod id faciat imago Crucifixi, præsertim si addatur hæc inscriptio ex verbo Dei : *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nam ejusmodi imago cum tali inscriptione idem omnino facit, quod Eucharistia Calvini, et sine ullo miraculo tam imago, quam inscriptio naturaliter agit, dum memoriam passionis Domini pro nobis toleratæ excitat.

Deinde, meras ludificationes esse illa omnia magna encomia Eucharistiæ ; cum vide licet tot in locis Calvinus dicit, nobis una cum symbolis dari ipsum verum, et reale Christi corpus, et eo nutrirî animas nostras, etc. Nihil enim tandem nobis relinquit, nisi nudum symbolum rei jam habitæ.

Denique, ex hac Calvini sententia sequi illud absurdum, ut porrigere cœnam Domini, sit testificari, illum cui porrigitur, jam antea sumpsisse cœnam, et Christi corpus comedis. Quod et est intolerabile, si respiciamus usum vocabulorum : et est scœpissime falsum, cum plurimis porrigantur ista symbola, qui tamen non comederunt corpus Christi, secundum regulas Calvini, cum sint impii. Quocirca falso testificantur ministri, illos comedis corpus Christi ; et tamen ita nituntur ista sua testificatione, ut Calvinus lib. IV.

id est, eo modo quo suapte natura existunt corpora, nec sensibiliter, mobiliter etc. Imo cap. 17, § 2. dicat, ex hoc Sacramento sibi secure promittere posse, regnum cœlorum non magis sibi excedere posse, quam ipsi Christo. Sed de his haecenus.

## CAPUT II.

### *Explicatur sententia Catholicæ Ecclesiæ.*

Jam vero explicandum erit, quid de hac re sentiat ac senserit catholica Christi Ecclesia. Summa catholicæ sententiæ his verbis exprimitur in Concilio Tridentino sess. XIII, cap. I. « Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilibus contineri. »

Singula verba hujus decreti aliquid continent, quo damnentur hæreticorum sententiæ. Primo, Concilium docet, post Sacramenti hujus confectionem adesse corpus Christi, quod est contra Lutheranos ubiquistas, qui etiam ante consecrationem adesse volunt corpus Domini : est etiam contra Calvinistas, qui dicunt Eucharistiam esse signum conjunctionis cum Christo jam antea factæ per fidem.

Secundo, Concilium dicit, Sacramenti confectionem esse consecrationem panis et vini, cujus vi, exhibetur nobis corpus Christi. Id quod est contra eosdem ubiquistas, qui non vi consecrationis, sed vi omnipræsentiae corporis Christi, id fieri contendunt : est etiam contra Calvinistas, qui non ex consecratione, sed ex promissione Evangelii in conione explicata volunt effici sacramentum.

Tertio, Concilium docet, totum Christum esse in hoc sacramento : id quod explicatur clarius in I. canone ejusdem sess. ubi habemus, in Sacramento esse corpus, et sanguinem Christi, una cum anima, et divinitate. Quibus verbis indicatur, ex vi sacramenti tantum adesse corpus sub specie panis, et sanguinem sub specie vini ; id enim solum exprimitur in forma verborum : ac per naturalem concomitantiam sub utraque specie esse totum Christum. Ita enim ista conjuncta sunt in Christo, ut separari nequeant sine ejus dissolutione : ipse autem dissolvi, jam

post resurrectionem, nullo modo potest. Porro est hoc adversus Lutherum, qui in dubium revocat istam concomitantiam, in lib. ad Waldenses, *de Eucharistia*.

Quarto, Concilium dicit, Christum in Sacramento esse vere. Id quod asseritur contra omnes Sacramentarios, qui volunt Christum adesse, ut in signo, et figura. Figura enim veritati opponitur, ut colligitur ex primo canone ejusdem sessionis, ubi posteaquam Concilium dixerat, Christum esse vere in Eucharistia, explicat per negantem particulam : « Non autem solum in signo, aut figura. »

Quinto : dicit *Realiter*, quod opponitur figmento Calvinistico, qui (ut supra ostendimus) vult adesse, ut fide apprehenditur. Quod etiam disertis verbis Zwinglius docet, in *Confess. ad Carolum*, quam citat Beza in lib. *de Cœna Domini* contra Westphalum cap. IX; ait enim Zwinglius, se credere in cœna Domini verum Christi corpus adesse, haecenus quidem, ut fidei contemplationi sit veluti præsens, quod corporaliter est in ecclesiis. Itaque Sacramentarii sæpe dicunt, reale corpus Christi in cœna adesse, sed realiter adesse nunquam dicunt, quod legerim; nisi forte loquantur de cœna, quæ fit in cœlo, ut mox dicam. Atque hinc sequuntur duæ aliæ differentiæ inter nos, et Sacramentarios : quod illi negant Christum in Eucharistia adorandum; aut sumi posse ab illis, qui non credunt, nos utrumque concedimus.

Sexto, Concilium addit : *Substantialiter*, tum contra Calvinistas, qui dicunt, corpus Christi, quoad substantiam, esse tantum in cœlo; sed neseio, quam virtutem, seu vigorem inde ad nos manare; unde idem Concilium can. I. opponit illud, *substantialiter*, virtuti; tum etiam, ut explicaret modum existendi Christi in sacramento. Nam, ut paulo infra idem Concilium dicit, Christi corpus in cœlo habet modum existendi naturalem, in sacramento autem non naturalem, sed sacramentalem. Porro modus existendi sacramentalis, et tamen simul verus, et realis, non poterat melius explicari, quam illo adverbio, *substantialiter*. Id enim significat, totum Christum in Sacramento existere ad modum substantiæ, non quantitatis, idque ea ratione, quia substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi; cætera autem substantiam concomitantur, et ideo modum existendi substantiæ habere debent. Porro substantia secundum se, neque ordinem habet ad locum, neque ad corpora

circumstantia. Quare in Christo (ut est in Sacramento) est quidem debita magnitudo præter substantiam : sed per eam non occupat locum, neque extenditur ad extensionem magnitudinis, sed est per modum substantiæ. Pari ratione est in Christo sua figura, suus color, et tamen invisibilis est, ut Sacramento continetur, quoniam figura, et color non habent modum qualitatis, sed substantiæ, ut in Sacramento sunt. Denique habet etiam Christus, ut est in Sacramento, certas qualitates, quibus tangi posset; et tamen per se ac proprie tangi nequit, quia eæ qualitates habent (ut sæpe diximus) modum existendi substantiæ, non qualitatis. Vide S. Thom. lib. iv. *contra Gentiles* cap. 64. et 3. par. quæst. LXXVI. art. 5.

Septimo, Concilium dicit, corpus Domini sub illis speciebus sensibilibus contineri; quibus verbis explicatur adhuc clarius modus existendi Christi in Eucharistia. Christus enim non est in Eucharistia ut in loco, vel ut in vase, aut quasi sub aliquo velo; sed est ad eum modum, quo erat substantia panis sub suis accidentibus, eo excepto, quod accidentia illa inhærebant panis substantiæ, Christi autem substantiæ non inhærent. Unde ex natura rei peracta consecratione tamdiu perseverat corpus Domini in Eucharistia, quamdiu naturaliter mansisset substantia panis sub illis eisdem accidentibus : atque hoc est Christi corpus sub speciebus panis contineri.

Ex qua sententia refutatur fraudulenta quædam confessio Bezae. Nam (ut refert Claudius a Xantes in *Respons. ad Apologiam Bezae*) anno 1556, Theodorus Beza, ut Lutheranos per dolum traheret ad Calvinismum, scripsit confessionem in qua asseruit, Christi corpus verum, et naturale, vere et realiter esse præsens in cœna, et communicantibus vere et realiter exhiberi; atque in eam confessionem consentire asseruit Ecclesias Helvetiorum et Genevensium. Verum cum inde Lutherani de Sacramentariis triumpharent, et Tigurini graviter in Bezam invehi cœpissent, respondit ille, se vera scripsisse, sed a Lutheranis non bene intellecta; neque enim se locutum de cœna Domini, quæ celebratur in terris, sed de illa, quæ celebratur in cœlis, ubi Christus vere, et realiter præsens est. Sed Concilium Tridentinum prævenit ejusmodi fraudes, cum non ait

in cœna corpus Domini præsens esse, sed sub speciebus panis et vini vere, et realiter contineri. Atque hæc de expositione decreti. Ex qua expositione deduci possunt aliquot regulæ de modo loquendi in hac materia.

Prima regula. — Nomina substantiva, quæ dicuntur de Christo, sive ejus corpore, extra Sacramentum dicuntur etiam de ipso, ut est in Sacramento. Ratio est, quia nomina substantiva significant naturam rei, abstrahendo a modo : rei natura autem, et essentia omnium, quæ sunt in Christo, vere est in Sacramento. Itaque verissime dicimus, in Sacramento esse corpus, carnem, sanguinem etc. et carnem illam esse corpus, non spiritum.

Secunda regula. — Nomina adjectiva, quæ dicunt ordinem ad corpora circumstantia, non dicuntur de Christi corpore, ut est in Eucharistia, licet dicantur de eo, ut est in cœlo; alia vero dicuntur. Ratio est, quia corpus Christi propter modum existendi in Eucharistia peculiarem, non dicit ullum ordinem ad corpora circumstantia, ut diximus. Itaque dicemus quidem corpus Christi, ut est in Eucharistia, esse verum, reale, naturale, animatum, quantum, coloratum etc. et carnem illam dicemus esse corporalem, non spiritualem : nisi nomen spirituale sumatur, sicut I Cor. xv. *Seminatur corpus animale, surget spirituale* (1), id est, obediens spiritui in omnibus. At non dicemus corpus Christi in Eucharistia esse sensibile, visibile, tangibile, extensum, licet tale sit in cœlo : quia ista nomina dicunt ordinem ad corpora circumstantia, quem non habet corpus Christi in Eucharistia. Unde Augustinus, ut citatur a Gratiano *de Consecrat.* dist. 2. can. *Nos autem, invisibilem appellat Christi carnem in Sacramento* : « Nos, inquit, in specie panis et vini, quam videmus, res invisibles, carnem et sanguinem honoramus. »

Tertia regula. — Adverbia, quæ dicunt modum existendi corporalem, non dicuntur de Christo in Eucharistia, licet dicantur de ipso, ut in cœlo residet : alia vero nihil prohibet dici. Ratio est, quia (ut sæpe diximus) non habet Christus in Eucharistia modum existendi corporum, sed potius spirituum, cum sit totus in qualibet parte. Itaque dicemus, Christum esse in Eucharistia vere, realiter, substantialiter, ut Concilium recte loquitur, sed non dicemus, corporaliter,

(1) I Cor. XV, 44.



contra dici posset esse spiritualiter, ut Bernardus dicit in sermone de S. Martino, ubi affirmat in Sacramento exhiberi nobis veram carnis substantiam, sed spiritualiter, non carnaliter : tamen non videtur hæc vox multum frequentanda, quia periculum esset, ne traheretur ab adversariis, non tam ad modum, quam ad ipsam naturam significantam ; propter quod item periculum non videtur valde usurpandum illud, non esse corporaliter, nisi addatur continuo explicatio.

Quarta regula. — Verba quæ significant præsentiam corporis Domini in Eucharistia, abstrahendo a modo existendi cum ordine ad alia, simpliciter affirmari possunt ; reliqua non item. Quare recte dicemus : Corpus Domini est, continetur, manet, reperitur, sumitur, percipitur in Eucharistia ; at non recte diceremus : Corpus Christi in Eucharistia extensum est, occupat locum etc.

Quinta regula. — Quamvis corpus Christi in Eucharistia per se non videatur, nec tangatur, nec moveatur ; tamen ratione specierum, sive accidentium, quibus conjunctum est, potest dici, videri, tangi, moveri, etc. Id patet, quia species illæ vere videntur, tanguntur, moventur ; et quod eis convenit, usitate etiam tribuitur ei, quod est cum illis conjunctum. Nam hoc modo angeli, qui sunt spiritus, dicebantur videri, et tangi corporeis oculis, quando videbantur, vel tangebantur corpora ab illis assumpta. Genes. XIX, et in toto lib. Tobie Scriptura passim vocat angelos, quos dicit visos, auditos, tactos. Imo Joan. 1. Spiritum sanctum dicit se Joannes vidisse, cum columbam vidit. Hinc etiam Patres eodem modo loquuntur de corpore Domini in Sacramento. Chrysostomus hom. 83. *in Matth.* « Ipsum (Christum) vides, ipsum tangis, ipsum comedis ; » et homil. 24. *in priorem ad Corinthios* dicit : Regium corpus nobis intuendum, et tangendum proponi, et Cyrillus lib. XII. *in Joan.* cap. VIII. « Præbet, inquit, nobis carnem suam tangendam. » Et Augustinus serm. 2. *de Verbis Apostoli* : « Quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur. » Denique in Concilio romano, sub Nicolao II, compulsus est Berengarius confiteri Christi corpus sensualiter sacerdotum manibus tangi, et frangi.

Sed existit hoc loco quorundam dubitatio ; num ea, quæ dicuntur de Christo ratione specierum, dicantur de ipso vere, et proprie, an per aliquem tropum. Et quidem aliqui

volunt, vere, et proprie dici eo modo, quo dicerentur illa eadem vere, et proprie de pane, si adesset : panis enim vere et proprie dicitur videri, tangi, frangi, ratione accidentium suorum. Ratio horum est, quia existimant unionem Christi cum accidentibus panis, vel esse hypostaticam, vel ei valde similem ; atque ideo fieri communicationem idiomatum inter Christum, et accidentia illa. Itaque sicut vere dicitur Deus in Christo videri, et tangi, imo etiam pati, et mori, ratione naturæ humanæ assumptæ : ita isti volunt, Christum in Eucharistia vere, et proprie videri, et tangi ratione accidentium panis. At sententia theologorum communis contrarium docet.

Ideo sit regula sexta ex Petro de Soto lect. 6. *de Sacramento Eucharistiæ.* — Verba quæ significant motum localem, vere et proprie dicuntur de corpore Christi in Eucharistia existente, ratione specierum ; licet per accidens, non per se ; cætera autem, quæ significant alias mutationes, vel actiones, dicuntur quidem de corpore Christi ratione specierum, sed improprie, et figurate.

Prima pars hujus regulæ certissima est, quia realis præsentia corporis Christi, id necessario requirit, ut motis speciebus vere moveatur corpus Christi, quamvis per accidens : quomodo anima nostra vere mutat locum, cum corpus mutat locum. Itaque vere et proprie dicemus, Christi corpus in Eucharistia, attolli, deponi, deferri, collocari in altari, vel in pyxide, transferri a manu ad os, et ab ore ad stomachum.

Altera pars probatur, quia si quæ conveniunt speciebus, excepto motu locali, deberent proprie convenire corpori Christi, oporteret vel recipi eas mutationes immediate in corpore Christi, quod omnes negant ; vel mediantibus speciebus, et hoc vel quia species inhæreant corpori Christi, et id etiam omnes negant ; vel ratione communicationis idiomatum ob unionem hypostaticam, vel similem : et hoc etiam non habet locum. Nam, ut omittam ea, quæ suo loco infra dicemus contra opinionem, sive errorem de hypostatica unione, si ista esset causa, quatuor absurda sequerentur. Primum, quod Christus in Eucharistia deberet etiam dici albus, et rotundus ratione specierum : quod tamen omnes absurdum esse confitentur. Cur enim potius actiones, et passionem, quam ipsæ qualitates de Christo dicantur, si est communicatio idiomatum ? certe in mysterio

incarnationis, non solum dicitur Deus ambulasse, comedisse etc. sed etiam fuisse corporeus, humilis, tristis etc. Secundum, quod sicut dicunt Christum vere et proprie videri, et tangi; ita possent dicere eum calefieri, aut frigefieri, imo et mucidum aut acidum fieri, quando ista contingunt in speciebus, ante eorum corruptionem: quemadmodum Deus dictus est pati, vulnerari, et mori in carne. At illa nemo plane concederet. Tertium, quod oporteret etiam speciebus tribuere Christi attributa; est enim mutua communicatio idiomatum. At nunquam est auditum, ut accidentibus aliquid ejusmodi tribueretur. Quartum, quod non liceret dicere, carnem Christi videri aut tangi, sed solum ipsum Christum; communicatio enim idiomatum tribuit soli supposito attributa utriusque naturæ, non autem attributa unius naturæ accommodat alteri; caro autem natura est, non suppositum. Et tamen Patres supra citati de carne ipsa loquuntur. Chrysostomus enim homil. 47. in *Priorem ad Corinthios* dicit, nos carni Christi dentes infigere; et Cyrillus loco notato: « Carnem suam, inquit, tangendam præbet. »

### CAPUT III.

*Ex figuris Testamenti veteris demonstratur præsentia corporis Domini in Eucharistia.*

Nunc, ut ad probationem accedamus, Catholicam veritatem, quatuor argumentorum generibus confirmabimus, ac simul respondebimus ad ea, quæ adversarii in unoquoque genere obijciunt. Ad primum genus argumentorum pertinent Scripturæ testimonia; ad secundum, testimonia veterum Patrum; ad tertium, Ecclesiæ consensus; ad quartum, varietate rationes. Ex Scripturis quatuor argumenta peti possunt. Primum, ex figuris. Secundum, ex promissione. Tertium, ex institutione. Quartum, ex usu.

Ex figuris igitur Testamenti veteris sumitur hoc argumentum. Figuræ necessario inferiores esse debent rebus figuratis. Figuræ autem Sacramenti Eucharistiæ, vel sunt excellentiores, vel non inferiores simplici, et naturali pane, significante corpus Christi: igitur Eucharistia non est simplex et naturalis panis significans corpus Christi, sed est ipsum corpus Christi, panis vere cælestis, et substantialis.

Major propositio ex Apostolo Paulo certis-

sima est, qui Coloss. II. comparat figuras Testamenti veteris umbris, impletionem autem corpori. Et Hebr. X. comparat easdem figuras umbris, veritatem autem imagini. Umbra enim non est vera imago, sed vel est inanis similitudo imaginis, qualis efficitur, cum quis ambulat in sole; vel certe adumbrata imago in tabula, nondum expressa, et perfecta. Hieronymus in cap. I. ad *Titum*, ut in re clara non multiplicem testes: « Tantum, inquit, interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantum inter umbram et corpora, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum, et ea ipsa, quæ per exemplaria figurabantur. « Sed etiam absque his testimoniis dubitari non potest, quin figura serviat veritati, et per eam impleatur, ac perficiatur.

Minor propositio dupliciter probari potest. Primum, ex his figuris, quæ sunt æquales pani. Deinde ex his, quæ sunt præstantiores. Figuræ æquales sunt illæ, quæ in pane sitæ erant. Primum panis, quem protulit Melchisedech, Genes. XIV. eum enim fuisse figuram Eucharistiæ docet Chrysostomus hom. 35. in *Genes*. « Vides, inquit, quomodo Sacramentum nostrum insinuat, vidisti typum, cogita, oro, veritatem. » Idem habent alii Patres, Cyprianus lib. II. epist. 3. Arnobius in *Psal.* CIX. Ambrosius lib. IV. de *Sacramentis*, cap. 3. Hieronymus in cap. 26 *Matth*. Clemens lib. IV. *Stromat*. Eusebius lib. 5. *Demonstrat. Evangel.* cap. 3. Damascenus lib. IV. cap. 14. Deinde erat panis propositionis, qui solum a puris, et sanctificatis comedi poterat, Exod. XL. et I Regum XXI. quem figuram Eucharistiæ fuisse testantur Hieronymus in cap. ad *Titum*. Damascenus loco notato, et Cyrillus *Cateches.* 4. mystag. Item panis primitiarum Levit. XXIII. ad quem alludens Irenæus lib. IV. c. 32. vocat Eucharistiam primitias divinarum munerum in novo Testamento. Denique panis ille Angelicus, quo Elias roboratus, quadraginta dierum spatio ambulavit, usque ad montem Dei Horeb, ubi et Deum quodammodo vidit III Reg. XIX.

Ex præstantioribus tres sunt præcipuæ figuræ, quæ robustissima argumenta Catholicis præbent. Prima, agnus paschalis, quem figuram Eucharistiæ fuisse docent multi veterum; ut Tertull. lib. IV. in *Marcion*. Isichius in cap. 23. *Levitic*. Hieronymus in cap. 26. *Matthæi*. Chrysostomus hom. de *Proditione Judæ*. Cyprianus lib. de *Unit*.

*Ecclesiæ.* Augustinus lib. II. *contra litteras Petiliani* cap. 37. « Aliud est, inquit, Pascha, quod Judæi de ove celebrant, aliud, quod nos in corpore et sanguine Domini accipimus. » Leo serm. 7. *de passione Domini.* Gregorius hom. 22. *in Evangelia.* Et ex ipso Evangelio Matth. xxvi, Luc. xxii, manifeste colligitur : non enim alia de causa Dominus post agnum paschalem ritu judaico manducatum, continuo sacramentum Eucharistiæ instituit, nisi ut significaret, ut ait Leo loco citato, antiquam observantiam novo sacramento adimpleri, et tolli. Denique constat agni paschalis cæremoniam non tam fuisse positam in immolatione, quam in manducatione, ut patet Exod. 12. Igitur illi respondet in Testamento novo Agnus ille, qui tollit peccata mundi, quatenus manducatur; quod certe non aliter fieri solet, quam in Eucharistia.

Jam vero agnum paschalem Judæorum rem fuisse præstantiorem Eucharistia nostra, si in ea non vere Christi corpus continetur nullo negotio demonstrari potest. Si enim consideremus agnum, et panem, ut res naturales, dubitari non potest, quin agnus excellat : si vero ea consideremus ut Sacramenta, id est, symbola externa, eo modo etiam agnus excellit. Nam caro Christi melius significatur carne agni, quam pane : item mors Christi melius significatur morte agni, quam fractione panis; Christi innocentia, mansuetudo, et aliæ proprietates melius significantur per agnum illum electum, anniculum sine macula, qui in lege jubebatur immolari, et manducari, quam pane, qui nihil horum habet : effectus etiam Sacramenti, sive sit nutritio quædam spiritualis, sive excitatio fidei, melius obtinetur per esum agni, quam esum panis. Magis enim caro nutrit, quam panis; et id etiam fidem magis excitat, quod melius repræsentat Christi mortem. Quare illa verba Domini : *Hoc est corpus meum*, aptius per metonymiam dici possunt de agno paschali, quam de pane Eucharistiæ.

Altera figura est sanguis Testamenti. Nam Exod. xxiv. et Hebr. ix. describitur Testamentum vetus, ubi legimus, Moysen nomine Dei mandata legis proposuisse: deinde aspersisse sanguinem in populum, ac dixisse : *Hic est sanguis Testamenti, quem misit ad vos Deus* (1).

Impleta est autem hæc figura in institutione

hujus Sacramenti; quod facile probari potest : posset enim aliquis existimare, illam esse figuram passionis Christi, et non institutionis hujus Sacramenti. Probatur igitur primo, quia Lucæ cap. xxii. disertis verbis Dominus ait: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine* (2): igitur in ipsa cœna Testamentum institutum fuit. Secundo, quia videtur Dominus de industria uti voluisse iisdem fere verbis, quibus usus fuit Moyses : nam Matth. cap. xxvi. ita scribit eum dixisse : *Hic est sanguis novi Testamenti*, et præterea. Tertio, tunc Dominus proposuit etiam legem, ut antea fecerat Moyses, cum ait, Joan. xiii : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (3), et aspersit sanguinem in pectora discipulorum; quorum neutrum in passione factum legimus. Quarto, Testamentum fieri debet ab homine libero, ante mortem coram testibus, et per aliquod publicum instrumentum, quod exstet ad memoriam. Hæc omnia videmus adfuisse in ultima cœna, non autem in passione. Nam in ultima cœna Dominus adhuc liber erat, in passione autem, erat quodammodo juris alieni, cum vinctus esset in manibus Judæorum. Item in ultima cœna testes aderant Apostoli, et confectum est publicum instrumentum exstans ad memoriam, id est, Sacramentum ipsum Eucharistiæ. In passione autem inimici aderant, non testes, excepto Joanne, neque ullum tunc instrumentum factum est. Denique in ultima cœna Dominus vivebat, in passione non tam vivebat, quam moriebatur. Unde Apostolus Hebr. ix. dicit : Testamentum morte confirmari; non enim valet dum vivit, qui testatus est, quasi dicat, ante mortem fieri, sed morte consequente firmari.

Hoc ergo posito, sanguinem illum Testamenti veteris, figuram fuisse sanguinis, qui nobis datur in Eucharistia; iisdem argumentis probari posset, meliorem fuisse figuram re ipsa figurata, si ibi verus sanguis, hic tantum sit vinum, quibus probavimus Agrum meliorem esse pane. Sanguis enim, et nobilior substantia est, quam vinum, et melius repræsentat Christi sanguinem, quam vinum.

Tertia figura est manna, quod Judæis in deserto pluebat, Exod. xvi. Fuisse enim manna figuram Eucharistiæ, patet ex verbis Domini, Joan. vi : *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt; qui*

(1) Exod. XXIV, 8; Hebr. IX, 20. — (2) Luc. XXII, 20. — (3) Matth. XXVI, 28; Joan. XIII, 34.

*manducat hunc panem, vivet in æternum* (1). Idem præterea colligitur ex Apostolo, qui I Corinth. x. mare rubrum comparat Baptismo, et manna Eucharistiæ. Idem et Patres docent, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, et Augustinus in cap. vi. *Joannis*, et præterea Ambrosius lib. v. *de Sacrament.* cap. i. de iis qui in init. myst. cap. viii. et ix. Denique tanta est inter manna, et Eucharistiam similitudo, ut res ipsa clamet, illud hujus fuisse typum. Manna datum est in deserto, dum filii Israel transito mari rubro ad terram promissionis pergerent : ita etiam (ut notat Augustinus tract. 11. in *Joannem*) Eucharistia datur in hujus vitæ deserto, dum post Baptismum tendimus ad veram patriam nostram, quæ est vita æterna. Deinde manna id habuit singulare, ut licet aliqui multum, aliqui parum collegisse viderentur, omnes tamen eandem mensuram invenirent, Exod. xvi. Quod certe aptissime quadrat in Eucharistiam, cum idem sit Sacramentum, eadem virtus, idem fructus in magna parte signorum, et in parva. Denique non caret mysterio, quod et manna, et aqua de petra, quibus utraque species Sacramenti figuratur, contemptum, dubitationes, et contradictiones passa sint, et propterea multi inde perierint, unde refici debuissent. De manna Psal. LXXVII. *Numquid panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Et Numer. xx. legimus aquam illam, aquam contradictionis appellatam. Et Numer. xxi. *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo* (2). Ibidem describitur strages occisorum propter hujusmodi murmurationes. Porro dubitationes, murmurationes, et contradictiones circa Eucharistiam hoc potissimum tempore notissimæ sunt. Et certe si (ut Apostolus ait, I Corinth. xi.) multi dormiebant, id est, moriebantur corporaliter olim, quia indigne sumebant Eucharistiam, multo plures credendum est mori in æternum, propter contemptum, et blasphemias in tam admirabile Sacramentum.

Jam vero, quod manna res fuerit multo præstantior, quam Eucharistia, si ea non vere continet corpus Domini, facile probari potest. Nam si consideremus manna, et panem Eucharistiæ, ut dona quædam, abstrahendo a significatione; manna fiebat manibus Angelorum, unde dicitur panis Angelorum, Psal. LXXVII. et Sapient. xvi. Panis Eucharistiæ fit manu pistorum. Manna pluebat e

cælo; panis iste prodit e furno. Manna habuit omnem saporem, imo summo miraculo, cuique sapiebat, quod is desiderabat. Sapient. 16, panis, nihil nisi panem sapit. Quid igitur est, quod Christus Joan. vi. ait : *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum* (3); et alia quæ ibidem subjungit, longe anteponebat Eucharistiam suam mannæ Judæorum? Si vero considerentur ut symbola externa, melius Christum significat manna, quam panis, et quia illud erat e cælo, et quia habuit omnem saporem, et quia æqua mensura sumebatur ab omnibus, licet diversa esse videretur.

#### CAPUT IV.

##### *Refellitur solutio adversariorum ad argumentum nostrum.*

Ad hoc argumentum respondet Petrus martyr in sua defensione de Eucharistia part. 3. pagina 692. ac duo docet. Primo jactat fundamentum quoddam, videlicet in Sacramentis veteribus fuisse symbolum externum, et rem ipsam, sicut in nostris; et licet symbola nostra, et illorum sint diversa, tamen rem esse eandem. Et probat ex Apostolo I Corinth. xi. qui dicit, Hebræos eandem nobiscum escam manducasse; et ne quidquam de re dubitemus, eam ait disertis verbis fuisse Christum.

At in hac probatione bis peccat Martyr. Primo, quia Paulus nusquam dicit Hebræos eandem nobiscum escam manducasse. Illa enim particula (*nobiscum*) quam sæpe inculcat Martyr, et in qua totum præsidium ponit, non habetur in Apostolo, et nos supra in disputatione de Sacramentis in genere demonstravimus, Apostoli sensum esse, quod Hebræi eandem escam inter se comederint, non autem nobiscum. Secundo, quia Paulus nusquam dicit, escam, vel potum illum Hebræorum, seu rem Sacramentorum illorum fuisse Christum, quod tamen disertis verbis eum dicere, Martyr solita confidentia scripsit. Verba enim Apostoli hæc sunt : *Bibebant autem de spirituali, consequente eos petra; petra autem erat Christus* (4). Ubi Apostolus non dicit Christum fuisse aquam, quam

(1) Joan. VI, 49. — (2) Psal. LXXVII, 20; Numer. XXI, 5. — (3) Joan. VI, 32. — (4) I Cor. X, 4.

illi bibebant, sed petram, unde illa aqua fluebat; et petram non illam materiælem, ex qua visibiliter, et quodammodo materialiter aqua fluebat, sed petram invisibilem, quæ Hebræos ubique comitabatur, id est, divinam Christi providentiam, et virtutem, quæ erat causa efficiens illius aquæ, et omnium bonorum. Sed de hac re satis multa loco citato disputavimus.

Unicus restat scrupulus, quia apud Paulum (ut Martyr ibidem annotavit) idem est edere, et bibere aliquid, et de aliquo: Nam I. Corinth. XI. dicit: *Bibere calicem, et, bibere de calice; et similiter, edere panem, et de pane* (1). At id verum est, cum agitur de re comestibili, vel potabili, ut in exemplis positis. Quia vero non recte dicimur bibere petram; ideo cum legimus, *bibere de petra*, non potest exponi, quasi idem sit, quod bibere petram, sed (ut nos diximus) quod bibere aquam ex petra manantem. Quare quantumlibet se vertat in omnem partem Martyr, non efficiet, ut Paulus dicat Hebræos bibisse Christum.

Secundo igitur Petrus Martyr jacto illo putrido fundamento, addit: Sacramenta nostra, quantum ad symbola externa, præstare antiquis Sacramentis, quia sunt magis firma, nec amplius mutanda, usque ad finem sæculi; et quia ostendunt rem factam, non, ut illa, futuram; et quia sunt simpliciora, et pertinent ad populum numerosiorem, et quia sunt clariora, non propter externam representationem, sed ex claritate verborum, quæ ibi proferuntur; unde etiam sequitur, quod majorem fidem excitant, et sic uberiores fructum afferunt. Ac per istas prærogativas satisfieri putat argumento Catholicorum.

Sed minime satisfit. Nam quod attinet ad Sacramenta, ut signa, extrinsecæ sunt illæ prærogativæ, quod nostra sint durabiliora, et quod significant rem præteritam, et quod ad plures pertineant; id enim totum pendet ex voluntate instituentis; et ideo, aut nullam, aut fere nullam dignitatem addunt signis, ut signa sunt. Exempli gratia, immolatio agni ex se non minus durabilis esse posset, et ad multos pertinere, et rem præteritam significare, quam fractio panis: quare per accidens est, quod Hebræi adhiberent immolationem agni ad rem futuram significandam, nos fractionem panis ad rem præteritam, ut notum est. Et idem de cæteris dici potest. Adde, cum Dominus Eucharistiam

instituit, mors ipsius, quæ eo sacramento significatur, futura erat, non præterita: igitur Eucharistia illa, quam Dominus ipse celebravit, nihil habuit præ cœna typica agni paschalis. Quorsum ergo Dominus iteravit cœnam, et Eucharistiam tunc didit? Comfacienda est in ipsa significatione, si propria, et intrinseca dignitas signorum quaeritur: illa enim sunt meliora, quæ melius significant. Signa vetera melius significare, quantum ad externam representationem, adversarius non negat, et nos in nostro argumento planissimum fecimus.

Solum ergo restat, quod nostra videantur excellere ratione verborum. Sed hoc adversarios nihil juvat: nam ipsi nolunt verba esse de essentia signorum, ut Catholici dicunt. Tria sunt enim genera verborum in sacramentis. Primo, sunt verba institutionis; et hæc communia sunt sacramentis veteribus, et novis, et non sunt proprie de essentia, cum ad causam efficientem pertineant. Secundo, sunt verba promissionis; et hæc etiam sunt communia, et non sunt de essentia: distinguuntur enim per adversarios verba, et sacramenta, sicut diploma, et sigillum; vel sicut fœdus, et signum fœderis. Unde Calvinus lib. IV. Institut., cap. 14. §. 1. dicit Sacramenta esse appendicem promissionum, et omnes adversarii dicunt sacramenta esse signa confirmantia promissiones. Quamvis igitur verba promissionis sint clariora in novo Testamento, quam in veteri, non tamen sequitur ideo sacramenta etiam esse clariora: potest enim fieri, ut diploma clarius obsignetur sigillo obscuriore, et diploma obscurius sigillo clariore et meliore. Et hoc admittere coguntur adversarii in materia sacramentorum, cum fateantur signa vetera fuisse clariora, quoad externam representationem. Quare si major fides excitetur in perceptione sacramentorum novorum, quam veterum, ut Martyr dicit, id non est ex vi signorum, sed ex vi verborum tantum, quæ distinguuntur a signis essentialiter, ut diximus. Tertio, sunt verba consecratoria; et illa sunt de essentia apud Catholicos, et ratione eorum sunt Sacramenta nostra signa clariora: sed hoc genus verborum adversarii explodunt, tanquam incantationem, et magiam. Nihil ergo illis remanet, unde probent, signa nostra esse clariora veteribus.

(1) I Cor. XI. 26 et 28.

Sed licet etiam id probare possent, adhuc remanet insolutum argumentum nostrum ex comparatione rerum inter se, ommissa significatione; et hæc est comparatio, quæ fit in Scripturis, et apud Patres. Non enim Scripturæ, et Patres dicunt, nostra Sacramenta excellere veteribus, quia melius significent, sed quia illa erant figuræ, et ista res figurata et proinde res ipsæ considerandæ sunt. Si autem res ipsæ considerentur, quis dubitet meliorem esse agnum pane, et manna etiam de cælo, quam panem ex forno? Et hæc est comparatio, quam Christus facit Joan. vi. ubi non meminit significationis, sed dicit, manna non fuisse panem vere de cælo, si cum pane Eucharistiæ conferatur. Pari ratione Patres, non dicunt, Eucharistiam esse præstantiorem, quam Manna, quia melius significat, sed quia continet corpus Christi, quod est incomparabiliter nobilius, quam manna: unde nunquam comparant manna eum pane, ut facere debuissent, si de significatione ageretur, sed cum ipso corpore Domini. Loca Patrum multa ad hoc propositum attulit Gardinerus in eo libro, cui respondet Martyr, ut Origenem homil. 7. in *Numeros*, Cyprianum serm. *de cæna Domini*, Ambrosium de iis, qui in init. myster. c. 9. Hieronymum. in i. cap. *ad Tit.* Chrysostomum hom. 83. in *Matth.* Cyrillum lib. iv. in *Joan.* cap. 16. Hesychium lib. vi. in *Levit.* cap. 22.

Explicationes autem, quas ad ea loca Martyr adhibet, adeo sunt absurdæ, ut magis confirmant argumentum nostrum. Tres autem sunt ejus solutiones. Prima est ad locum Cypriani; sic autem loquitur Cyprianus in serm. *de Cæna Domini*: « Cæna disposita inter sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua, et nova, et consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis. » Hoc loco Cyprianus aperte comparat agnum paschalem non cum pane, qui non minus consumitur in cæna, quam agnus, sed cum corpore Christi; quod ita sumitur in cæna, ut semper integrum maneat. Respondet Martyr, agnum diei consumptibilem, quia cæremonia illa cessare debebat; panem Eucharistiæ dici inconsumptibilem cibum, quia Sacramentum Eucharistiæ usque ad finem sæculi durabit. Quid magis, quæso, hac explicatione extortum? Nam non loquitur Cyprianus de cæremonia ipsa in genere, quæ tunc abroganda erat, sed de illo agno particulari, quem tunc

Apostoli eum Domino comederant: « Agno, inquit, consumpto, quem antiqua traditio proponebat. » Sicut igitur ille agnus proprie per comestionem consumptus fuerat, ita e contrario si antithesis valet, cibus inconsumptibilis, non est cæremonia novi Sacramenti in genere, sed est res aliqua particularis, quæ dum comeditur, non absumitur, quæ certe non est panis, sed corpus Christi. Præterea, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ durabit usque ad mundi finem, tamen cessabit tandem: quare non recte dici potest inconsumptibilis cibus, nisi ratione rei contentæ, quæ est absolute inconsumptibilis; alioqui posset omnis panis, et quilibet alius cibus diei inconsumptibilis, quia durabit in specie usque ad mundi finem.

Adhibet deinde aliam solutionem, quæ etiam convenit testimonio Ambrosii, ac dicit posse inconsumptibilem cibum vocari ipsum Domini corpus; sed quia idem corpus, et eodem modo, (id est, per fidem) percipiebant veteres in agno, quod nos in pane juxta adversarios, ideo Martyr dicit, Cyprianum opponere agnum illum irrationalem non pani, ut par erat, sed corpori Domini, quia agnus ille obscurius significabat corpus Domini, quam noster panis, et res tunc futura erat, quæ jam facta est. Poterant enim veteres propter illam obscuritatem per quemdam tropum dici non habuisse corpus Christi.

At quis non misereatur hujus hominis in tantis angustiis positi? Nam et falsum est, ut ostendimus, agno illo obscurius significatum esse Christum, quam pane, cum potius multo clarius illo significaretur; et falsum est etiam saltem de Eucharistia, quam Dominus ipse discipulis distribuit, quod rem præteritam significaverit. Significabat Christi mortem, quæ futura erat, non præterita. Et præterea quis ferat tropum illum, quo dicantur non habuisse Christum veteres, et nos dieamur habere, cum eundem Christum et eodem modo, id est, per solam fidem habeamus? Ad hunc enim modum habendi, parum aut nihil interest, utrum Christus venturus fuerit, an venerit, sicut non magis refert memoria præteriti cibi, quam expectatio futuri. Neque refert etiam utrum habeamus per signa clariora, vel obscuriora. Ac, ut similitudine rem illustremus: Si quis dimitteret debitori debitum centum aureorum in gratiam amici, qui donaturus est ei mille aureos post annum, et faceret ei syngrapham

donationis, et obsignaret sigillo paulo rudiori; deinde post duos annos dimitteret alteri debitum, item centum aureorum in gratiam ejusdem amici, qui ei donavit mille aureos ante unum annum, et daret huic etiam syngrapham donationis, et obsignaret pulcherrimo sigillo: quæro, num propter sigilli, et temporis diversitatem posset dei priori debitori datam obsignatam syngrapham, posteriori autem vere debitum remissum? nullus certe sanæ mentis homo ita loqueretur, et hoc modo tamen loquitur Martyr.

Alter locus erat Ambrosii, qui ita loquitur de manna, sicut Cyprianus de agno paschali: sic enim ait de his, qui initiantur mysteriis, cap. 9: « Considera nunc, uter præstantior sit, panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud de cælo, hoc supra cælum; illud cæli, hoc Domini cælorum; illud corruptioni obnoxium, si in alterum diem servaretur, hoc alienum ab omni corruptione. » Ad hunc locum non respondet Martyr, sed remittit nos ad solutionem jam datam ad locum Cypriani; et nos eum remittamus ad superiorem confutationem.

Ad alia testimonia Hieronymi, Origenis, Chrysostomi, Hesyehii (nam a Cyrillo fatetur se dissentire) respondet illos tribuere Hebræis tantum symbola, nobis autem rem ipsam; quia non intelligebant multi Hebræorum, quid symbola significarent, et proinde non habebant nisi externa symbola. At solutio non satisfacit, tum quia Hieronymus, et alii comparant inter se res ipsas, non autem habentes; tum quia etiam Christiani, qui non intelligunt quid symbola significant, non habent nisi symbola secundum adversarios.

## CAPUT V.

### *Quod Joan. VI. agatur de Eucharistia.*

Jam ut ad secundum argumentum ex Scripturis veniamus, probanda est eadem veritas ex promissione Domini, quæ habetur apud Joannem cap. VI. Tria autem de hoc argumento tractanda erunt. Primo dispu-

tandum est, an Joan. VI. loquatur Dominus de Eucharistia. Secundo, deducendum inde argumentum pro veritate corporis Domini. Tertio, solvenda argumenta adversariorum, qui putant Joan. VI. non agi de Eucharistia.

Quantum ad primum, non est controversia, an in toto capite agatur de Eucharistia: constat enim non ita esse. Nam et de miraculo panum, et de fide, et de Inarnatione agitur in magna parte capituli. Solum igitur quæstio est de illis verbis: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (1); et de sequentibus fere ad finem capituli.

Ac hæretici quidem hujus temporis fere omnes negant hæc verba ad Sacramentum Eucharistiæ pertinere. Lutherus in libro *de Captivitate Babylonica* cap. I. dicit cap. VI. Joannis in totum seponendum esse, ut quod nihil ad hanc rem pertineat. Idem habet Zwnglius in lib. *de Vera et falsa religione*, cap. *de Eucharistia*, idem Oeolampadius in lib. *de Verbis Domini: Hoc est corpus meum*. Idem Martinus Kemnitius in 2. par. *Examinis*, pag. 657. ad cap. I. sess. XXI Concilii Tridentini. Joannes Calvinus videtur quidem nonnullis in alia esse sententia. Nam lib. IV. *Institut.* cap. 17. §. I. et 5. et deinceps tractans de hoc Sacramento, citat. cap. VI. Joannis: tamen §. 33. aperte sententiam suam aperit. Nam eum citasset illa verba, *Quisquis ederit carnem meam, et liberit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (2), ita subjungit: « Exeipiunt, illie non agi de sacramentali esu, quod ego fateor. » Non igitur voluit Calvinus intelligi debere sextum caput Joannis de sacramentali manducatione: citavit tamen verba hujus capituli, eum de Sacramento ageret, quia existimat in hoc capite tractari de spirituali Christi manducatione, cui postea Dominus addidit externa symbola. Id quod clarissime exposuit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* par. I. ad solutionem 32. objecti: « De sexto capite, inquit, Joannis an ad Eucharistiam pertineat nos ita respondemus, sermonem ibi de Sacramento eœnæ non institui. » Et infra: « Quoniam tamen res ipsa, id est, corporis et sanguinis Christi, spiritualis manducatio, et potus ibi lueulenter traditur, ad quam postea Evangelistæ ad finem historiæ suæ declarant, Christum adjunxisse symbola externa panis, et vini, idcirco nos caput illud a

(1) Joan. VI, 52. — (2) Joan. VI, 57.

Sacramento Eucharistiæ non putamus esse alienum. » Atque hæc de hæreticorum sententia.

Porro Catholici fere omnes intelligi volunt hujus capituli verba de Sacramento ipso Eucharistiæ, sive de sacramentali manducatione corporis Domini in Eucharistia. Sunt tamen pauci quidam, qui ut facilius responderent Hussitis, vel Lutheranis ex hoc capite probantibus communionem sub utraque specie, docuerunt non agi in hoc capite de sacramentali manducatione et potu, corporis, et sanguinis Domini. In hoc numero sunt Gabriel lect. 84. super canon. Missæ. Nicolaus Cusanus epist. 7. ad Bohemos. Thomas Cajetanus in 3. part. quæst. LXXX. art. ult. Ruardus Tapper in explic. artic. 15. Lovaniensium. Joannes Hesselius in lib. de Communionem sub una specie, et Cornelius Jansenius cap. 59. Concordiæ. Multum autem interest inter Catholicos, et hæreticos, licet in sententia eadem convenire videantur; quod Catholici id senserunt optima intentione, ut videlicet facilius defenderunt veritatem: hæretici autem, ut eandem facilius oppugnarent. Deinde catholici subjiciunt se, ac sua censuræ Conciliorum, ac Pontificum; quod hæretici non faciunt.

Porro cæteri scriptores Catholici, quos in maximo numero citat Nicolaus Sanderus in libro de Sexto capite Joannis, summo consensu docent in hoc capite agi de manducatione sacramentali: quod sine dubio verissimum est; et probari potest quatuor argumentis. Primo ex hoc ipso loco Scripturæ. Secundo ex testimonio Ecclesiæ. Tertio ex Patribus. Quarto ex absurdis, quæ sequuntur ex adversariorum sententia.

Quantum ad primum, ex ipso textu sumuntur hæc argumenta. Primum, Dominus loquitur de futuro, cum ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* At si panis eo loco significaret Christum ut fide percipitur sine ulla relatione ad species sacramentales, non diceret in futuro. Manducatio enim illa per fidem res est omnium temporum: nam etiam Patres veteris Testamenti ita Christum manducaverant. Et confirmatur ex textu græco, quem hæretici latino anteponere solent; sic enim habetur: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Ubi illud secundum, *Dabo*, non potest exponi, nisi pro re vere et proprie futura; ergo et primum, *Dabo*, ita exponi debet. Promisit igitur Dominus carnem suam, non absolute,

sed in Sacramento sumendam, quod promissum implevit in ultima cœna. Confirmatur secundo ex distinctione, quam facit Dominus inter donum Patris, et donum suum. Nam de Patre dicit in præsentem: *Pater meus dat vobis panem de cælo verum*; de se autem in futuro: *Panis, quem ego dabo*, quia nimirum donum Patris jam aderat, id est, Filius ejus incarnatus: donum Filii, id est, caro in Sacramento, futurum erat.

Secundum argumentum sumitur ex collatione horum verborum, cum verbis cœnæ: tanta enim est similitudo, ut plane clamare videatur divina Scriptura, ibi reddi, quod hic fuit promissum: Hic enim dicitur: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Ibi autem: *Accipite et manducate, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur in remissionem peccatorum.*

Tertium argumentum ex sequentibus verbis: *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* et ex illis discipulorum paulo infra: *Durus est hic sermo et quis potest eum audire?* Ex his enim colligitur tam Judæos cæteros, quam discipulos ipsos intellexisse aliquid novum, et mirandum proponi a Christo. Dominus autem non correxit eorum sententiam, sed iterum inculcavit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis etc.* Quis credat rem facillimam, qualis est credere in Christum, voluisse Dominum cum tanto offendiculo discipulorum involvere tot obscurissimis metaphoris, cum potuisset uno verbo rem totam declarare? Et confirmatur, quia solebat Dominus, si quid per parabolas obscure proponeret, postea discipulis explicare, ut patet Matth. XIII. de parabolis seminantem, et zizaniorum, et Joan. III. cum dixisset: *Oportet vos nasci denuo*, et Nicodemus non intellexisset, explicuit paulo post id fieri ex aqua, et Spiritu Sancto, et Joan. X explicuit parabolam de pastore, ovibus, ostio etc. Idem fecit et Joan. XVI de illis verbis: *Modicum, et videbitis me, et iterum modicum et non videbitis me.* Hic autem non explicuit aliter, sed dixit iis, qui non recesserant: *Vultis et vos abire?* quasi diceret, Non habeo aliud quod faciam, insinuavi mysterium, fide hic opus est, qui non vult acquiescere, abeat.

Quartum argumentum, ex illis verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, etc.; Caro*



*mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, etc.* Ista enim distinctio tam frequens carnis et sanguinis, et cibi ac potus, aperte indicat Christum loqui de communicatione sui sub speciebus panis, et vini : alioqui enim quorsum ista distinctio toties praesertim repetita? Spiritualis enim perceptio Christi per fidem, non eget ista distinctione, cum uno modo fiat : idem enim est manducare, et bibere in sumptione per solam fidem. Adde, quod illa expressio : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, significat diversum modum sumendi carnem, et sanguinem Christi, qui plane perit, si tollas species sacramentales.

Quintum est, in illis verbis : *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, etc.* Siquidem comparatio non fit inter manna, et corpus Christi, ut sumitur sola fide, sed ut sumitur in Sacramento, id quod perspicuum est tum est Apostolo I Corinth. 10, ubi comparat transitum maris rubri cum Baptismo, et manna cum Eucharistia, tum etiam quia corpus Domini, ut sumitur sola fide, non defuit veteribus ; immo illud in manna ita sumebant opinione adversariorum, ut nos sumimus in Eucharistia.

Sextum ex miraculo panum. Adjunxit enim Dominus hanc disputationem illi miraculo, quia multiplicatio illa panum fuit insignis figura hujus Sacramenti.

Septimum ex verbis manducandi carnem, et bibendi sanguinem tam saepe repetitis, et cum juramento : *Amen, amen*, confirmatis. Illa enim verba non possunt figurate accipi, sed proprie ; tum quia semper propria significatio sequenda est, nisi evidenter probetur contrarium ; tum quia valde absurdum esset Dominum non semel, sed saepius juramento confirmasse, oportere manducari ipsius carnem, si hoc non nisi figurate faciendum esset : neque enim juramento confirmare licet, nisi sententias apertissimas, et certissimas, et quae non possint in alium sensum torqueri, ne detur occasio perjuriis. At proprie caro significat carnem, et manducare significat corporalem actionem qua cibus trajicitur ab ore ad stomachum. Id autem non fit quando creditur in Christum, sed tantum quando sumitur in Eucharistia ; loquitur ergo Dominus de sacramento Eucharistiae.

Octavum ex collatione hujus capituli cum III cap. ejusdem Evangelii. Sicut enim cap. III, Dominus, ut Baptismum insinuaret, dixit Nicodemo, et aliquoties repetivit : *Oportet vos na-*

*scidenuo, etc. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto : ita hoc loco, ut insinuaret alterum Sacramentum, nimirum Eucharistiae, dixit, et repetivit saepius : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et : Qui manducat meam carnem etc.* Et sicut eo loco mirabatur Nicodemus, neque poterat capere, quomodo fieri deberet illa regeneratio : sic etiam hoc loco mirantur discipuli, quomodo possit fieri ista manducatio.

Probatur secundo ex testimonio Ecclesiae. Nam Concilium Alexandrinum, quod approbatum fuit in III Synodo generali, in epist. ad Nestorium exponit illud : *Nisi manducaveritis*, de Sacramenti hujus perceptione. Idem facit VII Synodus act. 6. in fine tertii tomi. Similiter Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. exponit de hoc eodem Sacramento illa verba : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Itaque licet ista Concilia non condiderint decretum aliquod de hac re, tamen satis apparet, quid senserint omnes Episcopi trium generalium Conciliorum, et proinde omnis Ecclesia, quam illi repraesentabant. Adde, quod in die festo venerabilis Sacramenti, Evangelica lectio proponitur ab Ecclesia ex cap. VI Joan. Adde ultimo, quod Romanus Catechismus, qui omnibus pastoribus communis esse debet, adducit testimonia ex hoc capite, cum de Sacramento Eucharistiae tractat ; quae argumenta ex Ecclesiae praesentis testimonio, licet ab haereticis contemnantur, tamen Catholicis maxima esse debent.

Probatur tertio ex Patribus. Ac primum, qui commentaria scripserunt in Joannem, summo consensu haec loca de Sacramento Eucharistiae exponunt, nimirum Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Rupertus, S. Thomas, Nicolaus Lyranus, et Dionysius Carthusianus. Praeter hos interpretes, qui ex proposito Evangelium explicant, Origenes homil. 7 in Num. Athanasius homil. in illud : *Qui dixerit verbum in Filium hominis*, et in synopsi Basilii lib. I. de Baptismo cap. 3. et in *Regulis moralibus*, cap. 21. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica. Theophylus Alexandrinus lib. II. *Paschali* ; Epiphanius haeres. 55. Theodoretus lib. IV. *Hist.* cap. 11. Damascenus lib. IV. de Fide cap. 14. Ex latinis Cyprianus serm. de *Orat. Dominica*, et lib. I. contra *Judaeos* cap. 21. et in serm. de *Cena Domini*. Hilarius lib. VIII. de *Trinit.* Ambrosius lib. VI. de *Sacramentis*, cap. 1. et de iis qui initiantur mysteriis cap. 8. et lib. IV. de *Fide* cap.

5. Hesychius lib. vi. in *Levit.* cap. 22. Eusebius hom. 5. de *Paschate*. Etsi enim Hesychius, et Eusebius videntur Græci homines fuisse, tamen latine scripserunt. Hieronymus in epist. ad *Hidibiam*, quæst. 2. et in 1. cap. ad *Ephes.* August. serm. 2. de *Verbis Apostoli* quæst. 57. in *Levit.* in Ps. xxxiii. concion. 1. de consensu Evangelistarum, lib. iii cap. 1. et alibi. Leo sermon. 6. de *Jejunio* 7. mensis. Cassiodorus in Ps. cix. Haymo, Sedulius, et Primasius in cap. x, et xi. ad *Corinth.* Gregorius lib. vii. *moral.* cap. 4. Isidorus lib. i. de *Officiis divinis* cap. 18. Bernardus serm. 1. in *vigilia Nativit.* et serm. 1. de *Paschate*.

Ad hæc loca respondent Ruardus, et Jansenius, Patres in homiliis ad populum præsertim, accommodasse verba Joan. vi. ad sacramentum Eucharistiæ. At major pars auctorum allegatorum, scripsit commentaria, vel disputationes, in quibus litteralis sensus exprimi debet, non sensus mystici, et accommodationes. Et sane si licet hoc dicere de isto capite, cur non licebit idem dicere de cap. iii. Joan. nimirum Patres accommodasse eum locum ad Baptismum? Adde, quod adversarii ne unum quidem proferre possunt, qui docuerit hunc locum Joannis intelligi debere solum de spirituali manducatione, et nullo modo de sacramentali.

Præter hos Patres notandi sunt alii posteriores doctores, ne quis putet recentiores Catholicos contrarium sensisse, exceptis illis paucissimis, quos supra nominavi. Ita igitur exposuerunt, qui scripserunt olim contra Joannem Scotum, vel Berengarium, ut Paschasius lib. de *Sacramentis* cap. 14. Adelmanus in epist. ad *Berengarium*, Guitmundus lib. iii. Algerus lib. i. cap. 10. 12. et 17. Ita etiam Scholastici qui postea secuti sunt cum magistro lib. iv. dist. 10. Ita quoque Thomas Waldensis contra Wiclefum tom. ii. de *Sacramentis* cap. 92. et 94. et Joannes Gerson contra Hussitas in lib. de *Communione laicorum*. Denique nostro tempore contra Lutheranos plurimi, sed præter alios Nicolaus Sanderus, librum integrum scripsit de hac re.

Probatur quarto hæc eadem veritas ex absurdis, quæ sequerentur. Primo, sequeretur Joannem nihil plane scripsisse de hoc Sacramento; nam nusquam attigit hanc materiam nisi hoc loco. At certe valde absurdum est,

Evangelistam primarium, et diligentissimum in summis mysteriis explicandis, nihil de hoc summo Sacramento scriptum reliquisse, præsertim cum tam multa scripserit de Baptismo. Quare Augustinus lib. iii. de *Consensu Evangelistar.* cap. i. monet, Joannem nihil scripsisse de cœna Domini in proprio loco, ut cœteri facerent, quia plurima de ea re ante scripserat. Secundo sequeretur, Christum nunquam explicuisse fructum, aut excellentiam hujus sacramenti, cum id tam sæpe fecerit de Baptismo: nam in ultima cœna solum instituit, sed nihil addidit ad ejus explicationem. Et confirmatur, quia (ut Chrysostomus annotavit in comment. cap. xxvi. Matth.) Apostoli sine dubio commoti fuissent, et turbati, cum audiebant: *Accipite, et comedite, hoc est enim corpus meum* (1), nisi antea instructi fuissent. Tertio, sequeretur nullum exstare præceptum divinum de hoc sacramento percipiendo. Nam apud alios Evangelistas solum exstat institutio, et quoties Sacramentum sumitur, id fiat in memoriam Dominicæ passionis. Argumenta in contrarium solventur infra cap. 7.

## CAPUT VI.

### *Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex cap. VI. Joannis.*

Nunc jacto fundamento solidissimo, possumus inde sumere æque solidum argumentum ad probandam veram præsentiam corporis Domini in Eucharistia. Dominus enim loquens de pane, quem daturus erat in cœna, discrete dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (2).

Posset autem dupliciter hoc argumentum refutari. Primo, si quis diceret (quod revera dicunt hæretici) per panem hoc loco intelligi Christum absolute, non autem ut est in Sacramento sub speciebus. Sed hæc solutio profligata jam est omnibus argumentis, quæ fecimus capite superiori.

Secundo, si quis admitteret, per panem intelligi Eucharistiam, sed diceret, panem illum Eucharisticum dici carnem Christi, non proprie sed figurate, sive tropus sit in verbo *est* sive in nomine *caro*.

Hæc autem solutio refutanda est fusius in

(1) Math. XXVI, 26. — (2) Joan. VI, 52.

explicatione verborum illorum : *Hoc est corpus meum* ; nunc autem refutari potest ex verbis hujus ipsius loci multipliciter, et quidem solidissime. Primo, ex comparatione panum miraculo multiplicatorum, et mannae, quod pluit in deserto. Dominus enim contendit panem hunc suum, quem daturum se pollicebatur, praestantiorum esse utrisque. At certe simplex panis ob solam significationem corporis Christi non praestat panibus illis miraculo creatis, et multo minus ipsi mannae, quod etiam Christum significabat, ut supra ostendimus. Praeterea illi signum petebant a Christo, objicientes illi manna, quod non sine magno miraculo pluebat patribus in deserto ; Christus autem respondet se daturum panem de caelo verum. Nullum autem est miraculum in pane communi significante corpus Christi ; neque etiam in apprehensione, et manducatione Christi per fidem. Denique Dominus aliquid promisit, quod Patres non habuissent : sicut illi habuerunt manna, quod nos non habemus. At carnem Christi per figuram, sed significative etiam patres habuerunt.

Secundo, ex dubitatione Capharnaitarum, qui sine dubio intellexerunt veram carnem a Christo promissam ; et similiter ex offensione discipulorum, qui eodem modo verba Christi intellexerant : quorum opinionem Dominus non correxit ; sed arguit eorum dubitationem. At quis eredit, Dominum, qui tantopere sitiebat hominum salutem, passurum fuisse, ut tot discipuli ab ipso discederent, si potuisset uno verbo eos revocare, dicendo se figurate loqui ; et rem facillimam ereditu se proposuisse ?

Tertio ex illis verbis : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem*. Nam in apprehensione Christi per fidem, non solum non est vera manducatio, sed nulla potest fingi distinctio inter cibum et potum, ut supra diximus ; ergo hic promittitur vera caro, et verus sanguis, qui manducari et bibi possunt.

Quarto, ex illis verbis : *Hoc vos scandalizat ? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ?* Ista enim dupliciter exponi solent, et utraque expositio confirmat nostram sententiam. Una expositio est, quod voluerit Dominus rem unam mirabilem alia mirabiliore, vel aequae mirabili confirmare. Sicut enim eum dubitabant Judaei, an Chri-

stus posset remittere peccata, id ipse probavit, sanando paralyticum, Matthaei ix, et idem saepe alibi fecit, ut Joan. i. eum Nathanaele, et Joan. iii. cum Nicodemo. Ex qua expositione sequitur veritas nostrae sententiae : si enim Dominus non promisisset veram carnem suam se daturum in Sacramento, non fuisset opus probare potentiam suam exemplo Ascensionis.

Altera expositio est, quam indicare mihi videtur Chrysostomus in commentario, et sane valde litteralis, quod Dominus reprehendat incredulitatem discipulorum, ac doceat, majorem occasionem eos habituros dubitandi in Christi absentia, si in ejus praesentia dubitant, quasi dicat : Hoc vos scandalizat, quod carnem meam vobis edendam dare velim ? quid ergo facietis, quando in caelum ascendero, et tam procul a vobis abierit corpus meum ? quomodo tunc poteritis credere idem corpus vobis in Eucharistia praesens exhiberi ? Porro haec etiam expositio mirifice confirmat Catholicam veritatem. Nam si Dominus solum promisisset corpus suum fide percipiendum, non fuisset difficilius, sed facilius ita illud sumere iis, qui vidissent ascensionem Christi : ascensio enim conspecta roboravit Apostolos in fide ; non ergo Dominus dicebat : *Quid ergo si videritis Filium hominis ascendentem ?*

## CAPUT VII.

### *Solvuntur objectiones adversariorum.*

Ad hoc nostrum secundum argumentum ex cap. vi. Joan. nihil habent, quod objiciant, nisi caput illud ad Sacramentum non pertinere. Solvenda igitur sunt eorum argumenta.

Primum argumentum Lutheri est, quo utitur etiam Kemnitius, et alii. Coena Domini instituta fuit pridie passionis Christi. Sermo autem ille, qui describitur Joan. vi. habitus est integro anno ante Christi passionem ; non igitur in eo de coena agitur. Confirmat Kemnitius, quia si ideo Papistae reformare volunt Communionem, quia Joan. vi. dicitur : *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* ; oportebit etiam dicere in coena solam aquam

(1) Joan. VI, 55. — (2) Joan. VI, 62 et 63.

adhibendam, quia Joan. iv. dicitur : *Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in aeternum* (1).

Respondeo : Non negamus cœnam Domini institutam fuisse pridie passionis, et non uno anno ante; dicimus tamen uno anno ante præmissam a Christo, et de ejus eternæ futuræ exitiis fructibus ab eodem disputatum. Id quod in aliis etiam multis rebus Dominus fecit. Nam claves regni cœlorum Petro promisit, Matth. xvi, et explicuit quam vim essent habituræ; quas tamen non tradidit, nisi post resurrectionem, Joan. xxi. Ad confirmationem respondeo, Catholicos non reformare Communionem traditam, Matth. xxvi et cap. vi Joan., ut Kemnitius mentitur: non enim deformatur Communio, Matth. xxvi, ut reformatione indigeat. Dicimus tamen recte explicari unum locum per alium: et quia Joan. vi, dicitur: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum*, recte colligimus, sub una specie sumptum Sacramentum ita sufficere, ut non necessario requirantur duæ ad fructum Communionis percipiendum. Magna est autem dissimilitudo inter aquam, de qua loquitur Dominus Joan. iv, et panem de quo loquitur idem Dominus Joan. vi. Nam omnes interpretes posteriorem locum exponunt de Eucharistia, ut supra demonstravimus, priorem autem nullus omnino. Deinde Joannes ipse exposuit per aquam gratiam Spiritus sancti, Joan. vii: *Hoc autem dixit, inquit, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*; panem autem, Joan. vi, Christus ipse dixit, esse carnem suam, cum ait: *Panis quem ego dabo, caro mea est* (2).

Secundum argumentum ejusdem Lutheri: Joan. vi, disserit Dominus de illa manducatione cœlestis panis, quæ dat vitam. Sed sola manducatio spiritualis per fidem dat vitam; ergo de illa sola agitur.

Respondeo, falsum assumi; nam etiam sacramentalis manducatio dat vitam; sicut in Baptismo non sola interna ablutio, sed etiam externa mundat animas, illa formaliter, ista efficienter, atque instrumentaliter: et sicut scriptum est Act. xv. *Fide purificans corda eorum*; ita scriptum est: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ* (3). Ephes. v. Neque obstat, quod manducatio sacramentalis non det vitam sine fide: nam id provenit ex indispositione accedentis, non ex ipso Sacramento, quod ex se semper est efficax.

Tertium argumentum ejusdem Lutheri, et Martyris in defensione contra Gardinerum par. 1, ad objectum 13, pag. 94. Dominus, Joan. vi, non solum dicit, manducationem hujus panis dare vitam, sed etiam dicit sine hac manducatione neminem posse vivere: *Nisi manducaveritis etc.* At hoc præceptum tam æretum non potest intelligi de manducatione sacramentali; alioqui perirent omnes infantes, qui manducare nihil possunt, sed solum lac sugere: perirent etiam omnes, qui non communicarent, impediti aliqua necessaria causa, etiamsi alioqui baptizati et justificati essent.

Respondeo, communem esse difficultatem, quomocumque hic locus intelligatur. Nam si velint adversarii intelligi de manducatione spirituali per fidem; quomodo, quæso, infantes manducabunt, qui nullum habent usum spiritus, nec finem actualem ullam? Imo facilius esset infantibus instillare aliquid Sacramenti, quam efficere, ut credant. Dico igitur hunc locum ad solos adultos pertinere, qui quidem, aut re ipsa si possunt, aut saltem desiderio, tenentur hoc Sacramentum aliquando percipere. Id ita esse patet, quia hoc Sacramentum non est institutum ad vitam dandam iis qui non habent, sicut Baptismus; sed ad conservandam iis, qui habent. Et sic intelligitur illud: *Non habebitis vitam in vobis*, id est, non poteritis retinere, sed eam amittetis, sicut dicitur I. Joan. iii: *Omnis homicida non habet vitam in se manentem* (4). Non enim sensus est, non acquirit vitam; sed non retinet, amittit, moritur: hinc enim non regeneratio, sed manducatio dicitur. Porro ista conservatio non est necessaria, nisi iis, in quibus vita jam acquisita minui, aut perdi potest, quales non sunt infantes. Unde Dominus non ait: *Nisi quis manducaverit, sicut dixit de Baptismo: Nisi quis renatus fuerit*; sed, *Nisi manducaveritis*; ubi alloquitur circumstantes, et eorum similes, qui capaces sunt hujus præcepti. Et præterea cum loquitur de manducatione panis, id est, cum carnem suam panem vocat, satis aperte indicat, se non loqui de infantibus, qui non vescuntur panis, sed lacte. Denique vel hæc verba: *Nisi manducaveritis*, sonant præceptum vel medium ad salutem necessarium. Si præceptum, aut ad infantes non

(1) Joan. VI, 55: IV, 13 — (2) Joan. VII, 59; VI, 52. — (3) Act. ap. XV, 9; Eph. V, 26. — (4) I Joan. III, 15.

pertinet, cum ejus non sint capaces, aut certe excusantur cum non possint illud implere; id enim est commune omni præcepto. Si medium ad salutem necessarium; certe solum est medium iis qui vitam amittere possunt, quales non sunt qui usu rationis carent.

Quartum argumentum ejusdem. Augustinus lib. II *Contra Julian.* docet, infantes manducare carnem Christi, quatenus fidei communicant; igitur hic locus de manducatione per fidem intelligitur. Huc addi possunt alia loca Patrum, quæ a Martyre, et ab aliis afferuntur. Nam idem Augustinus tract. 25. *in Joan.* cap. VI, Joan. adeo spiritualiter exponit; ut dicat: « Crede et manducasti » et tract. 26. « Credere in eum, hoc est, manducare panem vivum. » Idem etiam *de Doctr. Christiana* lib. III. cap. 16, dicit illa verba: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, » nihil aliud significare, nisi passioni Domini communicandum, et mente suaviter cogitandum, Christi carnem pro nobis fuisse crucifixam. Præterea Clemens Alexandrinus lib. I. *Pædagogici*, cap. VI. exponit hoc loco per carnem; et sanguinem Christi, verbum Dei, quo spiritaliter alimur, et inebriamur. Item Basiliius epist. 141. exponit per carnem et sanguinem doctrinam Christi, et mysticum ejus adventum. Hieronymus quoque *in Psalm.* CXLVII. per carnem, et sanguinem Domini Scripturas intelligit. Denique S. Bernardus in 3. versiculum *Psalm.* XC. *Qui habitat*, dicit manducare Christi carnem, esse passioni Domini communicare, ejusque vitam imitari.

Respondeo ad locum Augustini allatum a Lutero, qui habetur lib. I. *in Julianum*, non lib. II. ut ipse citat. Ac primo observandum est, Augustinum non raro dicere infantes debere edere corpus Domini, si salvi futuri sint, cæterum non intelligit id fieri debere necessario re ipsa. Nam idem Augustinus ibidem, et lib. III. *de Peccator. meritis et remiss.* cap. IV, et in serm. ad infantes, quem citat Beda in *Commentar.* I. *Cor.* X. scribit infantes in ipso Baptismo communicare corpori Christi, et per susceptionem Baptismi implere etiam præceptum de sumptione Eucharistiæ.

Notandum secundo, infantes non solum non obligari ad Communionem re ipsa, sed hæc in voto explicito, cujus non sunt ullo modo capaces, sed tantum in voto implicito,

quod votum infantes habent dum baptizantur: tunc enim infantes jus accipiunt ad Eucharistiam percipiendam. Et quia omnis qui nascitur, naturaliter appetit cibum; ideo etiam illi hoc ipso, quod renascuntur in Christo, appetunt cibum renatorum, suo tamen loco, et tempore percipiendum. Itaque infantes non communicant spiritualiter, nec sacramentaliter in re, sed sacramentaliter in voto implicito; ex quo sequitur, ut non sit omnino idem illis baptizari, et communicare, licet simul fiant, cum unum sequatur ex altero. Itaque S. Augustinus, licet locis notatis, dicat infantes manducare Domini carnem in Baptismo, tamen alibi aperte distinguit baptizari, et comedere Christi carnem: « Aliud (inquit serm. 11. *de Verbis Domini*) est nasci de spiritu; aliud pasci de spiritu; sicut aliud est nasci de carne, quod fit cum parit mater, et aliud pasci de carne, quod fit cum lactat infansem, » et lib. I. *de peccator. meritis*, et remiss. cap. 20. aperte demonstrat hoc præceptum: *Nisi manducaveritis*, distingui a præcepto Baptismi, etiam in infantibus.

Ad argumentum ergo respondemus, Augustinum exponere hunc locum Joan. VI, de manducatione sacramentali, sed eam tamen manducationem tribuere infantibus, non in re, sed in voto implicito, quod per Baptismum habetur, ut diximus.

Ad alia duo loca Augustini ex tract. 25, et 26. *in Joan.*, respondeo, illud: « Ut quid paras dentem, et ventrem? crede, et manducasti »; et illud: « Credere in eum; hoc est manducare carnem ejus »: dicta esse ab Augustino, non de Sacramento, sed de fide Incarnationis: nondum enim pervenerat ad locum Evangelii, ubi agitur de Sacramento. Illud autem: « Qui manducat corde, non qui premit dente », dixit Augustinus cum de Sacramento loqueretur, non ut excluderet Sacramentalem esum, sed ut significaret, finem Sacramenti hujus esse, alere animam, non corpus, licet per instrumentum corporis sumatur. Vere enim reficitur hoc cibo, qui manducat corde, non qui premit dente, nimirum solo: non enim excludit corporalem esum, cum ibidem dicat Judam comedisse solo corpore; sed solum anteponit spirituales manducationem corporali, quod illa sine ista prosit, ista sine illa non prosit, sed obsit. Similis locus est Osee VI: *Misericordiam volo, non sacrificium* (1); non enim Dominus respuit

(1) Osee VI. 6.

sacrificia, sed non vult illa, si absque misericordia sint.

Ad alios Patres respondeo, eos exposuisse mystice, non ad litteram: sed non negasse usquam debere ista verba accipi ad litteram de sacramentali manducatione. Imo contra citavimus nos supra pro nostra sententia, Basilium, Hieronymum, et Bernardum: non enim pugnant sensus litteralis et mysticus.

Ad ultimum Augustini ex. lib. III de *Doctrina Christiana*, respondemus, figuram ponere Augustinum in his verbis, ratione modi sumendi carnem Christi, non ratione substantiæ ipsius rei. Non enim vult dicere, carnem Christi tropice dictam manducari, id est, panem, quo significatur caro; nec veram carnem tropice manducari, si essentiam manducationis spectemus, quæ solum requirit, ut verus cibus ab ore trajiciatur ad stomachum per instrumenta vitalia; sed vult dicere tropice manducari, quoad modum; nam ordinarius, et proprius modus manducandi carnem est, ut ea visibiliter secetur in partes, et particulatim sumatur, et cocta, non cruda etc. Caro autem Christi sumitur integra, et invisibiliter, et sine ulla sui læsione: quare non proprie, sed tantum figurate Christi caro occiditur, et laceratur in hac manducatione; repræsentamus enim Christi passionem. Augustinum id voluisse, perspicuum est ex duobus. Primo, quia dicit tropice id exponendum, ne scelus aliquod, vel flagitium præcipi videatur. Porro scelus esset, Christi carnem occidere, et secare in partes; non autem spirituali quodam modo ipsam veram carnem, sine ulla sui læsione in Sacramento: umere. Secundo, quia ipse idem explicat, quis sit litteralis sensus, qui scelus sonare videatur, videlicet is, in quo verba Christi acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt Christi carnem laniandam, sicut in macello fieri videmus, et cuique particulam dandam. Vide tract. 27. in *Joan.* et in *Psalm.* xcviij. Cum igitur Augustinus dicit, hoc præcepto: *Nisi manducaveritis*, mandari, ut communicemus Christi passioni, et eam recolamus, ac mente revolvamus; id ipsum significat, quod Apostolus ait I. Corinth. xi. sumendam Christi carnem in Sacramento in memoriam passionis, et mortis Domini.

Quintum argumentum Zwinglii est, in libro de *Vera et falsa religione*: Cibus, de quo disseritur in cap. vi *Joan.* est fides; nam

cum Dominus dixisset: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet*, dixerunt Judæi: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Respondit Dominus: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (1).

Respondeo: in eo capite multa tractari; fit enim mentio triplicis panis, et ab uno transitur ad alterum occasione data inter loquendum. Primum narratur de pane illo materiali, quem Dominus multiplicavit. Deinde, quia Judæi eum solum panem quærebant, monuit eos Dominus, ut alium panem operarentur, id est, parare et habere satagerent. Atque hunc secundum panem dicit scipsum esse, qui de cælo descendit, per Incarnationem. De hoc pane dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*; et, *Pater meus dat vobis panem de cælo verum*. Hunc autem panem, id est, Christum incarnatum fide apprehendere debemus, ut nos reficiat: et hoc est, quod Dominus ait: *Hoc est opus Dei ut credatis in eum, quem misit ille*. Ubi cibus, qui parandus est, non est fides, ut Zwinglius dicit, sed Christus ipse; fides autem est operatio, qua panis iste acquiritur. Denique tertio, inde transitum fecit Dominus ad panem Eucharisticum, eum ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, etc.* (1).

Argumentum sextum ejusdem Zwinglii, Christus ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. At id non est verum, nisi de spirituali manducatione: multi enim sacramentaliter manducando, non solum non vivunt, sed manducando moriuntur: *Qui enim manducant indigne, judicium sibi manducant*. II Corinth. xi (3).

Respondeo: verba Domini intelligi cum conditione, si rite manducetur. Panis enim ille, quod ad se attinet, semper vivificat, et hoc significant verba Domini: potest tamen impediri effectus aliunde, nimirum ex indispositione accedentis. Id quod commune est promissionibus similibus, fere omnibus Luc. xi. *Omnis qui petit, accipit*, et tamen multi non accipiunt, quia, (ut exposuit Jacobus cap. iv.) non bene petunt. Joel. ii. *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Et tamen dicitur Proverb. i. *Tunc invocabunt me. et non exaudiam, eo quod exosam habuerint disciplinam*. Marc. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*. Et Actor. viij. Simon post fidem, et Baptismum, periit. Denique Apostolus I Corinth. x: *Unus panis,*

(1) Joan. VI, 27 et 29. — (2) Joan. VI, 51, 32, 29 et 52. — (3) Joan. VI, 52 et 55; I Cor. XI, 29.

*et unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus* (1) omnium consensu de Saeramento loquitur; et tamen multi de uno pane partieipant, qui non sunt nobis-eum unus panis, et unum corpus, ut omnes hæretiei, et schismatiei, qui ritum hujus Saeramenti integre ecelebrant.

Septimum argumentum Petri Martyris in sua defensione contra Gardinerum par. I. objecto 13. Si illa verba: *Panis, quem ego dabo*, ad symbola cœnæ Domini pertinent, cur panem abjiciunt Papistæ? nec enim accidentia sola panis diei possunt.

Respondeo: Panis vocabulum in illis verbis: *Panis, quem ego dabo*, non significat panem triticeum, neque etiam corpus Christi absolute, et sine respectu ad symbola, ut Martyr existimat, sed significat eibum generatim. Id enim frequens est apud Hebræos, ut nomine panis intelligatur omnis eibus: unde in isto ipso eap. VI. Joan. manna dieitur panis; et in Psal. LXXVII. *Panem de cælo dedit eis, panem Angelorum manducavit homo* (2). Est igitur sensus: Panis, id est, cibus, quem ego dabo, est ipsamet caro, quæ crueifigenda, et occidenda est, pro salute humani generis.

Octavum ejusdem Martyris, objecto 32. Dominus Joan. VI. nullam mentionem facit panis materialis, nee calieis, neque gratiarum actionis, neque fractionis, neque distributionis, neque Testamenti, neque memoriæ, neque annunciationis mortis Christi: non igitur loquitur de Saeramento cœnæ, quod sine symbolis illis esse non potest.

Respondeo: argumentum hoc recte probat, non fuisse hoc Sacramentum institutum, Joan. VI. sed non fuisse promissum, non probat: satis enim ad promissionem est, quod expresserit Dominus id, quod est præcipuum, id est, carnem suam, et sanguinem. Adde, quod etiam symbola futura insinuavit, cum tam sæpe distinxit carnem a sanguine, et illam eibum, hunc potum appellavit: et fortasse ideo carnem suam aliquoties panem appellavit, ut indiearet sub specie panis nobis edendam.

Nonum argumentum est quorundam Catholicorum. Dominus ait Joan. VI: *Ego sum panis vitæ; qui venit ad me non esuriet, et qui credit in me; non sitiet in æternum*; ergo panis, de quo agitur Joan. VI. credendo man-

ducatur, et bibitur. Expressit enim Dominus eredere esse bibere; et sine dubio idem est venire ad Christum, et credere in Christum. Nam de fide loquitur, eum ait ibidem: *Nemo potest ad me venire, nisi Pater traxerit eum* (3); ergo illud: *Qui venit ad me, non esuriet*, signifieat: Qui venit ad me per fidem, seu, qui fide mandueat me, non esuriet.

Respondeo: verba, quæ citantur, non pertinent ad Saeramentum proprie, sed ad fidem incarnationis, ut supra diximus; quæ vero sequuntur postea, ad Sacramentum pertinent.

Decimum argumentum, et fere solum, quo persuasi sunt quidam Catholici, est, quoniam ægre videtur posse defendi usum Ecelesiæ de Communionem sub una specie, si ad litteram de Saeramento intelligamus illa verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (4).

Respondeo primo, non oportere ob rei difficultatem deserere cognitam veritatem. Secundo, faeile solvi posse hunc nodum, si dicamus (quæ est communis solutio) vim præcepti non consistere in modo sumendi, sed in ipsa re, quæ sumenda est. Verba quidem præcepti sonant, ut sumam carnem sub specie panis per modum cibi, et sanguinem sub specie vini per modum potus: tamen mens legislatoris, ex qua lex ipsa explieanda est, non erat obligare, nisi ad res ipsas sumendas, id est, veram carnem, et verum sanguinem; quæ res tam sumuntur integre sub una specie, quam sub duabus. Probatur autem eam esse mentem legislatoris, tum quia fructus hujus pereeptionis oritur ex ipsis rebus pereeptis, non ex modo sumendi; sicut etiam medicina corporalis non prodest, quia sumitur per modum cibi, aut potus, sed quia ipsa vim habet sanandi: tum etiam quia idem Christus explieans quod dixerat, ait ibidem: *Qui manducat me, vivet propter me*; ubi videmus idem esse mandueare carnem, et bibere sanguinem, quod Christum ipsum totum mandueare.

(1) Luc. XI, 40; Joel. 11, 32; Prov. I, 28 et 29; Marc. XVI, 16; I Cor. X, 17. — (2) Psal. LXXVII, 24 et 25. — (3) Joan. VI, 35 et 44. — (4) Joan. VI, 54.

## CAPUT VIII.

*Referuntur variæ expositiones verborum Domini : Hoc est corpus meum.*

Sequitur argumentum tertium ex ipsa institutione Sacramenti, quæ habetur Matth. xxvi. Marci xiv. Luc. xxii. et I. Cor. xi. de qua institutione, quæ sane præcipuum fundamentum est totius controversiæ, atque adeo totius hujus altissimi mysterii, tria dicemus. Primo, referemus expositiones præcipuas horum verborum : *Hoc est corpus meum*. Secundo, confirmabimus eam, quæ est vera, et refellemus falsas. Tertio solvemus argumenta adversariorum.

Quantum ad primum expositiones adversariorum plurimæ sunt, ita ut fere numerari non possint. Lutherus in libro, quod verba cœnæ adhuc firmiter stent, scribit decem ferme suo tempore fuisse Sacramentariorum opiniones, ac sectas. Nuper etiam anno 1577, prodiit libellus, in quo ducentæ numerantur hæreticorum vel expositiones, vel depravationes horum paucorum verborum : *Hoc est corpus meum*, tamen præcipuæ sunt solum decem ; quarum quatuor fundantur in pronomine *Hoc* ; duæ in verbo *Est* ; tres in nomine *Corpus* ; una in pronomine *Meum*.

Prima igitur est Andreæ Carolstadii, qui intelligi voluit adverbium, ex pronomine, id est, Hic, ex hoc, ut sit hæc sententia verborum : *Hoc est corpus meum* ; id est, Hic sedet corpus meum, ac ne dubitemus de hac expositione, asseruit in libro edito Basileæ anno 1524. se ex revelatione Patris cœlestis didicisse hanc expositionem. Quare Lutherus librum contra Carolstadium inscripsit, contra cœlestes Prophetas.

Secunda est Bucerii in retractationibus suis, et tribuitur etiam Joanni à Lasko, qui volunt pronomen *Hoc*, significare totam actionem cœnæ, ut sensus sit ; Hæc actio corpus Christi repræsentat ; sive in hac actione exhibetur corpus Christi.

Tertia est Joannis Langi, in annotat. ad II Apologiam Justini, qui per *Hoc*, intelligit panem, sed panem exponit metaphorice hoc

modo : *Hoc est corpus meum*, id est, corpus meum est hoc, nimirum panis, quia nutrit animas, et reficit instar panis.

Quarta est communior apud hæreticos, quod per *Hoc* intelligatur hic panis.

Quinta est Zwinglii, qui in libro de vera et falsa religione, cap. de Eucharistia, scribit, verba ista accipienda esse tropice, sed tropum non esse in pronomine *Hoc*, sed in verbo *Est*, quod accipi debet pro Significat. Et sicut Carolstadius, ut fidem faceret, cœlestis Patris revelationem, ita hic spiritus cujusdam per quietem apparitionem protulit. Nam in libro, quem edidit anno 25. et Subsidiium de Eucharistia inscripsit ; refert se biduo disputasse in senatu Tigurino contra Missam et Eucharistiam, nec tamen fidem facere potuisse (resistente sibi scriba quodam) *est* accipi pro significat : sed tandem nocte sequenti dormienti sibi adstitisse nescio quem (*ater autem, inquit, an albus fuerit nihil memini*) qui moneret, ut eum locum Exod. xii. arriperet : *Est enim phase, id est, transitus Domini, ubi est, accipitur pro significat*. Itaque die sequenti de eo loco verba fecisse ad populum, et quod volebat, obtinuisse. Sequuntur Zwinglii expositionem Bernardinus Ochinus in defensione veræ doctrinæ de cœna Domini cont. Westphalum, et alii.

Sexta est Petri Boquini, qui in examine libri Heshusii non procul ab initio, contendit recte dici panem esse corpus Christi, propter idiomatum communicationem, sicut propter eandem recte dicimus in Christo, Hic homo est Deus : in qua expositione verborum, *est*, accipiendum est, pro dicitur, hoc modo : *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis dicitur corpus meum, propter idiomatum communicationem. Ubi notat Boquinus tres uniones, ex quibus resultat idiomatum communicatio. Unam naturalem, qualis est animæ, et corporis. Alteram hypostaticam, qualis est Dei, et hominis in Christo. Tertiam sacramentalem, qualis est inter panem et corpus Christi in Sacramento. Simile quid habet Lutherus in lib. *de Babylon. captivit.* cap. i. ubi dicit, ita verum esse, hic panis est corpus Christi, sicut est verum, hic homo est Deus. Hoc tamen interest inter Lutherum et Boquinum, quod Lutherus ponit veram, et realem conjunctionem panis cum corpore Christi, ex qua vult oriri illam idiomatum communicationem : at Boquinus, qui Sacramentarius est, non ponit unionem, nisi sacramentalem, qua uniuntur res dis-



antissimæ, id est, panis qui est in terra, et corpus Christi, quod est in cœlo.

Septima expositio est Joannis OEcolumpadii, qui tropum non agnoscit in pronomine *Hoc*, neque in verbo *est*, sed in nomine *corpus*. Vult enim panem dici corpus per figuram metonymiæ, qua nomen rei significatæ tribuitur signo, ut sensus sit : *Hoc est corpus meum*, id est, hic panis est figura corporis mei. Ita habet in libro de genuina expositione horum verborum.

Octava est Joannis Calvinii, qui lib. iv. Institut. cap 17. §. 21. admittit, cum OEcolumpadio, tropum metonymiæ esse in nomine *corpus* ; sed addit non esse panem Eucharistiæ nudam figuram corporis Christi, sed esse figuram, quæ rem ipsam exhibeat : ac propterea Christum non dixisse, Hic panis est figura corporis, sed corpus ipsum. In idem recidit, quod habet Petrus Martyr in lib. de utraque natura Christi, ubi per *corpus*, intelligit Sacramentum corporis. Nam ipse idem in defensione contra Gardinerum in fine tertiæ partis dicit, Christum noluisse dicere : Hic panis est figura, vel signum, vel Sacramentum corporis, sed corpus, ut exprimeret signum esse efficax, et cum quo res ipsa exhiberetur, etc.

Nona est quorundam Calvinistarum, quorum sententia sine nomine citat Cornelius Jansenius, in comment. cap. 59. concord. in illa verba : *Nisi manducaveritis*. Hi docent vocabulum *corpus*, accipi pro corpore mystico, id est, pro Ecclesia, ut sit sensus : *Accipite et manducate, Hoc est enim corpus meum*, id est, quia vos discipuli estis corpus meum.

Decima est in pronomine *meum*, quam per jocum excogitavit Lutherus anno 27. in lib. Quod verba Domini firmiter stent. Ut enim irrideat Sacramentarios, dicit se posse afferre pulchriorem expositionem in eorum gratiam, ut hic sit sensus : *Hoc est corpus meum*, id est, Hic panis est corpus a me factum, et creatum. Quod autem joco Lutherus protulit, serio accepit, ac defendit Joannes Campanus, ut testatur Lutherus in sua brevi confess. edita anno 44.

Cum his omnibus pugnat Ecclesiæ Catholiciæ sententia, quæ hæc verba simpliciter, et proprie docet esse accipienda, ut sensus sit : *Hoc*, id est, quod his speciebus continetur, est vere, et proprie corpus ipsum meum verum, et naturale.

## CAPUT IX.

*Proprie, non figurate explicanda esse illa verba : Hoc est corpus meum.*

Nunc, ut veram sententiam comprobemus. Primo in universum demonstrabimus, non esse probabile, Dominum figurate loqui voluisse. Deinde expendemus singula verba institutionis, ac simul refellemus hæreticorum opiniones. Primum igitur non esse probabile, Dominum loqui voluisse figurate, probamus argumentis ductis a materia, de qua agitur. Deinde a personis, cum quibus Dominus loquebatur, a loco, et tempore, in quo loquebatur. Tertio ex consensu Patrum. Quarto ex regula interpretandi Scripturas.

Primum igitur argumentum sumitur a materia. Est autem materia de qua hic agitur, pactum, Sacramentum, Testamentum, lex et dogma ; quæ omnia requirunt propriam, non figuratam locutionem. Sacramentum esse, de quo hic agitur, nemo negat. Sacramenta autem solere a Deo institui propriis verbis, ut in eorum usu non erretur, perspicuum est ex institutione Sacramentorum omnium veteris, et novæ legis. Certe Genes. xvii. ubi instituitur circumcisio, et Exod. xii. ubi instituitur agnus paschalis, et in toto Levitico, ubi tot sacrificia, et expiationes instituuntur, vix unquam occurrit una aliqua vox figurata : sic etiam Matth. ult. Marci ultim. et Joan. iii. ubi de Baptismi institutione, vel potius promulgatione, et præcepto agitur, omnia propriis vocibus explicantur. Neque obstat, quod Joan. iii. Dominus utitur voce renascendi, quæ videtur metaphorica : nam ibidem explicatur vox illa per adjuncta : *Ex aqua et Spiritu sancto*. Et præterea non pertinet vox illa ad sacramenti essentiam, sed ad effectum significandum. Quis ergo credat Christum in instituendo sacramento primario nostræ religionis, ita figurate, et ambigue loqui voluisse, ut ne ipsi quidem Doctores legis divinæ inter se convenire possint, quid sit hoc sacramentum, panisne an corpus Domini.

Deinde Testamentum novum fuisse simul a Domino institutum, patet ex illis verbis : *Hic est sanguis meus novi Testamenti*. Matth. xxvi. vel ut habet Luc. xxii. *Hic est calix*

*novum Testamentum in meo sanguine* (1). Jam vero nihil solet magis proprie, simpliciter et exquisite explicari, quam Testamentum; ne videlicet detur occasio litigandi de voluntate testatoris. Ita videmus Exod. xxiv, ubi Testamentum vetus instituitur, omnia propriis et apertissimis vocibus, explicari; sic enim refert illam institutionem Apostolus, Hebr. ix. *Lecto, inquit, omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana cocinea, et hyssopo; ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis Testamenti, quem misit ad vos Deus.* Sic etiam in testamentis hominum fieri videmus; nam Genes. xlix. Jacob, ubi inter vaticinandum variis figuris usus fuisset, ad ipsum Testamentum veniens, clarissimis verbis utitur: *Ego congregor ad populum meum, sepeliteme cum patribus meis, in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre in terra Chanaan, quam emit Abraham* (2). Ita quoque et rex David iii. Regum ii. et Tobias cap. iv. et Mattathias lib. i. Macchab. cap. ii. testamenta sua verbis simplicissimis composuerunt. Quidni igitur etiam Christus Testamentum suum tanti momenti, quo de æterna hæreditate agitur, verbis propriis, et apertis composuerit? nisi forte deceat, ut Testamentum vetus, quod figura erat, et umbra, propriis, ac perspicuis vocibus proponatur; Testamentum autem novum figuratis, et typicis locutionibus obscuretur? Confirmatur ex humano more, a quo etiam Apostolus argumentum sumpsit, Galat. iii. ubi dicit, testamentum hominis ita esse ratum, ut nemo audeat aliquid addere, vel demere. Jam ergo testamenta humana in proprio sensu verborum intelligenda esse, jubent humanæ leges, ff. de legat. 3. leg. non aliter, et ideo si testamento relinquatur domus, aut ager, et vellet aliquis cavillari, non esse relictam domum veram, sed depictam, et exponeret, relinquo domum, id est, signum domus; apud nullum judicem obtineret. Quanto igitur minus obtinere debent adversarii, qui Testamentum ipsum Christi contra morem omnium testamentorum detorquere audent ad metonymias?

Porro, pacta, seu fœdera sunt etiam, ex eo genere rerum, quæ exquisitissimis, et propriis verbis explicantur, ne locus ullus relinquatur cavillis. Testamentum autem Christi

simul Testamentum, et pactum fuit; nam est Testamentum conditionatum. Id quod patet ex veteri Testamento, cui novum respondet, ut res figurata suæ figuræ. Ideirco enim a Moyse vocatur pactum, Exod. xxiv. et a Paulo Testamentum, Hebr. ix. quia utrumque simul erat, continebat enim donationem hæreditatis, sed cum eo pacto et conditione, si perseverarent in cultu, et religione unius veri Dei.

Sequitur lex, seu præceptum. Esse enim in hac institutione præceptum aliquod divinum, nemo negat; et patet ex illis verbis: *Accipite, edite, item, hoc facite.* Etsi enim ut supra dixi, non est in his verbis præceptum, quo obligentur omnes ad Eucharistiam sumendam: tamen præceptum est saltem, quo jubebantur Apostoli tunc illam accipere, et etiam præceptum est, ut quando sumimus, hoc modo, aut illo sumamus. Verba autem legum perspicua, et propria esse debent, ne detur occasio prævaricationi: unde omnia præcepta non solum Decalogi, sed etiam alia, quibus certi ritus instituuntur, in lege veteri propriis verbis explicantur. Dicit aliquis: Verba, in quibus lex posita est, propria sunt, nimirum: *Accipite, edite, facite.* Respondeo: Non satis est, nisi etiam proprie, et aperte significetur quid sit, quod est accipiendum edendum, faciendum: longe enim aliter accipiendum est frustum panis, aliter Christi corpus.

Denique, dogmata præcipua non nisi propriis verbis tradi solent in divinis litteris. Tropi enim locum habent, vel in prophetiis ad rem obscurandam, vel in laudationibus ad rem ornandam, vel denique in cohortationibus ad rem amplificandam, non autem in dogmatibus, quæ præcise credi, aut servari debent. Unum autem ex præcipuis dogmatibus Christianæ religionis in illis verbis: *Hoc est corpus meum*, contineri, nemo hactenus negavit.

Ad hoc argumentum respondet Petrus Martyr in fine tertiæ partis defensionis suæ contra Gardinerum non deesse in Scriptura sacramenta, dogmata et præcepta tropis explicata. Et quidem exempla præceptorum ponit illa Matth. vii. *Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium.* Et Matth. xxvi. *Attendite a fermento Pharisæorum.* Et Ephes. iv. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Et Matth. vi. *Nolite cogitare*

(1) Math. XXVI, 28; Luc. XXII, 22. — (2) Hebr. IX, 19 et 20; Gen. XLIX, 29 et 30.

de crastino, sufficit enim diei malitia sua; et crastinus sollicitus erit sibi ipsi. Exempla dogmatum ponit illud: *Deus noster ignis consumens est.* Et illud: *Nos omnes unus panis sumus;* et illa, ubi Christus dicitur lapis, leo, vitis, etc. Denique exempla sacramentorum ponit: *Petra erat Christus, et Agnus erat Pesach, et Circumcisio est fœdus; et denique calix est Testamentum novum* (1).

Respondeo, nihil adversarium dixisse ad argumentum nostrum depromptum ex vocibus Testamenti, et pacti. Deinde, quod ad præcepta attinet, distinguenda sunt præcepta peculiaria et proprie dicta a cohortationibus, licet etiam ipsæ præcepta quædam continere videantur. Nam præcepta peculiaria, et proprie dicta sunt efferenda propriis vocibus, ne sit locus tergiversationi: at in cohortationibus, quæ non continent peculiaria præcepta, sed tantum persuadent faciendâ, vel non faciendâ ea, quæ alioqui notissima sunt, aptissime admiscuntur tropi; et ejusmodi sunt allata exempla. Nam esse cavendum a falsis Prophetis, omnes norunt, etiamsi non præcipiatur: ideo Dominus, non tam id præcipit, quam hortatur ad id faciendum adhibita similitudine ovium et luporum. Sic etiam cavendum ab hypocrisi, et falsa doctrina, quis nescit? ideo Dominus, ut non tam id præciperet, quam excitaret ad faciendum, utitur tropo fermenti. Non esse aliquid agendum, quod displiceat Deo, nullus ignorat; idcirco Apostolus non simpliciter id scripsit, sed ut magis permoveret, uti voluit tropo contristandi Spiritum sanctum. Denique esse vitandas supervacaneas curas, et sollicitudines, omnes norunt, ideo Dominus adhibuit tropos.

Quod attinet ad dogmata, observandum est, non vocari dogmata quaslibet de Deo sententias, sed solum eas, quæ habent peculiarem difficultatem, sive ad credendum sive ad operandum, quales sunt articuli fidei, et canones Conciliorum: cætera autem, quæ ex illis apertissime consequuntur, non dicuntur dogmata. Verbi gratia, Deus est unus, Deus est trinus, Deus est infinitus; Christus est Deus et homo, et similia, dogmata sunt. At Deus est ignis consumens, Christus est vitis, lapis, leo etc. non dicuntur dogmata, sed explicationes proprietatum notissimarum Dei, et Christi.

Rursus tum de præceptis, tum de dog-

matibus. Notandum est, cum dicimus dogmata; et præcepta debere propriis verbis efferri, sic esse intelligendum, ut vel tantum propriis verbis efferantur; vel si uno in loco tropicis, in alio propriis: nihil enim prohibet quod habetur expresse et proprie in uno loco, alibi obscurius haberi. Quod notavit Augustinus lib. II. doctr. Christ. cap. 6. et 9. « Nihil est, inquit, obscure dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem, vel mores, quod non planissime dictum sit in aliis locis. » Ita videmus, quod de fermento Dominus dixerat obscurius, paulo post clare explicuisse. Nam Matth. 16. addidit se locutum de doctrina, non de fermento panum, et Luc. XII. *Attendite, inquit, a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis* (2). Sic etiam illud: *Christus est lapis angularis*, sine tropo habetur in infinitis locis apud Paulum; et illud: *Unus panis sumus*, habetur proprie frequentissime, ubi dicimur unus populus, una Ecclesia, una familia Dei. Sic illud Joan. II. *Solvite templum hoc*, explicuit Evangelista esse intelligendum de corpore Domini, et illud Joan. VII. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, explicuit intelligendum de Spiritu sancto, et Joan. ult. illud: *Alius cinget te, et ducet quo tu non vis* (3), explicuit de morte Petri accipiendum. At hoc dogma et præceptum peculiare, et præcipuum de Eucharistia nusquam habetur aliis verbis in Scriptura: nusquam enim legimus panem Eucharistiæ significare, aut esse figuram corporis Domini. Quare cogimur proprie accipere id, quod legimus: *Hoc est corpus meum.*

Jam quod attinet ad Sacramenta, ostendemus paulo post non esse tropum in exemplis allatis. Id solum nunc est obiter adnotandum, in exemplo: *Petra erat Christus.* I. Corinth. X. tria esse peccata Petri Martyris. primo enim dicit, petram illam, ex qua fluxit aqua in deserto, Sacramentum fuisse. At id nullo modo verum esse potest, cum fuerit res temporaria, et non cæremonia religionis, quæ frequentanda esset in populo Dei. Secundo dicit petram illam, ut etiam manna, conferri cum Baptismo, I. Corinth. X. At Apostolus transitum maris confert cum Baptismo; manna autem, et aquam de petra cum Eucharistia, ut omnes exponunt: nec tamen ita confert, quasi Sacramenta cum Sacramentis, sed quasi figuras Sacramen-

(1) Matth. VII, 15; XVI, 6 et 11; Eph. IV, 30; Matth. VI, 34. — (2) Luc. XII, 1. — (3) Joan. 11, 19; VII, 38; XV, 5.

torum cum ipsis Sacramentis. Tertio dicit, exemplum tropi in Sacramentis esse in illis verbis : *Petra erat Christus*. At Sacramentum erat (per adversarium) petra illa materialis, Paulus autem non de illa loquitur, sed de alia invisibili, quæ revera erat Christus, ut Deus. Sic enim ait : *Bibebant de spirituali consequente eos petra ; petra autem erat Christus* (1). Ubi est quidem tropus in eo, quod Christus vocatur petra ; sed hoc nihil ad propositum : non enim Christus erat Sacramentum, sed petra illa visibilis per adversarios. Hic autem non petra visibilis dicitur Christus : sed Christus dicitur petra ; sicut alibi dicitur leo, vel agnus, vel vitis ; unde nullum ducitur exemplum tropi in Sacramentis.

Argumentum secundum sumitur a personis cum quibus Dominus loquebatur, cum diceret : *Hoc est corpus meum* ; nam loquebatur cum solis Apostolis. Dominus enim, etiamsi Pharisæis multa obscure dicebat, quia indigni erant cognitione tam sublimium mysteriorum ; tamen Apostolis, qui rudes, ac simplices erant, et instituebantur, ut magistri futuri totius humani generis, omnia vel clarissime proponebat, vel obscurius dicta, continuo exponebat. Præterea loquebatur eo loco, et tempore, quo minime oportebat obscure loqui, nimirum cum Apostoli essent primi participes tanti Sacramenti futuri. Nam ut cum debita reverentia Sacramentum perciperent, necesse erat, ut plane intelligerent, quid eis daretur.

Quod autem Dominus in cæna non explicaverit tropum, manifeste colligitur ex duobus. Primo ex eo, quod nullum exstat vestigium explicationis, ut in omnibus aliis locis. Verbi gr. Matt. XIII. Dominus, parabolice locuturus, ait : *Simile est regnum cælorum*, et Joan. XIII. ubi dixerat : *Ego sum vitis, et vos palmites*, subjungit explicans : *Si quis in me non manserit, sicut palmes, etc.* (2). At hic nihil tale.

Secundo ex eo, quod omnes scriptores hujus historiæ iisdem verbis utantur. Solent enim Evangelistæ, se invicem supplere, vel explicare, ut quod unus obscurus dixit, alius dicat clarius. Hic autem omnes iisdem verbis utuntur, cum tamen sint scriptores quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus, et scripserint diversis in locis, et temporibus ; quod argumentum est, Dominum nihil aliud dixisse.

Tertio, probatur ex consensu interpretum. Nullus enim unquam ita exposuit, ut tropice hunc locum intelligendum esse diceret : cum tamen scripserint in Matthæum Hilarium, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Beda, Anselmus ; in Lucam Ambrosius, Theophylactus, Beda ; in Paulum innumerabiles. Imo contra multi expresse monent, non esse accipiendum tropice, sed proprie. Vide Chrysostomum, et Theophilactum in hunc locum, Cyrillum Hierosolymitanum catech. 4. mystagog. Ambrosium lib. IV. *de Sacramentis*, cap 5. Cyrillum Alexandrinum epist. *ad Calosirium*, Eusebium Emisennum homil. 5. *de Paschate*, Epiphanium in *Ancorato*, qui omnes docent, hic opus esse fide, ut credatur res, quæ absurdissima sensibus esse videtur. At certe, si tropice hic locus intelligendus esset, nulla esset difficultas fidei. Quæ enim difficultas, si solum credendum pane significari corpus Christi?

Ultimo, probatur ex communi regnla explicandæ Scripturæ, quæ est ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certe a communi totius Ecclesiæ explicatione : alioqui enim peribit fides, et remanebit sola opinio de rebus divinis, et aperietur porta infinitis erroribus. Id probari potest exemplo adversariorum qui non habent fidem, sed meram opinionem de hoc sacramento : nam eorum sententia non nititur expresso verbo Dei, cum verba expressa non sint, *Hoc significat, sed : Hoc est corpus meum*. Neque nituntur alio verbo Dei : nusquam enim inveniunt in Scripturis, *Hoc est corpus meum*, debere exponi tropice. Etsi enim proferunt quædam loca, ubi verbum, *Est*, putant debere exponi per, *Significat* ; tamen fatentur non ubique, *Est*, exponi debere per, *Significat*. Proinde non possunt ex verbo Dei solide concludere, hæc verba accipienda esse tropice, nisi proferant locum, ubi expresse dicatur in particulari. hæc verba exponenda esse tropice ; qualem locum nusquam inveniunt.

Nec habent articulum fidei, cui propria acceptio horum verborum expresse repugnet. Solent illi urgere articulum Ascensionis : sed illi non repugnare hanc veritatem, patet ; quia nos utrumque credimus, et Christum vere ascendisse, et esse in cælo, et simul esse in Eucharistia. Neque probabile est in-

(1) I Cor. X. 4. — (2) Math. XIII, 24 et 33 ; Joan. XXI, 48.

ter tot Catholicos, qui sunt, et fuerunt a tot annorum centuriis, non fuisse ullum, qui videret istam repugnantiam : præsertim eum doctores scholastici longe melius norint regulas contradictionum, quam omnes Lutherani, qui contemnunt subtilitatem disputationum. Idem apertissime patet ex eo, quod Dominus cum primum hoc sacramentum præbuit discipulis non in cælo erat, sed in terra, nondum enim ascenderat in cælum : tunc igitur non repugnavit hæc veritas articulo Ascensionis. Non igitur cogimur accipere hæc verba tropice. Denique non magis repugnat hæc veritas articulo Ascensionis, quam repugnat veritas Trinitatis, articulo unitatis divinæ. Sicut illi colligunt, Christus est in cælo ; ergo non in terra ; ita possent colligere, Deus est unus, ergo non trinus : neutrum enim intelligimus, tamen utrumque fatemur, quia utrumque legimus in divinis litteris, nec est evidens repugnantia.

Sed nec saltem possunt proferre communem aliquam expositionem Ecclesiasticam, cum inter se non convenient. Nituntur igitur solum auctoritate unius, aut alterius Doctoris, et levibus conjecturis, quæ certe non fidem divinam, sed opinionem faciunt. Præterea experimur etiam, quot sectæ natæ sint his paucis annis, et nascantur in dies propter hanc solam causam, quod relicto sensu proprio Scripturæ, tropos temere consecantur.

## CAPUT X.

*Explicantur verba institutionis, et refelluntur hæreticorum depravationes.*

Veniamus nunc ad verba institutionis. Ac primum narrant Evangelistæ, Dominum accepto pane gratias egisse Deo, et panem benedixisse. Ubi observandum est, Evangelistas varie usurpasse has voces εὐλογεῖν, id est, benedicere ; et εὐχαριστεῖν, id est, gratias agere. Nam Marcus, eum de pane loquitur, utitur verbo εὐλογήσας ; cum de calice, εὐχαριστήσας ; Lucas et Paulus utuntur in utroque loco voce εὐχαριστήσας. Matthæus in latinis codicibus, et in Græco Complutensi, et in Syriaco habet : *Benedixit*, in multis tamen Græcis habet : *Gratias agens*

Hinc nonnulli Catholicorum contendunt, utrumque verbum in Scriptura idem significare, et ejus significationem esse, Benedicere aliquid, non Gratias agere alicui. Hæretici contra voluit, utrumque verbum poni pro gratias agere, seu Benedicere Deo, ita ut non referatur ad panem benedictio, de qua hic agitur. Optime autem videtur Jansenius in commentario hujus loci in sua *Concordia* observare, utrumque verbum servare suam significationem, sed in una actione intelligi etiam alteram, quia simul fiunt gratiarum actio, et oratio. Id satis probatur ex eo, quod unus evangelista dicat : *Benedixit* ; alius : *Gratias egit* ; hinc enim colligimus utrumque esse factum, sed evangelistas ex uno intelligi voluisse etiam alterum. Idem illustrat Jansenius apposito exemplo : ait enim Apostolus, I Timoth. iv. *Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur ; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem* (1). Ubi per gratiarum actionem intelligit etiam orationem sanctificantem cibos ; clare enim dicit : ἀγιάζεται γὰρ διὰ λόγου Θεοῦ, καὶ ἐντεύξεως. Oportet igitur, vel εὐχαριστεῖν, non significare Gratias agere, sed solum Benedicere, quod est valde durum, vel significare quidem Gratias agere, sed in ea actione intelligi etiam aliam, quæ ordinarie conjungi solet, nimirum orationem, seu benedictionem. Quocirca recte Ecclesia in Canone Missæ, utrumque exprimit : « Accipit panem, et elevatis oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit etc. »

Quod autem Dominus ipsum panem benedixerit, evidenter probatur contra adversarios. Nam I Corint. x. Paulus ait : *Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ?* ubi in Græco est, ὃ εὐλογοῦμεν, id est, *quem benedicimus ?* (2) Neque dubium esse potest, quin Apostolus ritum servaverit, quem antea noverat a Christo ipso fuisse servatum. Item Luc ix. narrans miraculum de panibus, dicit, εὐλόγησεν αὐτούς, id est, *Benedixit eos*. Denique modus loquendi Evangelistarum, ac præcipue Marci cap. xiv, idem aperte indicat. Nam cum dicit : *Accepto pane, benedixit, fregit, deditque discipulis*, dubitari non potest, quin sicut *fregit, et dedit* (3), refertur ad materiam, quæ erat in manibus, ita etiam, *benedixit*, ad eandem referatur. Adde, quod Justinus in 2. Apologia verbum ipsum εὐχαριστεῖν retulit ad panem, quem vocavit

(1) I Tim. IV, 4. — (2) I Cor. X, 16. — (3) Luc. IX, 16 ; Marc. XIV, 22.

τροφήν εὐχαριστήθεισαν, cibum Eucharistizatum (ut sic loquamur) id est, panem sanctificatum, et benedictum. Denique omnes Liturgiæ Jacobi, Basilii, Chrysostomi et aliorum habent tum in consecratione panis, tum vini, *et gratias agens, et sanctificavit, seū benedixit*; et Cyprianus lib. II. epist. 3. ad Cæciliam, dicit a Domino calicem benedictum, quod tamen expresse nullus Evangelista posuerat.

Hinc igitur argumentum sumitur pro veritate corporis Domini in Sacramento. Nam Dominus non consueverat gratias agere, nisi cum aliquid magnum, et mirabile facturum esset: solum enim legitur gratias egisse, cum quinque panes multiplicare vellet, Joan. VI. rursus cum septem panes, Matth. XV. et cum Lazarum excitaturus esset ab inferis, Joan. XI. et denique in institutione hujus sacramenti. Pari ratione non consuevit benedicere res insensibiles, nisi cum in eis aliquid mirabile operaturus esset: tantum enim legitur hoc fecisse, cum benedixit panes multiplicandos, Luc. IX. et Marc. VIII. et in Eucharistia; sicut contra cum maledixit ficui, eam continuo arefecit. Nam benedicere Dei, est benefacere: benedictio enim Dei non est imprecatio (ut nostra) sed effectio, ut patet Genes. I. cum benedixit animantibus: tribuit enim eis ea benedictione fecunditatem. Adde etiam, quod nusquam legitur Christus benedixisse aquam, quam symbolum Baptismi esse volebat, sicut benedixit panem, in quo Eucharistiam instituebat, quia nimirum nulla mutatio fiebat in substantia aquæ. Adde ultimo, quod Patres ex hoc loco colligunt argumentum ad probandum idem, quod nos probare contendimus. Ambrosius (ut unum exempli gratia proferamus) libro de his, qui initiantur mysteriis, cap. 9: « Quantis, inquit, utimur exemplis, ut probemus hoc non esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit; majoremque esse vim benedictionis, quam naturæ? quia benedictione, et ipsa natura mutatur. » Expendamus nunc singula verba institutionis, et refutemus novem supra citatas opiniones hæreticorum.

### HOC.

Prima vox est pronomen *Hoc*, quod quidem quadrupliciter exponitur ab adversariis, Alii volunt significare, *Hic*, ut Carolstadius, quæ fuit prima opinio. Alii, *hæc tota actio*, quæ fuit secunda opinio. Alii volunt esse demonstrativum panis, sed ita ut panis sit

prædicatum, hoc modo: Hoc est corpus meum, id est, corpus meum est hoc, nimirum panis: quam supra diximus esse tertiam opinionem. Alii denique volunt ea particula demonstrari panem, sed ita ut panis sit subjectum hoc modo, *Hoc*, id est, hic panis: et est communior sententia adversariorum, et minus absurda, quam cætera.

Sed prima explicatio ridicula est, et rideatur ab ipsis etiam hæreticis. Nam frustra Dominus diceret, Hic sedet corpus meum, cum id Apostoli oculis cernerent, neque admonitione egerent. Deinde male cohærent ista verba cum superioribus. Illud enim: *Hoc enim est etc.* reddit rationem, cur debeant accipere et edere: quæ autem ratio est, Edite, quia hic sedeor.

Secunda explicatio refellitur æque facile. Nam (ut omittam, quod est inauditus tropus), Hoc, id est, hæc actio, cum Dominus panem ostenderet, cum ait: *Hoc est corpus*, verba quæ dicuntur a Luca, et Paulo in consecratione calicis, convincunt apertissime hunc errorem; aiunt enim: *Hic calix*. Certe autem, *Hic calix*; non potest totam actionem significare: est enim calix res quædam una, et certa.

Porro quarta explicatio facile etiam refelli potest. Nam, vel illud *Hoc*, accipitur adjective, vel substantive; si adjective, debet concordare cum substantivo; quare non potest demonstrare panem, sed corpus. Nam panis est generis masculini tam latine, quam græce; at in neutro genere habetur τοῦτο græce, et latine *Hoc*, quod convenit cum corpore, quod latine et græce est neutri generis. Similiter in altera specie, vinum græce est generis masculini, et sanguis neutri; Dominus autem non dixit οὗτος hic, sed τοῦτο Latine autem e contrario, vinum est neutri, et sanguis masculini, et tamen omnes legunt: *Hic est sanguis*, non *Hoc*, vinum scilicet, est sanguis. Si accipitur substantive, tunc sensus erit: Hoc, id est, hæc res est corpus meum. Si autem illud *Hoc*, sive *Hæc res*, de pane dicatur, absurdissima propositio erit: non enim potest dici, Hoc, de re quæ cernitur, et aperte cognoscitur, nisi sit generis neutri res illa. Nemo enim demonstrato fratre suo diceret, Hoc est frater meus; vel demonstrata imagine Cæsaris, diceret, Hoc est Cæsar; ergo nec de pane, quem discipuli videbant, dici recte potuit: *Hoc est corpus meum*. Ratio est, quia cum semper subjectum debeat esse notius prædicato; cum sub-

jectum est notum audientibus in particulari, non debet efferi per nomen universale, sed tunc solum efferi debet per nomen universale, cum non est notum, nisi in universali. Verbi gratia, vident aliqui longe nescio quid, sed non discernunt quid sit, arbore, an lapis, an homo, ego autem video esse hominem; quare dicam cæteris, illud est homo; non autem, ille est homo; at si videant esse hominem, sed non discernant quis sit, Petrus, an Paulus, an quis alius; non dicam, Illud est Petrus, quia jam sciunt esse hominem, sed dicam, Ille est Petrus. Cum ergo discipuli panem viderent, et panem esse non ignorarent, absurdissima fuisset locutio, si de illo pane Dominus dixisset: *Hoc est corpus meum*, cum debuisset dicere: *Hic panis est corpus meum*. Non igitur potest fieri, ut illud *Hoc*, demonstret panem tanquam subjectum propositionis.

Sed addo argumentum robustissimum ex Scriptura. Nam si *Hoc*, demonstraret panem; ita etiam in consecratione vini, *Hic*, sive *Hoc*, græce, demonstraret vinum: quod quidem illi concedunt, sed aperte repugnat Lucas cap. xxii, quid sic ait: τοῦτο τὸ ποτήριον ἢ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est, *Hic calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur* (1), ubi, *qui effunditur*, non conjungitur cum illis verbis, *In sanguine meo*, sed cum illis, *Hic calix*, ut patet ex græcis verbis. Dicit ergo Lucas calicem effundi pro nobis: non autem vas aut vinum effusum est pro nobis, sed verus sanguis; calix igitur non significat calicem vini, sed calicem sanguinis. Ad hoc argumentum non potuit Beza respondere, nisi negando textum Evangelii esse integrum. Nam cum in hunc locum scribit, fatetur ita legi in omnibus libris, etiam vetustissimis; tamen quia destruit hic locus ejus sententiam; audet dicere, locum esse corruptum in omnibus codicibus; aut ex margine irrepisse in textum. Quod si recipitur nulla causa est, cur non liceat totam Scripturam negare.

Tertia explicatio, quæ habet etiam suos auctores, ut supra ostendimus, refellitur hac ratione. Dominus ex sententia adversariorum non dedit Apostolis corpus suum, sed panem, cum ait: *Accipite, et manducate*; ergo debuit explicare vim, et efficaciam illius panis, non corporis sui; ergo non debuit dicere: Cor-

pus meum est hoc, nimirum panis, quia reficit instar panis; sed dicere debuit: *Panis est hoc*, id est, corpus meum, quia reficit significando, vel representando corpus meum. Quemadmodum si quis daret panem edendum, inepte diceret, *Sume, comede istum panem*: nam castaneæ sunt panis, id est, reficiunt instar panis: recte autem loqueretur, si castaneas daret, ac diceret: *Comede has castaneas*; nam sunt et ipsæ quidam panis.

Dicent, Dominum dedisse Apostolis corpus suum spiritualiter manducandum per fidem, ac de illo dicere potuisse: *Corpus meum est hoc*, id est, panis. Contra; nam disputatio nostra est de verbis Domini. Cum autem Dominus dixit: *Accipite et manducate*, non obtulit per ea verba corpus suum fidei, sed panem manibus, et ori corporali Apostolorum, ut patet ex illis verbis: *Acceptit panem, et cum gratias egisset, fregit, deditque eis dicens* etc. Itaque panem obtulit manducandum, sive (ut adversarii volunt) panem verum, et naturalem; vel, ut volunt Catholici, panem conversum in suam carnem, manentibus tamen accidentibus, et specie exteriori panis. Cum ergo panem dederit; ineptissima est illa ratio, *Accipite, edite hunc panem*: quia corpus meum nutrit instar panis.

Præterea nititur hæc sententia baculo arundineo: probat enim eam Langus, quia sic tradidit præceptor linguæ græcæ, Valentinus Cratoaldus; et quia apud Græcos articulus est signum subjecti in propositione; in hac autem sententia τοῦτο ἐστὶ τὸ σῶμα μου, articulus adjungitur corpori, non pronominum. At stultum est in re tanta, dimissis omnibus sanctis Patribus, et tot Conciliis Ecclesiæ Catholicæ, audire quid unus ludimagister in suo angulo mussitet. Neque est universalis lex illa grammaticæ græcæ de articulo: sæpissime enim ponitur articulus in prædicato ad rem demonstrandam, et definiendam, sive energiæ causa, ut Matth. v. *Vos estis sal terræ, υμεῖς ἐστε τὸ ἅλας*; et ibidem: *Vos estis lux mundi, τὸ φῶς*, et cap. xxi. *Hic est hæres* (2) et alibi. Quid, quod Paulus I. Corinth. xxi, non ait τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα μου, sed ad confundendum hæreticum dixit τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα?

Restat igitur, ut vera sit Catholicorum sententia, qui illud, *Hoc*, demonstrare volunt, non panem, sed rem contentam sub

(1) Luc. XXII, 20. — (2) Math. V, 13-14; XXI, 38.

speciebus panis ; quæ etsi antea fuerat panis, tamen tunc jam erat Christi corpus. Ex quo sequitur, ut etiam ex hac particula probetur veritas corporis Domini in Eucharistia.

## EST

Secundo consideranda est particula *Est*, circa quam refutandæ sunt duæ hæreticorum sententiæ, Quinta, et Sexta. Igitur eam particulam Zwinglius contendit accipiendam esse, pro Significat, quod etiam Calvinus, et Petrus Martyr, et Beza in lib. de cœna Domini, cap. 5. aliquando dicunt ; licet aptius putent, si tropus ponatur in nomine, *Corpus*, quam in verbo, *Est*. At vero Catholici proprie accipi volunt, ita ut, *Est*, nihil significet, nisi *Est*. Quod autem Calvinus scribit lib. iv. Institutionum, cap. 17. §. 20. Catholicos accipere, *Est*, pro Transubstantiatur, qui est tropus omnibus gentibus inauditus, mera calumnia est. Catholici enim dicunt quidem colligi ex hac voce transubstantiationem, ut infra contra Lutherum demonstrabimus, sed non dicunt, *Est*, poni pro transubstantiari ; nec solum hoc non dicunt, sed ne verisimiliter quidem id potest eis affingi, cum ipsi contendant pronomen, *Hoc*, non demonstrare panem, qui solus (eorum sententia) mutatur in corpus Christi.

Quod igitur verbum, *Est*, hoc loco significet, *Est*, probatur primo, quia hoc verbum non potest ullo modo accipi in alia significatione, quam in sua propria. Nam in primis habet simplicissimam, et communissimam significationem ; ita ut omnia alia verba resolvantur in hoc, et aliquid aliud : sic enim resolvimus, Homo ambulat, id est, est ambulans ; ridet, id est, est ridens, etc. ergo hoc verbum non potest trahi ad significationem alterius verbi ; quia tunc posset, ac deberet resolvi in se, et aliud, quod nullo modo fieri potest, cum sit omnium simplicissimum. Præterea hoc verbum est copula omnium propositionum, conjungens prædicatum cum subjecto ; ergo est in omni propositione necessarium ; ergo numquam potest dimittere suam significationem, ut induat aliam. Præterea tropi non ponuntur in verbis, nisi ratione peculiaris alicujus rei, seu naturæ, quæ in uno verbo implicatur, et non in altero ; ut verbi gratia, ridere sumitur tropice propter risum, quem significat, et sic de cæteris. At hoc verbum, *Est*, nihil significat, nisi conjunctionem unius cum altero, aut ipsum esse

commune cum omnibus rebus : unde dicitur substantivum, et alia adjectiva. Quare fieri non potest, ut in eo sit aliquis tropus. Denique nullus unquam rhetor scripsit, tropum fingi posse in verbo, *Est*. Opinio igitur Zwinglii, et sectatorum ejus, ex mera imperitia nata est ; ac propterea prudentiores Sacramentarii, non in verbo, *Est*, sed in nomine *Corpus*, tropum posuerunt.

Dices, in explicatione vocabulorum, *Est*, accipitur ordinarie pro Significat, ut, Amare est diligere, id est, significat diligere. Respondeo : Id verum est, et tamen non est hic ullus tropus. Nam quia in ejusmodi sententiis prædicatur signum de signo, ideo explicatur, *Est*, per Significat ; essentia enim signi est significatio. Itaque etiam in his sententiis, *Est*, significat Esse, sed quia ipsum esse, est significare, in vocibus, ideo, *Est*, explicatur per Significat ; at in aliis sententiis, ubi quod prædicatur, non est signum formaliter, non potest, *Est*, explicari per Significat.

Sequitur explicatio Boquini, quæ erat sexta opinio. Is, ut diximus, vult illud, *Est*, significare communicationem idiomatum nascentem ex unione sacramentali panis et corporis Christi : sed toto cœlo aberrat, licet multum sibi placeat cum isto suo novo figmento. Nam communicatio idiomatum non oritur ex qualibet unione, sed solum ex hypostatica, ubi est unum suppositum in duabus naturis. Id vero patet exemplo unionis naturalis, quæ est inter animam, et corpus in homine. Etsi enim ex hac unione putat Boquinus nasci communicationem idiomatum, quia idem homo dicitur corporalis, et mortalis ratione corporis, et spiritualis, et immortalis ratione animæ : tamen aperte fallitur. Nam in rigore, id est, vere, et proprie homo non dicitur spiritualis, et immortalis, sicut vere et proprie dicitur corporalis et mortalis. Nam post mortem homo non est amplius homo, proinde non est homo immortalis, sed solus spiritus ejus : ergo multo minus ex unione sacramentali, quæ est minor quam naturalis, orietur communicatio idiomatum.

Secundo, communicatio idiomatum non est inter naturas unitas, sed in solo supposito communi : non enim dicimus, deitas est humanitas, vel contra ; sed Verbum dicitur Deus, et homo : et in exemplo hominis dicitur homo secundum Boquinum corporalis, et spiritualis : at non corpus esse spiritus, vel contra spiritus corpus. Ergo non potest dici



vi istius communicationis : Hic panis est corpus, sed solum : Hoc sacramentum est panis, et corpus. Nam ut ipse Boquinus explicat, sacramentum est id, in quo fit unio sacramentalis, sicut Christus est id, in quo fit unio naturalis.

Tertio, communicatio idiomatum est mutua : at ex unione sacramentali non oritur mutua communicatio. Nam tametsi signum accipit interdum nomen signati, tamen non contra ; imago Cæsaris dicitur Cæsar, sed Cæsar non dicitur imago ; hedera est signum vini, et posset aliquo modo dici vinum, nimirum repræsentative : at vinum nullo modo dicitur hedera : ita igitur licet panis posset dici sacramentaliter corpus, quia illud significat, tamen Christus non potest dici sacramentaliter panis. Non ergo exponi possunt verba Domini sacramentalia, per communicationem idiomatum.

Quarto, communicatio idiomatum non solum communicat nomina naturarum, sed etiam proprietatum ipsarum. De Christo enim dicimus : Hic homo est æternus, omnipotens, etc., et hic Deus esuriit, sitiit, mortuus est, etc., at non licet tribuere pani, corporis Domini proprietates, neque e contrario proprietates panis corpori : nemo enim ferret, si quis dicere vellet : Panis est animatus, unitus divinitati, etc., et multo minus, si quis diceret : Corpus Domini est rotundum, triticeum, expers vitæ, et sensus. Quare ineptum est Boquini figmentum.

### CORPUS.

Sequitur alia particula, nimirum, *Corpus*, quam tribus modis adversarii exponunt. Alii enim significari volunt ea voce corpus Christi mysticum ; alii signum corporis Christi ; alii signum quidem, sed efficax, quæ sunt tres opiniones ex illis, quas supra recitavimus ; nimirum, septima, octava et nona.

Sed prima expositio ineptissima est, nec ullo nititur fundamento, et aperte repugnat sequentibus verbis : *Quod pro vobis datur* ; nec enim corpus mysticum datum est pro nobis, sed corpus verum. Magis autem repugnat verbis, quæ dicuntur in consecratione calicis : non enim Ecclesia, seu corpus mysticum Christi, dici potest calix sanguinis, vel Testamenti, nec pro nobis effunditur in remissionem peccatorum.

Secunda autem expositio refellitur his argumentis. Primo, quia nusquam in Scriptura, accipitur corpus Christi, nisi vel pro corpore vero, et naturali ipsius, vel pro corpore mystico : pro signo, vel figura corporis nusquam ; ergo expositio illa est plane temeraria, et sine exemplo ullo Scripturæ introducta. Et confirmatur, quia Scriptura cum accipit improprie corpus Christi, id est, pro Ecclesia, continuo id ipsum explicat : ut Coloss. 1 : *Adimpleo, quæ desunt passionibus Christi pro corpore ejus, quod est Ecclesia* (1). At hoc loco nullus Evangelista, neque Paulus, explicuit corpus accipi improprie : relinquatur igitur, ut proprie accipi debeat.

Secundo idem probatur ex dictis de pronomine, *Hoc* : Nam si pronomen, *Hoc*, non demonstrat panem, ut clarissime antea ostendimus, certe ruit fundamentum adversariorum : nec enim habent, de quo prædicent, *signum corporis*, nisi velint ipsum verum et naturale corpus esse signum sui ipsius.

Tertio probatur ex sequentibus verbis : *Quod pro vobis datur*. Est autem observandum, paulo aliter legi in græcis et latinis codicibus. Matth. xxvi. et Marc. xiv. et Luc. xxii, græce habetur, de sanguine ἐκχυνόμενον id est, effunditur, latine *effundetur*, Luc. xxii. de pane dicitur διδόμενον, et latine *datur* ; I Cor. ii. κλάμενον, id est, frangitur, latine *tradetur*.

Quæ verba dupliciter exponi possunt. Uno modo, ut hæc omnia dicantur de corpore, et sanguine, ut est in Eucharistia, non autem ut fuit postea in cruce, ut sensus sit : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, id est, offertur, et donatur Deo Patri in sacrificium. Neque obstat vocabulum *frangitur* : nam juxta morem Scripturæ frangere, est dare ; Isaiæ LVIII : *Frangite esurienti panem tuum* (2). Unde Lucas posuit, *quod datur*, pro eo, quod habet Paulus, *frangitur*. Verborum autem calicis hunc esse volunt sensum : *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*, id est, qui libatur, et offertur Deo in sacrificium pro salute vestra. Porro hæc explicatio si recipiatur, plane evertit hæreticorum sententiam de corpore Domini tropice intelligendo. Neque enim corpus tropice acceptum, id est, panis, datus est pro nobis, sed datus est nobis ; neque vinum sanguinem significans effusus est in institutione cœnæ, sed infusus potius ; neque id pro nobis, sed nobis ; neque in remissionem peccatorum, quod pro-

(1) Coloss. 1, 24. — (2) Isai. LVIII, 7.

prie convenire vero sanguini omnes fatentur.

Altera tamen expositio, quæ refert hæc omnia ad passionem, et crucem Domini, et quam recipit Petrus Martyr in commentar. cap. xi. primæ ad Corinth. et Calvinus atque alii in cap. xxvii. Matth., est etiam vera, et non pugnat cum superiore, ut in 1. lib. de *Sacrificio*, cap. x. demonstramus. Quod autem hæc etiam expositio, quam adversarii recipiunt, ostendat corpus proprie, non tropice accipiendum, probatur hoc modo. Ista additio: *Quod pro vobis datur*, non videtur apposita alia de causa, quam ut distingueretur corpus Christi, quod dabatur discipulis, ab alio, quod eis non dabatur. Sicut enim addidit: *Meum*, ut distingueret corpus suum a corporibus non suis, ita adjecit *quod pro vobis tradetur*, ad distinguendum corpus verum, et naturale suum ab alio corpore suo, sed non naturali, quale est, corpus mysticum Ecclesiæ. Quod etiam satis aperte indicat articulus appositus nomini græce τοῦτό ἐστι τὸ σῶμα, etc. Nam ut Cyrillus docet lib. 1. in *Joan.* cap. iv. articulus facit, ut nomen accipiatur in una certa, determinata, et propria significatione. Itaque sicut cum dicimus: Hic est ille Petrus, qui accepit claves regni, distinguimus eum ab aliis ejusdem nominis, ita cum Dominus ait: Hoc est illud corpus (hanc enim vim habet articulus) quod pro vobis tradetur, intelligimus Dominum distinguere corpus suum verum ab omni alio, et determinate loqui de illo solo. Jam igitur si Dominus Apostolis tradidit verum corpus proprie dictum, optime se habet illa additio: dedit enim eis comedendum corpus suum naturale, non mysticum; si autem (ut adversarii volunt) dedit eis panem, qui esset signum corporis, falsa est additio. Panis enim, ut symbolum corporis Dominici, utrumque corpus significat, et mysticum, et naturale: quocirca male addita fuisset illa distinctio. Quod enim panis Eucharistiæ utrumque corpus Christi significare debeat, et verum, et mysticum, dubitari non potest: inde enim I Corinth. x. dicitur: *Unus panis, et unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus* (1); et Augustinus tract. xxvi. in *Joan.* dicit, ideo in specie panis, et vini consecrari Eucharistiam, ut significetur unitas corporis mystici. Ut enim panis ex multis granis efficitur, et vinum ex multis racemis confluit; ita Ecclesiæ corpus, ex multis fidelibus com-

ponitur. Præterea corpus in crucem traditum, et sanguis in cruce effusus vere sunt corpus, et sanguis Christi proprie, non significative.

Dicent: Panis est signum, seu figura veri corporis, et sanguinis pro nobis traditi, et effusi. Contra; nam illæ voces in recto positæ διδόμενον, et ἐχχυνόμενον debent conjungi cum substantivo in recto, non in obliquo; ergo junguntur cum eo, quod dicitur corpus, et sanguis, non cum vocibus in obliquo positis, id est, corporis, et sanguinis. Ergo aut verum corpus et sanguis sunt in Eucharistia, aut corpus, et sanguis significative, id est panis, et vinum, tradita sunt pro nobis ad crucem, et mortem, quo nihil absurdius fingi potest.

Sequitur tertia explicatio, quæ, ut diximus, Calvinus est, qui existimat panem Eucharistiæ non appellari signum corporis, sed ipsum corpus, quia est signum efficacissimum. Quod idem admittit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* in fine tertiæ partis: ubi dicit, Christum non dixisse: Hoc significat, vel hoc est ipsum corpus meum, ut distingueret hoc signum ab aliis signis inanibus et sterilibus; dum enim panem istum Eucharistiæ ore sumimus, vere simul ipsum Christi corpus spiritu manducamus.

Est autem hic revocandum ad memoriam, quod supra diximus, in 1. cap., non existimare Calvinum nobis cum pane dari reipsa ipsum Christi corpus ita ut Christi corpus dici possit esse tunc, et in cælo, et nobiscum, sed solum dari per quamdam communicationem ipsius, et omnium bonorum ejus, quæ non requirit localem præsentiam, quomodo dantur aliquando regna, et civitates, vel prædia absentibus. Id autem fieri existimat per instrumentum fidei: dum enim credimus in Christum, fit ipse noster cum omnibus bonis suis. Vide quæ supra diximus loco citato.

Hæc opinio, seu potius figmentum, duplici argumento refutari potest. Primo ex principio quodam ipsius Calvinus. Credere in Christum, non est vere manducare Christum; nec diceretur panis Eucharistiæ corpus Christi, si credere esset manducare. At ex sententia Calvinus aperte sequitur, nihil esse aliud manducare Christum, nisi credere in ipsum; ergo ex sententia Calvinus non vere manducatur in Eucharistia corpus Christi nec dici potest panis ille corpus Christi. Major propositio est ipsius Calvinus lib. iv. *Institut.* cap.

(1) I Cor. X, 17.

xvii. § 10. « Sunt, inquit, qui manducare Christi carnem, et sanguinem ejus bibere, uno verbo definiant, nihil esse aliud, quam in Christum ipsum credere : sed mihi expressius quiddam, ac sublimius videtur voluisse Christus in præclara illa concione, ubi carnis suæ manducationem nobis commendat. » Et infra : « Quemadmodum enim non aspectus, sed esus panis corpori alimentum sufficit, ita vere ac penitus participem Christi animam fieri convenit, ut ipsius virtute in vitam spiritualem vegetetur. » Ubi comparat actum credenti, cum actu videndi cibum, ut significet ita credere non esse manducare, sicut videre cibum non est manducare, qualia etiam repetit, § 11.

Probatur nunc minor propositio. Nam manducare est actio quædam, et actio manducantis, non cibi manducati, ut notissimum est. At in manducatione corporis Domini secundum Calvinistas, nulla est actio hominis manducantis, nisi ipsum credere ; ergo ipsum credere est manducare secundum Calvinum. Probatur minor. Nam illa unio corporis Domini nobiscum, quæ sequitur post actum fidei, non est aliqua actio, sed relatio sequens apprehensionem fidei, vel si actio est, non est nostra, sed Christi : ita enim ipsi docent, ex hoc quod quis credit, sequi ut Christus se totum ei donet, et communicet ; vel explicent ipsi, post actum fidei, quam aliam actionem exerceat homo in conjunctione cum Christo facienda. Et confirmatur exemplo corporalis manducationis, in hac enim manducare est apprehendere cibum, et trajicere ab ore ad stomachum non autem unio cibi, et hominis ; ergo eodem modo in spirituali manducatione, manducare erit apprehendere Christum, qui est actus fidei, non autem unio Christi nobiscum, quæ non est actio, sed actionis effectus. Confirmatur etiam ex loco Pauli, quem Calvinus adducit ad illustrandum sententiam suam. Cum Paulus ait, Ephes. III, Christum habitare in nobis per fidem, non intelligimus idem esse credere, et habitare Christum in nobis, sed unum ex altero sequi ; ita etiam cum dicimus, corpus Domini manducari per fidem. At habitare Christum in homine, non est actio aliqua hominis distincta ab actione fidei : ergo eodem modo unio Christi nobiscum, per manducationem spiritualem Eucharistiæ, non est actio distincta ab actione fidei ; igitur manducare nihil est aliud nisi credere.

Secundo omissa ista inepta Calvinii metaphysica, probo, non posse panem dici corpus, quia sit signum efficax. Nam eandem efficaciam habent Sacramenta vetera, novæ legis, Baptismus, verbum Dei, et imago depicta, vel sculpta crucifixi. At ineptus esset qui diceret : Imago crucifixi non est nuda imago, sed est vere ipse Christus, qui pro nobis passus est : et eodem modo esset ineptus, qui diceret : Sacrificia, et Sacramenta vetera, vel Baptismus noster, aut verbum Dei, sunt ipse Christus, non ejus tantum symbola ; ergo ineptus est etiam qui dicit : Panis Eucharistiæ est ipsum corpus Domini, non nudum symbolum : si vera est tamen Calvinii sententia. Probatur major propositio. Nam (ut supra ostendimus in I. cap.) nihil aliud tribuit Calvinus Eucharistiæ, nisi ut sit symbolum revocans ad memoriam Christi passionem, et ea ratione fidem excitans, ut patet ex lib. IV. *Institut.* cap. xvii. § 2. et § 5. et alibi. At hoc idem faciunt Sacramenta vetera, et Baptismus, et verbum Dei, et Imago crucifixi. Omnia enim hæc repræsentant Christi mortem, et proinde fidem excitant : imo multo melius mortem Christi repræsentat imago depicta, vel sculpta crucifixi, quam panis fractio. Et idem dici potest de sacrificiis vitulorum, et agnorum apud veteres ; et maxime de verbo Dei expresse proponente Christi mortem.

Ad hoc argumentum ex parte aliqua respondere conatur Petrus Martyr, in lib. *contra Gardinerum* par. I. objecto 94. Dicit enim Sacramenta vetera non fuisse appellata corpus Christi, sicut appellatur panis Eucharistiæ, licet illa etiam fuerint signa efficacia hujus rei ; quia nondum peracta erat Christi passio ; nunc autem peracta est.

At vanissima est solutio. Nam quando Christus dixit : *Hoc est corpus meum*, nondum peracta erat passio. Et præterea, quod signa repræsentent rem præteritam vel futuram, ad hoc, ut accipere possint nomen rei significatæ, est omnino per accidens, et impertinens. Nam si cum Deus revelavit aliquem nasciturum, sicut revelavit de Cyro, Joanne Baptista, et aliis depicta fuisset imago illius, non minus illa imago dici potuisset Cyrus, vel Joannes, quam illæ, quæ modo pinguntur.

Deinde esto solutio aliquid valeat quantum ad sacramenta vetera, certe nihil responderi potest ad instantiam de Baptismo, in quo repræsentamus Christi mortem jam præteritam, teste Paulo Roman. VI. et de

imagine crucifixi, et de verbo Dei, et tamen rideretur qui diceret verbum, aut Baptismum esse ipsum corpus Christi, et imaginem depictam non esse nudum signum, sed ipsum Christum, qui pro nobis mortuus est.

### MEUM.

Sequitur ultima particula *Meum*, ad quam pertinet ultima opinio hæreticorum, et ea quidem ineptissima, eorum videlicet, qui dicunt vocari panem corpus Christi, quia ab ipso creatus. Id enim facillime refellitur ex sequentibus verbis : *Quod pro vobis datur* ; et clarius de sanguine : *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Panis enim, et vinum, quamvis sint res a Christo creatæ, tamen non sunt datæ, aut effusæ pro nobis in remissionem peccatorum.

## CAPUT XI.

*Solvuntur argumenta, quibus probant adversarii verba institutionis figurate accipienda.*

Videamus nunc quibus argumentis probent adversarii verba institutionis figurate accipienda. Objecerunt illi primo argumentum, quod olim objiciebat Berengarius teste Guitmundo lib. II. Particula (*Hoc*) est demonstrativa. Dominus autem eum ait : *Hoc est corpus meum*, panem solum in manibus habuit, quem demonstraret : ex sententia enim Catholicorum, non fuit corpus Domini in Sacramento, cum diceretur (*Hoc*), sed peracta demum consecratione. Secundo, augetur difficultas ex illis verbis Matth. XXVI : *Bibite ex hoc omnes* (1), illud enim (*ex hoc*) non potest referri nisi ad vinum. Quare jussit Dominus, ut vinum biberent, proinde vinum, non sanguinem biberunt, nisi figurate : vel si repente mutavit vinum in sanguinem, præstigiis usus videbitur, quippe qui vinum obtulerit, et dum essent bibituri, illud e medio sustulerit. Tertio Lucas, et Paulus dixerunt τὸ ὑποπόδιον τῆς ποτήριον, *hic calix* ; ergo pronomen demonstrat calicem, non sanguinem. At eadem ratio est panis, et calicis, ergo illud : *Hoc est corpus*, significat : *Hic panis est corpus*. Quarto est argumentum Lutheri cap. I. de *Babyl. cap-*

*tic*. Hebræi non habent genus neutrum ; ergo Dominus non dixit : *Hoc est corpus meum*, sed : *Hic est corpus meum* : ergo demonstravit panem, non corpus. Quinto est argumentum Calvinii, et aliorum. Quod accepit Dominus, ac benedixit, et fregit, id discipulis dedit ; nam omnia verba : *Accipit, benedixit, fregit, dedit*, regunt eundem accusativum. Sed accepit, et benedixit, ac fregit panem ; ergo, et panem dedit ; ergo illud (*Hoc*) panem demonstrat.

Ut solvantur objectiones, et tota res aperiat, notandum est secundum Græcos codices, pronomen τούτο, accipi posse substantive, et adjective : præterquam Luc. XXII. et I Cor. VI. ubi dicitur τούτο τὸ ποτήριον, *hic calix* : tamen in latinis codicibus, non potest accipi substantive, nisi in illis verbis : *Hoc est corpus*. Nam in consecratione calicis omnes habent, *Hic est sanguis*, aut *Hic calix*, quæ non possunt exponi substantive. Est quidem in quibusdam codicibus Cypriani lib. II. epist. 3. *Hoc est sanguis* : sed correctiores Manutii, Morelii, Pamelii habent, *Hic est sanguis*, ut etiam habetur in omnibus liturgiis latinis. Quare ut omnia convenient, præstat exponere ubique illud pronomen adjective, ut hic sit sensus : *Hoc est corpus meum*, id est, *Hoc edulium est corpus meum* : *Hic est sanguis*, id est, *Hic potus est sanguis meus* : *Hic est calix sanguinis mei*, id est, *Hic calix est calix sanguinis mei*.

Nota secundo Catholicos etsi convenient in re, tamen non convenire in modo explicandi, quid proprie demonstret illud pronomen, *Hoc* vel *hic*. Sunt autem duæ celebriores sententiæ. Una, quod pronomen *Hoc*, demonstret corpus, et pronomen, *Hic*, demonstret sanguinem. Et ad argumentum adversariorum respondent, in hujusmodi propositionibus, quæ significant id, quod tunc fit, cum dicitur, pronomina demonstrativa non demonstrare id quod est, sed id quod erit : et ponunt exempla, ut si quis dum pingit lineam, aut circulum, dicat, hæc est linea, hic est circulus ; quomodo etiam exponi debet pronomen in illis verbis Domini Joan. XV. *Hoc est præceptum meum*. Et rursus : *Hæc mando vobis*. Et Luc. XXII. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos : quoniam necesse est impleri omnia etc.* (2). Et sic accipiuntur illa exordia Prophetarum : *Hæc dicit Dominus*.

Hæc explicatio non videtur plene satisfacta

(1) Matth. XXVI, 27. — (2) Joan. XV, 12 et 17 ; Luc. XXIV, 44.

cere, propter duas causas. Primo, quia etsi pronomen demonstrativum demonstrat rem futuram, quando nihil est præsens, quod demonstratur, ut in exemplis allatis; tamen si quis digito aliquid ostendat, dum pronomen effert, valde absurdum videtur dicere pronomine illo non demonstrari rem præsentem. Atqui Dominus accepit panem, et illum porrigens ait: *Accipite, edite, hoc est corpus meum*: videtur igitur demonstravisse panem. Neque obstat, quod propositio non significat, nisi in fine totius prolationis. Nam etsi ita est de propositione, quæ est oratio quædam: tamen demonstrativa pronomina mox indicant certum aliquid, etiam antequam sequantur cæteræ voces. Et sane in illis verbis: *Bibite ex hoc omnes*, valde durum est non demonstrari id, quod erat, sed id tantum, quod futurum erat.

Secundo verba sacramentalia secundum Catholicos, non sunt speculativa, sed practica; efficiunt enim quod significant: unde etiam a Patribus operatiora dicuntur, ut postea videbimus. At si pronomen demonstrat solum corpus, verba erunt speculativa, non practica. Semper enim verum est demonstrato Christi corpore, dicere: *Hoc est corpus Christi*, sive id dicatur ante consecrationem, sive postea: sive a laico, sive a sacerdote. At verba sacramentalia, quia operatoria non sunt vera, nisi dicantur ab eo, qui est legitimus minister; neque sunt vera antequam sacramentum efficiatur.

Est igitur altera sententia sancti Thomæ 3. part. quæst. LXXVIII. art. 2. et 5. et in cap. XI. prioris ad Corinth. nec non aliorum multorum, qui eum sequuntur, quod pronomen, *Hoc*, non demonstrat præcise panem, nec corpus, sed in communi substantiam, quæ est sub illis speciebus: sic tamen ut demonstratio proprie ad species pertineat; non quidem, ut sensus sit: *Hoc*, id est, hæ species sunt corpus meum; sed in obliquo, hoc modo: *Hoc est corpus meum*, id est, sub his speciebus est corpus meum. Quomodo etiam exposuit olim Guitmundus lib. II. qui hunc vult esse sensum eorum verborum: *Hoc est corpus meum*, id est, hoc hætenus panis, nunc est corpus meum: atque hoc modo omnia optime cohærent. Nam quia Sacramenta significant quod efficiunt, et non efficitur in hoc Sacramento, ut corpus Christi, sit corpus Christi, id enim semper fuit, neque efficitur, ut panis sit corpus Christi, id enim fieri nequit; sed efficitur, ut sub speciebus

illis sit corpus Christi, sub quibus antea erat substantia panis ideo illud, *Hoc*, demonstrat panem, nec corpus Christi, sed contentum sub speciebus.

Hinc argumentum optime solvitur. Nam cum aiunt, *Hoc* demonstrat panem; ergo panis est corpus Christi: proprie autem id esse non potest, ergo figurate. Respondeo illud, *Hoc*, non demonstrare panem præcise, sed contentum sub illis speciebus; quod quidem licet fuerit panis ante consecrationem, tamen vi illorum verborum incipit esse corpus Domini.

Idem dico ad illud, *Bibite ex hoc omnes*: illud enim, *ex hoc*, non significat ex hoc vino sed ex eo quod in calice sub speciebus vini continetur: quod quidem licet vinum fuerit ante consecrationem, tamen finitis verbis consecrationis, non vinum, sed sanguis erat, ut Dominus testatur subijciens: *Hic enim est sanguis meus*. Quare non iussit Dominus (sicut adversarii mentiuntur) ut Apostoli in sacra cœna vinum hiberent; nec fuerunt ullæ præstigiæ: id enim fuit vere, quod Dominus dixit, nimirum sanguis ejus. Præstigiatores enim unum pollicentur, et aliud præstant: imo contrarium Dominus fecit ejus, quod præstigiatores faciunt: illi enim dicunt se aliquid dare, et non dant vere, sed apparenter; Dominus autem dedit vere, quod dicebat se dare, licet non appareret ita esse.

Illud quod objiciebatur ex verbis Lucæ et Pauli, *Hic calix*, pro nobis facit. Nam nomine calicis, intelligitur ex communi usu loquendi non ipsum vas sed quod in vase continetur: rectissime igitur exponitur, *Hic calix*, id est, quod in hoc calice continetur. Neque est eadem ratio panis et calicis; nam panis non potest significare nisi panem; calix autem significat generatim, quidquid in calice continetur, sive sit vinum, sive sanguis, sive quid aliud.

Ad argumentum Lutheri respondeo primo, sicut Hebræi non habent genus neutrum in pronomine, ita nec habere in nominibus: quocirca etiam corpus hebraice est generis masculini, et demonstrari potuit per pronomen masculinum. Secundo verba Domini hebraica dico rectius exposita a Marco et Luca, et ab eo, qui Matthæum græcum fecit, qui sine dubio antiquissimus auctor fuit, quam ab ullo alio exponi possint: porro hi auctores cum panem nominassent ἀρτον generis masculini, pronomen posuerunt in genere neutro τοῦτο.

Ad ultimum respondeo : Dominum accepisse, ac benedixisse panem; sed dedisse panem non vulgarem, ut acceperat, sed benedictum, et benedictione mutatum. Intercedit enim inter *accepit* et *dedit*, verbum, *benedixit*, quod facit, ne omnia verba regant eundem accusativum eodem modo se habentem. Neque est hoc inusitatum : nam si quis dicat : Percussit quidam Petrum, occidit, et sepelivit ; non intelliget Petrum fuisse vivum sepultum, tametsi vivus fuerit percussus. Adde quod etiam illi hoc modo coguntur solvere hoc argumentum : nam volunt Dominum accepisse panem vulgarem, et tamen dedisse panem sacramentalem.

Objiciunt contra hanc solutionem Calvinus et Petrus Martyr. Calvinus lib. iv. *Institut.* cap. 17. § 20. « Nihil absurdius, inquit, quam ad speciem transferre, quod de pane prædicatur. » Respexit nimirum Calvinus ad verba S. Thomæ 3. par. quæst. lxxviii. art. 2. ubi dicit pronomen, *Hoc*, demonstrare species sensibiles panis, quæ solæ manent in illa mutatione panis in corpus Christi.

Sed S. Thomas explicuit se in art. 5. ad 2. ubi dicit pronomen, *Hoc*, non demonstrare accidentia, quasi esset sensus, *Hoc*, id est, hæc accidentia sunt corpus Christi (id enim vere absurdissimum esset, ut Calvinus dicit, qui videtur in hoc sensu accepisse verba S. Thomæ) sed demonstrare substantiam sub illis accidentibus contentam, quæ antea erat panis, et nunc est corpus Christi ; ita ut hic sit sensus : *Hoc*, id est, substantia sub his accidentibus contenta, est corpus Christi. Et hic sensus non modo non est absurdus, sed est necessarius ; quandoquidem (ut supra ostendimus) illud, *Hoc*, non potest demonstrare panem, neque etiam corpus Christi præcise ; ut esset aptum exemplum, si Dominus quando mutavit aquam in vinum, ostendisset hydrias aquæ, ac dixisset, *Hoc* est vinum, et illis verbis mutasset aquam in vinum. Neque enim possemus ita exponere illam sententiam, *Hoc* est vinum, id est, hæc aqua est vinum ; id enim falsum esset ; neque ita, *Hoc*, id est, hoc vinum, sive hæc res demonstrando vinum, est vinum : nam falsa fuisset demonstratio, non enim aderat vinum, cum diceretur, *Hoc* ; sed hic esset sensus, *Hoc* est vinum, id est, in hoc vase est vinum.

Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* part. 1, objecto 13 et 14, ridet hanc solutionem ; et quia dicimus demonstrari substan-

tiam sub speciebus contentam, quæ videtur esse quoddam individuum vagum ; ait ipse individuum vagum mente posse concipi, demonstrari autem plane non posse : Dominum autem demonstrasse quod in manibus habebat, id est, rem certam, et determinatam. Et ut se in scholasticis versatum ostenderet ; addit Scotum fuisse parentem hujus individui vagi in explicatione horum verborum.

Sed in utroque fallitur. Nam in primis Scotus in 4. dist. 8. quæst. 2. ubi fuse de hac re agit, neque nominat individuum vagum, neque ita exponit hunc locum, ut pronomen, *Hoc*, demonstret aliquid incertum seu vagum, sed dicit, *Hoc* significare : *Hoc* ens ; illud autem, *Hoc* ens, supponere pro Christi corpore ; proinde esse propositionem illam singularem et determinatam ; quam sententiam supra refutavimus. Porro individui vagi meminit Dominicus a Soto in explicatione sententiæ S. Thomæ in iv. distinct. 11. quæst. 1, art. 5. Quamvis autem simile sit in individuo vago substantia sub speciebus panis contenta ; et ex se non magis possit supponere pro pane, quam pro corpore Christi, et pro qualibet alia re, quæ sub iisdem speciebus maneat ; tamen in hac propositione : *Hoc est corpus meum*, substantia illa determinatur vi verbi, *Est*, ad supponendum pro corpore Christi ; atque ita propositio est singularis, et determinata.

Ad id vero, quod ille ait, individuum vagum non posse demonstrari ; respondeo formaliter in hac propositione demonstrari species, quæ sunt certæ, et determinatæ, quamvis, ut dixi, in obliquo, non in recto. Quocirca non dicimus, *Hoc*, id est, hæc substantia, vel hoc ens cum Scoto, sed, *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus, ut pronomen demonstrativum teneat se ex parte specierum, non ex parte substantiæ : interest autem inter illa duo *Hoc*, id est, hæc substantia, et *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus. Quod si dicas, *Hoc*, id est, hæc substantia, necesse est, ut substantia illa tunc sit præsens, quando dicitur, *Hoc*, et tamen tunc non est præsens substantia corporis Christi, et falsa redditur demonstratio. At si dicas, *Hoc*, id est, substantia sub his speciebus, non est necesse, ut illa substantia tunc sit præsens, sed satis est, si præsentis sint species, quæ demonstrantur pronomine, *His*. Id quod clarius erit, si tacita substantia dicas : *Hoc est corpus meum*, id est, sub his speciebus est corpus meum : Sed de his satis.

Secundum argumentum sumitur ex particula, *Est*. Docet Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, parag. 3. 658, cogi papistas ut verbum, *Est*, accipiant tropice pro Fit, vel transubstantiatur. Nam alioqui esset falsa propositio : *Hoc est corpus meum*, prius enim debet esse res, quam pronuntietur eam esse ; vera enim est propositio, si res ita se habeat, non contra, ac præsertim secundum Catholicos, qui volunt hæc verba esse causam conversionis panis in corpus Christi : semper enim causa est prior suo effectui. Sed corpus Domini non est in Eucharistia, antequam dicatur, *Est*, ergo falso dicitur, *Est*, nisi sumatur pro Fit. Præterea ista oratio est operatoria ex sententia Papistarum, sicut illa, *Fiat lux* ; ergo verbum, *Est*, debet sumi pro Fit.

Respondeo cum S. Thoma, 3. par. quæst. LXXVIII. art. 2. et 5. (unde videtur Petrus Martyr accepisse hæc argumenta) verba illa consecratoria (ut quamvis aliam sententiam) non habere perfectam significationem, nisi in ultimo instanti, quo profertur ultima vox : pendet enim intellectus, donec ad finem veniatur : in eodem autem ultimo instanti ponitur effectus verborum in esse, id est, conversio panis in corpus Christi. Neque obstat, quod verba non videantur habere ultimum instans positivum, cum finiantur per motum. Nam etsi non datur ultima pars motus, et proinde verborum ; tamen datur ultimum mutatum esse, et proinde ultimum instans terminativum verborum, quomodo in linea non datur ultima pars, datur tamen ultimum punctum. Quare simul tempore sunt completa significatio verborum, et conversio panis in corpus Christi : ordine tamen naturæ invicem se præcedunt, et sequuntur hæc duo. Nam verba illa, quatenus causa sunt illius conversionis, præcedunt conversionem : et contra, quatenus veritas propositionis pendet a rei essentia, conversio præcedit significationem.

Ad illam confirmationem respondeo, verba esse operatoria, etiamsi non ponatur, *Est*, pro Fiat, quia cum Deus, qui mentiri non potest, dicit aliquid esse, necesse est, ut illud sit ; et ideo si antea non fuerit, necesse est, ut tunc fiat. Cur autem dixerit olim Deus, *Fiat lux*, et Christus non dixerit, *Fiat corpus*, sed est corpus ; rationem reddit S.

Thomas, quia verba Dei in principio creationis operabantur solum efficienter, non autem sacramentaliter : verba autem Christi operantur utroque modo ; et ideo debent significare suum effectum in facto esse ; quod fit per verbum substantivum indicativi modi, et temporis præsentis. Sed etiamsi ista causa non esset ; quis posuit Christo legem, ut semper eodem modo loqueretur cum aliquid faciebat ? nonne in Evangelio legimus dictum Lucæ XIII. *Mulier dimissa es ab infirmitate tua ?* et Joan. IV. *Vade, filius tuus vivit ?* Et certe non minus his verbis curavit hos ægrotos, quam alium illis verbis : *Tolle grabatum tuum, et ambula.* Joan. V. (1).

Objiciunt Zwingliani quædam exempla Scripturæ, in quibus, *Est*, accipi videtur pro significat, ut : *Semen est verbum Dei, Petra erat Christus.* Sed de his dicemus in sequenti disputatione ; nam communia sunt etiam Oëcolampadio, et Calvino, et aliis. Perinde enim est si dicas : *Semen est*, id est, significat verbum, et, *Semen est verbum Dei*, id est, est signum verbi Dei : quomodo etiam possunt exponi omnes similes locutiones.

Tertium argumentum, sicut, et quatuor proxime sequentia, ex particula, Corpus, desumitur. Igitur Calvinus et Martyr, et cæteri sæpe hoc argumentum repetunt. Illa sententia : *Hoc est corpus meum*, est sacramentalis ; ergo sacramentaliter exponenda ; ergo significat, panem esse corpus Christi sacramentaliter ; seu significative. Hoc argumentum, tanti fecit Calvinus, ut in ultima admonitione ad Westphalum de hoc argumento dixerit : « Hic merus aheneus esto. »

Respondeo, sacramentalem propositionem sumi posse duobus modis. Primo, ut dicatur sacramentalis, quia explicat sacramentum, sive ejus significationem, qualis est Apocal. XVII : *Septem capita, septem colles sunt, etc.* (2). Nam ostenderit in visione Deus Joanni mulierem sedentem super bestiam septem capitum, quæ significabat Romam, quæ sita est in montibus ; ait ergo Angelus : *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris ; septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet.* Tales sunt etiam illæ Matth. XIII. *Semen est verbum Dei.* Et Genes. XLI. *Septem boves septem anni sunt* (3). Atque in hoc genere propositionum accipiuntur semper prædicata tropice, non proprie.

(1) Luc. XIII, 12 ; Joan. IV, 50 ; V, 8. — (2) Apoc. XVII, 9. — (3) Apoc. XVII, 7 ; Luc. VIII, 11 ; Gen. XLI, 26 et 27.

Secundo, potest dici sacramentalis propositio, quia per eam sacramentum instituitur, vel declaratur aut conficitur: ut cum de materia Baptismi dicitur Joan. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*; et cum de forma dicitur Matth. ult.: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (1); aut cum nos baptizantes dicimus: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Et in hoc genere proprie accipiuntur vocabula, quæ designant materiam, et formam sacramenti. Neque enim licet dicere, non oportere assumere aquam proprie dictam in Baptismo, sed aliquid per eam significatum; aut non esse invocandam propriis verbis Trinitatem, sed aliquem tropum in illis verbis subesse: alioqui nihil certi haberemus de Sacramentis.

Tota igitur quæstio est, utrum illa verba: *Hoc est corpus meum*, dicantur ad explicandum sacramentum, an ad instituendum, vel conficiendum; vel potius non est quæstio, sed certum est dici ad instituendum, et conficiendum sacramentum. Nam apud Catholicos hæc verba sunt de essentia sacramenti, et sunt operatoria, ut Ambrosius testatur lib. IV. *de Sacramentis*, cap. IV. Apud hæreticos autem etiamsi hæc verba non proprie dicantur forma sacramenti, nec censeantur operatoria; tamen sunt necessaria ad sacramenti confectionem, quia continent promissionem, sine qua nullum sacramentum constare potest. Et quia sacramentum secundum Calvinum est posterius verbo promissionis, tanquam sigillum ejus, et appendix, ut ipse loquitur lib. IV. *Institut.* cap. XIV. § 2. inde fit, ut panis non fuerit Sacramentum, nisi post ea verba recitata. Non ergo fuit illa explicatio sacramenti, cum sacramentum nondum esset, sed institutio, et confectio. Deinde, cur omnes hæretici ista verba præmittunt in suæ cœnæ celebratione, nisi quia putant sine his verbis nullum esse Sacramentum? Denique ubicumque in Scripturis est explicatio mysterii, præcedit ipsum mysterium, et indicat Scriptura esse declarandum per sequentia verba. Id patet in omnibus parabolis, somniis, et visionibus, quæ declarantur in Scriptura. Hoc autem loco nullum narratum est mysterium, nec ulla indicatur secutura declaratio; constat igitur illa verba ad institutionem, et confectionem sacramenti, non ad declarationem significationis ejus pertinere. Ita murus aheneus inventus est luteus.

(1) Joan. III, 5; Math. XXVIII, 19.

Argumentum quartum ejusdem Calvinii lib. IV. *Institut.* cap. XVII. § 23. Nisi Apostolis venisset in mentem, *Corpus*, figurate accipi debere, turbati fuissent de re tam prodigiosa. Atqui tranquille et quiete leguntur participasse sacram illam carnem.

Respondeo: Cur Apostoli mirati, ac turbati non fuerint duplex est causa; una, quia fuerant jam antea instructi, et præmoniti, Joan. VI, ut Chrysostomus docet homil. 83. *in Math.* Altera, quia idem Christus, qui mysteria tradebat, mentem eorum fide illustrabat, ut simpliciter crederent. Nam multa alia mirabilia sine turbatione audierant, et crediderant; quale erat in primis hominem illum, quem videbant comedere, bibere, dormire, fatigari, esse verum Deum; et jam tunc esse in cælo cum loqueretur in terris Joan. III: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de Filius hominis, qui est in cælo*. Denique cur hodie tot millia simplicium Catholicorum non turbantur, cum primum audiunt in Eucharistia esse totum, et integrum Christum? nisi quia fide illustrante persuasi sunt Christum, qui hoc dixit, Deum esse, qui mentiri non potest.

Quintum argumentum Klebitii in libro *de Victoria veritatis* par. I. argum. 8. et aliorum. Christus de corpore suo ait: *Accipite et manducate*. At corpus Christi non potest proprie manducari, cum non possit dentibus teri: ergo vel accipitur corpus figurate, vel, certe ipsum manducare, ut vel sensus sit: *Manducate panem, qui signum est corporis mei; vel, manducate corde, non corpore; fide, non ore, ipsum verum corpus meum*.

Respondeo, corpus Christi vere ac proprie manducari etiam corpore in Eucharistia. Nam ad rationem manducationis non est necessaria attritio, sed satis est sumptio, et transmissio ab ore ad stomachum, per instrumenta humana, et naturalia, id est, linguam, et palatum. Alioqui senes, et pueri edentuli nihil unquam comederent; et nos, cum deglutimus integros aliquos cibos, vel ipsas hostias non consecratas, non diceremur comedere. Adde præterea, si de ratione manducationis esset attritio dentibus facta, corpus Christi proprie manducari in Eucharistia, non tropice. Non enim dicimus, corpus Christi absolute manducari, sed manducari sub specie panis; quæ sententia significat ipsas species manducari visibiliter, ac sensibiliter, ac proinde ipsas dentibus atteri: sed



sub illis invisibiliter sumi etiam, et transmitti ad stomachum corpus Christi. Nam etiam panis ipse verus non atteritur dentibus, nisi ratione accidentium suorum: substantia enim cujuslibet rei non est per se divisibilis. Hoc tamen interest inter substantiam panis, et corpus Christi sub speciebus panis: quod illa extenditur ad extentionem quantitatis, qua vere informatur, sed est totum sub qualibet particula. Ideo panis absolute mandueatur, corpus Christi non absolute, sed sub specie panis.

Sextum argumentum sumunt ex variis locis Scripturæ, ubi vel, *Est*, accipitur pro Significat, vel certe prædicatum accipitur figurate. Calvinus lib. iv. *Institut.* cap. xvii. § 21 et § 22. exempla profert Genes. xvii: *Circumcisio est fœdus*; Exod. xii: *Angelus dicitur Deus. Agnus est Phase, id est transitus*; Levit. xvi: *Sacrificia sunt expiationes*; Psal. lxxxiv: *Arca est Deus*; Matth. iii: *Columba dicitur Spiritus sanctus*; Joan. vii: *Nondum erat Spiritus*, ubi, *Est*, non potest accipi substantive, alioqui non esset æternus Spiritus sanctus; I Corinth. x: *Petra erat Christus*; et ibidem: *Panis est communicatio corpus Christi*; I Corinth. xii: *Ecclesia est Christus*; Tit. iii: *Baptismus est lavacrum regenerationis* (1). Si illud, *Est*, acciperetur substantive, omnes, qui baptizantur, regenerarentur, multis tamen seimus inutilem esse Baptismum. Alii afferunt alia ut: *Septem boves sunt septem anni*; Gen. xli: *Semen est verbum Dei*; Luc. viii: *Ego sum astium*, Joan. x. (2) et alia id genus. Confirmant argumentum; quia hæreses ortæ sunt ex Scriptura proprie, et liberaliter intellecta, ut Anthromorphitarum, et aliorum. Exempla multa enumerat Calvinus lib. iv. *Institut.* cap. xvii. § 23. et Klebitius de victoria veritatis par. i. argum. 16.

Respondeo, hoc argumentum multis modis deficere. Nam in primis non potest colligi ex aliquot exemplis, sic ubique accipi verbum, *Est*, aut prædicatum propositionis; nos enim proferre possumus multa plura loca in quibus, *Est*, significat, *Est*, et prædicatum proprie accipitur.

Refellit hanc solutionem Klebitius in lib. de *Victoria veritatis*, par. i. argum. 16. Dicit

enim simili modo argumentari adversarios suos, qui inde probant locum Evangelii: *Hoc est corpus meum*, accipiendum sine tropo, quia multa loca in Scripturis accipiuntur sine tropo. At mentitur in caput suum; nos enim generali regula utimur, ac dicimus ubique servandam esse verborum proprietatem, nisi evidenter doceatur alicubi esse tropum; ex illa universali regula probamus hunc locum accipiendum sine tropo. Item dico ad confirmationem; non recte probari ubique cavendum sensum litteralem, quia aliqui inde occasionem errandi sumpserunt. Nam hoc modo probarem etiam numquam sequendum sensum mysticum, quia inde occasionem errandi sumpserunt Chiliastæ, Origenistæ, Donatistæ, et alii: imo cavendum esset ab ipsa tota Scriptura, quia errores multi, ac fere omnes ex ipsa male intellecta orti sunt.

Secundo peccat argumentum adversariorum, quia nullum exemplum simile attulerunt. Nam in exemplis allatis, semper prædicatur de disparato disparatum, ut patet ex illis: *Boves sunt anni*, *Semen est verbum*, *Christus est vitis* etc., in his enim cum nullo modo possit fieri, ut illa proprie sint vera, cogimur necessario recurrere ad tropos. At in hac sententia: *Hoc est corpus*, non prædicatur disparatum de disparato, saltem verbis disertis. Quid enim illud, *Hoc*, referat, in quæstione est, et non debet assumi tanquam certum, quod referat panem, eum expresse Scriptura id non habeat. Deberent igitur afferre exemplum, ubi de pronomine, *Hoc*, prædicaretur aliquid tropice.

Klebitius duo exempla ponit. Unum argum. 16. Exod. xxiv. *Hoc est Testamentum*: ubi, *Hoc*, sanguinem refert. Alterum in fine libri ex Confessione Ducis Wirtembergensis, Ezechiel v: *Ista est Jerusalem*: ubi demonstratur imago Hierosolymæ depicta in latere, ut patet ex eap. iv. At illud, *Hoc est Testamentum*, non legitur. Exod. xxiv. sed, *Hic est sanguis Testamenti*; illud autem: *Ista est Jerusalem*, non intelligitur de imagine Hierosolymæ, sed de ipsa vera Hierosolyma, ut ex ipso textu, et Hieronymi commentario patet. Nam etiam si eap. iv. jussus fuerit Ezechiel depingere

(1) Gen. xvii, 13; Exod. xii, 11 et 12; Levit. xvi, 30 et passim; Psal. lxxxiv, passim; Joan. vii, 39; I Cor. xii, 4 et 6; xii, 27; tit. iii, 5. — (2) Gen. xli, 26 et 27; Luc. viii, 11; Joan. x, 7. Hæc varia testimonia, num. 3 et 4 prolata, non optime quadrant, sed cum invocentur tantum ab hæreticis, modo accommodatio, hoc est nullo modo, probant.

illam urbem; tamen cap. v, non loquitur amplius de illa imagine. Adde, quod non ait Ezechiel, hoc est Hierusalem, ostensa imagine, sed, *Ista est Hierusalem*. Dominus autem dixit: *Hoc est corpus*, non iste est corpus, quod dicere debuit si panem ostendere volebat. Itaque non sunt illa similia.

Tertio peccat argumentum, quod multa falsa admiscet. Nam, quædam falso citantur; ut verbi gratia: *Sacrificia sunt expiationes*; citant Calvinus, et Klebitius ex Levitic. xvi. nec tamen habetur talis sententia eo loco, aut alibi. Item citat Calvinus Ps. lxxxiv. vers. 8. ut probet arcam dici Deum. At non hoc ibi habetur; illa enim verba, ad quæ Calvinus respexit: *Videbitur Deus deorum in Sion*; exponuntur ab Augustino, Hieronymo, Theodoro, et aliis, non de arca, sed de ipso Deo vero, qui in cœlesti Sion in se videbitur: et in terrena Sion visus est cum carnem induisset. Adde quod etiamsi de arca intelligeretur hic locus, non propterea dici posset: Hæc arca est Deus, sed per hanc arcam videtur Deus, ut per locum Deo sacrum, in quo responsa dabantur. Sic etiam citat, et valde urget Calvinus ex I Cor. xii. *Ecclesia est Christus*. At non hoc Paulus dicit, sed hoc: *Ita et Christus*. Ubi vocat Christum, ipsum Dominum cum suo corpore mystico; sed non propterea licet dicere, Ecclesia est Christus; sicut nec dicimus, Corpus est caput, vel regnum est Rex, licet aliquando nomine Regis intelligamus ipsum Regem cum suo regno. Illud etiam: *Nondum erat Spiritus sanctus*. Joan vii, aliter habetur in textibus correctioribus, nimirum: *Nondum erat Spiritus datus*. Sic enim legit Didymus lib. ii. *de Spiritu sancto*, Augustinus tractatu 52. *in Joan*, Leo Serm. 2. *de Pentecoste*, et alii. Et præterea etsi legeretur: *Nondum erat Spiritus*, non propterea est ibi ullus tropus, sed intelligeremus non fuisse Spiritum in Apostolis, ut legit Hieronymus quæst. 9. *ad Hedibiam*.

Quædam citantur recte, sed male exponuntur, ut illud: *Agnus est Pascha, id est, transitus*. Nam agnus paschalis non dicebatur pascha tropice, quia significaret transitum; nulla enim erat similitudo inter agni occisionem, et transitum Domini; sed dicebatur proprie Pascha, sicut etiam festus dies dicebatur Pascha, nomine derivato ab illo transitu Domini, quia agnus immolabatur, et dies festus agebatur in memoriam et honorem illius transitus. Unde in Evangelio absolute agnus paschalis dicitur pascha: *Ubi vis*

*tibi paremus comedere Pascha?* et: *Necesse erat occidi Pascha*, Marc. xiv. Luc. xxii.

Illud etiam I Corinth. x, *Petra erat Christus*: secundum Chrysostomi, Theophylacti, Theodreti, et Ambrosii expositionem veriorum, et litteralem, non accipitur de petra materiali, quæ significaret Christum; illa enim non sequebatur Hebræos; sed de petra invisibili, et spirituali, quæ Judæis omnia necessaria providebat, quæ petra vere, et proprie erat Christus, ut Deus. Etsi enim est tropus in eo, quod Christus vocatur petra, tamen per additionem, spiritualis explicatur tropus, et derivatur illa vox ad Christum significandum; et proinde ipsa propositio: «*Spiritualis petra erat Christus*», proprie, non figurate accipitur.

Calvinus, etsi in institutione loco notato per petram intelligat saxum, tamen in ultima admonitione ad Westphalum, intelligit aquam nomine petræ per metonymiam: aqua enim facile sequi poterat Hebræos per rivulos fluens. At hoc commentum refutavit olim Theodoretus in hunc locum, et Petrus etiam Martyr non ei pepercit in commentario hujus loci. Nam repugnat Scripturæ illa expositio: siquidem paulo post indiguerunt rursus aqua, ut patet Num. xx. et xxi. qua certe non eguissent, si aqua de petra eos secuta fuisset.

Martyr duas expositiones affert. Unam, quod illud: *Consequente eos petra*, significet, obsequente, et ministrante eis petra. Quia tamen græci Patres, qui optime noverant vim græcæ vocis ἀκολουθούσης, constanter explicant, *comitante*, non, obsequente, ut etiam Erasmus, cui adversarii multum tribuunt: ideo ponit alteram, quod illud, *comitante*, referatur ad Christum, non ad petram, ut nos diximus. Sed non advertit hac sua expositione, quam præ cæteris probare videtur, se destruere id, quod supra dixerat. Nam hoc modo non potest habere tropum in Sacramentis. Nam si petra comitans non erat petra materialis, sed Christus petra invisibilis; certe non potest exponere: *Petra erat Christus*, id est, petra significabat Christum; quod tamen ille maxime contendit.

Est tamen hic observandum, non negari a nobis, quin petra illa materialis figura Christi fuerit, et aqua inde manans figura fuerit sanguinis Christi: sicut etiam non negamus species panis signa esse corporis Christi; sed negamus per illa verba, *Petra erat Christus*, explicari illam figuram, sicut negamus per

illa verba : *Hoc est corpus meum*, explicari significationem specierum panis.

Illud etiam : *Panis est communicatio*, I Corinth. XI. non recte exponitur, cum aiunt : « Panis est communicatio, id est, significat communicationem » : sed sensus est : communicatio panis consecrati in cœna Domini, nonne communicatio corporis Domini est ? Ubi non est tropus ullus tollens veritatem rei, aut obscurans sententiam : nam accipitur usitate panis, pro panis usu, et communicatione. Neque est tropus in voce panis, quia loquitur de pane consecrato, qui vere est corpus Domini, ut in sequenti capite ostendemus.

Denique illud : « Baptismus est lavacrum regenerationis », male exponitur per illa verba, Baptismus significat lavacrum : nam non significat solum, sed vere etiam lavat animas a peccatis, quod ad se attinet, licet impediri possit effectus per nostram indispositionem.

Quarto peccat argumentum, quod in omnibus locis adductis, ubi est vel tropus, vel aliquid obscurum ; semper additur explicatio, ut Genes. XVII. ubi circumcisio vocatur fœdus ; ibidem dicitur etiam signum fœderis. Exod. XII. ubi agnus dicitur Phase ; ibidem dicitur victima transitus Domini. I Cor X. *Petra erat Christus* : ibidem explicatur de spirituali consequente eos petra : denique in omnibus parabolis, et visionibus, seu somniis, semper indicatur parabolam esse, vel visionem mysticam.

Ubi præterea est adnotandum in ejusmodi locis parabolarum, similitudinum, visionum etc., sine ullo tropo posse accipi, *Est*, pro *Significat* ; quia essentia talium rerum tota posita est in significando, sicut supra diximus de explicatione vocabulorum. Ut verbi gratia cum dicitur Genes. XLI. *Septem boves sunt septem anni*, non est sensus, quod boves significant annos, sed quod boves in visione ostensi sunt ad significandos annos. Hæc autem sententia, *Hoc est corpus meum*, ut sæpe diximus, non est explicatio signi aut parabolæ, sed assertio rei. Quocirca Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. XVII. § 21. allaturus exemplum troporum, præfatur se nolle afferre exempla ex parabolis, nimirum advertibat illa non esse ad rem.

Septimum argumentum est Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. XVII. § 23. Si corpus in illa sententia : *Hoc est corpus meum*, accipitur proprie, vel significat solum corpus, vel totum Chri-

stum. Si solum corpus ; ergo erit alicubi corpus domini sine anima, sanguine, et deitate. Si totum Christum ; ergo erit confusa battologia : *Hoc est corpus*, et, *Hic est sanguis*, idem enim ista significabunt, et poterit dici de pane : *Hic est sanguis*, et de calice : *Hoc est corpus*. Confirmatur, quia si totum Christum significat vox, *Corpus*, erit tropus, qui dicitur, intellectio : non ergo possumus tropos fugere in hac sententia, nisi impie distrahamus corpus Domini a sanguine ipsius.

Respondeo, verba proprie significare ; et nomine corporis solum corpus intelligi, nomine sanguinis solum sanguinem ; nec tamen distrahitur corpus a sanguine, quia conjuncta sunt illa ob necessariam concomitantiam, licet ista conjunctio non significetur illis vocibus : sicut neque negatur. Quemadmodum si quis demonstrato corpore Petri, dicat : *Hoc est corpus Petri* : is proprie solum corpus significat, nec tamen sequitur corpus illud carere anima, quia non ait ille : *Hoc est corpus sine anima*, sed simpliciter : *Hoc est corpus*, quod est verum, sive ibi sit anima, sive non sit : quare neque ulla est hic battologia, neque intellectio. Quanquam si cogere intellectionem admittere, non gravate id faceremus, quia magnum est discrimen inter intellectionem, et metaphoram ac metonymiam : illa enim non tollit rei veritatem, istæ tollunt. Unde in illis verbis : *Verbum caro factum est*, catholici intellectionem, qua ex parte intelligimus totum, omnes admittunt, metonymiam uulli, sicut nec metaphoram, nisi hæretici, qui negant veram carnem in Christo.

Octavum argumentum Calvinus §. 20. et Martyris in cap. XI. I. Corinth. et aliorum, ex illis verbis : *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*. Hic enim duplex tropus necessario est admittendus. Primus in voce, *calix* ; accipitur enim omnium consensu continens pro re contenta, qui tropus dicitur metonymia. Secundus in voce testamenti : neque enim vinum, aut sanguis est proprie testamentum, sed signum Testamenti. Quod probant primo, quia alioqui singulis diebus renovaretur testamentum Christi, et præcedens antiquaretur. Secundo, necesse esset sæpe Christum mori : Testamentum enim non valet, nisi moriatur qui testatus est, Hebr. IX. Præterea tertio Matthæus ait : *Hic est sanguis meus novi Testamenti* ; ergo sanguis non erat testamentum, at quod erat in calice erat testamentum, teste Luca ; ergo in

calice non erat sanguis. Quarto Lucas, et Paulus dicunt, calicem esse testamentum in sanguine; ergo quod erat in calice, non erat sanguis: esset enim sensus: Hic sanguis est testamentum in sanguine, quod est absurdum, et impossibile. Nam quando unum est in alio, non possunt illa esse unum et idem; nisi dicamus idem esse in seipso. Ex his colligit Calvinus exponi debere verba Matthæi, et Marci per verba Lucæ et Pauli, quia illa sunt pauciora, ista plura. Itaque illud: *Hic est sanguis meus*, quod Matthæus et Marcus dixerunt, sic debet exponi: Hoc est testamentum in sanguine meo, id est, signum testamenti sanguine meo confirmati; et similiter illud: *Hoc est corpus meum*, exponi debet: Hoc est testamentum in corpore meo. Non solum enim sanguis, sed etiam corpus Christi testamentum novum stabilivit: non ergo proprie accipi potest vocabulum corporis, nisi idem esse velimus corpus, et testamentum in corpore. Atque hic videtur esse Achilles Calvini in hac materia.

Respondeo, non negamus in verbo, *calix*, tropum esse; sed tropum ibidem clarissime explicatum; quod de tropo, quem adversarii ponunt in voce, *corpus* dici non potest. Dominus enim ait: *Accipite, bibite, hic est calix*: at certe non bibitur vas, sed liquor in eo contentus. Item (ut supra diximus) Lucas addit de calice: *Qui pro vobis effunditur*: at vas non effunditur, sed liquor. Denique, quod Lucas et Paulus dicunt: *Hic est calix*; Matthæus et Marcus dixerunt: *Hic est sanguis*. Oportet autem exponere obscura verba per clariora, et figurata per propria. Certe si idem homo de eodem vase diceret: *Bibite ex hoc poculo, et adderet: Bibite ex hoc vino, nemo dubitaret illo poculo contineri vinum, et eum hominem explicare voluisse, quid in poculo contineretur: cum ergo idem Spiritus sanctus de eadem re dicat per duos scriptores sanctos: *Hic est sanguis*, per alios duos: *Hic est calix*, dubitari non debet eo calice sanguinem contineri. Demonstrant adversarii explicari tam clare in Scripturis tropum, quem fingunt in vocabulo corporis, et vicerunt. Omitto quod accipere calicem pro re contenta in calice, est tropus tam usitatus, et vulgaris, ut non minus apertus sit, quam voces ipsæ propriæ.*

Quantum ad alterum tropum, quem ponunt in voce, *testamenti*, dico nullum esse ibi tro-

pum. Observandum enim est duo esse, quæ nomine Testamenti appellari solent. Primo, ipsa voluntas testatoris, quæ de hæreditate disponit, sive sit absoluta, sive conditionem requirat, et pactum etiam dici possit. Sic accipitur Exod. xxiv. *Hic est sanguis fœderis*: seu (ut citat Apostolus Hebr. ix). *Hic est sanguis testamenti*; est enim sensus: Hic est sanguis, quo sancitur, et confirmatur voluntas, pactum, promissio Dei. Sic accipitur etiam Genes. xvii. ubi circumcisio dicitur signum fœderis, et Galat. iv. Hebr. viii. et Hierem. xxxi, ubi distinguuntur duo Testamenta.

Secundo, vocatum est testamentum authenticum instrumentum, quod continetur voluntas testatoris, et per quod acquirit hæres jus ad hæreditatem. Et hoc modo non improprie vocamus testamentum vetus et novum, scæra Biblia, in quibus continetur voluntas Dei de bonis temporalibus dandis populo Hebræorum, et de bonis æternis dandis populo Christianorum: nec non sacramenta, quæ sunt instrumenta authentica, quibus applicatur nobis jus ad hæreditatem; imo etiam ipsa hæreditas saltem ex parte. Hæreditas enim est gratia, et gloria: datur autem nobis per sacramenta in præsentia gratia, et jus ad gloriam. Unde circumcisio, quæ erat sacramentum Testamenti veteris, et per quod dabatur Hebræis jus ad terram promissionis, testamentum vocatur Eccles. iv. *In carne ejus stare fecit Testamentum* (1). Eadem etiam dicitur signum fœderis, et ipsum fœdus, Genes. xvii. et utrumque proprie. Nam erat ipsa signum fœderis, ut fœdus accipitur pro divina promissione: et simul erat fœdus, ut fœdus accipitur pro instrumento, quo explicatur illa promissio. Inter omnia autem sacramenta dicitur testamentum præcipue ipsa Eucharistia, quia non solum est instrumentum conferendæ hæreditatis, sed etiam continet apertissimam repræsentationem effusionis sanguinis Domini, a quo vim suam habet testamentum novum.

Ex his ad omnes objectiones respondemus. Ad primam nego quotidie fieri novum testamentum, et antiquari præcedens. Nam celebratio Eucharistiæ non est nova institutio testamenti, sed repetitio ejusdem; ut cum describitur sæpius idem testamentum, quæ repetitio fit ad applicandam hæreditatem variis hæredibus, qui subinde exoriuntur;

(1) Eccl. XIV, 21.

sicut etiam Circumcisio repetebatur sæpissime, nec tamen antiquabatur præcedens.

Ad secundam nego, debere Christum quotidie mori. Nam mors ejus non fuit Testamentum, sed confirmatio Testamenti : sufficit autem una ejus mors ad confirmandum Testamentum ipsius, etiamsi infinites repetatur.

Ad tertiam dico, in Matthæi verbis : *Hic est sanguis Testamenti*, accipi vocem Testamenti primo modo, id est, pro divina promissione : in verbis autem Lucæ : *Hic calix Testamentum est*, accipi secundo modo, id est, pro instrumento illius promissionis. Itaque utrumque est vere, ac proprie dictum.

Ad quartam dico, non esse absurdam locutionem : *Hic calix Testamentum est in meo sanguine*, etiamsi illud : *Hic calix*, significet, Sanguis in calice contentus. Nam sanguis accipitur diverso modo in his duobus locis. Cum enim dicitur : *Hic calix*, sumitur sanguis in eo contentus, ut est sub speciebus vini, et est sacramentum, ac proinde testamentum ; cum autem dicitur, *In sanguine meo*, sumitur pro ipso sanguine visibiliter in cruce effuso, ut hic sit sensus ; Hic calix, id est, res contenta in hoc calice sub speciebus vini, est novum testamentum dedicatum, et sancitum, in sanguine meo.

Ad illud quod objiciunt, necessario distinguere ea, quorum unum est in alio, respondeo, illud (*in*) hoc loco non significare continentiam, sed causam instrumentalem : est enim positum (*in*) loco (*per*) ut sit sensus, testamentum novum in sanguine Christi sanciri, id est, per Christi sanguinem. Quomodo dicitur Roman. III. Christus propitiator in sanguine suo. Et Rom. V. dicimur justificari in sanguine Christi. Et Ephes. II. *Qui eramus longe, facti sumus prope in sanguine ejus* (1).

Denique ad consequentias illas Calvinii, dico non debere exponi Matthæum per Lucam, neque contra ; quia uterque proprie loquitur, et salis aperte : tamen si tropus esset in illis verbis : *Hic calix Testamentum est* deberet exponi per verba Matthæi, quæ sunt clariora, *Hic est sanguis novi Testamenti*. Potest tamen concedi Calvino, licere dicere : Hic est sanguis Testamenti, id est, *Hic calix Testamentum est in meo sanguine*. Et etiam : *Hoc est corpus meum*, id est, Testamentum in corpore meo. Neque sequitur corpus accipi figurate : quia, ut diximus, verum corpus, et

sanguis Domini sub speciebus panis, et vini, vere, et proprie testamentum sunt.

Nonum argumentum ex illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*. Nam memoria est rerum absentium ; ergo panis et vinum non sunt corpus et sanguis, nec in ea mutantur, sed sunt mero symbola rei absentis ; ergo corpus, et sanguis figurate accipiuntur pro signo corporis, et sanguinis. Confirmatur, quia commemoratio mortis Domini est proprius finis symbolorum illorum Eucharistiæ : ipsius autem veri corporis alius est finis sublimior. At Dominus in institutione Sacramenti solum meminuit commemorationis ; ergo corpus figurate accipitur pro symbolo corporis.

Respondeo, quid sit, *in mei memoriam*, explicatum esse a Paulo I Corinth. XI. illis verbis : *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat* (2). Itaque jubemur sumere Eucharistiam in memoriam Dominicæ passionis, et mortis, quæ non præsens, sed absens est, imo non est, sed fuit. Ad confirmationem, respondeo, Dominum meminisse utriusque finis. Nam cum ait : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Et : *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, aperte significat finem hujus Sacramenti esse peccatorum remissionem.

Adde, quod de fractu sacramenti hujus multa dixerat Dominus Joan. VI. ut necesse non fuerit hic plura adjungere.

Decimum argumentum ex illis verbis : *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Dei* (3). Hæc dicuntur post consecrationem : ergo etiam post consecrationem vinum fuit, quod erat in calice ; ergo non fuit sanguis, nisi figurate.

Respondeo, ex Luca aperte colligi verba ista pertinere ad calicem vini, quem dedit Apostolis Dominus post esum agni paschalis ante consecrationem mysteriorum, ac proinde alios duos Evangelistas, non narrasse hoc suo loco. Nam in primis Lucas meminit duorum calicum, unius ante consecrationem panis ; et de priore non dicit : *Hic est sanguis*, vel, *Testamentum in sanguine*, sicut dicit de posteriore : de eodem autem priori dicit : *Non bibam de hoc genimine vitis*. Præterea conjungit Lucas ista verba : *Non bibam de genimine vitis*, cum illis, *Non manducabo ex hoc*, nimirum paschate, *donec impleatur in regno Dei*. At certum est pascha ibi vocari agnum

(1) Eph. II, 13, — (2) I Cor. XI, 26. — (3) Math. XXVI, 29 ; Marc XIV. 25.

paschalem, quo nomine utuntur in hac significatione omnes tres Evangelistæ ; ergo pertinent illa verba, *Non bibam de genimine vitis*, ad vinum, quod biberunt, cum agnum paschalem comederent.

Dices : Matthæus cap. xxvi. non facit mentionem, nisi unius calicis, nimirum Eucharistiæ ; ergo cum ait : *Non bibam de hoc genimine vitis*, illud, *hoc*, refertur ad calicem Eucharistiæ, non ad alium : videtur enim valde absurdum, ut demonstret calicem alterum, de quo nihil omnino dixerat. Respondeo, Matthæum non demonstrasse ullum calicem ex duobus, sed simpliciter demonstrasse vinum, quod erat in mensa, vel quod biberant in cœna : tamen ex Luca colligimus, Dominum non solum respexisse ad vinum, quod biberant, sed etiam ad certum quoddam poculum, quod ipse Apostolis porrexit in fine cœnæ judaicæ, dum imponeret finem legalibus, quod Matthæus, ut multa alia prætermisit.

Si rursus objicias Augustinum, qui lib. III. de *Consensu Evangelistarum*, cap. 1. dicit, Lucam non narrasse historiam suo ordine, sed per anticipationem narrasse id, quod loco Matthæus, et Marcus narrarunt. Respondeo, Augustinum, non expendisse hunc locum diligenter, ut ex eo patet, quod brevissime se expedivit ab hac difficultate. Porro Hieronymus in cap. xxvi. Matthæi, Beda, et Theophylactus in cap. xxii. Lucæ, aperte duo pocula distinguunt in cœna Domini, et de priore, quod erat Judaicum, intelligunt illa verba : *Non bibam de genimine vitis*. Adde, quod multo probabilius est (si nulla alia esset ratio) Matthæum, et Marcum non narrasse suo loco rem parvi momenti, quam Lucam non narrasse recto ordine summum mysterium. Denique, si convinceremur, verba illa Domini : *Non bibam de hoc genimine vitis*, dicta esse post consecrationem calicis ; adhuc nihil adversarii obtinerent. Possent enim ac deberent ea verba referri, non ad calicem consecratum, sed antea potatum ; ut ea refert Anselmus in hunc locum Matthæi : non enim voluit Dominus dicere, se non amplius celebraturum Eucharistiam, sed non se bibiturum more humano ad reficiendas vires.

## CAPUT XII.

*Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex locis Scripturæ quæ continent usum hujus Sacramenti, ac primum ex cap. x. prioris ad Corinthios.*

Quartum argumentum ex Scripturis sumi diximus ex his locis, quæ declarant usum Eucharistiæ tempore Apostolorum. Sunt autem duo loca præcipua, quæ ad propositum faciunt. Unus habetur I Corinth. x. in illis verbis : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est ? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est ?* (1)

Ex hoc loco plura sumuntur argumenta ad veritatem Catholicam comprobendam. Primum, ex illis verbis : *Calix benedictionis, cui benedicimus*. Significatur enim his verbis, consecrationem necessariam esse ad hoc Sacramentum conficiendum ; quæ tamen necessaria non esset, si tantum contineret hoc Sacramentum figuram, seu representationem sanguinis Domini : ad hoc enim sufficeret prima institutio, et voluntas Christi declarata in Scripturis. Nam manna, et aqua de petra, et agnus paschalis erant etiam figuræ, et signa corporis Christi, imo et sacramenta secundum adversarios ejusdem generis cum nostra Eucharistia, et tamen nulla erat necessaria consecratio ad hoc, ut manna, et agnus paschalis essent figuræ, vel sacramenta.

Atque hinc refellitur expositio Calvinii, et Martyris in commentario hujus loci qui dicunt benedictionem calicis esse consecrationem, qua efficitur, ut vinum commune sit sacramentum. Nam si ita esset, vel quia sacramentum est signum ad placitum, vel quia habet analogiam quamdam ad rem signatam ex natura rei. Non primum, quia ad illud sufficit prima institutio. Non secundum, quia illa analogia cum sit naturalis, in re ante omnem consecrationem : quod enim panis, et vinum alant corpora, sicut Christi corpus, et sanguis animas, non habent ex consecratione, sed ex natura. Denique cur in aqua Baptismi nulla est necessaria benedictio, ut

(1) I Cor. XII, 16.

Baptismus sit sacramentum? cur etiam in manna, et aqua de petra, et agno paschali? Neque dicere possunt, hanc benedictionem calicis esse similem illi, quam adhibemus in mensa communi ad benedicendos cibos. Nam illa adhibenda est, ne videamur ingrati creatori, et est utilis, non autem plane necessaria: nam etiam sine benedictione cibi sapiunt, et nutriunt. At hic fatentur etiam adversarii necessariam esse consecrationem, ut vinum sacramentum.

Secundum argumentum sumitur ex illis verbis: *Panis quem frangimus*. Nam in mysterio Eucharistiæ fractio idem est, quod immolatio, sive oblatio; ut patet ex illis verbis Pauli, I Corinth. XI: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur* (1). Nam et Calvinus, et Martyr, et multi ex Catholicis referunt hoc ad passionem; et Calvinus disertis verbis dicit: Frangi, in eo loco idem esse, quod immolari. Ergo etiam hoc loco fractio erit immolatio: est enim verbum ejusdem auctoris, in eadem epistola, et de re eadem tractantis. Et confirmatur, quia Paulus calicem descripsit per verba consecrationis, non per verba distributionis: non enim, dixit, calix, quem propinamus, sed *cui benedicimus*; ergo etiam panem describere debuit per verba consecrationis non distributionis. Si autem frangere est immolare, sequitur necessario, ut vox illa, *panis*, non significet panem triticeum sed ipsum Christi corpus, quod est panis supersubstantialis, et cœlestis. Neque enim panem triticeum immolamus; sicut etiam paulo infra, cum dicitur: *Unus panis, unum corpus multi sumus*, non accipitur nomen panis pro pane triticeo, sed pro corpore Christi: non enim sumus nos panis triticeus, sed panis quidam mysticus, id est (ut Apostolus exponit) unum corpus Christi. Hinc autem evidenter probatur, Christi corpus verè esse præsens in cœna. Nam non immolamus panem (ut diximus) triticeum, sed corpus Christi; neque corpus Christi, ut est in cœlo; ergo ut et in ipsa mensa sub specie panis. Ad hoc argumentum responderi non potest, nisi admittendo duplicem æquivocationem; unam in verbo, *frangimus*, alteram in nomine, *panis*: quare id saltem obtinebimus, ut nostra explicatio sit censenda aptior, cum non admittat æquivocationes, et Paulum per Paulum exponat.

Tertium argumentum sumitur ex illis

verbis: *Communicatio sanguinis Domini*. Et: *Communicatio corporis Domini est*. Ubi notandum est vocem *κοινωνία* tripliciter accipi in Scriptura. Aliquando enim significat distributionem, ut Roman. XII: *Necessitatibus Sanctorum communicantes* (2). Et hoc modo exponendum esse hunc locum negant aliqui Sacramentarii, ut Klebitius in solut. I. arg., ne cogantur admittere, distribui cum specie panis ipsum Christi corpus. Sed Martyr, et alii, et si ipsi quoque sacramentarii sint, non rejiciunt hanc expositionem. Nam satis putant se præsidii habere in suo tropo contra omnia argumenta: dicunt enim distribui quidem corpus Christi cum specie panis, sed significative, et spiritualiter tantum. Aliquando *κοινωνία* significat societatem, seu confœderationem, ut Galat. II. *Dederunt mihi et Barnabæ dexteram societatis* (3). Et hanc significationem videntur Calvinus, et Martyr anteponeere cœteris, ut sensus sit, calicis sacri potum signum esse societatis, quæ est omnibus fidelibus, qui eodem sanguine redempti sunt, atque eodem etiam spiritualiter hausto nutriuntur. Denique aliquando significat participationem ejusdem rei, ut Philipp. IV: *Tribulationi meæ communicantes* (4), id est, participes effecti. Et hanc significationem sequitur ex adversariis Klebitius loco citato, et ut ipse dicit, etiam Melancthon. Sed certe omnes videntur probabiles, et in idem recidere: sive enim sit distributio sive confœderatio, sive participatio, omnium consensu, Paulus docet sumi in sacramento corpus Domini.

Sed tota difficultas est, an corporaliter, realiter, proprie sumatur sanguis, et caro, an solum significative, et spiritualiter. Quod autem corporaliter, et proprie, probari posset omnibus argumentis, quibus supra probavimus proprie esse intelligenda illa verba institutionis: *Hoc est corpus meum*; sed illis omissis, tripliciter id probamus. Primo, quia sensus proprius, et litteralis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium. Neque debent a nobis petere adversarii, cur sequamur proprium sensum verborum: simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt itinere, cur sequantur viam communem et tritam: nemo enim sanus id quærit, vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram.

Secundo, quia sic exposuerunt veteres

(1) I Cor. XI, 24. — (2) Rom. XII, 13. — (3) Galat. II, 9. — (4) Philipp. IV, 14.

sancti, ac praesertim Chrysostomus, quem alii sequuntur. Nam in commentario hujus loci, id est, hom. 24. in priorem ad Corinth. exponens ista verba : *Calix benedictionis* etc. « Horum, inquit, verborum haec sententia est ; quod est in calice, id est, quod a latere fluxit, et illius sumus participes. » Et addit : Paulum noluisse dicere *μετοχήν*, id est participationem, sed *κοινωνίαν*, id est, communicationem, ut indicaret per hoc Sacramentum ita participari corpus, et sanguinem Domini, ut fiant unum participans, et res participata, intima quadam, et vera conjunctione, quomodo vere conjuncta sunt per Incarnationem Verbum Dei, et caro.

Certe Dei Verbum, et caro non sunt conjuncta figurate, aut per fidem tantum, sed vere, et realiter. Cyrillus quoque lib. 10. in Joan. cap. 13. ex hoc loco probat Christum per Eucharistiam nobis uniri non solum per charitatem, sed etiam vere, et corporaliter.

Tertio, probatur ex intentione, et proposito Apostoli, quod erat avertere Corinthios a sacrificiis Gentilium, et ab esu carniū immolarum, ut patet ex toto contextu : avertit autem illos ostendendo mensam, et sacrificium longe praestantius, quo frui possunt. Illustrat autem rem totam Chrysostomus insigni similitudine. Sicut enim amans quispiam, cum videt personam a se amatam desiderare vestes, aut aliud aliquid alicujus alterius, continuo offert ipse sua illis meliora, et praestantiora : ita etiam Apostolus, cum videret Corinthios desiderare sanguinem sacrificiorum, et esum carniū immolarum, ut eos revocaret, ostendit illis mensam Domini, in qua sanguinem, et carnem habent sine comparatione praestantiorē. Sed si vera esset sententia adversariorum, nihil Apostolus obtinisset. Si enim vera caro, et verus sanguis non est in altari, sed tantum figura et signum, non magis movebit oratio apostoli, quam moveret qui personae amatae offerret vestem sericam depictam, ut eam averteret a veste serica vera concupiscenda.

## CAPUT XIII.

*Idem probatur ex cap. XI. prioris ad Corinthios.*

Alter locus ad usum Sacramenti pertinet habetur, cap. xi. prioris ad Corinthios, ubi praeter verba institutionis, quae supra tractata sunt, habentur illa verba : *Qui manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans, corpus Domini.* Et supra : *Reus erit corporis, et sanguinis Domini*(1). Haec enim conficitur hoc argumentum. Reprehenduntur quidam, quod indigne recipiant corpus Christi, et unde dicuntur non vitam, sed judicium haurire. At isti non recipiunt spiritu, et fide corpus Christi, quia utiliter reciperent, si ita reciperent ; ergo recipiunt solo corpore ; ergo corpus Christi vere praesens est in Eucharistia, neque enim ore corporali sumi potest corpus Christi, ut est in caelo.

Adversarii duobus modis eludere conantur hunc locum : dicunt enim eos, qui indigne accedunt, duplici de causa reos fieri corporis Domini, et judicium sibi manducare. Primo quia non recipiunt vere corpus Domini, quod eis in illis symbolis Deus offert, quod idem est, ac si illud in terram abjiciunt symbola corporis Domini : injuria autem symboli, seu imago refertur ad ipsum, cujus est symbolum, vel imago. Utramque causam breviter attingit Calvinus lib. iv. *Instit.* cap. xvii. § 33. fusius autem Petrus Martyr in commentar. hujus loci, ubi ponit exemplum statuae principis, et Petrus Boquinus in lib. *cont. Heshusium* pag. 164. ubi etiam adfert exemplum Theodosii, qui gravissime punivit eos, qui uxoris suae imaginem affecerant contumelia.

Sed neutra causa solida est. Ac, ut a posteriore iacipiamus, miranda est inconstantia Calvinistarum. In causa enim imaginum non putant se peccare in Christum et sanctos, cum eorum imagines demoliuntur ; et rident Catholicos, cum illis objiciunt, honorem, et contumelias imaginum referri ad exemplar : nunc autem summum sacrilegium esse volunt indigne sumere figuram corporis Christi, quod ea injuria in Christum ipsum redundet.

(1) I Cor. XI, 29 et 27.



Porro Klebitius tam est sine mente, ut in eadem pagina in solut. 7. argument. invehatur in eos, qui imagines Christi, et sanctorum non demoliuntur, in qua dixerat peccare eos, qui indigne sumunt symbola corporis Domini; quia in regem peccat, qui sigillo ejus injuriam facit, quia nimirum in sigillo inest regis imago.

Præterea non censetur fieri injuria imagini, nisi quando eo animo quis imaginem violat, ut illi injuriam faciat: si enim alia de causa imago discerpatur, conculcetur, maculetur, ut sæpissime usu venit in imaginibus, vel humi depictis, vel in vasis, vestibus, aliisque ejusmodi rebus existentibus, nemo dicit violatum esse eum, cujus illæ imagines sunt. At qui sacramentum Eucharistiæ percipiunt cum conscientia peccati lethalis, rei fiunt corporis Domini, et judicium sibi manducant, etiamsi non accesserint animo Eucharistiam violandi: non igitur illa causa est hujus peccati, quod Eucharistia sit figura corporis Christi.

Ad hæc, si ideo peccarent, qui indigne sumunt Eucharistiam, quia illa Christum repræsentat, non liceret homini peccatori aspicere, vel tractare imaginem Christi depictam; neque verbum Dei audire. Nam ista etiam Christum repræsentant, et offerunt: imo opinione adversariorum, melius verbi Dei prædicatio Christum nobis significat, et offert, quam ullum sacramentum. Et cur, quæso, manna, et aquam de petra sumebant promiscue boni et mali, digni et indigni, et tamen non dicebantur ulli rei corporis Domini, neque judicium sibi manducabant, licet illa etiam Christum repræsentarent, et offerrent eo modo, quo Eucharistia adversariorum sententia.

Si objicias non licuisse in Testamento veteri homini polluto edere de carnibus sacrificii, Levitic. vii., nec de panibus propositionis, I Reg. xxi. respondeo, id pro nobis facere. Illa enim, quia erant typi quidam, et figuræ sacramenti Eucharistiæ, exigebant munditiam quamdam corporalem, ut inde intelligeremus spiritualem munditiam, quam exigit res figurata.

Si rursus objicias, in Baptismo esse aquam veram, et naturalem, et non Spiritum sanctum sub speciebus aquæ; et tamen, qui aquam illam sine debita dispositione sumit in Baptismo, sine dubitatione peccat in sacramentum Dei, et proinde etiam in ipsum Deum; respondeo, id quidem esse verum,

peccare, qui sacramentum quodcumque indigne, et sine dispositione sumunt, quia ponunt obicem gratiæ Dei, non autem quia materia illa significat, vel repræsentat aliquid sacrum. At in Eucharistia sumenda præter dispositionem, ne in vacuum sacramentum recipiatur, requiritur etiam singularis quædam, et specialis reverentia, et puritas, quod patet tum ex verbis Pauli: *Reus erit corporis Domini; judicium sibi manducat*: nihil enim tale de ullo alio sacramento usquam legimus, nec ullus diceret reum esse Spiritus sancti, qui aquam Baptismi indigne tractat; tum ex pœna, qua puniebantur olim, qui Sacramentum Eucharistiæ indigne percipiebant; nam vel ægrotabant, vel moriebantur, ut Apostolus testatur: *Ideo inter vos multi infirmi, et dormiunt multi*; et exempla aliqua refert Cyprianus in serm. de lapsis, qualia de Baptismo nusquam inveniuntur: tum denique, quod semper in Ecclesia diligentissime caverint, ne ulla particula Eucharistiæ in terram caderet. Tertullianus *de coronat. milit*: « Calicis, aut panis nostri aliquid de cuti in terram, anxie patimur »: at aquam Baptismi ipsi projecimus, dum baptizamus. Quare non ideo solum honoranda est Eucharistia, quia est Sacramentum, vel figura, vel signum corporis Domini, sed ob aliam longe majorem causam: nulla autem fingi potest, nisi quia ipsum Dominum vere continet, nam cœtera communia sunt aliis sacramentis et figuris.

Jam altera causa, quam a erunt adversarii, cur Paulus reprehendat indigne sumentes Eucharistiam, quod videlicet illi non recipiant vere corpus Domini, quod sacra symbola illis offerunt, nihil habet probabilitatis. Nam apostolus non dicit eos peccare, quod non recipiant, sed quod recipiant indigne: ubi crimen ponit in ipsa sumptione, non in omissione sumptionis.

Præterea illa verba: *Judicium sibi manducat et bibit*, aperte indicant, ipsum quod sumitur ab indignis, afferre illis mortem, cum aliis afferat salutem: hoc enim est manducare judicium, sumere aliquid, quod sumptum noceat.

Præterea illa verba: *Non dijudicans corpus Domini*, quid aliud significare possunt, nisi non discernens corpus Domini; sed ita sumens, ac si non esset corpus Domini? Ubi certe non negatur manducatio veri corporis, sed asseritur maxime.

Præterea, si nollent impii sumere corpus

Christi, non accederent ad communionem : ergo cum accedunt, non in eo peccant, quod nolunt corpus Domini, sed in eo, quod illud volunt, cum sint eo indigni.

Denique omnes interpretes, atque omnes veteres ita hunc locum semper intellexerunt. Basilius lib. II. *de Baptismo* cap. 3. Chrysostomus hom. 24. in *priorem ad Corinth.* prope finem, homil. 83. in *Matth.* et hom. 43. in *Joan.* Origenes homil. 2. in *Psal.* xxxvii. Hesyehus lib. VII. in *Levitic.* cap. 36. Hieronymus in I. *cap. Malach.* Theophylactus, OEcumenius, Ambrosius, et Theodoretus in cap. II. primæ ad Corinth. in eo ponunt peccatum, de quo loquitur Apostolus, quod immundi, ac sordidi purissimum Domini corpus sumere audeamus. Et Chrysostomus quidem addit exemplum de eo, qui purpuram regiam in lutum abjicit, qui non minus peccare censetur, quam si eam scinderet. Theophylactus ponit exemplum de luce solis, quæ oculis ægris nocet, non quia non videtur, sed quia nimia lux offendit debiles et infirmos oculos. OEcumenius comparat indigne communicantes cum iis, qui Christum crucifixerunt ; qui certe non solum peccarunt, quia Christum ut Deum non receperunt, sed qui eundem injuria gravissima affecerunt. Cyprianus serm. *de Cæna Domini* : « Ubi sacrum cibum mens perfida tetigit, et in scelus os panis sanctificatus intravit, etc. »

Denique Augustinus lib. V. *de Baptismo* cap. 8 : « Sicut, inquit, Judas cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum in se diabolo præbuit : sic indigne quisque sumens Dominicum Sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit ; corpus enim Domini, et sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus : Qui manducat indigne, judicium sibi manducat. » et lib. I. cont. Crescon. cap. 23. probare volens usum malum rerum bonarum nocere : « Quid, inquit, de ipso corpore, et sanguine Domini, unico sacrificio pro salute nostra, quamvis ipse Dominus dicat : nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam ; nonne Apostolus docet, etiam hoc perniciosum male utentibus fieri, cum ait : Quicumque manducaverit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini ? » Quo loco Augustinus apertissime dicit, indignos peccare, quia sumunt ipsum

corpus Domini, unicum sacrificium salutis nostræ : certe autem unicum sacrificium salutis non est symbolum panis, sed ipsum verum Domini corpus. Idem Augustinus in epist. 120. *ad Honoratum*, cap. 27. loquens de superbis, qui indigne communicant : « Et ipsi, inquit, adducti sunt ad mensam Christi, et accipiunt de corpore et sanguine ejus : sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur. » Ubi dicit superbos, licet sine fructu communicent, tamen percipere corpus Domini : et ne putemus cum loqui de corpore figurate, id est, de pane, qui est signum corporis, dicit eos adorare id, quod sumunt, sed inde non saturari. Denique in epist. 162. ultra medium : « Tolerat, inquit, ipse Dominus Judam diabolum, furem, et venditorem suum : sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt, pretium nostrum. » At certe non est pretium nostrum, frustum panis, sed vera Christi caro.

Sed objicit Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. 17. §. 34. quædam loca Augustini, ubi videtur sanctus ille doctor negare sumi ab impiis corpus Christi. Tractat. 26. in *Joan.* distinguit Augustinus visibile Sacramentum a virtute, seu re sacramenti : ac dicit ab impiis sumitantum visibile sacramentum, non virtutem, aut rem sacramenti : et sacramentum quidem proponi omnibus, sive ab vitam, sive ad exitium ; rem vero ipsam omnibus ad vitam, nulli ad exitium. Quod autem per virtutem, et rem sacramenti non solum intelligatur gratia justificans, sed etiam corpus Christi, probat Calvinus ex antithesi inter visibile et invisibile. Nam corpus Christi non est visibile in Eucharistia ; ergo non comprehenditur nomine sacramenti visibilis, quod a bonis, et malis sumitur : sed nomine rei invisibilis, quæ sumitur solum a bonis.

Respondeo : S. Augustinus per virtutem seu rem sacramenti, non intelligit corpus Christi absolute, sed gratiam justificantem, id est, effectum carnis Christi spiritualiter recipientis. Id patet tum ex eo, quod ibidem dicit, Patres testamenti veteris in manna de cælo plente sumpsisse virtutem, et rem sacramenti, quam nos in Eucharistia suscipimus : patres autem non sumebant reipsa carnem Christi, quæ nondumerat, sed sumebant effectum ejus, id est, gratiam, quæ dabatur ex merito passionis Christi futuræ : tum ex eo quod ibidem, cum asserit impios non sumere carnem Christi, addit vocem : Spiritus

tualiter : « Ac per hoc, inquit, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter carnem ejus nec bibit sanguinem, licet carnaliter, et visibiliter premat dentibus signum corporis, et sanguinis ». Hæc ille. Porro, corpus ipsum Christi sine effectu suo, id est, sine spirituali nutritione animæ non distinguit Augustinus a visibili sacramento, sed simul cum illo comprehendit, licet non sit visibile ipsum corpus nisi in specie panis. Ratio, cur non distinguat corpus a signo visibili, est quia non majorem fructum percipiunt ex communionem, qui sic accipiunt corpus Christi, quam si nihil perciperent, nisi solum signum. Ac ne miretur Calvinus nos dicere comprehendit corpus Christi nomine signi visibilis, cogitet scholasticos omnes dicere solitos Christi corpus sumi ab impiis sacramentaliter tantum ; cum tamen constet a scholasticis non negari sumi ab impiis vere ipsum Christi corpus. Itaque sacramentaliter tantum, sive, quod Augustinus dicit, in signo visibili tantum non excludit corpus Christi, sed effectum corporis Christi.

Sed objicit alium locum ex tract. 59. in *Joan.* ubi Augustinus dicit, Apostolos cæteros manducasse panem Dominum, Judam manducasse panem Domini, et serm. 2. de verb. *Apostol* : « Tunc erit, inquit Augustinus, unicuique corpus et sanguis Christi, si quod in Sacramento sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur spiritualiter bibatur. » Objicit etiam alia loca, sed in eandem sententiam.

Respondeo, apud Augustinum sæpissime illud solum dici tale, et vere tale, quod habet effectum suum conjunctum : res enim ex fructu æstimatur. Itaque illos dicit vere comedere corpus Christi, qui utiliter comedunt : quo modo etiam nos vulgo dicimus aliquem nihil comedisse, qui tam parum comedit, ut non sufficiat ad ejus vitam sustentandam ; aut certe, quod comedit, non retinet, sed continuo ejicit. Idem etiam Augustinus lib. iv. in *Julianum*, cap. 3. cum dixisset, opera virtutum sine fide esse mala, et vitiosa, explicat, se illud solum appellare verum bonum quod ad æternam salutem ducit. Et lib. ii. contra *Faustum*, cap. 7. ostendit in Scripturis ita sæpe accipi vocabula, ut non substantiam rei, sed qualitatem, vel effectum significant : ut I Cor. xv, dicantur corpora post

resurrectionem futura spiritualia, quia talia erunt quoad effectum, non quoad substantiam ; et ibidem dicitur : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt*, ubi caro accipitur pro carnis corruptione ; et II Corinth. v. *Si novimus Christum secundum carnem, jam non novimus* (1), ubi etiam caro non substantiam carnis significat, sed mortalitatem. Sic igitur dicuntur impii non comedere corpus Christi, licet sumant sacramentum Eucharistiæ, quia nihil eis prodest, nec inde nutriuntur, aut roborantur. Denique in serm. 2. de verbis *Apostoli* a Calvino citato, Augustinus dicit : « Illud manducare, refici est ; illud bibere, quid est nisi vivere ? » Cum ergo manducare apud illum eo loco sit refici, quid mirum, si dicat eos non vere manducare, qui non reficiuntur ?

Sed urget Calvinus alium locum ex lib. xii. *Civitatis*. cap. 25, ubi Augustinus refert quorundam opinionem, qui putabant impios quoscumque salvandos esse, modo non in sacramento solum, sed re ipsa comedissent corpus Christi : refellit autem eam opinionem, atque affirmat, impios non posse dici vere comedere corpus Christi, sed solum sacramento tenus.

Respondeo : eo loco per corpus Christi accipit Augustinus corpus Christi mysticum, cujus etiam sacramentum est Eucharistia, ut ipse ibidem dicit. Nam opinio, quam refutat, ita accipiebat corpus Christi : dicebant enim illi non posse perire eos, qui Sacramentum perciperent, in vera Ecclesia constituti, quia eo modo non solum sacramentum sumebant unitatis fidelium, sed etiam comedebant corpus Christi, id est, incorporati erant illi unitati. Augustinus autem refellit ac dicit ; neque etiam eo modo impios comedere corpus Christi, quia non possunt esse membra Christi, cum sint membra meretricis : ubi tamen non negat impios esse de corpore Christi, quod est Ecclesia, sed negat esse membra viva ejus corporis. Itaque argumentum Calvini in manifesta æquivocatione versatur. Sed de his hactenus.

(1) I Cor. XV, 50 ; II Cor. V, 16.

## CAPUT XIV.

*Solvuntur argumenta adversariorum  
deprompta ex verbo Dei.*

Nunc tandem solvenda sunt argumenta, quæ adversarii ex verbo Dei proferunt, ut probent Christi corpus non esse revera in Eucharistia. Proponam autem argumenta secundum ordinem librorum Scripturæ sacræ, memoriæ causa.

Primum argumentum sumunt ex illis verbis Ps. CXIII : *Deus autem noster in cœlo*, et Isai. LXVI : *Cœlum mihi sedes est* (1). Ex his locis hoc argumentum instituit Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, par. 1. in 8. objecto : « Christus ut homo post resurrectionem est in eadem sede cum Patre, quia sedet ad dexteram Dei ; ergo sicut Deus Pater in cœlo sedem habet, ibique quærendus est, non in templo, vel pyxide, ita etiam Christus ; nisi velimus, sedem Dei et cœlum in pyxide contineri. »

Respondeo : Argumentum hoc nihil omnino probare, vel potius contrarium probare ejus, quod auctor intendit. Nam licet sedes Dei dicatur cœlum, quia in eo loco Deus manifestat gloriam regni sui ; tamen etiam extra eum locum Deus invenitur, cum sit ubique, et falsum est Deum non esse quærendum, nisi in cœlo, cum Actor. XVII. Paulus dicat, ubique posse quæri, et inveniri Deum, quia non longe est ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, movemur, et sumus. Eodem igitur modo Christus homo, licet sit in cœlo, et ibi sedeat in throno regni, manifestans Angelis et beatis gloriam suam, tamen etiam extra cœlum esse potest, ubi ipse voluerit : non ergo dicimus cœlum esse in pyxide, sed Christum in cœlo, et extra cœlum esse posse.

Sed urget Martyr in solutione objecti 48. hoc sophisma : « Christi corpus est in cœlo, Christi corpus est in Sacramento, ergo Sacramentum est in cœlo. » Et quia responderat Gardinerus vitiosum esse argumentum, cum constet quatuor terminis, iterum Martyr affirmat, non esse nisi tres terminos, videlicet Christi corpus, existens in cœlo, existens in sacramento : et duobus aliis argumentis contendit omnino sequi, ut Sacramentum sit

in cœlo, si corpus Christi est in cœlo, ut Scriptura dicit, et etiam in Sacramento, ut nos dicimus. Secundum igitur argumentum est : « Esse idem corpus eodem tempore cum Sacramento, et non cum Sacramento, contradictio est manifesta ; ergo Christi corpus in cœlo erit etiam cum Sacramento, proinde Sacramentum erit in cœlo : nam si sit in cœlo sine Sacramento, erit eodem tempore cum Sacramento, et non cum Sacramento. » Tertium est in prima figura : « Omne Christi corpus, vel quidquid est Christi corpus, est in cœlo. Sed Sacramentum Eucharistiæ est Christi corpus, ergo Sacramentum Eucharistiæ est in cœlo. »

Respondeo : In primo argumento vere sunt quatuor termini, ut Gardinerus dixit. Nam in conclusione : « Ergo Sacramentum est in cœlo, » non accipitur, existens in Sacramento, qui fuit tertius terminus in præmissis, sed ipsum sacramentum, qui est quartus terminus : aliud enim est esse in sacramento, aliud esse Sacramentum. Itaque, vel argumentum est omnino vitiosum, vel ita concludi debisset, Christi corpus est in cœlo, Christi corpus est in sacramento ; ergo quod est in sacramento, est in cœlo ; sive : ergo res existens in Sacramento, est res existens in cœlo. Et hoc est verum, sed non inde sequitur : ergo Sacramentum est in cœlo ; cum aliud sit sacramentum, aliud res existens in sacramento.

Secundum argumentum nihil concludit : quia ex eo quod Christi corpus est in cœlo, ubi non est sacramentum, non sequitur Christi corpus esse cum sacramento, et non esse cum sacramento : sed tantum sequitur Christi corpus esse in sacramento, et extra sacramentum : vel esse non cum sacramento ; vel esse cum sacramento, et esse sine sacramento, vel esse non cum sacramento. Quæ omnia sunt vera, et nullo modo contradicentia, cum omnia sint affirmantia : contradicentium enim altera negare, altera affirmare debet. Idem videmus in similibus. Nam ex eo, quod idem Deus eodem tempore est in cœlo, et in terra, et in cœlo non est Deus cum terra, nec in terra est cum cœlo, non colligimus : ergo Deus est in cœlo et non est cœlo, vel est cum cœlo et non est cum cœlo, sed solum colligimus : ergo Deus est in cœlo, et extra cœlum ; est cum cœlo, et sine cœlo. Idem apparet in anima, quæ simul est

(1) Psal. CXIII, 3 ; Isai. LXVI, 1.

in capite, et pedibus : cum tamen nec pedes sint in capite, nec caput in pedibus.

Tertium argumentum est quidem in prima figura si accipiatur corpus Christi pro corpore Christi naturali, et mystico, sed tunc est falsa propositio : « Omne corpus Christi est in cœlo ». Nam Ecclesia militans est corpus Christi, et non in cœlo. Si vero accipiatur corpus Christi pro solo naturali corpore tunc vera est propositio, sed non est universalis, neque argumentum esse potest in prima figura. Non enim propositio est universalis, si signum illud (*Omne*) addatur ad terminum singularem ; idem enim est : Petrus, et, Omnis Petrus, si de uno tantum loquaris. Præterea etiam assumptio est falsa. Non enim sacramentum Eucharistiæ est corpus Christi, sed continet corpus Christi : sacramentum enim est signum sensibile.

Secundus locus est Matth. xv : *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, et in secessum emittitur* (1). « Sed corpus Christi non emittitur in secessum, sed solus panis ; ergo non intrat corpus Christi in os, sed solus panis. » Argumentum est Petri Martyris in lib. *contra Gardinerum* I. par. object. 88.

Respondeo cum Algero initio secundi libri, ad similia objecta opportuisse quidem aures obturare, et nihil respondere : tamen ob hæreticorum importunitatem, ac ne pusilli scandalizentur, breviter argumento satisfaciendum. Dico igitur, apud Catholicos quæstionem esse physicam, quid fiat de speciebus corruptis in stomacho, de qua nos hoc loco non disputamus : de corpore autem Christi, de quo solo disputationem instituimus, nullam esse quæstionem, sed certum esse Christi corpus intrare per os Communicantium, et tamen non emitti in secessum, sed corruptis in stomacho speciebus sine ulla sui læsione desinere ibi esse : sicut ante consecrationem panis, siue ullo detrimento suo ibi non erat. Solum igitur quæstio manet de verbis Domini, quomodo cum illis cohæreat, quod dicimus ; aliquid per os intrare, et in secessum non emitti : sed solutio apertissima est. Loquitur enim Dominus de cibis, qui sumuntur ad alendum corpus : illi enim ordinarie cum cursum tenent, quem Dominus describit. Quare ipse Dominus post resurrectionem vere comedit, et bibit, ut testantur omnes Evangelistæ in ult. cap. Evangelii,

et Petrus Actor. x. et tamen non emisit cibos in secessum, quia non comedit ad nutriendum corpus, sed ut ex actione illa vitalis manducationis probaret se verum, et vivum corpus habere. Sic igitur corpus Christi, quod a fidelibus manducatur, non ad corpus nutriendum, sed ad animam sustentandam, ut Ambrosius dicit lib. I. *de Sacramentis* cap. 4. non est necesse ut corporaliter digeratur, vel in secessum emittatur.

Excipit Petrus Martyr, exemplum allatum de Christo comedente post resurrectionem, non esse ad rem, quia Dominus loquebatur Matth. xv. de hominibus mortalibus comedentibus, non de immortalibus. At sicut ipse restringit verba Domini ad manducantes mortales : ita nos restringere possemus ad cibum corruptibilem, quale non est corpus Christi, quod in sacramento sumimus. Et præterea exemplum nostrum maxime est ad rem. Nam Dominus si tantum loquebatur de mortalium manducatione, ideo de eis tantum loquebatur, quia illi soli comedunt, ut nutriantur : quocirca per se loquebatur de omnibus, qui comedunt ut nutriantur, per accidens autem loquebatur tantum de mortalibus. Nam si immortales indigerent nutritione, certe etiam ipsi post comestionem digerent cibum, et egerent excrementa : sicut e contrario cum aliquis mortalis comedit, et inde non nutritur, sed evomit quod comederat, quod intravit per os, in secessum non vadit. Exemplum igitur Christi comedentis post resurrectionem, aptissimum est ad demonstrandum eum solum cibum intrare per os, et in secessum emitti, qui sumitur ad corpus nutriendum.

Tertius locus est Matth. xxiv : *Si dixerint vobis : ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere* (2). « Non igitur credendum est, cum dicunt (Papistæ) : Ecce in illo altari, aut in illa pyxide est Christus. » Argumentum est ejusdem Petri Martyris in lib. *contra Gardinerum* I. par. object. 9.

Respondeo : Monet Christus, ut caveamus impostores, qui se nomine Christi venditabunt : subjungit enim : *Surgent pseudo-christi etc.* Sed duabus conditionibus describit hos impostores, quæ omnino repugnant Eucharistiæ, ut nulla probabilitate trahi possit hic locus ad Eucharistiam. Primo dicit, eos impostores clanculum venturos, non aperte, et manifeste ; ut patet ex illis

(1) Matth. XV, 17. — (2) Matth. XXIV, 23.

verbis : *Ecce in deserto est, ecce in penetralibus*. Unde etiam opponit his clanculariis pseudochristis adventum suum toti orbi terrarum conspicuum, quem comparat fulguri solis ; nemo enim dicit : Hic est sol, aut sol : nam vix apparuit supra horizontem, cum totum hemispherium splendore implevit, ut non sit opus indicare ubi sit. Secundo dicit, eos venturos visibiliter, et more humano loquentes, et tractatos cum hominibus, licet in angulis, et penetralibus. Nam dicit fore homines, qui verbis, et falsis prodigiis decipiant. Uterque conditio deest Eucharistiæ. Nam in primis non in deserto aut penetralibus, sed in mediis urbibus, in frequentissimis templis, in editis, et conspicuis altaribus consecratur, et asseveratur. Et præterea licet ita publice in toto mundo Eucharistia habeatur, et honoretur, tamen Christus non visibiliter, nec more humano ibi adest, neque prædicat, aut miracula facit, sed ita est ibi, ac si non esset, quod attinet ad iudicium exteriorum sensuum.

Sed instat Petrus Martyr : « Licet Christus non loquatur eo loco de Eucharistia, tamen recte affertur iste locus contra Papistas errantes circa Eucharistiam. Nam Christi mens eo loco fuit, admonere fideles, ne temere credendo decipiantur, et pro vero Christo recipiant impostores : at non minus periculum imminet, si Christum in pane esse credant, et creaturam pro creatore adorent. » At probare debuit, non assumere, idem esse periculum. Siquidem magnum imminet periculum, si credamus alicui homini prædicanti in deserto se esse Christum ; cum Dominus aperte monuerit, se non venturum more prædicatoris, aut Prophetæ clancularii, sed solum more iudicis, idque in nubibus cæli manifestissime. Nusquam autem Christus monuit, se non futurum invisibiliter in Sacramento : imo contrarium dixit, tum per se, cum ait : *Hoc est corpus meum* ; tum per Ecclesiam, cui ut obediremus, imperavit.

Quartus locus est Matth. xxvi : *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis* (1). Urgent hunc locum vehementer Calvinus lib. iv. *Instit.* cap. 17. § 26. et Martyr *contra Gardinerum* in 2. objecto : « Nam si vere Christus est in Eucharistia, inquit Martyr, contraria sententia erit vera, nimirum : Pauperes non semper habebitis.

me autem semper habebitis. Nam post resurrectionem non habebimus pauperes, sed in hac vita tantum, atque ita non semper habebimus ; Christum autem, et hic in omnibus templis, et in alia vita cælo semper habebimus. » Et quia Catholici forte respondere possent, hic agi de præsentia Christi pauperis, et egentis hominum obsequiis, qualis nunc non habetur a nobis : contra illi probant, Christum, hoc locum se a pauperibus distinxisse, cum ait : *Pauperes semper habebitis, me autem non semper* ; nec loqui eum de obsequio utili ; sed de cultu, et honore : nam ideo apostoli murmurabant, quia viderant subtractum pretium pauperum necessitatibus, et effusum in cultum, et honorem quemdam, quo Christus non agebat, neque eum requirebat. At ejusmodi cultum adhuc possemus exhibere Christo præsentem, si in Eucharistia adesset. Quare necesse esse concludunt, ut vel non sit Christus in Eucharistia, vel falsa sint illa verba : *Me autem non semper habebitis*, id est, ita præsentem, ut rebus pretiosis corpus meum honorare possitis. Addit Martyr Christum his verbis aperte notasse Papistarum idololatriam, qui Eucharistiam honorant auro, argento, suffitu, aliisque rebus pretiosis. Denique, tum Calvinus, tum Martyr confirmant expositionem suam ex Augustino qui tract. 50. in *Joan.* conferens hunc locum : *Me autem non semper habebitis*, cum illo : *Vobiscum sum omnibus diebus* ; dicit, priorem locum intelligi de præsentia carnis, posteriorem de præsentia majestatis.

Respondeo : Loquitur Dominus de præsentia sua corporali, ac visibili, et secundum eum statum in quo aliquid utilitatis corporalis ab hominibus recipere poterat. Id patet, quia loquitur de obsequio a Maria sibi præstito in illa unctione, ac dicit non semper se ita fore præsentem ut tale obsequium recipere possit. Porro Magdalena unxit certam partem corporis, quam videbat : proinde more humano cum ea versabatur Dominus. Præterea loquitur Dominus de præsentia, qua habemus nobiscum pauperes : id enim requirit antithesis : *Pauperes semper habebitis, me autem non semper*, id est, eo modo, quo habetis pauperes, id est, visibiliter, et more humano conversantem. Neque illud Magdalene obsequium, fuit solius honoris, sed etiam commodi, et utilitatis ; sive respiciamus intentionem Mariæ, sive intentionem

(1) Matth. XXVI, 11.

Spiritus sancti illam moventis. Illa enim sine dubio id fecit ad refocillanda Christi membra ex laboribus fatigata : Spiritus sanctus autem intendebat etiam per hoc Mariæ ministerium significare Christi mortem, et sepulturam imminere ; sic enim Dominus ait : *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Unctio autem corporum non est tantum honoris, sed e iam utilitatis, quia conservat, et odorem tribuit. Secundum præsentiam igitur talem, id est, visibilem, et obsequio indigentem, non habemus nunc Christum : nec tamen carentia hujus præsentiae repugnat præsentiae ejusdem Christi in Eucharistia, quæ est invisibilis, et nullo indigens obsequio. Nam si Dominus Lucæ ult. dixit : *Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum,* ubi significavit, se non esse jam cum illis, quia non versabatur amplius cum eis more humano, licet vere, et visibiliter adesset : quanto magis nos dicere possumus, Christum non esse jam nobiscum juxta illud : *Me autem non semper habebitis* : cum non modo non versetur nobiscum more humano, sed ne adsit quidem visibiliter ?

Ex his ruunt omnia objecta adversariorum. Nam in primis non sunt contrariæ sententiæ, ut Martyr objiciebat : *Pauperes semper habebitis, me autem non semper* ; et, *Pauperes non semper habebitis, me autem semper.* Nam si intelligantur de diverso modo præsentiae, ambæ sunt veræ.

Deinde falsum est, quod illi assumebant, posse Christo exhiberi obsequium tale in Eucharistia, quale exhibuit Maria. Nam (ut paulo ante ostendi) illud obsequium fuit non solius honoris, sed etiam utilitatis ; qualis obsequii nunc Dominus capax non est. Et præterea illa obsequium præstitit Christo visibiliter præsentem, et unxit certa membra, quod nos facere non possumus : imo si quid valeret objectum adversariorum, sequeretur Christum, ne in cælo quidem nunc esse. Nam etiam in cælo existentem possumus honorare, auro, argento, suffitu, ac similibus rebus, ut honoramus in Eucharistia. Nec enim suffitum adhibemus, ut oblectemus nares Christi, vel aurum, ut oblectemus ejus oculos corporales, sed adhibemus ista extrinsecus ad species illas panis, et vini, ut testemur pium affectum erga ipsum ; sicut etiam facimus, cum ornamus templa, cruces, imagines, et alia vel loca, vel instrumenta, etiam absente Eucharistia.

Quod autem Martyr dicebat, notari a

Christo papistarum idololatriam, qui auro honorant Eucharistiam : multo nos melius retorquemus in ipsum. Dominus enim dum factum Mariæ laudavit, satis aperte docuit cultum sui corporis anteponendum esse aliquando eleemosynis in pauperes. Et Theophylactus in *cap. xiv. Marci* scribit, eos Judæ Iscariotis socios esse, et cum eo a Domino reprehendi, qui discum aureum, in quo jacere solet Christi corpus in sacra mensa, dant pauperibus, et in viliori vase illud reponunt. Quod tamen intelligitur, quando non ea urget calamitas pauperum, ut aliter provideri non possit eorum necessitati.

Denique ad locum Augustini respondeo : Per carnis præsentiam intelligere Augustinum præsentiam visibilem Christi, more humano inter homines conversantis : ita enim ipse se explicat : « Non semper habebitis, inquit, me vobiscum. Quare ? quoniam conversatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis, et eis deducentibus videndo, non sequendo, ascendit in cælum. » Et infra : « Habuit illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus : modo fide tenet, oculis non videt. » Hæc ille. Ubi indicat præsentiam carnis vocari, quando Christus oculis videbatur, quam certe modo non habemus : Nam Christum in Eucharistia fide tenemus, oculis non videmus.

Adde quod Augustinus ibidem non tacuit præsentiam Domini in Eucharistia. Dixit enim nunc adesse tribus modis, per majestatem, per providentiam, et per ineffabilem atque invisibilem gratiam : sub quo ultimo membro, etiam Calvino teste, includitur præsentia Domini per Eucharistiam. Sed intelligit ipse more suo non de reali præsentia, sed per signum, aut fidei apprehensionem. Verum id repugnat eidem Augustino, qui superius in eodem tractatu scribit, Christum nunc esse præsentem per fidem, per signum Christi id est, per signum crucis, per Baptismum, et per Eucharistiam : ubi distinguit Eucharistiam a signo, et apprehensione fidei.

Ubi etiam notandum est, fidem, signum crucis, et Baptismum non requirere realem præsentiam Christi, ut requirit Eucharistia. Nam fide apprehendimus etiam absentia ; signum crucis representare potest etiam absentia : in Baptismo adest Christus ut regenerans, potest autem regenerare, etiamsi corpore absit, quemadmodum sol manens in

cœlo, gignit herbas in terra. At in Eucharistia Christus adest, ut cibus reficiens, dum manducatur : non potest autem cibus manducari, et reficere, nisi re ipsa sit præsens.

Quintus locus est Marci ult : *Assumptus est in cœlum, et sedet ad dexteram Dei*. Item. Act. I : *Videntibus illis elevatus est, etc.* Et Actor. III. *Oportet illum cœlum suscipere usque ad tempus restitutionis omnium*. Philip. III. *Conversatio nostra in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus* (1). Hinc ita argumentatur Calvinus lib. IV. cap. 17. § 27. « Scriptura testatur Christum, quod attinet ad naturam humanam ascendisse in cœlum ; ibique mansurum usque ad diem judicii ; et tunc demum, et non ante ad inferiora hæc loca rediturum : non igitur verum est tam sæpe descendere, ut sit in Eucharistia, ut Papistæ volunt. »

Respondeo : Hoc argumentum, quod videtur adversariis insolubile (unde perpetuo clamant nos destruere unum articulum Symboli) nullam revera difficultatem habet. Nos enim fatemur Christum, quoad naturam humanam ascendisse in cœlum, ibique nunc esse, et futurum usque ad diem judicii, neque ante descensurum. At negamus consequentiam : « Ergo non est vere in Eucharistia. » Non enim ut sit in Eucharistia, debet cœlum deserere, aut descendere motu locali : sicut etiam, ut appareret Paulo Act. IX. et Petro cum ei dixit : « Vado Romam iterum crucifigi, » et aliis sanctis frequenter, non cœlum deseruit, sed solum se constituit, ubi voluit, et quomodo voluit. Non igitur de articulo Ascensionis ulla quæstio est ; sed potius de articulo omnipotentiae, utrum scilicet Christus possit se in pluribus locis constituere, et sit vere omnipotens, an id non possit : de qua re suo loco disseremus.

« At, inquit Calvinus, e cœlo illum expectare jubemur, non igitur in terris quærere. » Respondeo : Expectare jubemur, ut veniat cum gloria reformaturus corpora nostra, mundum judicaturus, etc., cum qua expectatione non pugnat invisibilis præsentia ad nos interim reficiendos.

Sextus locus est Luc. XXIV : *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere* (2). Calvinus lib. IV. cap. 17. § 29. ita argumentatur : « Veritas carnis, Christo teste, probatur aspectu, et contactu. At in Eucharistia nihil videtur, aut tangitur, nisi panis : non igitur ibi caro, sed

panis est. » Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 123. alio modo consequentiam deducit : « Si posset fieri, ut sensus fallerentur, et aliquid panis videretur, et esset caro, Christi argumentum infirmum fuisset, cum probavit se carnem habere, quia videri, et tangi poterat : potuisset enim responderi, videri quidem sensuum judicio esse carnem, sed tamen aliud quidpiam esse. »

Respondeo ad Calvinum, aliud esse affirmative colligere : Hoc palpatur et videtur, ergo corpus est ; aliud negative : Hoc non palpatur, nec videtur, ergo non est corpus. Prior consequentiâ optima est, quam Dominus facit : siquidem nullo modo fieri potest, ut res incorporalis videatur, aut tangatur sensibus corporalibus, nec sensus falluntur circa proprium objectum. Itaque necessario quod videtur, et tangitur, corporeale est. Posterior consequentiâ, quam Dominus nequaquam facit, sed Calvinus facit, mala est. Potest enim fieri, ut verum corpus sit præsens, et non tangatur, nec videatur, quia tectum est alio corpore ; vel quia Deus impedit, ne species sensibiles ad sensus transmittat : quomodo Lucæ IV. ipse transiens per medium illorum ibat, qui eum de monte præcipitare volebant. Et de sancto Gregorio Thaumaturgo scribit Nyssenus in ejus vita ; et de S. Felice Nolano Paulinus in natalibus ejus, ita interdum eos persecutoribus occultatos, ut nulla re interposita præsentes non viderentur, aut sentirentur. Addo etiam, posse divina virtute fieri, ut corpus existat more spirituum indivisibiliter, ut videri ac tangi nullo modo possit ; cum tamen fieri nequeat, ut spiritus existat more corporum divisibiliter. Sed de hoc infra dicemus : nunc satis est ostendisse non esse bonam consequentiam : non videtur, aut tangitur, ergo non est corpus ; licet optima sit : Videtur, et tangitur, ergo corpus est.

Jam ad Petrum Martyrem respondeo : Sensus corporales falli non posse circa proprium objectum ; falli tamen posse circa id, quod latet sub objecto sensuum ; quod tamen magis convenit sensui interno, quam externo. Sæpe enim accidit, ut pictores decipiant oculos, vel imaginationem intuentium, cum aliquid ad vivum exprimunt : quod de illo refertur, qui ita scite uvæ depinxit, ut ad illas aves accurrerent, quasi veræ essent uvæ. Et in Scripturis, qui videbant, et tan-

(1) Marc. XVI, 49 : Act. I, 9 ; III, 24 ; Philipp. III, 20 — (2) Luc. XXIV, 39.



gebant assumpta ab angelis corpora, Genes. XVIII. et XIX. non fallebantur, cum se corpus videre et tangere credebant : fallebantur tamen, cum se corpus humanum tangere, et videre existimabant. Sic etiam in Eucharistia, non falluntur sensus nostri, cum nos album quid, rotundum, solidum sentire arbitramur : falluntur tamen cum nobis substantiam panis, sub illis accidentibus latere denuntiant. At non propterea infirmum fuit argumentum Domini, sed efficacissimum. Solum enim probare voluit Dominus, se non esse inane spectrum, aut umbram, seu phantasma, ut Apostoli suspicabantur, sed verum corpus ; id vero ex testimonio sensus tangendi optime probavit : illud autem corpus esse humanum, vivum, idem quod antea fuerat, non probavit Dominus hoc solo argumento ex tangendi sensu deprompto, quod sine dubio non erat sufficiens ; sed multis aliis modis, loquendo, manducando, testimonio Angelorum, miraculo piscium, allegatione Scripturarum etc.

Septimus locus est Joan. VI : *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam* (1). Hoc est potissimum fundamentum ZWinglii, in lib. *de vera, et falsa religione* cap. *de Eucharistia* ; hunc enim locum vocat murum ahe-  
neum, et adamantem infractum. Petrus etiam Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 34. eodem hoc loco utitur, atque ita argumentum deducit : « Capharnaitæ putabant Christi carnem corporaliter manducandam, ut nunc arbitrantur Papistæ. At Christus errorem illorum reprehendit, cum ait : Caro non prodest quidquam : significat igitur Dominus carnem suam non corporaliter manducandam, sed sola fide spiritualiter. »

Respondeo : Murum istum non modo non aheneum, aut adamantinum, sed vix luteum dici posse. Nam in primis etiamsi Christus loqueretur de carne sua, et eam diceret nihil prodesse, non tamen recte colligeremus, non esse veram carnem in Sacramento, idque propter duas causas. Primo, quia eodem modo concludi posset, non esse panem in Sacramento : nam si caro Christi non prodest, multo minus panis triticeus proderit. Secundo, quia si de carne sua hoc Dominus dixisset, certe non intellexisset eam absolute non prodesse, sed non prodesse, si sola sit, id est, absque spiritu eam vivificante, ut exponunt

Augustinus et Cyrillus ; alioqui enim si caro Christi non prodesset manducantibus eam, quomodo in eodem capite Dominus dixisset : *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam?* et, *Nisi manducaveritis, non habebitis vitam in vobis?* (2) Et denique summa impietas est negare Christi carnem Divinitati unitam nihil prodesse, cui totam nostram salutem B. Paulus tribuit, dum Coloss. I. dicit, nos Deo reconciliatos per carnem Christi. Cum igitur in Sacramento nos esse credamus non nudam carnem, sed unitam divinitati, et per spiritum Dei vivam, et vivificantem, nihil facit contra nos illud : *Caro non prodest quidquam.*

Sed præterea est alia solutio. Nam verus et litteralis sensus eorum verborum, non est, quod caro Christi, sive substantia carnis non prosit, sed quod carnalis intelligentia non prosit : ut exponunt Chrysostomus, Theophylactus, et Euthymius in hunc locum : necnon Origines in lib. III. *in epist. ad Romanos*, explicans illa verba cap. III : *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro* (3); et Cyprianus in sermone *de Cæna Domini* et alii. Vocatur enim eo loco nomine carnis, humana et carnalis cogitatio, ut distinguitur a cogitatione spirituali, et ex fide, atque inspiratione cœlesti excitata.

Id probatur primo, quia caro in Scripturis fere ubicumque distinguitur contra spiritum, vel contra aliquid sublimius ; non significat substantiam carnis, sed vel infirmitatem, vel corruptionem, vel (ut dixi) humanam, et carnalem cogitationem ; quæ omnia in idem fere incidunt : si quidem ex corruptione est, ut homo humano suo sensu de rebus divinis judicare velit. Genes. VI : *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro sunt*, id est, carnales, infirmi. Matth. XVI : *Caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Rom. VIII : *Qui secundum carnem ambulant, et non secundum spiritum ; et, Qui in carne sunt, Deo placere non possunt ; et, Prudentia carnis mors est, prudentia spiritus, vita et pax.* Galat. I : *Non acquievi carni et sanguini* (4). Hoc ergo modo caro non prodest quidquam, id est, cogitare, et intelligere manducationem carnis Christi humano, et carnali modo, quasi scindenda esset in partes, et coquenda, ac masticanda, et convertenda in propriam substantiam per actionem caloris naturalis.

(1) Joan. VI, 64. — (2) Joan. VI, 55 et 56. — (3) Rom. III, 20. — (4) Gen. VI, 3 ; Matth. XVI, 17 ; Rom. VIII, 5, 6 et 8 ; Galat. I, 46.

Secundo idem probatur ex occasione, quam habuit Dominus, ut diceret ista verba. Occasio enim fuit error Capharnaitarum, qui non solum cogitabant, quod Martyr dicit, veram carnem Christi nobis promitti, quod est verissimum, sed cogitabant eam manducandam eo modo, quem illis suggererat proprium iudicium, et humanum experimentum, ut Augustinus et alii exponunt, nimirum quo modo comeduntur aliæ carnes. Huic enim errori aptissime respondet hæc Domini sententia: idem enim est ac si dixisset: Animalis homo non assequitur divina mysteria.

Tertio probatur ex verbis sequentibus; subiungit enim immediate: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt* (1), id est, sunt verba explicantia, et tradentia res divinas, spirituales, vitam æternam afferentes, propterea non debent humano sensu accipi, sed fide, et intelligentia a Deo inspirata, quasi dicat Dominus: Non mirum est si vos non intelligitis, quia vos humana cogitatis, et ego loquor divina. Quomodo etiam Joan. III. cum Dominus loqueretur de mysterio regenerationis, et Nicodemus cogitaret carnalem quandam nativitatem ex utero matris, reprehendit eum illis verbis: *Qui de terra est, de terra loquitur; qui de cælo venit, super omnes est*, id est, tu homo terrenus, terrenam cogitas, et loqueris; ego qui de cælo veni, loquor ea, quæ superant captum omnium hominum: et ideo fide divina, non humano iudicio hic opus est. Idem etiam colligitur ex aliis sequentibus verbis: *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt*. Ista enim verba nullo modo cohærent cum illa explicatione: *Caro non prodest quidquam*, id est, non prodest manducare carnem in Sacramento. Quæ enim est ista connexio: Non prodest manducare carnem in Sacramento; sed sunt ex vobis qui non credunt? At cum nostra explicatione aptissime cohærent. Idem enim est, ac si diceret: Caro non prodest ad credendum, sed spiritus fidei: ideo quidam ex vobis non credunt, quia non habent spiritum, sed toti sunt caro, et carnali iudicio res divinas metiuntur. Unde etiam consequenter adiungit: *Propterea dixi vobis, quia nemo potest ad me venire, nisi Pater meus traxerit illum* (2). Ubi videmus Dominum semper loqui de intelligentia spirituali, quæ datur a Deo iis, qui credunt verbis ipsius, et opponitur humanæ cogitationi, et sapientiæ.

Ubi etiam illud est observandum, istam sententiam: *Caro non prodest quidquam*, ideo afferri ut murum aheneum contra Sacramentum ab hæreticis, quia vere caro sunt ipsi, et caro non modo non prodest quidquam, sed etiam plurimum obest; est enim radix, et quasi parens omnium hæresum. Ideo enim hæretici sunt hæretici, quia nolunt subicere iudicium suum verbo Dei, sed humana sua ratione omnia metiri volunt: et præsertim Sacramentarii. Causa enim præcipua cur non credant, est, quia humana ratio, qua sola ducuntur, non assequitur arcana Dei, et ipsi nihil volunt credere, nisi quod intelligunt. Prætexunt quidem Scripturas, sed tota quæstio est de sensu Scripturæ in quo assequendo nolunt illi Ecclesiæ acquiescere, ad quam nos Scripturæ apertissime mittunt, sed iudicio suo niti volunt. Itaque Apostolus Galat. v. inter opera carnis, hæreses numeravit.

Octavus locus est Joan. XII: *Ubi sum ego, illic et minister meus erit* (3). « At sancti non sunt in Eucharistia, igitur neque Christus ibi est. » Hoc argumentum satis indicat inopiam solidarum rationum, qua laborant adversarii: neque enim ad has ineptias descenderent, si aliquid solidi proferre possent.

Sed tamen respondeo. Primo, Christum non dixisse: Ubicumque ego sum, sed: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*. Satis igitur est si sancti alicubi sint eum Christo, etiamsi non sint ubicumque est ipse: alioqui etiam in cruce eum ipso omnes esse debuissent. Secundo, certum est Christum illis verbis promississe consortium regni, et gloriæ: sic enim ait clarius Joan. XVII: *Pater, volo ut ubi sum ego, et isti sint mecum, ut videant claritatem meam* (4).

Sed instat Petrus Martyr contra hanc solutionem in lib. *contra Gardinerum* objecto 37. « Vel Christus in Eucharistia est in gloria Patris, vel non: Si non est, impie faciunt, qui eum gloria Dei Patris ad hæc inferiora devocant. »

Respondeo: Sophistice argumentari pseudomartyrem istum: siquidem Christum in Eucharistia esse in gloria Patris, dupliciter intelligi potest. Uno modo, ut dum est in Eucharistia, videat Deum sancta illa anima, et proinde sit etiam in gloria Patris; et hoc modo Christus in Eucharistia est in gloria; nec enim unquam, aut usquam gloria privatur.

(1) Joan. VI. 64. — (2) Joan. III, 31; VI, 65 et 44. — (3) Joan. XII, 26. — (4) Joan. XV, 24.

Altero modo, ut esse in Eucharistia sit illi gloria, et beatitudo; et hoc modo in Eucharistia non est in gloria: nec enim species illæ sunt gloria Dei Patris; non igitur opus est, ut sancti sint in Eucharistia, ut sint cum Christo in gloria. Adde autem secundum Sanctorum Patrum doctrinam, Christo in Eucharistia existenti adesse semper chorus Angelorum, ut aperte testatur Chrysostomus lib. VI. *de Sacerdo io*, et homil. 65 *ad populum Antiochenum*, et Ambrosius *in cap. 1. lucæ*, in illa verba: *Apparuit illi Angelus*: et Gregorius lib. IV. *Dialogor.* cap. 58.

Nonus locus est Joan. XIV: *Relinquo mundum, et vado ad Patrem* (1). Ac ne forte respondeamus Dominum reliquisse mundum visibiliter, sed mansisse tamen in mundo invisibiliter, occurrit Martyr libro *contra Gardinerum* objecto. 3. et Calvinus lib. IV. *Institutionum* cap. 17. §. 26. ac probat id non recte posse responderi, quia Dominus in eodem loco promittit alium Paraclitum, id est, Spiritum sanctum, qui suppleat absentiae suæ defectum. Non autem vere suppleret defectum absentiae Christi Spiritus sanctus, nisi is vere, sicut ut homo, abesset: si enim totus Christus, et ut Deus, et ut homo adest, quorsum eget vicario? Denique notat Calvinus, antitheta esse, Christi ascensum, et descensum Spiritus sancti: quocirca necesse esse, ut vere ex mundo Christus abierit quoad carnem, si succedere debuit Spiritus sanctus.

Respondeo: Christum reliquisse mundum, quoad conversationem humanam; non enim post mortem suam versatus est in mundo more aliorum hominum: hæc tamen absentia non repugnat præsentiæ alterius generis, ut supra diximus, et probavimus ex eo loco Luc. XXIV: *Hæc locutus sum vobis cum essem vobiscum* (2).

Porro, argumentum de adventu Spiritus sancti, aut ego nihil video, aut juvat causam nostram. Nam Spiritus sanctus non promittitur, ut suppleret omnem Christi præsentiæ; ipse enim ibidem dicit: *Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*; et Matth. ult. *Vobiscum sum usque ad mundi consummationem*; et Joan. I. *In mundo erat* (3). Solum ergo supplere debuit præsentiæ Christi inter homines humano more conversantis. Quia enim Apostoli carituri erant conspectu

Christi, et concionibus, atque exemplis ejus; egebant majori gratia interna, quæ suppleret externam illam consolationem, et auxilia: atque hoc est, quod eis Christus promisit, cum alium Paraclitum promisit. Quod certe nihil facit contra præsentiæ Christi in Eucharistia: sic enim ibi præsens est Christus, ut eum nec videamus, nec audiamus, neque nobiscum humano more conversetur.

Denique illa antithesis ascensus Christi, et descensus Spiritus sancti, videtur etiam contra Calvinum. Nam sicut Spiritus sanctus vere descendit, et tamen in cælo etiam mansit; ita Christus vere ascendit, et tamen vere etiam mansit nobiscum, non solum ut Deus (quomodo ubique est) sed etiam ut homo in Eucharistia, sed modo spirituali et invisibili.

Decimus locus est, Joan. XX: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum* (4). Urget hunc locum Calvinus lib. IV. cap. 17. §. 29. « Dominus, inquit, ipse non oculos tantum, sed omnes sensus nostros e terra subducere voluit, se tangi a mulieribus vetans, donec ascendisset ad Patrem. Cum pio reverentiæ studio Mariam videat prope-rare ad osculandos pedes, cur tactum hunc improbet, ac prohibeat, donec in cælum receptus fuerit, nulla causa est, nisi quia nusquam alibi vult quæri. »

Respondeo: Tantum abest, ut nulla sit alia causa, nisi ista; ut ista non sit vera causa, et multæ aliæ reddi possint. Istam enim veram causam non esse, perspicuum est ex eo, quod paulo post permisit Dominus se tangi, non modo a Magdalena, sed etiam ab aliis mulieribus, ut Matthæus habet cap. XXVIII. et Augustinus notavit tract. 121. *in Joan.* Sicut ergo Calvinus ex prohibitione probat, Christum nolle quæri, aut tangi, nisi in cælo; ita ex permissione nos probamus velle quæri, et tangi etiam in terra. Deinde si Christus nolisset quæri, nisi in cælo; at in terra sæpissime apparuit, tum ante ascensionem, tum etiam postea.

Multas autem causas illius prohibitionis reddi posse non dubitabit, qui Patres legerit. Chrysostomus hom. 85. *in Joan.* et Theophylactus in hunc locum dicunt, Mariam voluisse solito sibi more familiariter ad Dominum accedere, eumque complecti: Dominum autem id prohibuisse, ut indicaret corpus suum

(1) Joan. XVII, 28. — (2) Luc. XXIV, 44. — (3) Joan. XIV, 18; Matth. XXVIII, 20; Joan. I, 10. — (4) Joan. 20, 17.

jam gloriosum et immortale, majori reverentia tractandum, quam antea; et hoc significant illa verba: *Nondum ascendi, sed vado etc.* id est nondum quidem ascendi, sed paulo post ascensurus sum: jam enim corpus habeo gloriosum, et dignum cœlesti mansione. Unde cum ipsa cum aliis mulieribus paulo post adoraret, et pedes reverenter oscularetur, non legitur eas prohibuisse.

Augustinus tract. 121. in Joannem, et Leo serm. 2. de Ascensione dicunt, Mariam typum gessisse Ecclesiæ Gentilium, et quia Christus non se ostensurus erat videndum, et tangendum Ecclesiæ Gentium, sed tantum fide, per Apostolorum prædicationem post ascensionem, ideo dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi etc.*

Idem Augustinus ibidem, et Gregorius lib. xxvi. Moral. cap. 29. dicunt, per illum contractum significari contractum fidei: et quia Maria nondum credebatur Christum esse Patri æqualem, ideo Christum noluisse ab ea tangi; et hoc significari illis verbis: *nondum enim ascendit*; id est, in corde tuo nondum ascendi, opinione tua non sum cum Patre.

Cyrillus lib. xii. cap. 50. in Joannem scribit Christum voluisse his verbis significare carnem in Eucharistia non debere tangi, nisi ab hominibus puris, et qui jam acceperint Spiritum sanctum. Et quia Maria typum gerebat peccatorum, quatenus tangere eum voluit, antequam per adventum Spiritus sancti plane purgata fuisset, ideo dictum esse: *Noli me tangere.*

Bernardus serm. 28. in Cantica, dicit hunc esse sensum: *Noli me tangere*, id est, noli iudicio sensum probare meam resurrectionem, sed expecta ascensionem, et adventum Spiritus sancti; tunc enim roborata in fide, ipsa fide longe melius, et tutius cognosces me resurrexisse, quam nunc possis tangendo.

Addi potest alia explicatio, quæ mihi videtur simplicissima, et literalis maxime; non prohibitum contactum, sed cohibitam festinationem tangendi, ut hic sit sensus: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, sed vade ad fratres meos, et dic eis etc.* hoc est: Noli ita festinare ad me tangendum, adhuc satis temporis habebis; nondum enim recessi a vobis: vade prius ad Apostolos, nuntia me resurrexisse, et tunc commodius poteris una cum aliis me videre, et tangere. Ista expositio, ideo videtur op-

tima, quia cohæret aptissime cum illa causa: *Nondum enim ascendi*, et etiam cum eo, quod Dominus se tangi permisit a mulieribus, et apostolis; imo ipse invitaverit eos, dicens: *Palpate et videte*, Luc. xxiv. et Thomæ: *Tange latus meum*, Joan. xx. Denique ista explicatio totum Calvinii fundamentum evertit.

Undecimus locus est Actor. vii. et xvii. *Deus non in manufactis templis habitat: non igitur manet inclusus Christus, cum sit Deus, in singulis templis* (1). Utitur hoc argumento Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum objecto 8. sed quia viderat facile solvi posse, dicit hanc esse vim hujus argumenti, et hoc modo a suis proponi solere: « Deus ob suam immensitatem non potest ullo templo concludi, quia est major omni templo: ergo neque corpus Christi, quod justam hominis staturam habet, poterit includi in pyxide, quia majus est pyxide. »

Respondeo: Loca illa intelliguntur proprie de divinitate, quæ licet sit ubique, et peculiari modo in templis, dicitur tamen verissime non habitare in templis manufactis; quia habitare significat indigentiam loci: illi enim proprie habitant in domo, qui nisi ibi essent, male essent; significat etiam comprehensionem, et conclusionem in loco. Utrumque repugnat Deo vero, et tamen utrumque conveniebat idolis Gentilium; idcirco Paulus Actor. xvii. hoc dicit, Deum non habitare in templis, ut distingueret eum ab idolis. Quamvis autem hæc loca proprie de divinitate intelligantur; tamen conveniunt suo modo etiam corpori Christi in Eucharistia esistenti. Etsi enim est ibi vere Christus, tamen non proprie habitare ibi dicitur est, cum non indigeat ipse tecto, aut domo ulla, nec concludatur ita uno in loco, ut non sit etiam extra eum locum.

Jam ad argumentum Martyris respondeo: Si recte accommodetur proportio, argumentum esse pro nobis, non contra nos. Nam sicut Deus ob suam immensitatem non concluditur in pyxide, aut speciebus panis, tamen totum ibi revera est. Quomodo autem possit corpus humanum non occupare locum, et proinde sub specie modici panis contineri, in alia quæstione explicabitur: hic enim solum ex verbo Dei agitur. Verbum autem Dei non habet, non posse magnum corpus esse in parvo loco: sed contrarium potius, cum

(1) Act. VII, 48; XVII, 24.

Matth. 7. legamus posse Deum facere, ut transeat camelus per foramen acus.

Duodecimus locus est I Corinth. x : *Patres nostri eandem escam spiritualem manducaverunt, et eundem potum spiritualem biberunt* (1). « At illi non manducarunt carnem Christi, nec biberunt ore corporali, ut notum est, sed fide tantum : igitur etiam nos fide tantum manducamus, et bibimus. » Hoc argumentum urget Petrus Martyr lib. *contra Gardinerum*, par. i. objecto 82.

Sed facilis solutio est. Nam in primis demonstravimus in disputatione de sacramentis in genere, non velle Paulum dicere eandem escam nos et Hebræos comedisse, sed eandem escam comedisse omnes illos, qui tunc vivebant, tum boni, tum mali.

Quia vero citat Augustinum Petrus Martyr, qui in Psalm. LXXVI. et tract. 26. *in Joannem* dicit, eandem escam nos, et Hebræos comedisse ex hoc loco Pauli : ideo ad Augustinum duo quædam respondeo. Primo, Augustinum non exposuisse hunc locum in commentario aliquo proprio, sicut fecerunt Chrysostomus, Theophylactus, et alii ; sed solum adduxisse ad suum propositum aliquid ex hac Pauli sententia, propterea non mirum videri debere, si anteponimus in hac parte in sensus litteralis investigatione Chrysostomum, et alios, qui ex proposito hunc locum exposuerunt, Augustino tractanti hæc verba in alienis locis. Certe Paulus apertissime ad litteram loquitur de esca eadem inter omnes illos, non autem nobiscum. Nam secundum Augustinum, et etiam adversarios, non omnes Hebræi, sed boni duntaxat, qui symbola intelligebant, eandem nobiscum escam manducarunt. At Paulus significat bonos, et malos eandem manducasse ; subjungit enim : *Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo* : omnes ergo manducarunt, et tamen plurimi eorum non placuerunt Deo, qui nimirum multi mali cum bonis illam escam manducabant. Et sicut dicit : *Omnes eandem escam spiritualem manducaverunt* ; ita etiam dicit : *Omnes mare transierunt*. At certe mare transierunt omnes, et mali, et boni.

Dico secundo, veram esse Augustini sententiam, licet Pauli loco ad litteram non conveniat : nec tamen nobis ullo modo adversari. Nam dicit ipse, eandem nobiscum escam manducasse Hebræos ; sed explicat quo-

modo eandem, nimirum significatione : quia idem significant sacramenta illa, et nostra. Sic enim : it tract. 62. *in Joan.* « Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re quæ significatur paria sunt. » Et præterea eadem sunt significatione, quia nostra continent, quod illa significant, ut aperte Augustinus, ait in Psalm. LXXIII. ubi dicit, sacramenta vetera promisisse salvatorem, nostra dare salutem, et in Psalm. LXXV : « Idem, inquit, in mysterio cibus, et potus illorum, et noster ; sed significatione idem, non specie ; quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Ubi vides, Judæis tribui Christum in petra, nobis in carne, quam nimirum petra illa figurabat. Denique lib. *contra litteras Petiliani* cap. 37. « Aliud, inquit, est Pascha, quod Judæi de ove celebrant, aliud quod nos in corpore, et sanguine Domini accipimus. » Ubi vides, pro ove, quam habebant Judæi, nobis non tribui panem, sed corpus, et sanguinem Domini, quæ ove illa significabatur. Non igitur apud Augustinum eadem erat esca Judæorum, et Christianorum, quoad rem ipsam, sed solum quoad significationem : quomodo dicuntur idem esse figura, et figuratum, quia unum est vere, quod alterum est typice.

Decimus tertius locus est I Corinth. x. et xi. « Ubi aliquoties Eucharistia vocatur panis, etiam post consecrationem : nihil igitur aliud est Eucharistia, nisi panis reipsa, significatione autem corpus Christi. » Utitur hoc argumento, quod est commune adversariorum, Petrus Martyr lib. *contra Gardinerum*, objecto 19.

Respondent nonnulli, Eucharistiam vocari panem per tropum, quia fit ex pane, sive quia antea fuit panis : et afferunt multa exempla Scripturæ, ut quod Genes. III. Eva dicitur os Adami : Exodi VII. virgæ conversæ in dracones, adhuc vocentur virgæ : quod Matth. XI, dicantur publicani, et meretrices præcedere in regnum cælorum. Sed hæc solutio non videtur solidissima : possent enim adversarii dicere, non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, unde facta est, ubique ita accipienda esse vocabula. Secundo igitur dici potest, Scripturam vocare ordinariæ res ut exterius apparent ; sic enim serpentem æneum vocat serpentem : angelos, qui apparebant in forma humana, vocat viros ; boves æneos, malogranata aurea, et similia

(1) I Cor. X, 3.

ornamenta templi simpliciter vocat boves, malogranata etc. Quoniam igitur Eucharistia forma exteriori nihil differt a vero pane, quid mirum si vocatur panis? Tertio dici potest, et (meo iudicio) optime, vocari panem phrasi hebraica, quia nomine panis intelligitur generatim omnis cibus. Et denique quarto vocari panem, quia non solum est cibus, sed est cibus solidus, præcipuus, substantialis, qualis est panis triticeus inter cibos corporales. Ac ut videas argumentum adversariorum nihil efficere, illud perpende, in 6. cap. Joannis, corpus Domini frequenter vocari panem, et tamen adversarii continent in eo capite non tractari de Eucharistia, ac proinde coguntur per panem non intelligere panem materialem, sed cibum cœlestem.

Decimus quartus locus est Philip. III. *Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (1). Hinc tale argumentum facit Calvinus lib. IV. *Institut.* cap. 17. §. 29. « Corpora nostra post resurrectionem habebunt eas dotes, quas nunc habet corpus Christi. At stultum esset expectare, ut nostra corpora esse possint in pluribus locis, vel sub modica panis specie. »

Respondeo quod Christi corpus esse possit in multis locis, aut sub modica specie panis non oritur ex aliqua dote corporis gloriosi, sed ex infinita Dei potentia. Nam etiam ante Christi resurrectionem credimus, Christi corpus fuisse in Eucharistia; nihil igitur ad rem facit gloria corporis, quam exspectamus.

Decimus quintus locus est Coloss. III: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (2). Ex hoc loco Calvinus colligit lib. IV. *Instit.* cap. 17. §. 36. Christum non esse quærendum in pane Eucharistiæ: et addit, non sine causa, in antiqua Ecclesia fuisse institutum, ut ante mysteriorum celebrationem diceretur: « Sursum corda. »

Respondeo: Si timeremus hoc argumentum, jamdudum valere jussissem illam præfationem: *Sursum corda*; quam tamen non diligenter frequentamus, et adversarii negligunt. Tametsi enim in libro de ritu Sacramentorum ministrandorum jubet Calvinus, ut concionator inter concionandum moneat, sursum cor esse habendum; tamen non vult præscriptis verbis recitari præfationem illam cum suis responsionibus, ut veteres faciebant, teste Cypriano in serm. *de orat. Domin.* et Augustino lib. *de bono persever.* cap. 13. et omnibus Græcis liturgiis, Jacobi, Basili, Chrysostomi, et omnibus Latinis; id quod etiam hoc tempore nos facimus.

Respondeo igitur: « Sursum corda non significare elevationem ad locum corporalem: alioqui astrologi piissimi essent omnium hominum, qui semper versantur animo, et oculis inter sidera: sed elevationem a rebus terrenis et curis hujus vitæ ad Deum, et res æternas, et divinas. Unde, sacerdoti dicenti: « Sursum corda », non respondemus, Habemus ad firmamentum, sed « Habemus ad Dominum. » Et certe, qui in hoc mundo Christum quærebant, vel in præsepi, ut tres magi, vel in templo, ut ipsa Virgo mater, vel in sepulchro, ut Magdalena; sursum cor habebant; qui illum quærebant, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Et potest fieri, ut quis dum terram intuetur, et cogitat, cor habeat sursum; et contra, dum quis cœlum intuetur, et cogitat, cor habeat deorsum; si nimirum ille in terra cogitet Dei potentiam, quæ ibi relucet; hic autem in cœlo nihil cogitet, nisi naturam, et qualitates cœli. Sic igitur qui in Eucharistia Christum quæerunt, et venerantur, sursum cor habent, si de ipso Christo, non de negotiis hujus vitæ, interim cogitent.

(1) Philipp. III, 20 et 21. — ( ) Coloss. III, 1.

CONTROVERSIARUM  
DE EUCHARISTIA

LIBER SECUNDUS

DE VERITATE CORPORIS DOMINI IN EUCHARISTIA EX TESTIMONIIS PATRUM.

Hactenus ex verbo Dei controversiam disputavimus de præsentia corporis Domini in Eucharistia ; nunc ex testimoniis veterum Patrum, qui ante hanc litem exortam floruerunt, eandem controversiam disputare aggredimur. Nam et si adversarii, Patres contemnere soleant, cum eos sibi adversari non dubitent ; in hac tamen quæstione aliquid eis tribuere videantur : certe laborant, quantum possunt, ut eos ad se pertrahant. Joannes Calvinus in ultima admonitione *ad Westphalum* : « Constat, inquit, vetustos omnes scriptores, qui totis quinque sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari » Petrus Martÿr in præfatione suæ defensionis *contra Gardinerum* ad Reginam Angliæ, jactat se defendere sententiam Patrum Græcorum, et Latinorum veterum de Eucharistia. Petrus Boquinus initio libri de *cæna Domini* contra Heshusium dicit, nullam esse rationem certiolem, et breviorẽ inveniendæ veritatis, in hac, de qua agimus, controversia, quam insistendo vestigiis antiquorum Patrum.

Nos igitur, ut apertissime, et brevissime (quantum rei magnitudo patietur) intelligamus, quid Patres senserint, singulos seorsim excutiemus ordine ætatis, quo in Ecclesia floruerunt : ac in singulis quatuor considerabimus. *Primo*, quid ad ea respondeant adversarii. *Tertio*, quid ex iisdem contra nos illi afferant. *Quarto*, quid ad ea sit respondendum.

Est autem illud *observandum*, testimonia Patrum, non quidem æquari per se Scripturam testimoniis : tamen ex iis aperte cognosci, quæ fuerit sententia, et fide ejus Ecclesiæ, quam omnes fatemur veram Christi Ecclesiam fuisse, et veram de sacramentis fidem ac doctrinam habuisse : quocirca ex illis colligitur argumentum firmissimum, et infallibile pro veritate. Unde *Augustinus* lib. 3. de *peccatorum meritis et remiss.* cap. 7. cum attulisset Patrum testimonia quædam, ut Cypriani, et Hieronymi pro peccato originali : « Hæc, inquit, non ideo com-

memoravi, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur; sed ut appareat ab initio, usque ad præsens tempus, quo novitas ista orta est, hoc apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut etc. »

## CAPUT PRIMUM.

PRIMA ÆTAS ECCLESIE AB ANNO DOMINI I.  
USQUE AD 100.

### *Testimonium discipulorum S. Andreae Apostoli.*

Primo igitur exeutienda sunt testimonia eorum, qui Apostolos viderunt, et audierunt, quæ fuit prima ætas Ecclesiæ. Ac primum occurrit liber passionis S. Andreae Apostoli scriptus ab ejus discipulis, qui passioni interfuerunt. Hunc librum legitimum esse satis constat; tum, quia nulli (quod sciam) adhuc in quæstionem ejus auctoritatem vocarunt; tum, quia revera nihil continet, quod novitatem redoleat; tum, quia genus passionis S. Andreae, et illa ejus verba: « Salve sancta crux », in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sumpta sunt: tum quia Petrus Damianus in serm. 2. *de S. Andrea* de hac historia sic loquitur. Non immerito in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, et ministri fuere sermonis: tum denique, quia Joannes a Lovanio in sua censura de passionibus sanctorum, quæ habetur in *Martyrologio* Molani, hunc librum omnibus modis legendum censet; et idem indicavit vir gravissimus Aloysius Lipomannus, qui ex probatis auctoribus vitas Sanctorum descripsit; ut omnittam quod in Breviario Romano, nuper recognito, ac repurgato, suum locum habet passio S. Andreae ex hoc libro.

In eo igitur libro habentur hæc verba Apostoli Andreae: « Ego omnipotenti Deo immaculatum agnum quotidie sacrifico ». Et infra: « Qui cum sit vere sacrificatus, et vere a populo carnes ejus manducatae, integer perseverat, et vivus ». In quibus verbis, illud (*Vere manducatae*) excludit manducationem in solo signo aut spiritu. Ac præterea paulo infra, cum Ægeus miraretur, ac pete-

ret, sibi explicari, quomodo posset fieri, ut agnus vere manducatus, integer et vivus maneret, et S. Andreas recusaret homini ethnico mysterium explicare, et ille instaret, ac per tormenta cogere vellet Apostolum; tandem Apostolus subjunxit, fieri non posse ullo modo, ut sine fide in Christum, ad hujus mysterii notitiam perveniret. At certe si nihil est Eucharistia, nisi panis significans Christum, non erat difficile etiam sine fide intelligere, quomodo Christus in signo manducatus, integer perseveret. Nam si in pane imprimatur imago principis alicujus; certe sine ulla sua læsione, comedi poterit princeps ille in sua imagine; nec ulla difficultas est in hac re intelligenda. Ad hunc locum non vidi ullam responsionem hæreticorum.

## CAPUT II.

### *Testimonium S. Ignatii.*

Secundus auctor Apostolorum tempore est S. Ignatius, de cujus epistolis dubitari non potest, eum eæ citentur ab Eusebio, Athanasio, Hieronymo, Theodoro, et aliis veteribus frequentissime. Is ergo in epist. *ad Smyrnenses* (ut citat Theodoretus dialog. 3.) sic ait: « Eucharistias, et oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. »

Ad hunc locum Beza respondet in *Dialogo* Cyclops, fateri se veram carnem Christi nobis dari fide manducandam. At Ignatius non dicit, carnem Christi nobis dari quocumque modo, sed dicit Eucharistiam esse carnem Christi. Petrus Boquinus in lib. *de Cæna Domini*, respondet Ignatium disserere contra eos, qui negabant Christum habuisse veram carnem: et ex Eucharistia argumentum duxisse, quia si Christus non habuit veram carnem, non potest Eucharistia esse caro vera, id est, signum, seu symbolum veræ carnis.



At contra; nam Ignatius dicit, hæreticos illos, contra quos agit, omnino repudiasse Eucharistiam, ne fateri cogerentur, Christum habuisse veram carnem, si Eucharistiam, quæ est ipsa caro Christi, admisissent. Observandum enim est, hæreticos illos (ut ex ipsa epistola ad Smyrnenses patet) docuisse Christum putative natum, passum, mortuum, resurrexisse: ac per hoc non negasse Christum habuisse carnem aliquam visibilem, et apparentem, sed negasse habuisse eum veram carnem humanam. Ex quo sequitur, ut non debuerint repudiare imagines, et figuras carnis Christi, sed solum ipsam veram carnem. Nam corpora humana apparentia depingi possunt, et figuris exprimi, licet vere humana non sint, ut patet de imaginibus Angelorum. Ergo hæretici illi non negabant Eucharistiam significare posse carnem Christi, sed negabant esse carnem Christi (ut Ignatius discrete dicit) ne videlicet cogerentur admittere, Christum habuisse veram carnem. Reprehenduntur autem ab Ignatio; igitur Ignatius contrarium sentiebat, nempe Eucharistiam esse vere et proprie Christi carnem. Habentur alia loca in epist. *ad Rom.* et in epist. *ad Ephes.* sed facilius eludi possunt.

Porro ex Ignatio objicit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* 1. part. objecto 149. illa verba ex epist. ad Philadelphenses: «Rogo vos, ut instetis uni fidei, uni prædicationi, una Eucharistia utentes: una est caro Domini Jesu, et unus ejus sanguis, qui pro nobis effusus est: unus etiam panis pro omnibus confractus, et unus calix totius Ecclesiæ.» Notat enim Petrus Martyr Ignatium distinguere panem, et calicem, a carne, et sanguine Christi, eum dicat: «Una caro, unus sanguis: unus etiam panis, unus calix.» Ex quo sequi videtur, ut in Sacramento non sit nisi panis, et vinum, quæ tamen carnem, et sanguinem, quæ sunt res Sacramenti, significant. Addit etiam argumentum ex nomine panis, et fractionis, quæ non conveniunt proprie, nisi vero pani.

Respondeo: Quod attinet ad nomina panis et fractionis, non esse faciendam novam questionem, cum sint ista ipsa vocabula Pauli, 1. Corinth. xi: *Panis, quem frangimus* etc., de quibus supra diximus. Quod autem pertinet ad illam distinctionem carnis, et sanguinis a pane, et calice, dico Ignatium distinguere carnem, ut in cruce passam, et sanguinem, ut in cruce fustum, a sacramento

Eucharistiæ; et rectissime. Sacramentum enim Eucharistiæ, sive contineat vere (ut nos credimus) Christi carnem, sive non contineat, est signum representans carnem Christi, ut morientem in cruce, et sanguinem, ut in cruce effusum, et proinde distinguitur ab illis. Vult autem eo loco Ignatius hortari ad unitatem et charitatem consecrandam, et ad schismata, et hæreses fugiendas. Itaque monet ut in una fide maneat, eidem prædicationi dent operam, et una utantur Eucharistia, id est, simul communi-cent, non faciant schismata, non erigant contraria altaria. Probat autem debere eos simul communicare, quia unum est sacramentum Eucharistia, unum autem sacramentum esse, probat, quia una est caro Christi, et unus sanguis. Quæ probatio efficax esset, etiamsi hoc sacramentum significaret tantum carnem Christi, ut adversarii volunt: sed est efficacior, si sacramentum non tantum significet, sed etiam vere contineat Christi carnem.

## CAPUT III.

*Testimonium S. Dionysii Areopagite.*

Dionysium Areopagitam apostolorum tempore floruisse nemo dubitat: libros qui ei adscribuntur, negant hæretici illius Dionysii esse, et nos alibi probavimus esse. Sed hoc loco supersedendum est hoc labore, quia Petrus Martyr non solum admittit, eos libros esse alicujus antiqui Patris, sed etiam argumentum inde petere audet pro suo errore. Et præterea eum citetur hic auctor tanquam antiquus, venerabilis Pater a S. Gregorio hom. 34. in Evangelia; necesse est omnino vixisse illum in primis quinque sæculis, quæ a Calvino recipiuntur. Nam si Gregorio, qui ante annos mille floruit, fuit hic auctor antiquus, et venerabilis Pater, quid erit nobis?

Ille igitur auctor in lib. *de Hierarchia ecclesiast.* cap. 3. par. 3. præter alia multa, quæ de hoc sacramento dicit, ita ipsum alloquitur: «O divinissimum, et sacrosanctum Sacramentum, obducta tibi significantium signorum opera dignanter aperi, et perspicue nobis fac appareas; nostrosque spirituales oculos, singulari, et aperto tuæ lucis fulgore imple.» Hæc ille. At ejusmodi invocatio stultissime, et impie referretur ad

sacramentum, si solum esset panis triticeus, non autem panis cœlestis vivus, et divinus. Respondet Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, par. 1. objecto 150. Dionysium apostrophen fecisse ad rem significatam, id est, ad ipsum Christum, qui per symbola panis, et vini repræsentatur : « Quemadmodum in templis Papistarum, inquit ipse, videas procumbere homines ante signa, et statuas, et ad illas exclamare, quasi aut B. Virgo, aut Petrus, et Paulus præsens esset. »

At his peccat in hac responsione Pseudomartyr. Primo, quia se ipse damnat cum cœteris sacramentariis, qui acerrime reprehendere solent, et idololatriæ accusare Catholicos, quod orent ante imagines, aut venerabile Sacramentum : nunc enim usum istum ipse defendit, dum eum sanctissimo Patri tribuit. Secundo peccat, quod non advertit, aliud esse ante imagines invocare Christum, vel sanctos, quos imagines repræsentant, quod catholici recte faciunt ; aliud invocare ipsas imagines, quod Catholici non faciunt, nec potest nisi stulte, et impie fieri. Dionysius autem ipsum invocat Sacramentum atque ab ipso petit, quæ a solo Deo recte peti possunt : existimavit igitur in Sacramento vere Christum ipsum Deum, et hominem contineri, imo ipsum Christum una cum externis symbolis Sacramentum esse.

Idem Dionysius ibidem, sed paulo inferius : « Pontifex, inquit, quod hostiam salvatorem, quæ supra ipsum est, litet, se excusat ad ipsum exclamans : Tu dixisti, Hoc facite etc. At certe purus panis non supra nos est ; neque esset opus ulla excusatione, si merum panem tractare debemus, etiamsi is Christum significaret : alioqui debuissent etiam Aaronici sacerdotes se excusare, quod indigni essent, qui tangerent oves, et boves illos, quod ridiculum est.

Audiamus nunc quid ipse pro se afferat ex Dionysio. Affert igitur illa verba ex eodem cap. 3. par. 3. « Pontifex opertum panem et individuum aperit, et in frusta concidit. »

Respondeo : Miram esse adversariorum importunitatem, qui si in uno, vel altero Patre legant Eucharistiam vocari panem, statim clamant, Eucharistiam nihil esse, nisi panem proprie dictum : et cum in omnibus Patribus in innumeris locis legant Eucharistiam esse corpus Christi, tamen non volunt admittere corpus ullo in loco proprie accipi. Dico igitur panem voca-

ri Eucharistiam, sed panem cœlestem, et divinum, non triticeum : nam paulo ante (ut diximus) idem Dionysius scribit eum panem esse hostiam ipso Pontifice longe digniorem, ita ut excusatione illi opus sit, quod rem tam eximiam tractare audeat.

## CAPUT IV.

SECUNDA ÆTAS ECCLESIE AB ANNO DOMINI 100. AD 200.

### *Testimonium S. Justin.*

Post Apostolorum discipulos in secunda ætate Ecclesiæ tres habemus testes insignes, et indubitatos, Justinum Martyrem, Pium I Pontificem, et Irenæum. Justinus igitur Martyr in *Apologia 2, ad Antoninum imperatorem*, sic loquitur de Eucharistia : Οὐ γὰρ ὡς ἄρτον, οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν, ἀλλὰ ὃν τρόπον διὰ λόγου Θεοῦ σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ζωτὴρ ἡμῶν καὶ σὰρκα, καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν : οὕτω καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ Θεοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ, καὶ σὰρκα, καὶ αἷμα ἐδιδάθημεν εἶναι. « Non enim ut communem panem, neque communem potum hæc sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Jesus Christus Salvator noster, et carnem, et sanguinem pro salute nostra habuit : sic etiam per preces verbi Dei ab ipso Eucharistiam factum cibum, ex quo sanguis, et carnes nostræ per mutationem aluntur, illius incarnati Jesu, et carnem, et sanguinem esse edocti sumus. » Hæc ad verbum ex Græco interpretatus sum : quia queri solent hæretici sæpenumero de interpretationibus Catholicorum. Solum ambigi posset de illa voce : « Eucharistiam factum ; » nam Græca vox, *Εὐχαριστηθεῖσαν*, significare potest, super quem gratiæ actæ sunt, vel barbaro vocabulo, Eucharistizatum, vel (ut nos reddidimus) « Eucharistiam factum » sed non refert quidquam hoc ad rem propositam.

Ex hoc igitur loco duobus modis colligitur sensisse Justinum, veram Christi carnem proprie in Eucharistia contineri. Primo ex eo, quod simpliciter asserit panem Eucharistiæ non esse communem panem, sed carnem Christi : neque ullam mentionem facit

tropi, aut figuræ alicujus. Nam si Eucharistia esset significative caro Christi, et non realiter, id Justinus omnino dicere debuisset: scribebat enim Apologiam pro Christianis, quibus præter alia crimina objiciebatur manducatio carnum humanarum in sacris, ut patet ex Tertulliano in *Apologetico* cap. 7. et ex Minutio Felice in Octavio: et quod maximum est, ex Athenagora, qui in Apologia ad eundem Antoninum tria crimina refellit falso Christianis objecta; quod Deum non esse crederent; quod humanis carnibus vescerentur; quod promiscuo concubitu uterentur. Certe enim ad hoc abolendum crimen omnino dicendum sui Christi carnem a Christianis non comedi, nisi significative. Et etiamsi id crimen non fuisset Christianis objectum, stultus fuisset Justinus, si absque ulla necessitate mysteria religionis facillima ipse incredibilia suis verbis fecisset, ad ethnicum imperatorem scribens.

Secundo, id colligimus ex comparatione Eucharistiæ, quam facit Justinus cum mysterio Incarnationis. Ut enim doceret non temere Christianos credere panem fieri carnem, adducit in medium aliud mysterium æque difficile; qua enim potentia fieri potuit, ut Deus incarnaretur, eadem fieri potuisse dicit, ut panis fieret caro. Ubi nisi reipsa velit affirmare, panem fieri carnem, sed solum significative, frustra adducit exemplum Incarnationis: nullum enim est miraculum facere, ut panis significet corpus Christi.

Utrumque argumentum solvere nititur Petrus Martyr, et contrarium etiam colligere ex hoc loco Justini in lib. contra Gardinerum, objecto 13. et 131. Ad primum nostrum respondet, Justinum non dixisse panem Eucharistiæ esse figuram corporis Christi, sed dixisse esse ipsum corpus, quia ita inter se loqui solebant Christiani eo tempore, nec fuisse periculum ne ethnici putarent nos vere et proprie comedere carnem Christi, tum quia dixerat Justinus panem et vinum proponi in sacra mensa; tum quia poterant facile Gentiles colligere, verba illa Christi: *Hoc est corpus meum*, a Justino citata, esse intelligenda sacramentaliter: tum denique quia Justinus dicebat, non cujusvis hominis carnem a Christianis manducari, sed solius Christi, qui jam surrexerat, et in cælum ascenderat.

At Petrus Martyr multa dicendo, nihil di-

cit. Nam etiamsi Christiani ita inter se loquerentur, tamen debuit defensor Christianorum imperatori ethnico, et imperito rerum nostrarum, explicare tropum in illis verbis constitutum; alioqui non tollebat, sed augebat suspicionem criminis Christianis objecti. Deinde, etiamsi Justinus dixerit, panem et vinum proponi in sacra mensa; tamen addidit, post mysticas preces non esse amplius panem, et vinum commune, sed ipsam carnem, et sanguinem Christi. Et ridiculum est debuisset, vel potuisse Imperatorem ethnicum per se intelligere verba Christi esse accipienda sacramentaliter: unde enim id colligeret homo Gentilis, qui neque an Sacramenta essent, audiverat? Opinatur fortasse Petrus Martyr Imperatorem illum versatum fuisse in schola Calvinistarum, ut statim ad tropos omnia revocaret. Denique, quod additur de Christi resurrectione, nontam explicat, quam implicat magis difficultatem, et sine ulla causa reddit fidem nostram homini Gentili prorsus incredibilem. Itaque insolubile manet hoc dilemma: aut poterat Justinum vere dicere, carnem Christi a Christianis solum in signo manducari, aut non poterat: si poterat, prævaricator fuit causæ Christianæ; nam odiosissimam reddidit fidem, et auxit criminum suspensionem, cum posset uno verbo et fidem probabilem facere, et crimen diluere: si non poterat, certe ideo non poterat, quia vere, et non in signo tantum datur nobis comedenda Christi caro.

Ad secundum nostrum argumentum respondet Martyr, Justinum ideo explicuisse Eucharistiam exemplo Incarnationis, ut ostenderet contra hæreticos Marcionistas, nos veram Christi carnem per fidem accipere. Nam si Christus non assumpsisset per Incarnationem veram carnem, sed simulatam, et fictam, ut Marcionistæ, et Valentiniani hæretici dicebant, non esset Eucharistia signum veræ carnis, neque nos veram carnem participarem.

At non probat hoc loco Justinus incarnationem ex Eucharistia, sed e contrario, Eucharistiam ex Incarnatione. Præterea Justinus hoc loco non scribit contra hæreticos, nec mentionem eorum facit, sed persuadere vult Imperatori non esse impossibile mysterium Eucharistiæ apud eos, qui credunt mysterium Incarnationis. Adde, quod Imperatores, et cæteri ethnici tantum aberant ab opinione Marcionis, ut nihil dubitarent Christum habuisse veram carnem, cum id perpe-

tuo Christianis objicerent, Christum a Pilato vere crucifixum, et necatum fuisse: nulla ergo fuit causa, cur Justinus exemplum Incarnationis adderet ad probandum Christum habuisse veram carnem. Præterea, si Eucharistia nihil esset nisi panis significans carnem Christi, nihil inde concluderetur contra Marcionem: nam diceret ille Christum habuisse carnem phantasticam, et apparentem, et eam significari per Eucharistiam; ideo veteres non probant ex signo isto Eucharistiæ, Christum habuisse veram carnem, sed probant et communi sententia, et fide Ecclesiæ, quæ erat, Eucharistiam esse vere carnem Salvatoris. Quocirca (ut dicit Ignatius) hæretici illi simpliciter repudiabant Eucharistiam. Denique Justinus comparat Eucharistiam cum Incarnatione, quoad modum, quo utrumque factum est: dicit enim eo modo per preces verbi Dei panem fieri Eucharistiam, et tunc esse carnem Christi; quomodo per verbum Dei, id est, per virtutem, seu imperium Dei, Incarnatio facta est. At si Eucharistia non esset corpus Christi, nisi significative, non esset opus ulla prece consecratoria, sed satis esset prima institutio Christi: unde etiam Calvinistæ nullam adhibent consecrationem. Ergo Justinus, qui scribit panem Eucharistiæ fieri corpus Christi per preces verbi Dei, credebat Eucharistiam non esse solam figuram, sed reipsa corpus Christi.

Quod autem Martyr cavillatur, consecrationem apud nos non fieri prece, sed verbis illis: *Hoc est corpus meum*, nimis leve est, quia (ut supra sæpe ostendimus) sancti Patres vocant mysticas preces omnium Sacramentorum formas, etiamsi non videantur habere formam precum; quia omnes illæ formæ, quocumque modo pronuntientur, continent invocationem Dei, cujus virtute Sacramenta, et eorum effectus producuntur.

Videamus nunc quid Petrus Pseudomartyr afferat pro suo errore ex vero Martyre Justino. Duo igitur argumenta profert. Unum, ex hoc ipso loco a nobis citato, quod Justinus dicat, panem Eucharistiæ ali corpora nostra: hinc enim colligit verum esse panem in Eucharistia, non autem corpus Christi, nisi significative, non enim corpore Christi aluntur corpora nostra, sed animi tantum. Eandem objectionem facit Boquinus in libro de cœna Domini, sed Petrus Martyr proponit alte-

rum ex Dialogo cum Tryphone, ubi Eucharistiam vocat Justinus panem, et poculum.

Sed hoc posterius jam supra refutatum est. Ad illud prius respondeo dupliciter. Primo illa verba: «Ex quo carnes nostræ per mutationem aluntur», esse periphrasim *panis*, ex quo conficitur Eucharistia, ut sit sensus: Cibus ille, ex quo carnes nostræ ali solent, cum prece mystica consecratur, efficitur corpus Christi. Neque obstat, quod Justinus prius meminerit consecrationis, quam dicat ex eo cibo ali carnes nostras: nam non dicit ipse, ex pane consecrato ali carnes nostras, ut adversarius contendit, sed dicit, per consecrationem cibum illum, ex quo carnes nostræ aluntur, fieri corpus Christi.

Secundo respondeo, non esse novum apud veteres, ac præsertim Irenæum, Hilarium, Nyssenum, Cyrillum, et alios, ut Eucharistia dicatur alere corpora nostra. Sed non intelligunt Patres, cum hoc dicunt, Eucharistia nutrirî, vel augeri mortalem substantiam corporis nostri; sic enim facerent Eucharistiam cibum ventris, non mentis, quo nihil absurdius fingi potest: sed intelligunt, ut postea videbimus, per Eucharistiam ali corpora nostra ad immortalitatem, id est, suscipere ex contactu carnis Christi vim quamdam, seu dispositionem ad gloriosam resurrectionem, et vitam immortalem; id quod ex verbis illis deducunt Joan. VI: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (1). Sed de Justino hætenus.

## CAPUT V.

### *Testimonium S. Pii I Papæ.*

Jam vero Pius Papa I. qui eodem tempore sedit in Pontificatu, quo Justinus florebat, statuit poenam satis gravem in eos, quorum negligentia aliquid dominici sanguinis in terram, vel etiam super altare decideret: jus sitque locum lambi, radi etc. ut patet ex Gratiano *de Consecratione* distinct. 2. canon. Si per negligentiam, et ex lib. 1. decreti Yvonis, et lib. v. Burchardi. Quamvis autem non habeamus nunc epistolam ipsam Pontificis, tamen satis probabile reddit hoc testimonium,

(1) Joan. VI, 55.

tum auctoritas Yvonis, Burchardi, et Gratiani; tum etiam, quod legamus in Tertulliano, Origene, Cyrillo, et aliis, qui proximi fuerunt iis temporibus, summam diligentiam adhiberi solitam in Ecclesia, ne quid Sacramenti hujus ullo modo in terram decideret. Testimonia Tertulliani, Origenis, et Cyrilli, infra suo loco ponentur.

Porro ista cautio argumentum est evidens fidei antiquorum. Si enim panis Eucharistiæ non esset corpus Christi, nisi repræsentative, non esset adhibenda major diligentia, ne caderet in terram, quam ea sit, quam adhibemus, ne sacra Biblia in terram cadant, aut imago aliqua Christi, aut aqua Baptismi, aut quam adhibebant Hebræi in conservando manna, aut agno paschali. Quis autem audivit unquam debere lambi, aut radi terram, ubi cecidisset codex Evangelii, aut imago, aut manna, aut aqua Baptismi? Ad hoc testimonium, non legi adversariorum responsum.

## CAPUT VI.

### *Testimonium sancti Irenæi.*

Sequitur Irenæus, qui eodem sæculo floruit, quo Justinus, licet paulo posterius. Is igitur in lib. iv. contra hæreses, cap. 34. disputans contra hæreticos, qui negabant Christum esse Filium Creatoris, et Creatorem mundi hujus, ita loquitur: « Quomodo autem constabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per quod lignum fructificat, defluunt fontes, dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? » Ex hoc loco nos tale argumentum facimus. Irenæus probat Christum esse Creatorem, ex eo, quod panis per consecrationem fit corpus Christi: igitur credebatur re ipsa, et non sola significatione mutari panem in corpus Christi; nam mutatio realis requirit plane omnipotentiam Creatoris, non autem impositio novæ significationis.

Respondet ad hoc argumentum Petrus Martyr, libro *contra Gardinerum*, objecto 62. et 157: Irenæum non probare Christum esse Filium Creatoris, vel Creatorem ex transmutatione panis in corpus suum, sed ex eo,

quod utitur pane ad corpus suum significandum, et quia Patri gratias agit, cum pane illo utitur: non enim decebat, ut Filius illius Dei, qui est confrarius Creatori, uteretur rebus adversarii sui, et de illis Patri suo gratias ageret.

At contra; nam in primis argumentum ex usu rerum Creatoris fecerat Irenæus in proximis verbis superioribus: dixerat enim solam Ecclesiam recte offerre Deo oblationem cum gratiarum actione ex creatura ejus; hæreticos autem offerre non posse, cum non agnoscant eum esse Creatorem. Quid ergo opus erat, ut rursus idem argumentum repeteret! Adde, quod illa verba: « Quomodo autem constabit eis etc. » indicant novum argumentum inchoari; alioqui dixisset: Quomodo enim, si hæc ratio ad argumentum præcedens pertineret. Deinde, Irenæus hoc loco ex Eucharistia probat Christum non solum esse Filium Creatoris, sed etiam ipsum Creatorem, cum ait, non posse constare panem Eucharistiæ esse corpus Domini sui, nisi fateantur ipsum esse Verbum illud, per quod lignum fructificat, defluunt fontes etc. At hoc argumentum nihil concludit, nisi ponamus veram, et realem mutationem in pane fieri. Posset enim Christus uti pane ad corpus suum significandum, etiã si non esset Creator illius panis; quemadmodum nos utimur hedera, quam non creavimus, ad vinum designandum. Imo nec probat hoc argumentum Christum esse Filium Creatoris: potest enim uti rebus Creatoris etiam is, qui non est Filius Creatoris. Si quid autem probat, id solum est, Christum non esse adversarium Creatoris; nec enim uteretur rebus adversarii sui. At Irenæus Filium Creatoris, et Creatorem affirmat esse Christum ex hac mutatione panis in corpus suum.

Secundum testimonium est in eodem cap. in illis verbis: « Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ a corpore Domini, et sanguine alitur? » Et paulo infra: « Quem admodum enim qui est a terra panis percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena, et cœlesti: sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. »

Ex his verbis tria argumenta colligimus. Primum est: Corpora nostra incorruptibilia fiunt, quia aluntur corpore Christi: ergo

corpus Christi non solum animis percipitur, sed etiam corpore ex Irenæi sententia. At corpus non potest in cælum conscendere, ut ibi gustet Christi carnem; ergo vere præsens est in Eucharistia ipsa Christi caro. Secundum est: Panis terrenus post invocationem Dei, seu mysticas preces, non est amplius communis panis, sed est cibus constans duabus rebus, una terrena, altera cœlesti. Non potest autem res illa cœlestis esse, nisi corpus Christi; igitur vere est in Eucharistia corpus Christi. Tertium: Ita panis mutatur ex terreno in cœlestem per invocationem Dei, sicut corpora nostra mutabuntur per Eucharistiam ex mortalibus in immortalia. Sed corpora nostra reipsa fiunt immortalia, non autem sola significatione: igitur panis terrenus reipsa fit corpus Christi, non sola significatione.

Ad omnia respondere conantur hæretici. Ad primum Beza respondet in *Cyclope*, per Eucharistiam corpora fieri immortalia, quia per eam fide conjungimur ipsissimo corpori Christi, ex quo tam animus, quam corpus vivificatur. Paulo planius id explicat Petrus Martyr, libro *contra Gardinerum*, objecto 151. ubi dicit, per Eucharistiam corpora nostra fieri immortalia, quia per eam fide apprehendimus Christum; ex ea fide renovatur anima; ea renovatio redundat in corpus, illudque facit paulatim aptum instrumentum Dei, et vitæ æternæ capax.

At contra. Nam Irenæus (ut adversarii fatentur) contendit probare hæreticis sui temporis veram carnis nostræ resurrectionem aliquando futuram; idque probat, quia ipsa caro nostra per Eucharistiam conjungitur immortalitati, et vivificatrici Christi carni. At si esset vera adversariorum sententia, Irenæi argumentum vel nihil concluderet, vel certe esset supervacaneum. Nam qui negant resurrectionem carnis, non admittunt illam redundantiam gratiæ ex anima in corpus, in qua ponit Petrus Martyr totam vim argumenti Irenæi; neque admittent, quod dicit Beza, Christi corpus animo apprehensum, animam et corpus vivificare, imo dicent inde sequi, corpus non vivificare, sed solam animam, cum illa sola Christum apprehendat. Deinde, quid erat opus urgere tantopere Eucharistiam ad probandam resurrectionem, quod Irenæus facit, tum hoc loco, tum lib. v. et alibi? Nam satis erat dicere, Christum per fidem apprehensum vivificaturum animas, et corpora nostra: impertinens autem est, unde

excitetur illa fides, utrum sumptione Eucharistiæ, aut Baptismi, aut solo Dei verbo, aut aliquo miraculo: ista enim omnia nihil sunt apud adversarios, nisi instrumenta excitandæ fidei.

Ad secundum respondet Martyr, lib. *contra Gardinerum*, objecto 152. et 153. Eucharistiam vocari panem non communem, quia est sacramentum quoddam, proinde panem sacrum non vulgarem dici debere. Constare autem, ait, re terrena, et cœlesti, id est, symbolo, et re significata; licet res significata procul absit, sive pane, et sanctificatione. Est enim panis res terrena, sanctificatio autem, qua panis Sacramentum efficitur, res est cœlestis.

Utraque absurda est explicatio: ac primum rem terrenam esse symbola, rem cœlestem esse rem significatam, sed absentem, nullo modo fieri potest. Nam nihil constare dicitur ex eo, quod in ipso non est: Eucharistiam autem constare dicit Irenæus ex duabus rebus, terrena una, altera cœlesti; vult ergo utramque rem esse in ipsa Eucharistia.

Respondet Martyr, omnino constare posse aliquid ex eo, quod in ipso non est: « Nam sermo noster, inquit, constat ex voce, et re significata; et tamen res significata sæpe longissime abest a voce. Præterea Paulus dicit, Sacramenta veteris testamenti constitisse ex symbolis, et corpore Christi: manducabant enim eandem escam nobiscum, » 1 Corinth. x. « At corpus Christi tam procul aberat, ut ne natum quidem esset ».

Hic vero prodit suam imperitiam Petrus Martyr. Quis enim unquam dixit, sermonem constare ex voce, et re significata? nonne relative opponuntur signum, et res significata? quomodo igitur potest aliquid ex oppositis constare? Iefellit eum fortasse, quod dici solet, sermonem constare ex voce, et significatione. Sed significatio in ipsa voce est, ut relatio in suo subjecto; ac proinde non potest ex ea probare Petrus Martyr aliquid constare ex eo, quod in ipso non est. Quod vero addit desacramentis veteribus ex Paulo, impudens mendacium est. Nusquam enim Paulus dixit, Sacramenta vetera constitisse ex symbolis, et corpore Christi: nec dixit Patres veteris Testamenti manducasse eandem escam nobiscum, ut supra sæpius demonstravimus.

Jam vero illa altera expositio, qua per rem cœlestem intelligunt consecrationem, sive

sanctificationem, æque facile refelli potest. Nam nullam ipsi agnoscunt veram consecrationem panis; quam enim nos adhibemus, incantationem vocant; sed solum illis consecratio est panem deputari a Deo ad sacramenti usum, id est, ut representet corpus Christi: quæ consecratio nihil reale ponit in pane, sed merum respectum rationis. Porro Irenæus de rebus loquitur, non de entibus rationis, cum dicit Eucharistiam constare duabus rebus, una terrena, altera cœlesti. Et confirmatur argumentum ex ipsorum adversariorum testimonio. Nam cum quæritur, quid sit res terrena, et nos dicimus esse accidentia panis sensibilia; illi clamant, rem terrenam debere esse substantiam, non sola accidentia. Si ergo res terrena, ut vere dici possit res, debet esse substantia; res cœlestis, ut res vere dici possit, nonne debet esse etiam substantia? quomodo igitur exponunt per rem cœlestem, consecrationem, quæ in re nihil est? Præterea nemo ita loquitur de aliis sacramentis, ut dicat aquam Baptismi constare duabus rebus, una terrena, altera cœlesti; et tamen aqua Baptismi, symbolum est sacramenti, ut panis Eucharistiæ. Denique consecratio non habet eam vim, quam tribuit Irenæus rei cœlesti in Eucharistia: ipse enim vult Eucharistiam, quia re cœlesti constat, facere corpora nostra immortalia ex mortalibus. At non habet sola consecratio istam virtutem, et præsertim secundum adversarios, qui nullam vim tribuunt sacramentis, nisi ad fidem excitandam representando. Vera igitur expositio est, rem terrenam esse id, quod sensu percipitur in Eucharistia (illud enim etsi revera substantia non sit, tamen vera res, et vere terrena est, alioqui sensibus corporalibus apprehendi non posset) rem cœlestem esse id, quod creditur nimirum Christi corpus gloriosum et immortale.

Ad tertium nostrum argumentum respondet Petrus Martyr, lib. *contra Gardinerum*, objecto 152. ex verbis Irenæi colligi contrarium ejus, quod nos volumus. Ille enim dicit, sic mutari panem per consecrationem, et ex communi fieri sacrum, et cœlestem, quomodo per ipsam Eucharistiam corpora nostra fiunt immortalia ex mortalibus. At nostra corpora non mutantur substantialiter, sed accidentaliter tantum; ergo et panis ille non mutatur nisi accidentaliter; quia nimirum sit sacramentum religionis, cum antea cibus esset tantum vulgaris.

Respondeo dupliciter. Primo, quæ afferuntur ut similia, debere esse similia in re, de qua disputatur, non autem in omnibus. Volebat autem Irenæus ostendere, corpora nostra vere resurgere, et fieri ex mortalibus immortalia: id ostendit hac similitudine. Sicut panis communis et proinde corruptibilis per consecrationem fit panis cœlestis, et incorruptibilis, ita corpora nostra corruptibilia per Eucharistiæ perceptionem fiunt incorruptibilia. In qua similitudine id requiritur, et sufficit, ut sicut corpora nostra vere mutantur, et fiunt incorruptibilia ex corruptibilibus, ita panis ille communis vere mutetur et fiat incorruptibilis: utrum autem id fiat per mutationem substantiæ, aut accidentium, impertinens est, ut patet.

Secundo tamen respondeo cum Joann. a Lovanio in lib. *de Eucharistia*, Irenæum loqui de mutatione substantiali, tam panis, quam etiam corporum nostrorum. Nam loquitur de mutatione, quæ fiet in resurrectione, quando pulveres, seu cineres corporum nostrorum mutabuntur in corpora humana gloriosa, et immortalia: id enim apertissime Irenæus demonstrat lib. v. cap. 2. Ibi enim cum dixisset non posse fieri, quin caro nostra resurgat immortalis, cum nutriatur corpore et sanguine Christi, rebus nimirum immortalibus; ita subjungit: « Et quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram, et dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in usum hominibus veniunt, et percipientia verbum Dei fiunt Eucharistia, quod est corpus, et sanguis Christi: sic et nostra corpora ex ea nutrita, et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris. » Ut pulchre Irenæus comparat corpora nostra cum grano tritici, quod in terra dissolvitur, et corrumpitur; virtutem autem Eucharistiæ cum spiritu illo, seu genitili virtute, quæ corruptum granum resurgere facit. Nam quem admodum granum frumenti, etiamsi mutatum fuerit in putredinem, tamen propter illam vim genitalem, quam habet, resurgit in spicam: ita corpora nostra, quamvis in pulverem resolvantur, tamen propter virtutem receptam a communicatione carnis, et sanguinis Domini, resurgent gloriosa, et immortalia. Et hoc est etiam, quod Irenæus significat, cum ait, corpora nostra consistere,

et augeri ex corpore et sanguine Christi; quia nimirum Eucharistia facit, ut corpora non solum non percant, sed etiam ut resurgant aucta pluribus donis, quam antea haberent: sicut etiam granum non resurgit simpliciter in granum, sed in spicam, id est, multiplicatum et auctum.

Unum argumentum ex Irenæo pro se adducit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 154. 156. 157. Nam Irenæus scribit, ipsum panem esse corpus Christi, quod non potest esse verum, nisi tropice accipiendo corpus Christi, lib. iv. cap. 32. «Eum, inquit Irenæus, qui est ex creatura, panem accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum; et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est.» Et libro eodem, cap. 34: «Quomodo constabit eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini etc.» Et libro eodem, cap. 57: «Accipiens panem, suum corpus confitebatur.»

Respondeo: Irenæus non significat panem simpliciter esse corpus Christi, sed panem in quo gratiæ actæ sunt, id est, panem sanctificatum, et factum Eucharistiam, ut Justinus loquebatur, *τροφὴν εὐχαριστηθεῖσαν*. Credibile enim omnino est, Irenæum eadem voce græca usum, quam interpretes non potuit reddere unica voce, sed per circumlocutionem expressit. Porro, panis factus Eucharistia, vere, et proprie est corpus Christi. Similis locutio esset, si quis diceret: Virga Mosis versa in draconem ambulabat, et comedebat: et aqua a Christo in vinum conversa, colorem, et saporem vini habebat.

Profert etiam aliud argumentum Petrus Martyr ex eo, quod Irenæus dicit, corpore Christi ali, et augeri corpora nostra. Sed hoc jam est solutum.

## CAPUT VII.

TERTIA ÆTAS ECCLESIE AB ANNO DOMINI  
200 AD 300.

### *Testimonium Tertulliani.*

In tertia ætate habemus tres testes, Tertullianum, Origenem, Cyprianum. Tertullianus ad initium anni 200 floruit, et quanvis hæ-

reticus fuerit Montanista in extrema ætate sua, tamen a nullo veterum Patrum reprehenditur hoc nomine, quod erraverit circa Sacramentum Domini corporis. Itaque potest ad testimonium dicendum, tanquam auctor antiquissimus et doctus, admitti, ut etiam eum admittunt hæretici hujus temporis.

Is igitur in lib. ii. *ad Uxorem*, cum hortaretur fœminas Christianas, ut non nubent gentilibus maritis, præter alia argumenta, quibus id persuadere nititur, unum sumit ab Eucharistiæ communicatione. Nam aut oportebit clam marito sumere Eucharistiam, et hoc vix fieri poterit; aut illo sciente, et tum exponetur Sacramentum contemptui. «Non sciet, inquit, maritus quid secreto ante omnem cibum gustes; et si sciverit, panem, non illum credit esse qui dicitur.» Hæc ille. Ubi Tertullianus satis aperte indicat Eucharistiam non esse panem materiale, licet id videatur esse gentilibus, sed esse Christum.

Respondet Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 160. velle Tertullianum dicere, gentiles non scire Eucharistiam esse sacramentum, sed prophanum panem solummodo credere.

At repugnat ratio grammaticæ. Nam Tertullianus ait: «Et si sciverit, panem non illum credit esse, qui dicitur»: non autem ait: Non illud credit esse, quod dicitur: certe sacramentum est generis neutri, non masculini. Denique nulla difficultas erat, vel fœminæ Christianæ significandi panem illum esse sacrum, quod repræsentaret Christum; vel viro gentili id credendi. Tertullianus autem loquitur de re, quam maritus gentilis non facile credere posset, nec tuto illi explicanda esset.

Idem Tertullianus in lib. *de Corona militis* inter alios Christianos ritus ponit summam cautionem, quam adhibebant Christiani, ne aliquid Eucharistiæ in terram caderet: «Calicis, inquit, aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur.» Hæc ille: de quo argumento supra diximus in testimonio S. Pii Papæ.

Idem Tertullianus in lib. *de Resurrect. carnis* probat, vere carnem resurrecturam, et non solam animam salvandam, ex eo, quod omnia sacramenta per corpus transeunt ad animam: «Caro, inquit, abluatur, ut anima emaculetur; caro inungitur, ut anima consecretur; caro corpore, et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.»



Respondent Petrus Martyr loco citato, et Beza in *Cyclope*, et Boquinius in libro *de Cæna Domini*, a Tertulliano vocari corpus Christi, ipsum sacramentum corporis, quia repræsentat per modum signi ipsum verum corpus Christi.

At si ita est, argumentum Tertulliani concidit. Dicunt enim hæretici, qui negabant veram resurrectionem, quod sicut sola anima verum corpus Christi percipit, caro autem non ipsum corpus, sed ejus figuram : ita solam animam vere, et proprie resurgere, carnem autem non vere et proprie, sed metaphorice.

Idem denique in libro *de Idololatria* reprehendens quosdam, qui artifices idolorum ad sacerdotium, vel certe diaconatum promovebant : « Proh scelus, inquit, semel Judæi Christo manus intulerant, isti quotidie corpus ejus laccessunt, o manus præcidendæ etc. » Ac certe non conferret Tertullianus crimen eorum, qui indigne tractant hoc Sacramentum, cum Christi crucifixione, nec manus illas præcidendas diceret, si tantum putaret esse in Sacramento corporis Christi figuram. Nam etiamsi injuria imaginis refertur (ut supra diximus) ad exemplar ; tamen quando non fit ea intentione, ut lædatur exemplar, non est crimen ullo modo conferendum cum injuria, quæ fit ipsi exemplari in se. Tertullianus autem non loquitur de illis, qui dedita opera, et ut Christum injuria afficerent, Sacramentum ejus violabant ; sed de illis, qui cum peccatores essent, audebant corpus Domini tractare et porrigere communicaturis.

Sed videamus quid illi ex Tertulliano afferant. Tria igitur testimonia ex illo producant. Primum est lib. I. *contra Marcionem*, paulo ante medium : « Sed ille, inquit, usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit, nec oleum, quo suos ungit, nec mellis et lactis societatem, quo suos infat, nec panem, in quo ipsum corpus suum repræsentat. »

Respondeo : Verbum Repræsentandi ambiguum est : significat enim præsentem rem aliquam facere, sive reipsa, sive in signo aliquo, vel imagine. Ac, ut omittam testimonia Ciceronis, et etiam sanctorum Patrum, qui frequenter utuntur hac voce ad significandum rem aliquam vere, et proprie præsentem exhiberi : Tertullianus ipse utriusque significationis exempla præbere potest, lib. IV. *in Marcionem*, circa medium : « Itaque, inquit,

jam repræsentas eum : Ille est Filius meus etc. » Ubi dicit Deum Patrem, qui aliquando promiserat Filium, eundem repræsentasse, cum ait in monte Thabor : *Hic est Filius meus* ; ubi apertissime vocat repræsentare, exhibere reipsa : et in libro contra Praxeam vocat Filium Patris repræsentatorem, quia revera Pater est in Filio. Sed ipse idem in lib. *de Pœnitent.* distinguit adulterium, reipsa commissum, ab adulterio per concupiscentiam in mente repræsentatum ; ubi repræsentare est exhibere non reipsa, sed in imagine.

Cum ergo vox ambigua sit, non potest recte ullo modo colligi, Tertullianum loqui de repræsentatione in signo, et non in re ; imo contra potius, quia magis proprie dicitur repræsentari, quod reipsa exhibetur, quam quod solum in signo : probabilius colligetur Tertullianum loqui de repræsentatione, qua reipsa corpus Domini exhibetur.

Quare Petrus Martyr lib. *contra Gardin.* object. 160. tractans hunc locum Tertulliani, fatetur non posse ex hoc solo loco aliquid certi concludi, sed oportere ex aliis locis venari mentem Tertulliani, et remittit nos ad alium locum, quem nos paulo post excutiemus.

Secundum testimonium proferunt ex lib. III. *contra Marcionem*, et ex libro *contra Judæos* : nam eadem verba in utroque libro habentur. Sic ergo Tertullianus in libro *contra Judæos*, ait : « De hoc ligno Deus per Hieremiam insinuat, quod essetis dicturi ; Venite mittamus lignum in panem ejus. Utique in corpus ejus lignum missum est : sic enim Christus revelavit, panem corpus suum appellans, cujus retro corpus in panem Prophetes nuntiavit. » Et rursus sic ait lib. III. *in Marcionem* : « Hoc lignum, et Hieremias tibi insinuat dicturis prædicans Judæis : Venite mittamus lignum in panem ejus, utique in corpus. Sic enim Deus in Evangelio quoque vestro revelavit, panem corpus suum appellans, ut et hinc jam cum intelligas corporis sui figuram panis dedisse, cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit. »

Respondeo : hic locus Catholicis favet, non hæreticis, si sententia Tertulliani diligenter consideretur. Nam scribit ipse apud Hieremiam per panem intelligi corpus Christi, quod in ligno crucis affixum fuit : atque addit Christum ipsum ita explicuisse prophetiam Hieremiæ, cum de pane Eucharistiæ dixit : *Hoc est corpus meum. quod pro vobis tradetur.*

Ubi necesse est per panem apud Hieremiam non accipere panem materiale, qui significet corpus Christi (ut hæretici loquuntur de pane Eucharistiæ) sequeretur enim panem fuisse crucifixum, non autem ipsum Christum, si ita acciperemus eo loco panem; sed accipere cogimur per panem ipsum verum Christi corpus, quod est panis vitæ. Itaque Hieremias loquitur quidem figurate, sed tropus non est in eo, quod panis dicatur corpus, quia sit corporis signum; sed in eo, quod corpus dicatur panis, quia nutrit animas nostras instar panis; ut etiam recte exposuit Lactantius lib. iv. *divin. Institut.* cap. 18. ubi dicit corpus Domini vocari panem a Hieremia, quia est eibus, et vita hominum, qui credunt in eum. Sed Christus per Tertullianum declaravit prophetiam Hieremiæ, cum ait de pane: *Hoc est corpus meum*; ergo Christus non de pane materiali dixit: *Hoc est corpus meum*; sed de pane cœlesti qui est vere corpus ejus. Nam si Dominus de pane materiali dixisset: *Hoc est corpus meum*, sequeretur, panem materiale fuisse pro nobis crucifixum: de illo enim pane dixit: *Hoc est corpus meum*, secundum Tertullianum, de quo dixit Hieremias: *Mittamus lignum in panem ejus*. Quare ex sententia Tertulliani, illud pronomen, *Hoc*, demonstrat quidem panem, sed panem cœlestem; vel certe demonstrat panem terrenum, non qui maneat, sed qui mutetur in corpus Christi, ut sensus sit eorum verborum (secundum Tertullianum) *Hoc est corpus meum*, id est; Hic panis, quem vobis porrigo, non est panis communis, sed est ipsum corpus meum: vel, Hoc, quod hactenus fuit panis communis, jam est corpus meum.

Porro illa verba obscurissima Tertulliani ex lib. iii. *contra Marcionem*: « Hinc intelliges corpori sui figuram panis dedisse, » non significant Christum dedisse Apostolis figuram corporis sui, non ipsum corpus: alioqui non diceret corporis figuram panis, sed figuram corporis panem dedisse. Significat igitur Christum dedisse, id est, explicuisse, sive implese figuram corporis sui, quam in pane Hieremias posuerat. Itaque sic ordinanda sunt illa verba; Hinc intelliges corporis sui figuram; figuram, inquam, panis, id est, in panis vocabulo latentem, Christum aperuisse; unde subjungit: « Cujus retro corpus in panem Prophetes figuravit. » Est enim antithesis quædam in his verbis notanda: nam sicut Hieremias panem dixit,

cum significare vellet corpus Domini; sic e contrario Dominus corpus suum esse dixit, cum panem vitæ discipulis daret.

Sequitur tertius locus ex lib. iv. *contra Marcionem*, ubi sic legimus: « Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus suum illum fecit; Hoc est, corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. »

Respondeo: priora verba hujus testimonii, quod omnes Sacramentarii tanquam Achillem quemdam in prima acie constituunt, pro nobis maxime faciunt: posteriora autem nihil obsunt causæ nostræ. Illud enim: « Acceptum panem corpus suum fecit dicendo: Hoc est corpus meum, » aperte indicat panis reale mutationem in corpus Christi; illud autem: « Hoc est figura corporis mei », non significat (ut Sacramentarii credunt) panem Eucharistiæ esse figuram corporis Domini, sed quod fuit olim figura in Testamento veteri, nunc in corporis veritatem esse mutatum. Conjungitur enim illud: « Figura corporis mei, » non cum voce proxime præcedente: « corpus meum, » sed cum pronomine: « Hoc, » ut sit hic sensus: Acceptum panem corpus suum fecit, dicendo: Hoc, id est, panis, qui olim fuit figura corporis mei, nunc est corpus meum: ubi pronomen: « Hoc » demonstrat panem, non qui manet, sed qui mutatur, ut supra diximus.

Id autem ita esse probatur primo ex illis verbis sequentibus: « Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. » Si enim per figuram intelligeret Eucharistiam, non diceret, « non fuisset », sed, non esset: loquitur igitur de figura Testamenti veteris, quæ sine dubio vera figura non fuisset, nisi corpus verum ei responderet.

Secundo idem patet ex verbis paulo infra sequentibus: « Cur, inquit, panem corpus suum appellat, et non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Venite coniciamus lignum in panem ejus, scilicet crucem in corpus ejus? Itaque illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declaravit, corpus suum vocans panem. » Ubi Tertullianus dicit, Christum vocasse corpus suum panem, non peponem, aut aliquem alium cibum, ut impleret figuram Hieremiæ, qui nomine panis significaverat Christi corpus: non ergo Christus instituit in Eucha-

ristia figuram corporis sui, ut adversarii volunt, sed implevit figuram veterem ex pane conficiendo corpus suum.

Tertio ex verbis aliis sequentibus, ubi explicans prophetiam Jacob, Genes. XLIX. *Lavabit in vino stolam suam; et in sanguine uvæ pallium suum* (1). «Stolam, inquit, carnem demonstrat, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.» Ubi notandum, quod sicut apud Hieremiam panis significabat corpus, quia corpus Domini est cibus fidelium, ut supra diximus: ita vinum apud Jacobum Patriarcham significat sanguinem Domini, quia sanguis Domini est potus fidelium. Christus autem ut explicaret istas figuras, seu vaticinia, corpus sub specie panis, et sanguinem sub specie vini nobis tradidit: et sane si non verum corpus, et sanguinem reipsa dedisset, non recte explicuisset, vel implesset vaticinia. Nam tam Hieremias per panem verum corpus, quam Jacob per vinum verum sanguinem prænuntiavit, ut Tertullianus dicit. Illa autem verba Tertulliani: «Qui tunc vinum in sanguine figuravit,» referuntur ad illa verba Jacobi, *in sanguine uvæ pallium suum*. Vult enim dicere per sanguinem uvæ, intelligi vinum, sed per vinum intelligi sanguinem Domini, ut ipse explicat, cum ait per stolam carnem, per vinum sanguinem demonstrans.

Quarto denique idem patet ex progressu totius libri. Nam propositum ejus erat ostendere Christum in Evangelio non destruxisse Testamentum vetus, sed illud implesse. Itaque percurrit Tertullianus plurima Christi opera, ac demonstrat Christum in omnibus illis dedisse operam, ut impleret figuras legis: igitur hoc etiam loco non inducit figuram institutam in Testamento novo, sed impletionem tantum veterum figurarum.

## CAPUT VIII.

### *Testimonium Origenis.*

Origenes, qui Tertulliano non multo posterior fuit, multis in locis de sacramento Eucharistiæ loquitur: ac primum homil. 13. in *Exod.* exponens cap. xxv. hujus libri, cum hortari vellet populum, ut non contemneret verbum Dei, adducit exemplum dili-

(1) Gen. XLIX, 41.

gentiæ omnium Christianorum in conservando Christi corpore: «Volo, inquit, vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, et veneratione servatis, ne ex eo parum quid dicedat, ne consecrati muneri aliquid dilabatur; reos enim vos creditis, et recte creditis, si quid inde per negligentiam dicedat.» Hæc ille. Porro adversarii, neque corpus Domini servant, cum non agnoscant Sacramentum, nisi in usu, neque consecrant, neque reos se putant, si quid illius panis, aut vini in terram cadat. Et merito non putant, quia nihil nisi panem habent: at si vere corpus Domini haberent aut habere se crederent, certe vel diligentissime conservarent, ut semper Ecclesia fecit, aut se aperte impios, et sacrilegos testarentur. Ad hoc testimonium, ut etiam ad sequens, non vidi responsionem adversariorum.

Alterum testimonium Origenis est in homil. 5. in *diversa loca Evangelii*, in qua tractat de puero centurionis: «Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane, et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, et dicito: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.» Hæc ille. Sane ista non possunt recte dici nisi de vero corpore Domini, quod vere ore corporis accipiatur. Nam si loqueretur Origenes de corpore Domini per metonymiam, id est, de pane significante corpus Christi, non vocaret eum panem incorruptum epulum, nec ei dici vellet: *Domine, non sum dignus*, etc. Si vero loqueretur de ipso Christo per panem significato, qui per fidem accipitur, non diceret: «Ubi indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.» Nam secundum adversarios Christus per fidem non potest accipi nisi a piis, et ad vitam; quod enim indigne accipitur ab impiis, non est nisi externum symbolum, secundum adversarios. At Origenes illi, qui ingreditur ad pios, et impios, vult dici: *Domine non sum dignus*, ergo vel vult adorari, et invocari panem, quod est absurdissimum; vel vult sub illis speciebus vere Christum ipsum contineri.

Tertius locus est homil. 7. in *libro Numeri*:

« Tunc inquit, in ænigmate est manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei, et verus cibus, sicut ipse dicit, quia caro mea vere est cibus ». Hæc ille. At certe species cum ænigmate opponitur, idem significat, quod veritas collata figuræ. Si autem Eucharistia esset corpus Christi, solum tropice; non in specie, sed in ænigmate dici deberet caro Domini: nam etiam manna erat corpus Domini tropice, id est, significative. Et confirmatur argumentum ex verbis præcedentibus ubi Origenes dicit Hebræos habuisse Baptismum in ænigmate, dum transirent mare Rubrum, nobis autem in specie per Baptismum conferri regenerationem. At vera regeneratio nobis datur in Baptismo, quam non dabat, sed adumbrabat solum transitus maris Rubri: ergo eodem modo vera caro nobis datur in Eucharistia, quam non dabat, sed in ænigmate significabat manna Judæorum.

Ad hunc locum respondent adversarii, ac maxime Petrus Martyr in libro *contra Gardinerum*, part. iv. Origenem loqui de modo loquendi, non existentia rerum, id est, asserere Judæos habuisse corpus Christi in ænigmate, quia non declarabatur eis, quid significaret manna: nobis autem dari in specie, quia aperte nobis dicitur, quid significet panis Eucharistiæ.

Sed fallitur, aut fallit Petrus Martyr. Nam Origenes utrumque dicit, et Deum locutum olim in ænigmate, quod nunc in specie dat. Sic enim ait: « Verum tamem Moyses priusquam acciperet Æthiopissam, non est scriptum, quia in specie locutus sit ei Deus, et non in ænigmate: sed ubi accepit Æthiopissam, tunc dicit de eo Deus, quia os ad os loquar ad eum, in specie, et non in ænigmate. Modo enim cum Moses venit ad nos, et conjunctus est huic nostræ Æthiopissæ, lex Dei, jam non in figuris, et imaginibus, sicut prius, sed in ipsa specie veritatis agnoscitur: et quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in specie, et veritate complentur ». Hæc ille. Vides hic non solum Deum clarius loqui sed etiam reipsa præstare, quæ in ænigmate designabat? Eucharistia igitur veram carnem continet, quam in ænigmate manna designabat.

Videamus nunc quid illi contra nos afferant ex Origene. Profert Petrus Martyr loca sex Origenis in libro *contra Gardinerum*, objecto 162. Et sequentibus, quæ tamen, aut nihil concludunt, aut nobis magis, quam adversariis favent. Primus locus est ex homil.

16. *in Numeros*: « Biberet, inquit, dicimur sanguinem Christi non solum Sacramento-rum ritu, sed etiam cum sermones ejus recipimus. » Hæc ille. Hinc adversarii probare nituntur in Sacramentis non bibi sanguinem Christi, nisi spiritualiter, sicut non nisi spiritualiter bibitur in concione.

At contrarium potius sequitur. Non enim dicit Origenes eodem modo bibi Christi sanguinem in Sacramentis, quo bibitur in concione; imo cum distinguat hos duos modos, indicat esse modos diversos; et per hoc bibi in concione spiritualiter, in Sacramentis autem reipsa.

Secundus locus est ex commentario Origenis in cap. 26. Matthæi, ubi sic legimus: « Panis iste, quem Deus Verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum. » Notat Martyr panem ipsum vocari corpus Christi; proinde panem materialem esse in Eucharistia. Deinde addit: eum panem dici verbum, quia sacramenta sunt verba visibilia. Addit denique non posse panem dici verbum nutritorium, si per transubstantiationem evanescat: id enim quod nihil est, non potest aliquid nutrire.

Respondeo: Origenes prætermisso litterali sensu omnibus noto, exponit mystice totum hunc locum. Nec per panem intelligit panem materialem, qui sit verbum visibile: sed intelligit sermones Christi, seu verba Dei non visibilia, sed audibilia; dicit enim hoc verbum esse verbum de Deo Verbo procedens, et panem de pane cœlesti, id est, esse sermonem quem loquitur Christus, qui est Deus Verbum, et panis cœlestis. Vide totum locum t. 35. *In Matthæum*, et nihil dubitabis, quin mystica sit, non litteralis Origenis expositio.

Tertius locus est in homil. 7. *In Leviticum*, ubi postquam dixerat Origenes, carnem Christi esse verbum Dei, subjungit: « Si enim secundum litteram sequaris hoc, quod dictum est: Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, occidit hæc littera. Ubi videtur non admittere ullum alium sensum, nisi mysticum.

Respondeo primum: Si quid probat hoc testimonium, solum probat non agi de Eucharistia in vi. cap. Joan. non autem probat in Eucharistia non esse verum Christi corpus. Nam etiam adversarii docent Joan. vi. non agi de Eucharistia; et tamen non concederent, carnem Christi non manducari, nisi audiendo concionem: hoc enim esset plano tollere sacramentum Eucharistiæ.

Dico secundo, illa verba : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, tribus modis exponi posse. Uno modo prorsus mystice, et figurate, et hoc modo exponit hoc loco Origenes, dum per carnem Domini intelligit sermones divinos. Altero modo prorsus ad litteram, id est, sine ulla adjunctione mysterii; et hoc modo acceperunt Capharnaitæ, qui putarunt edendam Christi carnem, quomodo comeduntur cæteræ carnes, id est, eam lacerando et consumendo : et de hoc sensu recte dicit hoc loco Origenes : *Littera occidit*; et Augustinus lib. III. *Doctrinæ Christianæ*, cap. XVI. dicit, verba Domini ita ad litteram accepta, scelus quoddam sonare. Tertio modo non omnino ad litteram, nec omnino figurate, sed ad litteram quoad substantiam rei, et manducationis, figurate autem, quoad modum manducationis, ut videlicet sensus sit, manducandam vere Christi carnem, sed sine ulla sui læsione, ut supra diximus in explicatione sententiæ S. Augustini de his verbis : atque hunc sensum hoc loco Origenes non attingit, sed non rejicit; et homil. 7. in *Numeros*, eundem aperte recipit cum de Eucharistia ad litteram exponit illa verba : *Caro mea vere est cibus*.

Quartus locus est homil. 9. in *Leviticum* prope finem : « Non hæreas in sanguine Verbi, et audi ipsum tibi dicentem quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. » Illic Petrus Martyr doceri contendit, ut non existimemus in Sacramento esse verum sanguinem carnis Domini; sed erigamus mentem ad significationem Verbi. Si enim revera sanguis Domini esset in Eucharistia, oporteret illi inhærere, ut pretio nostro, illudque submisce adorare.

Respondeo : Toto cælo hoc loco aberrat Petrus Martyr cum aliis Calvinistis, dum existimat sanguinem Verbi esse prædicationem, seu significationem verborum Domini. Vocat enim Origenes sanguinem Verbi, sanguinem verum, et corporalem Dei Verbi, id est, Christi; ac monet ut non inhæreamus in eo sanguine, tamquam in sanguine carnis, ac si nihil esset, nisi sanguis quidam humanus; sed consideremus eum esse sanguinem ipsius Dei, quo redempti sumus. Vel (quod videtur probabilius) monet, ut non hæreamus in sanguine carnis, id est, in sanguine vitulorum, et hircorum, de quo loquitur Moses in eo loco Levitici; sed eo dimisso ascendamus

ad sanguinem Dei Verbi, qui per sanguinem illum vitulorum, et hircorum significabatur. Intelligere autem Origenem per sanguinem Verbi ipsum verum, et corporalem Christi sanguinem, patet, quia de hoc sanguine Verbi dicit Origenes, eo nos esse redemptos. At non sumus redempti significatione verborum, sed veri sanguinis effusione. Item dicit de hoc sanguine scriptum esse : *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur*. At hæc verba non possunt intelligi de concione, sed de vero sanguine, ut patet. Denique addit ibidem Origenes hæc verba : « Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem, et sanguinem Verbi Dei : non ergo immoremur in his, quæ et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt. » Ubi Origenes dicit fideles satis nosse, quid sit caro, et sanguis Verbi Dei; infideles autem nec scire, nec discere posse, nisi prius ad fidem venient. At quid sit concio, quid passio Christi prædicata, etiam infideles norunt : omnibus enim in commune prædicatur Evangelium; non igitur loquitur de concione, sed de mysterio altissimo Eucharistiæ, quod infideles non norunt, nec discere possunt. Vides quomodo testimonium Origenis contra nos allatum maxime nobis favcat?

Quintum testimonium sumunt ex commentario in cap. XV. Matthæi, ubi Origenes tractans illa verba Domini : *Quod intrat per os, non inquinat hominem* (1); quædam dicit de hoc Sacramento, quæ Petrus Martyr et alii Calvinistæ pro sua sententia adducunt. Primo dicit, corporalem esum Eucharistiæ rem esse indifferentem, id est, nec bonum, nec malum : « Quod, inquit, ad esum per se attinet, neque ex hoc, quod non edimus de pane, verbo Dei et per obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono; neque ex edendo abundamus aliquo bono; siquidem causa defectus est malitia, peccataque; et abundantia causa est justitia, et recta facta. » Hæc ille. At si esset in Eucharistia re ipsa Domini corpus, recte prodesset vi sua, et non solum ex bonitate sumentis. Secundo dicit, in Eucharistia esse materiam panis, quia in secessum emittitur : « Et ille cibus, inquit, qui sanctificatur per verbum Dei, et orationem, juxta id, quod habet materiale, in ventrem abit, et in secessum emittitur. » Et infra : « Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non

(1) Math. XV, 11.

indigne Domino comedenti illum. » Tertio, vocat Eucharistiam corpus typicum, et symbolicum, et distinguit illud a vero Christi corpore : « Et hæc quidem, inquit, de typico, symbolicoque corpore. Multa porro et de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verusque cibus etc. » Quarto dicit corpus Christi, non posse manducari a peccatoribus : « Si fieri posset, inquit, ut quis malus adhuc perseveret, edat Verbum factum carnem, cum sit Verbum, et panis vivus, nequaquam scriptum esset : Quisquis ederit panem hunc, vivet in æternum. » Ob hæc loca ita triumphat Petrus Martyr, ut dicat lib. I. *contra Gardinerum*, objecto 169. « Locum hunc nunquam nobis excutiet : verba ita sunt perspicua, ut nullis ambagibus, aut commentis possint mitigari. »

Ad hæc loca quidam respondent, commentaria ista non esse integræ fidei, neque omnino constare, an sint Origenis : modus enim loquendi (quidquid sit de re) non parum dissonat ab his locis, quæ nos supra citavimus ex veris libris Origenis.

Alii respondent, Origenem hoc loco non loqui de Eucharistia, sed de pane quodam sanctificato, qui dabatur catechumenis loco Eucharistiæ, de quo scribit etiam Augustinus lib. II. *de Peccatorum meritis et remissione*, cap. 26. Qui panis recte dici poterat corpus Domini symbolicum, quia repræsentabat Eucharistiam, cum ejus loco daretur. Unum obstat huic explicationi, quod Origenes de isto pane indigne manducato intelligat Apostolum I. Corinth. XI. ubi ait : *Propter hoc multi inter vos imbecilles, et dormiunt multi* (1). Nisi forte Origenes extendere voluerit verba illa Pauli, quæ proprie ad Eucharistiam pertinent, ad panem illum catechumenorum ; nam suo modo, id est, servata proportione, peccat etiam, qui contemnit panem illum sanctificatum, licet, multo minus, quam qui despicit Eucharistiam.

Sed his omissis, respondeo illa omnia, quæ Origenes dicit, posse recte intelligi de sacramento Eucharistiæ. Ad primum igitur respondeo, loqui Origenem præcise de esu corporali Eucharistiæ, abstrahendo a bonitate, vel malitia sumentis ; et hoc modo verum est, esum illum non prodesse, si adsit ; nec obesse, si absit. Nihil enim prodest comedere corporaliter Eucharistiam, nisi adsit etiam spiritualis manducatio ; quia

hic cibus mentis est, non ventris : neque obest non manducare, si non ex contemptu, sed aliqua justa de causa omittatur sacramentalis manducatio. Neque ex hoc colligi debet, Eucharistiam esse rem indifferentem, et non habere vim sanctificandi, nisi ex fide sumentis. Nam non dicit Origenes, eam non habere vim ex se, sed dicit non exercere eam vim in eos, qui indigne sumunt ; quod est verissimum.

At, inquires, « comparat Eucharistiam Origenes cum cibus communibus, qui sunt vere indifferentes. » Respondeo : Non comparat, quoad omnia, sed solum quoad effectum : alioqui idem ipse dixerat, panem illum sanctum vim habere sanctificandi ex verbo Dei, quo consecratus est.

Ad secundum respondeo, materiale, quod in secessum abit, appellari ab Origene accidentia visibilia. Neque obstat, quod ait Petrus Martyr, illa accidentia ad formam potius pertinere, quam ad materiam, cum sint qualitates quædam, id est. accidentales formæ. Nam hoc loco non vocatur aliquid materiale, respectu formæ naturalis, sed respectu sanctificationis, et significationis. Et præterea ex accidentibus Eucharistiæ principale est magnitudo, in qua fundantur omnia alia : magnitudo autem ad materiam potius, quam ad formam pertinet.

Ad tertium respondeo, symbola panis, et vini recte dici corpus typicum, et symbolicum, modo sane, et catholice intelligatur : omnes enim Catholici Eucharistiam sacramentum esse dicunt, signum seu symbolum rei sacræ, id est, corporis Christi. Sed quæstio est inter nos, et Sacramentarios, utrum hæc symbola sint rei absentis, an presentis : nos enim dicimus sub illis symbolis vere contineri corpus Dominicum, illi negant. Et præterea ipsum verum corpus, ut est in Eucharistia, est typus ac symbolum sui ipsius, ut fuit in cruce, et ut est nunc in cælo. Nam non solum per Eucharistiam commemoramus passionem Domini, sed etiam accipimus pignus æternæ gloriæ. Ab hoc igitur corpore symbolico, et simul vero, distinguit Origenes Verbum incarnatum, ut extra Sacramentum fide accipitur.

Ad quartum respondeo, Origenem loqui de manducatione corporis Christi extra Sacramentum, cum dicit non posse ab impiis manducari. Et hoc etiam verissimum est ;

(1) I Cor. XI, 30.

nam extra Sacramentum manducatur solum spiritualiter. Loqui autem Origenem de manducatione extra Sacramentum, patet, tum quia distinguit hanc manducationem a manducatione panis sanctificati per verbum Dei, qui est Eucharistiæ Sacramentum; tum etiam, quia allegat illa verba Joan. vi. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; quæ verba non intelliguntur de Eucharistia, sed de ipsa Christi incarnatione. Distinguuntur enim eo loco a Domino duo panes. Unus, qui jam tunc præsens erat, fide comedendus erat, id est, verbum Incarnatum; et de hoc dicit: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Alter futurus, in Sacramento videlicet, et de hoc subjungit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* (1). Denique mirum est, cur tantam vim faciant in hoc loco adversarii cum nihil esse putent in vi. cap. Joan. quod ad manducationem sacramentalem pertineat.

Ultimum testimonium Origenis sumunt ex lib. 8. *contra Celsum*, paulo ante medium; ubi sic ait: « Nos qui rerum omnium conditori placere studemus, cum precibus, et gratiarum actione pro beneficiis acceptis, oblatos panes edimus. » Ubi Eucharistiam panem vocat.

Respondeo: Hic locus maxime nobis favet. Nam non ait Origenes, nos panes simpliciter edere, sed panes mutatos in corpus Christi; sic enim ait: « Oblatos panes edimus, corpus sanctum quoddam per preces effectos, et sanctificans eos, qui cum sancto proposito ipso utuntur. » Quibus verbis non solum dicit Origenes, panes mutari in corpus, sed etiam offerri Deo, et sanctificare homines: quorum utrumque negant adversarii.

At instat Petrus Martyr libro *contra Gardinerum* objecto 168. Origenem non dixisse, mutari panes in corpus sanctum Christi, sed in corpus quoddam sanctum; illud enim, *quoddam*, est diminutivum, ut cum dicimus: Hic est quidam Isidorus, lacrymæ sunt quidam sanguis.

Respondeo: Si Origenes dixisset, panes mutari in quoddam corpus Christi, haberet locum adversarii objectio; significari enim posset panes mutari in corpus non verum, sed repræsentativum. At non ita dixit, sed mutari in sanctum quoddam corpus; ubi

illud, *quoddam*, non est diminutivum, sed declarativum in confuso veri corporis Domini. Noluit enim Origenes ethnico palam dicere, panes mutari in corpus Christi, ne daret illi occasionem magis irridendi mysteria, quæ non intelligebat; sed dixit obscurius, mutari in sanctum quoddam corpus; quod corpus norant fideles cujusnam esset.

## CAPUT IX.

### *Testimonium S. Cypriani.*

Tertius testis in eadem tertia ætate, est S. Cyprianus, qui passus est anno Domini 259. vel circiter. Is igitur in serm. 5. qui est de lapsis, reprehendens eos, qui post negatum Christum ad Sacramentum Eucharistiæ accedebant, non prius per debitam pœnitentiam purgati: « Vis, inquit, infertur corpori ejus, et sanguini: et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquant, quam cum Dominum negaverunt. » Hæc ille. At profecto incredibile videtur Cyprianum sensisse, majus esse peccatum indignis manibus tangere signum aliquod, seu figuram Christum repræsentantem, quam Christum ipsum negare. Quis enim ita desideret, ut diceret, gravius peccare eum, qui tangeret librum Evangelii, aut imaginem Crucifixi cum conscientia peccati, quam eum, qui Christum coram persecutore negaret? Vult igitur Cyprianus dicere, eos, qui indigne sumunt Eucharistiam, ipsam Christi personam in se, et immediate injuria afficere, et propterea gravissime peccare, et gravius (saltem ex hac parte) quam ii faciant, qui Christum negando, in fidem, et honorem ejus peccant. Ibidem narrat sanctus Cyprianus quatuor miracula, quæ facta fuerant in eos, qui indignis manibus corpus Domini tractare voluerant, quæ satis abunde arguunt non esse Eucharistiam signum tantum Dominici corporis, cum nulla ejusmodi miracula legantur in eos edita, qui alia signa indigne tractarunt, præsertim cum illi, de quibus loquitur Cyprianus, non ex contemptu, vel odio Christi ad Sacramentum accederent.

Exstat inter opera Cypriani sermo *de Cena Domini*, qui etsi Cypriani episcopi Carthagi-

(1) Joan. VI, 51 et 52.

nensis, de quo nunc agimus, esse non videatur, tamen est omnino antiqui alicujus, et doctissimi, ac sanctissimi Patris, ut adversarii fatentur. Inde igitur petemus sub nomine Cypriani duo, vel tria clarissima testimonia. Primum est in principio sermonis : « Cœna disposita inter Sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua, et nova; et consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis. » De hoc loco supra discernimus, ubi egimus de figuris Sacramenti hujus, atque ostendimus contra Petrum Martyrem per cibum inconsumptibilem non posse intelligi panem, qui non minus consumitur, quam agnus; neque corpus Christi, ut sola fide manducatur, quia eo modo habuissent eundem cibum Judæi in agno paschali, quem nos in Eucharistia, et propterea non recte opponeret Cyprianus cibum inconsumptibilem datum Judæis, eïho inconsumptibili, qui datur Christianis.

Secundum testimonium habetur paulo inferius : « Panis iste, inquit, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro, et sicut in persona Christi humanitas apparebat, et latebat divinitas; ita Sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia. » Hoc testimonium nullam admittit solutionem, etiamsi adversarii sæpe ad illud respondere conati sint.

Respondet igitur Petrus Martyr in II par. libri *contra Gardmerum* prope finem, et rursum in 4. parte libri ejusdem, panem mutari, quia ex prophano fit sacer, et ex non sacramento sacramentum. Dicit autem mutari non effigie, sed natura, quia nova illa significatio sacramentalis nova accedit accidentibus panis, quæ a Cypriano dicuntur effigies, sed ipsi naturæ, et substantiæ panis. Analogia enim est inter panem, et corpus Christi, quod sicut panis nutrit corpora, ita caro Christi nutrit animas: porro nutrire ad substantiam pertinet, non ad accidentia. Addit vero (ne decipiamur) substantiam, seu naturam panis mutari, non quod, ipsa desinat esse quod erat, sed quod acquirat aliquid, quod non habebat: quemadmodum mutari dicitur homo, cum ex non grammatico fit grammaticus, et ex privato princeps.

¶ Sed facile refellitur hæc solutio ex omnibus fere vocibus, quibus utitur Cyprianus. Primo ex illa, « non effigie ». Nam si mutatio ista nihil est aliud, nisi additio significationis,

non solum natura panis, sed etiam effigies mutatur; imo magis effigies, quam natura: siquidem id quod proprie significat, est aliquod signum sensibile, qualia sunt accidentia panis; cur ergo Cyprianus ait: « non effigie sed natura mutatus. »

Respondet Martyr, substantiam panis sensibilem esse per accidentia sua, et ipsi proprie convenire analogiam illam nutritionis.

At licet substantia sensibilis sit per accidentia, tamen, signum esse, magis convenit accidentibus, quam substantiæ: signum enim est id, quod per se, et immediate sensibus percipitur. Neque verum est, analogiam illam nutritionis esse in substantia, et non in accidentibus; tum quia substantia sine accidentibus non nutrit: tum vero maxime ut aliquid sit signum nutritionis spiritualis, non requiritur ut vere nutrire possit corporaliter, sed requiritur ut repræsentet externa specie eam rem, quæ nutrire solet. Nam serpens æneus fuit vera figura Christi crucifixi, ob analogiam inter serpentem, et Christum: et tamen serpens ille æneus non habuit substantiam veram, sed solum figuram serpentis. Et linguæ igneæ, quæ super Apostolos apparuerunt, rectissime significabant donum eloquentiæ divinitus datum Apostolis, ob analogiam inter linguam, et illud donum: et tamen linguæ illæ non habuerunt substantiam, sed solam figuram linguæ. Denique in omnibus visionibus Prophetarum, et in somniis divinitus immissis, Pharaoni, Nabuchodonosor, et aliis, et in tota Apocalypsi describuntur plurima signa rerum aliarum, ob analogiam inter res naturales, et divinas, et tamen signa illa non habebant substantiam rerum naturalium, sed figuram externam tantum. Sic igitur accidentia panis proprie signa sunt corporis Domini, ob analogiam inter panem, et Christum: per accidens autem est, ut sub illis accidentibus sit substantia panis, vel non sit: nulla igitur causa reddi potest, cur Cyprianus dixerit, non effigie, sed natura mutari panem; si mutari est acquirere novam significationem.

Secundo refellitur ex illa voce, « sed natura. » Nam non dixit Cyprianus, naturam panis mutari, ut Martyr videtur accepisse, sed, panem, natura mutari: panem autem natura mutari, est panem naturaliter, id est, substantialiter mutari; naturam enim eo loco pro substantia accipi fatetur adversarius. At acquirere significationem novam, non est



mutari substantialiter, sed accidentaliter tantum, imo ne accidentaliter quidem, nisi secundum rationem, cum sit illa significatio relatio rationis.

Sed inquit Petrus Martyr, « non solum mutatur panis, quia acquirit novam significationem; sed etiam quia efficitur instrumentum Dei ad movendos animos nostros. » At si petas, quomodo sint sacramenta instrumenta Dei ad movendos animos, nihil respondere poterit, nisi significando, repræsentando: nec enim tribuunt ipsi sacramentis ullam efficientiam veram, ut supra demonstravimus.

Tertio refellitur ex illis verbis: « Omnipotentia Verbi. » Nam quæ omnipotentia requiritur ad faciendum nihil? Sed ait Petrus Martyr, requiri omnipotentiam, quia solus Deus potest instituere sacramenta. Contra; nam omnipotentia requiritur in eo qui instituit sacramenta, ut vere perficiat, quod sacramenta significant, id est, justificet hominem. At non requiritur ulla omnipotentia ad faciendum, ut res aliqua significet: id enim etiam homines facere possunt. Porro Cyprianus non ponit omnipotentiam Dei in efficiendo, quod sacramenta significant; sed in mutatione panis in carnem; sic enim ait: « Omnipotentia Verbi factus est caro. »

Quarto ex illa similitudine: « Sicut in persona Christi humanitas apparebat, latebat divinitas; ita sacramento visibili ineffabiliter divina se infudit essentia. » Ubi Cyprianus non dicit, quod adversarii ex hoc loco colligunt, in Sacramento esse duas naturas, ut sunt in Christo: ac proinde manere naturam panis; sed dicit ita latere sub specie visibili panis, Deum verum, ut latebat sub specie visibili carnis Christi, dum is in terris conversaretur. Et ne quis dicat in sacramento latere Deum per solam repræsentationem, addit adverbium, « ineffabiliter, » quo declaratur mysterium hic subesse maximum, et difficillimum: nulla autem difficultas in eo est, quod panis significet Christum.

Tertium testimonium est in eodem sermone: « Nova est hujus Sacramenti doctrina, et scholæ Evangelicæ hoc primum magisterium protulerunt, et Doctore Christo primum hæc mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ auctoritas districtissime interdicit; lex quippe esum sanguinis prohibet, evangelium præcipit ut bibatur. » Hæc ille. Ubi nisi proprie de sanguine loquatur, nihil

proprus dicit; non enim lex vetus prohibebat sanguinem figurate sumptum; imo Hebræi in potu aquæ de petra scaturientis, Christi sanguinem bibebant figurate: ut modo Sacramentarii facere se dicunt in Eucharistia.

Sed jam afferenda sunt testimonia, quæ ex Cypriano affert Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 170. et sequentibus novem; collegit enim ipse omnia loca, quæ ab aliis citari solent. Primum ergo ex isto ipso sermone de cæna Domini profert illa verba: « Usque hodie hoc veracissimum et sanctissimum corpus suum creat, et sanctificat, et benedicit, et pie sumentibus dividit. » Quo loco pro se adversarii arripiunt illud: « Creat, sanctificat, benedicit, dividit »; hæc enim omnia panis conveniunt, non ipsi corpori vero Christi.

Respondeo: Cyprianum alludere voluisse ad canonem missæ, ubi post consecrationem panis, dicimus: « Per quem omnia semper nobis bona creas, sanctificas, benedicas, et præstas nobis. » Porro tam in verbis canonicis, quam in verbis Cypriani, illa: « Creas, sanctificas, et benedicas, » referuntur ad materiam unde conficitur corpus Christi; agimus enim Deo gratias, quod per Christum nobis panem primum creet, deinde per eundem sanctificet, et benedicat, convertendo in corpus suum, et sic nobis præbeat. Itaque similis est illa sententia: Christus corpus suum creat, sanctificat, dividit; ac si quis de pane diceret, hic panis primo seminatur, deinde metitur, tum molitur, coquitur, et tandem comeditur. Non enim sensus esset panem sub forma panis, seminari, meti, moli etc., sed quoad materiam unde fit, primo seminari, deinde meti, etc. Quod autem loquatur Cyprianus de vero corpore, non de signo corporis, quod nobis dividi, id est, distribui dicit, posteaquam panis creatus, et sanctificatus est, patet ex illo adjuncto, « veracissimum, » neque enim dici potest veracissimum, quod non nisi figurate corpus est.

Secundum testimonium ex eodem sermone: « Panis iste communis in carnem, et sanguinem mutatus procreat vitam, et incrementum corporibus: ideoque ex consuetu rerum effectum fidei nostræ adjuncta infirmitas sensibili argumento edocta est, visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum ». Hæc ille. Hinc deducit Petrus Martyr, panem Eucharistiæ, etiam post mutationem Sacramentalem nutrire nostra corpora, et esse ve-

rum panem, ex illa analogia nutritionis vocari corpus Christi, etc.

Respondeo: Errat hoc loco toto cœlo Petrus Martyr. Neque Cyprianus loquitur de pane Eucharistiæ, cum dicit, « mutari in carnem, » et alere corpora nostra; sed rationem reddit, cur ex pane communi fiat Eucharistia, et cur aliquando corpus Christi dicatur panis. Rationem autem esse dicit, quia sicut panis communis, id est, vere materialis, et triticeus, dum mutatur in carnem, et sanguinem nostrum per naturalem actionem caloris naturalis, nutrit nos et auget: ita corpus Christi spiritualiter nos nutrit et auget. Itaque non loquitur de nutritione sacramentalis, cum dicit: « Panis communis in carnem et sanguinem mutatus, » sed de naturali mutatione, quæ fit in nobis, dum cibo nutrimur.

Tertium testimonium ex fine ejusdem sermonis: « Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acimus, sed fide sincera panem sanctum frangimus. »

Respondeo: Declarat his verbis Cyprianus fructum Sacramenti non consistere in corpore nostro delectando, vel saginando, sed in animo nutriendo, et reficiendo. Non enim acere dicuntur dentes quicumque aliquid sumere volunt per oris instrumentum; sed qui avide sumere capiunt, ut palatum delectent. Certe qui medicamentum amarum comedere jubentur, non dicuntur acere dentes, quia non sumunt, ut delectentur eo cibo, sed inviti accipiunt, ut sanentur.

Quartum testimonium est ex eodem sermone, ubi legimus: « Solus quippe Filius patri consubstantialis est, nec divisibilis est, nec partiabilis substantia Trinitatis: nostra vero et ipsius conjunctio nec miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat, et confœderat voluntates. » Hæc ille. Ex quo loco Petrus Martyr colligit, nullam esse inter nos et Christum corporalem unionem, sed solum spiritualem; proinde non corpore, sed spiritu solo Christi corpus a nobis manducari.

Respondeo: Loquitur Cyprianus de illa unione, quæ est proprius, et principalis finis Eucharistiæ: ac negat per Eucharistiam ita nobis uniri Christum, ut efficiamur cum illo una persona, sicut fit in mysterio Incarnationis; vel ut efficiamur una natura, quomodo unum est Pater cum Filio in arcano Trinitatis: et solum affirmat uniri nos Christo per affectus, et voluntatis confœde-

rationem. Porro corporalem unionem, qualis est inter nos, et Christi corpus per Eucharistiam, Cyprianus neque negat, quia revera fit, neque assertit, quia non est illa unio finis Eucharistiæ, sed potius medium. Nam etiam in impiis illa unio inveniri potest; et obest, non prodest, cum non perducit ad spiritualem unionem, quæ est verus finis hujus Sacramenti.

Quintum testimonium ex eodem sermone: « Ut sciremus, inquit, quod mansio nostra in ipso, sit manducatio. » Et infra: « Esus igitur hujus carnis; quædam aviditas est, et desiderium manendi in ipso. » Et infra: « Quod est esca carni, hoc animæ est fides. »

Respondeo: Cyprianus his verbis de Sacramenti effectu loquitur; id enim est comedere Christi carnem, quantum ad effectum, et fructum manere in ipso per fidem, et charitatem. Hoc tamen testimonium non Petrus Martyr, sed alii quidam asserere solent.

Sextum testimonium sumit Petrus Martyr ex sermone de unctione Chrismatis: « Dedit, inquit, Dominus noster in mensa, in qua ultimum cum Apostolis participavit convivium, panem et vinum, in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum: ut in Apostolis secretius impressa sincera veritas, et vera sinceritas, exponeret gentibus, quomodo vinum et panis caro esset et sanguis; et quibus rationibus causæ effectibus convenirent: et diversa nomina, vel species ad unam reducerentur essentiam; et significantia, et significata iisdem vocabulis censerentur. » Ex hoc loco colligit adversarius panem tantum, et vinum, ut opponuntur vero corpori in cruce mortuo, esse in Eucharistia et ideo panem vocari corpus, et vinum sanguinem, quia illa significant, ista significantur.

Respondeo: verba Cypriani non carent obscuritate: tamen recte expensa, Catholicis non hæreticis favent. Primum igitur cum Cyprianus ait Christum in mensa dedisse Apostolis panem edendum, militibus autem in cruce dedisse corpus vulnerandum: non opponit panem corpori, sed corpus sub specie panem eidem corpori in specie sua; sive corpus ut cibum, eidem corpori ut victimæ. Id patet primum, quia idem auctor in superiore sermone disertis verbis docuit, panem natura mutari, et fieri carnem omnipotentia Verbi. Deinde idem patet, quia in toto eo sermone tractat hic auctor de excellentia

religionis christianæ supra Judaicam, conferens hinc inde sacramenta : at certe nihil ad hanc excellentiam pertinet, quod habeamus merum panem in Sacramento.

Præterea explicat continuo Cyprianus, cur dederit Dominus panem et vinum in cœna ; ratio autem ejus non bene cohæret, nisi per panem et vinum intelligamus corpus et sanguinem sub specie panis et vini. Ratio quam subjungit, habet quatuor membra ; dicit enim Dominum dedisse panem, et vinum, ut Apostoli secreto edocti sinceram veritatem, possent aliis omnibus explicare ista quatuor. Primo, quomodo panis, et vinum caro sit et sanguis. Secundo, quomodo causæ effectibus conveniant. Tertio, quomodo diversa nomina, vel species ad unam reducantur essentiam. Quarto, quomodo et significantia, et significata iisdem vocabulis censeantur.

Primum membrum a nobis rectissime exponitur. Dicimus enim Apostolos facile intellexisse, et aliis explicare potuisse, quomodo panis esset caro ; quia vere panis ille sanctificatus, qui exterius panis videbatur communis, et usitatus, caro Domini erat dicente ipso : *Hoc est corpus meum*.

Secundum etiam membrum nos recte exponimus. Intellexisse enim Apostolos dicimus ex eo, quod acceperunt corpus sub specie panis quomodo causæ cum effectibus conveniant, id est, quomodo caro Domini vere nutrit et reficiat animas fideliter eam manducantium : id enim intellexerunt ex analogia panis, sub cujus specie carnem Domini sibi dari videbant.

Tertium quoque membrum recte exponimus. Dicimus enim Apostolos intellexisse, quomodo nomina ac species diversæ ad unam reducantur essentiam : quia videlicet per consecrationem Eucharistiæ ex pane fit caro Domini, et unica tantum essentia remanet, carnis videlicet ; quæ tamen diversa nomina recipit ; nam et dicitur caro, quia talis est per effectum.

Denique quartum membrum recte a nobis exponitur, quomodo scilicet et significantia, et significata iisdem vocabulis censeantur, id est, cur panis Eucharistiæ dicatur caro, et cur caro Domini dicatur panis. Non caro Domini, quæ est res significata, potest dici panis, quia datur sub specie panis ; et potest ille panis, qui exteriori specie sua corpus Domini significat, dici caro, quia revera quoad substantiam est caro. Itaque omnia cohærent in nostra interpretatione. At ad-

versarius non ita facile se expedire potest. et præsertim quoad tertium membrum illius rationis. Quomodo enim, quæso, ad unam essentiam reducuntur diversæ species, id est, panis et caro, si nulla fit realis mutatio ?

Respondet Petrus Martyr reduci ad unam essentiam, quia fiunt unum sacramentum : Sacramentum enim Eucharistiæ integrum constat ex signo, et re significata. At absurdissimum est quod dicit. Cum enim signum et res significata sint opposita relative, quomodo potest unum aliquid ex signo, et re significata constare ? Non enim vult ipse dicere, quod Catholici dicunt, sacramentum constare materialiter ex signo, et re significata re ipsa præsentate, et cum signo conjuncta ; sed formaliter constare ex signo, et re signata, quorum unum tantum abest ab altero, quantum cœlum a terra ; signum enim est tantum in terra, et res signata tantum in cœlo.

Septimum testimonium sumit ex epist. 6. lib. 1. *ad Magnum*, ubi scribit Cyprianus, corpus Domini panem vocari ex multorum granorum adunatione congestum, et sanguinem vinum ex botris pluribus expressum.

Sed nulla est hic nova difficultas ; explicat enim Cyprianus, cur Dominus ex pane, et vino hoc sacramentum conficere voluit, et non ex aliqua alia re ; rationem autem esse dicit propter analogiam, quæ est inter panem, et vinum, et Ecclesiam Domini, quæ per Sacramentum illud significatur.

Sed urget adversarius illa verba : « Panem vocavit corpus » ; atque inde colligit, « ergo panis est corpus ; non est autem proprie ; ergo tropice ». Respondeo : panem ex Cypriani sententia vocatum esse a Domino corpus, cum dictum est in cœna : *Hoc est corpus meum*. Quare panis vocatus est corpus, sed ipsa vocatione factus est vere corpus ; et ideo non sequitur, panem, dum est panis, esse corpus, sed qui fuerat panis, jam esse corpus. Quemadmodum cum exercitus privatum aliquem militem appellabat imperatorem, ipsa appellatione fiebat ille imperator ; nec poterat dici : homo privatus est imperator, sed qui fuerat paulo ante privatus, nunc est imperator.

Octavum testimonium proferunt ex lib. II. epist. 3. *ad Ceciliam*, ubi sic legimus : « Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur. » Et infra : « Videmus in aqua populum intelligi, in vino

vere ostendi sanguinem Christi. » Et infra : « Sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque sibi miscetur : quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, et copulatum, et panis unius compage solidatum. » Ex hoc loco deducunt adversarii primo, vinum necessario debere esse in calice, etiam post consecrationem. Nam post consecrationem vinum ostendit sanguinem Domini; quod autem non est, nihil potest ostendere. Secundo, eo vino sanguinem Domini ostendi, id est, significari, ac proinde non esse in calice Domini, nisi figurate. Tertio, eo vino non ostendi sanguinem præsentem, et in calice reipsa existentem, sed absentem. Nam eo modo per vinum ostenditur sanguis, quo per aquam populi : populi autem non sunt in calice, nisi significative. Hoc argumentum urget Petrus Martyr, Petrus Boquinus, Beza, et alii.

Respondeo : locum hunc Cypriani, quo Petrus Martyr lib. *contra Gardinerum*, objecto 175. in fine gloriatur, ita perspicue asseri suam sententiam, ut ex nullo alio possit asseri clarius, nihil omnino pugnare cum sententia catholicorum, sed aperte destruere sententiam hereticorum.

Observandum est enim, multum interesse inter has duas propositiones : Vinum est sanguis Domini, et sanguis Domini est vinum. Nam prior propositio docet vinum esse sanguinem per similitudinem; reipsa autem, et proprie esse vinum, non sanguinem : posterior contra docet, sanguinem esse vinum per similitudinem; reipsa autem, et proprie esse sanguinem, non vinum; nec enim proprie esse potest, aut vinum sanguis, aut sanguis vinum, cum res illæ sint specie diversæ, et (ut loquuntur) termini disparati. Hinc fit, ut prior propositio, si apud Cyprianum vel alium Patrem inveniatur, non sit pro nobis, neque contra nos : posterior autem sit aperte pro nobis contra adversarios. Nam illa propositio : Vinum est sanguis Christi significative, solum requirit, ut in Eucharistia sit vinum, quantum ad id, quod significat, id est, quantum ad accidentia exteriora : nam, ut supra ostendimus, ratione accidentium tantum vinum significat. Vere autem in Eucharistia remanet vinum, quantum ad accidentia significantia sanguinem Christi. Utrum autem cum accidentibus illis sit in Eucharis-

stia substantia vini, aut ipse Christi sanguis; illa propositio nihil dicit, atque ita neque est contra nos, neque pro nobis. Altera autem propositio, nimirum : Sanguis Christi est vinum per similitudinem, est omnino pro nobis : nam requirit necessario ut in calice sit sanguis proprie, qui tamen habeat cum vino similitudinem. Neque possunt dicere, sanguinem Domini esse alicubi; quoad accidentia, non quoad substantiam, ut nos dicimus de vino. Nam non est impium separare accidentia vini ab ipsa ejus substantia : impium autem esset separare accidentia realia Christi ab ejus substantia, id enim esset Christum vere perimere.

Jam igitur adversarii in Cypriano priorem tantum propositionem videre potuerunt, quæ, ut ostendi, non est contra nos : at posteriorem etiam illis in eodem loco Cypriani ostendemus, quæ est apertissime contra eos. Sic enim loquitur in illa epistola non procul a principio : « Nam cum dicat Christus : Ego sum vitis vera, Sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum. Nec potest videri sanguis ejus, quo redempti sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur. » Hæc ille. Ubi sicut dicit, Christum esse vitem, non vitem esse Christum; ita dicit, sanguinem ejus esse vinum, non vinum esse sanguinem : et eum sanguinem, quo redempti sumus, dicit esse in calice, sed demonstrari debere per vinum, quia sanguis est similis vino, non aquæ. Et infra citat illud Genes. XLIX : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum.* Et illud Isai. LXIII : *Quare rubicunda sunt vestimenta tua, et indumenta tua velut a calcatione torcularis?* (1) ut probet sanguinem Domini dici vinum, non vinum dici sanguinem. Non enim Dominus lavit stolam suam (id est, carnem suam in passione) vino significante sanguinem, sed vero sanguine, qui habet cum vino similitudinem. Habemus ergo in Cypriano posteriorem illam sententiam, quam ostendere volebamus.

Jam ad illa tria, quæ ex Cypriano colligebant adversarii, nullo negotio responderi potest. Ad primum dico, vinum debere esse in calice, saltem quoad accidentia, ut diximus, quia per ea sanguinem ostendit. Ad secundum dico, sanguinem Domini vino significari, sed præsentem in calice, non absentem. Nam ut ex Cypriano audivimus,

(1) Gen. XLIX, 11; Isai. LXIII, 2.

quod est in calice, vinum dicitur per similitudinem, sanguis autem est per proprietatem, et is sanguis, quo redempti sumus. Ad tertium dico, comparationes non in omnibus rebus convenire debere. Quare, licet dicat Cyprianus per vinum significari sanguinem, per aquam populos, non tamen inde colligi debet, in omnibus pares esse populos, et sanguinem Domini, ut si sanguis vere in calice sit, ibi etiam populos esse oporteat. Nam alioqui sanguis Domini significatur ut pretium, et ut potus, populi autem non ita significantur: et denique principaliter in Eucharistia repræsentatur corpus, et sanguis Domini, secundo autem populi. Ac de Cypriano hæc tenentur.

## CAPUT X.

QUARTA ÆTAS ECCLESIE AB ANNO DOMINI  
300. AD 400.

### *Testimonium Nicæni Concilii.*

Sequitur nunc ætas Ecclesiæ quarta, in qua habemus insignia testimonia, videlicet Nicæni. I. concilii, Athanasii, Hilarii, Cyrilli Hierosolymitani, Ambrosii, Basili, Optati, Gregorii Nysseni, Gregorii Nazianzeni, Ephrem, et Epiphani. Ac primum exstat testimonium Nicæni concilii I, in Actis ejusdem concilii in Vaticana Bibliotheca his verbis: « Item etiam hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem, et calicem, sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum, et pretiosum ipsius corpus, et sanguinem vere nos sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, ut sciamus non ad satietatem, sed ad sanctificationem sumi. »

Hæc testimonium agnoscunt etiam adversarii, ut Joannes Oecolampadius in *Dialogo cum Nathanaele*, Joannes Calvinus lib. IV. *Instit.* cap. 47. §. 36, Petrus Boquinus in lib. *de Cæna Domini* contra Hæsiusium, Wilhelmus Klebitius in lib. *de Victor. veritatis* in solutione tertii argumenti: ac nituntur ipsi gravissimum hoc testimonium ad suam hæresim stabilendam trahere, quasi concilium

admoneat, ut non quæramus Christi corpus in sacra mensa sub speciebus panis, sed in cœlum mente conscendamus, atque ibi fide Christi corpus comedamus. Sed falluntur apertissime. Jubet enim concilium, ut non hæreamus in speciebus panis, et vini quasi nihil ibi sit, nisi quod oculi nobis renuntiant, sed fide intelligamus ibi vere esse corpus Christi, licet corporalibus oculis non videatur.

Hanc esse concilii sententiam, ita probari potest. Primo, quoniam concilium, postquam dixerat non humiliter hærendum esse in pane et vino, sed mentem attollendam, adjungit, fide conspiciendum agnum Dei situm in sacra mensa. Debuisset autem secundum adversarios dicere, fide conspiciendum esse Christum in cœlo ad dexteram Patris. Vult igitur concilium, ut ad ipsam mensam attendamus, sed in ipsa non tam symbola externa, quam quod sub ipsis latet consideremus. Klebitius per sacram mensam intelligit cœlum; dicit enim; concilium velle, ut in cœlesti mensa, non in altari lapideo agnum Dei quæramus. At fallitur apertissime. Nam concilium in eadem divina, et sacra mensa ponit symbola panis et vini, in qua ponit agnum Dei, ut patet ex primis verbis: « Hic in divina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem ». Atqui symbola panis non sunt in cœlo, sed in altari lapideo: ergo divina mensa non est cœlum, sed altare in terris. Ac ne forte dicant in altari esse corpus Christi significative, et concilium velle, ut non attendamus ad symbola, quatenus sunt res materiales, sed quatenus Christum repræsentant, addidit concilium illam particulam, *situm*. Cum enim dicit agnum Dei situm esse in sacra mensa, et eundem agnum opponit symbolis, manifeste declarat, agnum Dei vere et proprie ac reipsa esse in mensa, et non solum quatenus per symbola repræsentatur.

Secundo idem probatur ex eo, quod concilium dicit, agnum Dei in sacra mensa a sacerdotibus immolari; nam per agnum omnes intelligunt ipsum Christum, ut distinguitur contra symbola, quem adversarii solum in cœlo esse dicunt. At non potest manibus sacerdotum immolari, si tantum est in cœlo; neque enim tam longas manus habent sacerdotes, ut ad cœlum pertingant.

Tertio probatur ex illis verbis: « Pretiosum corpus ejus nos vere sumentes ». Quorsum enim illud, *vere*, nisi ut opponatur figuræ? « At, inquam, nos vere sumimus

corpus Domini, sed corde, non corpore ». Sed repugnant verba sequentia, ubi symbola resurrectionis nostræ dicuntur corpus, et sanguis Domini. Quia enim mortalia corpora nostra, cum immortali corpore Domini vere junguntur, inde aptissime significatur futura corporum nostrorum resurrectio : si autem sola esset conjunctio animorum cum corpore Domini, solus animus resurrecturus significaretur.

## CAPUT XI.

### *Testimonium S. Athanasii.*

Sanctus Athanasius, qui ipso tempore Nicæni concilii floruit (quippe qui eidem concilio interfuit) citatur a Theodoro in II. *Dialogo* in hæc verba : « Corpus est, cui dicit : Sede a dextris meis ; cujus etiam fuit inimicus diabolus cum malis potestatibus, et Judæi, et Græci, per quod corpus Pontifex, et Apostolus fuit, et dictus est per id, quod nobis tradidit, mysterium dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, et sanguis novi Testamenti, non veteris, qui pro vobis effunditur. Divinitas autem, neque corpus habet, neque sanguinem ». Hæc citantur ex oratione de fide, quæ etsi fortasse nunc non exstet, tamen sufficit Theodoretæ testimonium, ut non dubitemus hæc verba esse S. Athanasii. Porro in hoc loco probare vult Athanasius, Christum verum corpus habuisse, et non solam in eo fuisse veram divinitatem, sed veram etiam carnem. Id autem probat, quia Christo dicitur a Patre : *Sede a dextris meis* ; sedere autem in certo loco, non divinitati, sed corpori convenit. Item probat ex eo, quod Christus ut Pontifex et sacerdos corpus suum obtulit et tradidit nobis, cum ait : *Hoc est corpus meum*. Ubi si non verum, et proprie dictum corpus intelligeret Athanasius, hæreticis faveret, quos oppugnabat : illi enim fatebantur Christum habuisse corpus quoddam apparens, atque adeo figuram corporis, sed negabant verum corpus humanum habuisse.

Sed obijciunt adversarii alium locum ex Athanasio. Nam in tractatu super illa verba : *Quicumque dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei*, etc. sic ait : « Quot hominibus corpus ejus suffecisset ad cibum, ut universi mundi alimonia fieret ? Sed propter-

ea ascensionis suæ in cælum mentionem fecit, ut eos a corporali intellectu abstraheret, ac deinde carnem suam (de qua locutus erat) cibum e supernis cœlestem et spiritualem alimonia, et ab ipso donandam intelligerent. Quæ enim locutus sum vobis, inquit, spiritus, et vita sunt ; quod perinde est, ac si diceret : Corpus meum, quod ostenditur, et datur pro mundo, in cibum dabitur, ut spiritualiter unicuique tribuatur, et fiat singulis tutamen, præservatioque ad resurrectionem vitæ æternæ. » Hæc ille. De hoc loco ita triumphat Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, object. 180. ut dicat : « Hoc argumento vix puto ullum aliud firmitus esse, aut magis invictum ex his, quæ sumuntur ex Patribus. »

Respondeo : in tribus modis consistit vis argumenti adversariorum. Primum in eo, quod Athanasius dicat manducationem corporis Domini non debere accipi carnaliter, quia non sufficeret caro Christi tam multis qui eam manducaturi sunt, si carnaliter sumi deberet. Atqui hoc pugnat contra sententiam nostram, sed contra Capharnaitas, qui putabant debere dividi carnem Christi in particulas, et sic distribui manducantibus : hoc enim modo vere non sufficeret tam multis sine novo aliquo miraculo. Nos autem dicimus ita sumi carnem Christi, ut indivisibiliter ab omnibus sumatur tota.

Deinde in eo quod Athanasius dicit, carnem Christi esse alimonia spiritualem, et spiritualiter distribui. Sed neque hoc pugnat cum sententia nostra. Vocatur enim caro Christi rectissime alimonia spiritualis, quia datur in cibum spiritus, non corporis, et distribuitur spiritualiter, non corporaliter, quia non dividitur in partes, sed datur tota simul, ut diximus, indivisibiliter. Unde etiam S. Bernardus in serm. *de S. Martino* dicit : carnem Christi spiritualiter dari, et manducari, et tamen ibidem dicit in Sacramento adesse veram carnis substantiam.

Ultimo in eo, quod Athanasius dicit, Christum cum loqueretur de manducatione carnis suæ meminisse ascensionis in cælum, ut auditores abstraheret a corporali intellectu. Sed neque hoc officit causæ nostræ. Dominus enim meminit ascensionis, ut ostenderet, carnem suam non manducandam more aliarum carnum, qui erat corporalis intellectus Capharnaitarum, sed spirituali quodam modo : si enim Dominus dedisset carnem suam in particulas disceptam, ut Capharnaitæ suspicabantur esse dandam, certe in cælum

ascendere non potuisset cum illa carne. Cum ergo discimus, Christum ascendisse in cœlum cum immortalis et gloriosa carne, simul discimus carnem illam non manducari carnaliter, ita ut laceretur, et consumatur.

Nihil igitur ex loco illo Athanasii colligitur contra Catholicorum sententiam, sed contra potius aliquid pro ea colligitur. Nam quod ait ibidem Athanasius, illud ipsum corpus, quod ostensum est mundo, et datum ad mortem pro mundi vita, dari nunc nobis in cibum, satis aperte indicat verum corpus nobis dari non corpus symbolicum; non enim corpus symbolicum datum fuit ad mortem pro mundi vita. Istud autem verum corpus dari nobis non solum per apprehensionem fidei, sed etiam per apprehensionem oris corporalis, indicant illa verba Athanasii: « Ut sit nobis tutamen, et præservatio ad resurrectionem. » Nam (ut supra diximus) veteres Patres probare solebant corporum resurrectionem, ex conjunctione corporis nostri mortalis cum corpore Christi immortalis in sacramento Eucharistiæ.

## CAPUT XI

### *Testimonium S. Hilarii.*

Beatus Hilarius æqualis Athanasii fuit: hos enim duos eximios doctores simul Dominus excitavit, ut fidem contra Arianos defenderent, ille in Oriente, hic in Occidente. Is igitur sic ait in VIII. lib. *de Trinitat.*: « Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? » Et infra: « De veritate carnis, et sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim, et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est, etc. »

Ad hæc duobus modis adversarii respondent: neque habent ipsi præterea locum ullum, quem ex Hilario proferant. Calvinus in ultima admonitione ad Westphalum, contendit Hilarium hyperbolice loqui. Sed refellitur facillime ex ipso Hilario, qui quasi prævidisset, quod Calvinus dicturus erat, in eodem ipso loco affirmat se loqui proprie, et simpliciter; sic enim ait: « Non est humano, aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentiam, aut impudentem præ-

dicationem cœlestium dictorum sanitati, alienæ, atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legimus intelligamus, et tunc perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte atque impie dicimus; ipse enim ait: Caro mea vere est esca, etc. » Vides ut Hilarius dicat, se nihil asserere humano aut sæculi sensu, sed solum id, quod Scriptura ipsa recte intellecta docet. Præterea cum Hilarius disputet adversus Arianos, et ex naturali unione Christi nobiscum per sacramentum Eucharistiæ, concludat naturalem unionem inter Deum Patrem, et Deum Filium, si hyperbolice loquitur de naturali unione Christi nobiscum, oportebit etiam ut loquatur hyperbolice de unione Patris, et Filii, ex quo sequetur cum aut Arianum fuisse, aut certe imperrite causam fidei defendisse: neque enim Ariani negassent naturalem unionem inter Patrem, et Filium hyperbolice.

Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, par. 4. Theodorus Beza in *Dialogo Cyclope* contra Heshusium, et Petrus Boquinus in lib. *de Cœna Domini* contra eundem, respondent, Hilarium, cum is ait nos vere sumere in Eucharistia carnem Domini, intelligere de sumptione spirituali, quæ fit per fidem; cum autem ait, naturaliter Christum nobiscum uniri, intelligere de unione, quæ facta est in Incarnatione. Christus enim nobiscum naturaliter unitus est, quia naturam nostræ carnis assumpsit.

Addit Petrus Martyr, naturalem unionem apud Hilarium non esse realem commixtionem naturarum, sed esse unionem aliquam majorem, quam sit unio voluntatum, opponit enim ille unionem naturalem unioni per consensum solius voluntatis, quam Ariani in Patre et Filio ponebant. Hanc autem unionem naturalem, id est, majorem, quam solius voluntatis cum Christo habemus, ex sententia Petri Martyris, tum quia, ut diximus, Christus naturam nostram assumpsit; tum quia nos per fidem in Sacramento carnem ejus vere sumimus. Probat vero idem Petrus Martyr, Hilarium non loqui de reali naturarum commixtione, cum dicit, Christum nobiscum uniri naturaliter per Eucharistiam, quia Hilarius quinque uniones ponit naturales. Primo enim dicit omnes fideles esse unum naturaliter, quia per fidem sunt unum. Secundo dicit, nos esse unum naturaliter, quia

sumus unum per regenerationem. Tertio dicit, nos esse unum naturaliter, quia sumus unum per sacramentum Baptismi. Quarto dicit, nos esse unum cum Patre, et Filio per honorem nobis a Christo communicatum. Quinto dicit, nos esse unum cum Christo naturaliter per Eucharistiam. Sicut ergo uniones illæ per fidem, per regenerationem, per Baptismum, per honorem dicuntur naturales, quia includunt aliquid præter consensum voluntatis, licet non includant naturarum commixtionem : ita etiam unio qua Christo conjungimur, dum per fidem carnem ejus apprehendimus, dici potest naturalis, licet non includat realem unionem carnis Domini cum nostra. Hæc ille.

At refelli possunt hæc adversariorum fragmenta ex ipso Hilario multis modis. Primo ex illis verbis : « Nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus ». Quod enim ait (*cibo Dominico*) cogit ut intelligamus de manducatione corporali, non de sola spirituali, ut ipsi volunt ; nam cibus Dominicus, omnium consensu, est Eucharistia. Vult igitur Hilarius nos, dum Eucharistiam percipimus, in illa, et per illam, vere carnem Domini sumere.

Secundo ex illis verbis : « De naturali in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stulte, atque impie dicimus ». Hæc enim verba indicant, mysterium Eucharistiæ tale esse, ut paradoxum stultissimum videri possit, nisi a Deo proponeretur. At Christum sola fide manducari, et esse in nobis eo tantum modo, quo sunt cætera, quæ animo apprehenduntur; neque paradoxum, neque stultum aliquid videri potest, etiamsi id non diceretur a Deo. Vere autem stulti haberi possemus, si absque Dei verbo crederemus, veram Christi carnem ore corporali manducari : nam id semper infideles stultissimum paradoxum æstimarunt, ut notum est de Averroë, et de aliis.

Tertio ex illis verbis : « De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est ». Et mox : « An hoc veritas non est? contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum negant ». Hæc verba non possunt accipi, nisi uno ex his tribus modis. Aut enim vult Hilarius dicere, veram carnem Christum assumpsisse; aut

veram carnem fide manducari in Sacramento; aut veram carnem re ipsa et ore corporis sumi, cum sumitur Eucharistia. Prima intelligentia, quam amplectuntur Beza, et Boquinus, et forte Petrus Martyr, non est ad mentem Hilarii. Nam non disserit eo loco de Incarnatione, sed de Eucharistia: neque disputat contra Manichæos, qui negabant Christum habere veram carnem, sed contra Arianos, qui negabant divinitatem Christi, non carnem. Præterea paulo ante dixerat de veritate Christi in nobis, « nisi ab eo discimus, etc. », et attulerat illam Scripturam : *Caro mea vere est cibus* (1), ut probaret Christi carnem nobis naturaliter uniri : post illa autem verba immediate subjungit : « De veritate carnis, et sanguinis non est relictus ambigendi locus »; et quæ sequuntur. Loquitur igitur de veritate carnis nobis communicatæ, non veritate carnis assumptæ. Denique illa probatio, qua probat Hilarius non posse ambigi de veritate carnis Domini, quia Christus, qui dixit : *Caro mea vere est cibus*, vere Deus est; apertissime indicat eum loqui de veritate carnis in Eucharistia, non de Incarnatione. Nam non recte probatur, Christum habere veram carnem, quia idem Christus Deus est, vel quia dixit : *Caro mea vere est cibus*. At rectissime probatur in Eucharistia esse veram carnem Domini, quia Christus Deus est, qui dixit, carnem suam esse cibum nostrum : cum enim Deus sit, potuit præstare quod dicebat. Secunda intelligentia coincidit cum prima. Nihil enim aliud est veram carnem fide manducare, nisi credere Christum habere veram carnem, et in ea carne vere esse mortuum pro nobis. Neque ad hoc probandum oportebat adducere argumentum ex divinitate Christi id asserentis : non enim difficile est (posito mysterio Incarnationis) veram carnem fide manducari. Remanet igitur tertia intelligentia, quæ sine dubitatione est ad mentem Hilarii.

Quarto, probatur ex eo, quod Hilarius sæpissime repetit, Christum naturaliter esse in nobis per sumptionem Eucharistiæ. Nam apud Hilarium, unum esse in alio naturaliter, est naturam unius vere in altero esse, ut patet ex multis locis, sed maxime ex illis verbis, quæ habentur in eadem pagina : « Cur gradum quemdam, atque ordinem consummandæ unitatis exposuit, nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset, nos con-

(1) Joan. VI, 56.



tra in eo per corporalem ejus nativitatem, et ille rursus in nobis per Sacramentorum inesse mysterium crederetur? » Ubi docet, Filium esse in Patre naturaliter, quia natura Filii vere est in Patre, cum sit una utriusque natura : item nos esse in Christo naturaliter, quia vere naturam nostram sibi Deus univit per mysterium Incarnationis. Denique Christum naturaliter esse in nobis, quando sumimus Eucharistiam, quia naturam carnis suæ nobis unit. Sicut igitur vere, et proprie natura Filii est in Patre, et natura nostra est in Christo ; ita necesse est vere, et proprie natura carnis Christi sit in nobis, quando Eucharistiam sumimus.

Quinto, probatur ex illis aliis verbis ejus, ubi explicans illud : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat meam carnem, et ipse vivet propter me*, sic ait : « Hæc vero vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter, secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem? » Et infra dicit : « Filium Dei carnaliter in nobis manere per Eucharistiam ». Quid potuit, quæso, clarius dici, quam in nobis carnalibus Christum per carnem suam carnaliter manere? Si enim fide tantum, et non corporis instrumento Christi carnem manducarem, non esset in nobis carnalibus, id est, in nobis, quatenus carne constamus, sed esset in mente, et animo nostro tantum ; neque esset in nobis per carnem, sed per fidem, et spiritum, neque esset carnaliter, sed spiritualiter. Præterea comparatio Hilarii aperte convincit. Ipse enim dicit, Filium secundum spiritum vivere propter Patrem, quia vita Patris, quæ spiritus est, vere tribuitur Filio : ex eodem modo nos vivere propter Christum secundum carnem, quia vere caro ejus nobis in Sacramento communicatur.

Neque objectio Petri Martyris concludit, quam ex Hilario ille afferebat : quod videlicet eo modo simus naturaliter unum cum Christo per Eucharistiam, sicut sumus inter nos unum per fidem, per regenerationem, et per Baptismum ; et sicut sumus unum cum

Christo per honorem. Sunt autem tria observanda pro hujus argumenti solutione.

Primo, notandus est scopus Hilarii, et occasio totius disputationis. Objecerat ille Arianis eum locum : *Ego et Pater unum sumus*, Joan. x ; sed responderant Ariani intelligi ea verba de unitate voluntatis, et consensus, non de unitate naturæ ; et attulerant in exemplum illa Scripturæ loca : *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*, Act. iv. Et : *Qui plantat, et qui rigat unum sunt*, I. Corinth. iii. Et : *Et ipsi unum sint in nobis*, Joan, xvii (1). Hilarius igitur, ut nulla in re cedat hæreticis, ex istis ipsis locis ab Arianis allatis, probat Patrem, et Filium esse unum naturaliter, et non sola concordia voluntatum : « Ex his, inquit, ipsis, quibus utuntur, refellendi sunt. » Ac primum docet, fideles inter se esse unum cor, et unam animam, non solo consensu, sed naturaliter ; quia sunt unum per fidem, et per regenerationem, et per Baptismum, ac proinde sunt per eandem fidei naturam, et per eandem naturam novæ regenerationis, et Baptismi : omnes enim sunt fideles, omnes Filii Dei, omnes baptizati, etiamsi forte inter se non noverint, nec sciat unus quid alter velit : « Quomodo, inquit, non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt ». Et idem dicit de regeneratione, et Baptismo, quod de fide dixit. Deinde docet illud : *Qui plantat, et qui rigat, unum sunt*, I Corinth. iii. indicare etiam naturalem unitatem : sunt enim illi unum, quia sunt ministri ejusdem Christi, et proinde unum sunt per naturam ejusdem ministerii. « Itaque, inquit, qui per rem eandem idem sunt, natura etiam unum sunt, non tantum voluntate ; quia et ipsi res eadem effecti sunt, et ejusdem rei atque efficientiæ sunt ministri ». Denique venit ad tertium locum ex Joan. xvii : *Ut et illi unum sint in nobis* ; et docet nos esse unum cum Christo naturaliter, quia per Eucharistiæ participationem unitur nobis carnis Christi natura, et hic habet illa omnia, quæ supra exposuimus.

Nota secundo, aliud esse apud Hilarium, aliqua esse unum naturaliter ; aliud autem, unum esse in alio naturaliter. Nam ut aliqua sint unum naturaliter, satis est, si vere participant naturam ipsius rei, in qua sunt unum : et hoc modo dicit ipse, omnes fideles

(1) Joan. X, 30 ; Act. IV, 32 ; I Cor. III. 8 ; Joan. XVII, 21.

esse unum naturaliter per fidem, per regenerationem, et per Baptismum, quia participant naturam ejusdem fidei, ejusdem regenerationis, et ejusdem Baptismi: et similiter dicit omnes ministros esse unum naturaliter per ministerium, quia participant ejusdem ministerii naturam. Sed ut unum sit in alio naturaliter non satis est, ut participant quomodocumque eandem naturam; sed necesse est, ut natura unius vere sit in alio; et hoc modo dicit Filium esse in Patre per divinitatem naturaliter, quia natura divina Filii, vere est in Patre: et similiter dicit, Christum esse in nobis per carnem naturaliter, quia natura carnis ejus nobis vere unitur per Eucharistiam. Atque ex his solvitur fere tota objectio Petri Martyris, et Bezae, et aliorum. Non enim eodem modo loquitur Hilarius (ut illi falso assumebant) de unione per fidem, seu regenerationem, vel Baptismum; et de unione per Eucharistiam. Nam non dicit, Christum esse in nobis per fidem, vel per Baptismum, sicut dicit esse per Eucharistiam, neque dicit ex fidelibus unum esse in alio per fidem; sed omnes esse unum per fidem.

Nota tertio, unitatem per honorem apud Hilarium eandem esse cum unitate per Eucharistiam, nam explicans illud ejusdem capituli XVII, Joannis: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis*; dicit honorem, quem Filius habet a Patre, dedisse eundem Filium nobis, quia fecit ut essemus unum cum illo, sicut ipse est unum cum Patre; ut autem unum essemus cum illo, dicit eum fecisse per mysterium Eucharistiae, per quod ipse in nobis per carnem suam vere manet. Atque ita solvitur tota objectio adversariorum: non enim ipsi intellexerunt, quid esset apud Hilarium, fieri unum per honorem. Ac de Hilario haec tenus.

### CAPUT XIII.

#### *Testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani.*

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, cujus laus est in II. Synodo generali, eodem tempore floruit, quo S. Hilarius, ut patet ex epistola ejus ad Constantium imperatorem. Ac de sacramento Eucharistiae tam proprie,

et perspicue loquitur, ut non magis aperte loqui potuerit, si vixisset temporibus nostris. Quocirca nihil habent hæretici, quod ex illo nobis objiciant: nos vero multa, et firmissima testimonia contra illos habemus.

Primum igitur initio catechesis 4 mystagogicae, et in tota fere catechesi, hortatur ad non dubitandum de veritate corporis Domini in Eucharistia: quod certe supervacaneum esset, si Eucharistia esset solum signum corporis Domini; nemo enim dubitare solet de ejusmodi rebus, quæ nullam habent difficultatem. Sic ergo loquitur: « Hæc B. Pauli doctrina satis potest efficere vos certissimos de divinis mysteriis etc. » Et infra: « Cum Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane: Hoc est corpus meum; quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoque confirmante, et dicente: Hic est sanguis meus; quis, inquam, dubitet, et dicat non esse illius sanguinem? » Quod autem dicit de pane, Christum affirmasse illum esse suum corpus, non significat panem materiale esse corpus Domini, sed panem consecratum, qui figura externa panis materialis est; sed quoad substantiam panis cœlestis est; illum, inquam, panem, corpus Domini esse confirmat.

Secundo, in eadem catechesi aperte ponit Cyrillus transmutationem panis in corpus Domini, et solas panis species remanere post eam transmutationem: « Aquam, inquit, aliquando mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galileæ sola voluntate; et non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutavit? Quare omni cum certitudine corpus, et sanguinem Christi sumamus: nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur sanguis ». Hæc sunt tam perspicua, ut omnino nesciam, quid fingi possit adeorum perversionem.

Tertio ibidem dicit, Christi corpus, non solum animis nostris, sed etiam corporibus vere conjungi per Eucharistiam: « Sic, inquit, Christophori erimus, id est, Christum ferentes, cum ejus corpus et sanguinem in membra nostra receperimus, atque ut B. Petrus dicit, divinæ naturæ consortes efficiemur. » Hæc ille. Neque potest intelligi hic locus de corpore symbolico, quasi solum panem in membra nostra recipiamus: nam de illo corpore loquitur, de quo immediate antea dixerat, corpus Domini sub

specie panis sumi, ubi distinguitur corpus a pane.

Quarto monet ibidem, sensus nostros falli circa Eucharistiam, neque esse illis obtemperandum: « Ne ergo consideres tanquam nudum panem, et nudum vinum; corpus enim est, et sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamvis enim sensus hoc tibi suggerit; tamen fides te confirmet, ne ex gustu remjudices. » Et infra: « Hoc sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis non esse panem, etiamsi gustus pane messe sentiat; sed esse corpus Christi: et vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur; non tamen vinum, sed sanguinem Christi esse. » Quid clarius dici potest.

Neque enim potest responderi, non vocari nudum panem, quia habet adjunctam significationem, et sensus in eo falli, quod nudum panem, esse judicant. Nam sensus non judicant, utrum panis significet, vel non significet, sed judicant rem eam esse, quæ solet naturaliter esse sub accidentibus, quæ sentiuntur. Et præterea Cyrillus non dicit falli sensus, quia non judicant esse corpus Christi sub specie panis, sed quia judicant rem illam, quam sentiunt, esse panem, cum non sit. At revera panis esset, si solum adderetur significatio: non igitur sensus fallerentur, ut Cyrillus dicit. Denique in sequenti catechesi prope finem, monet communicantes, ut summa diligentia provideant, ne mica ulla Eucharistiæ cadat, neve amittatur: quod, ut supra diximus, magnum est argumentum veritatis: et ibidem jubet, ut flexo genu, et in adorantium morem accedant ad Eucharistiam.

Sed objiciet aliquis quod idem Cyrillus Catech. III. mystagogica de sancto Chrismate dicit, non esse nudum unguentum post consecrationem; sicut ibidem dicit, panem post consecrationem. Atqui id confirmat sententiam nostram: nam Cyrillus non eodem modo loquitur de Chrismate, et Eucharistia. De Eucharistia enim dicit, post consecrationem non esse panem communem, sed corpus Christi, de Chrismate autem dicit quidem non esse commune unguentum, sed non addit esse Spiritum sanctum, vel corpus Christi, sed esse Chrisma Christi, seu sanctificatum oleum.

Hæc de Cyrillo, cujus testimonium vel solum sufficere deberet: est enim hominis sancti, et antiquissimi, et ex opere ejus in-

dubitato, et clarissimum, atque apertissimum, ut nullo modo perverti possit, et est ex Catechesi, in qua solent omnia proprie et simpliciter explicari: et denique nemo unquam reprehendit Cyrillum erroris alicujus circa Eucharistiam.

## CAPUT XIV.

### *Testimonium S. Ambrosii.*

Sanctus Ambrosius recte adjungitur Cyrillo, quia et eodem tempore floruit, et similes Catecheses conscripsit, nimirum libros de Sacramentis, de iis, qui initiantur mysteriis, et non minus aperte loquitur, quam Cyrillus, ut videamus eodem tempore, eandem fuisse Orientis sententiam de Eucharistia.

Primo igitur Ambrosius in lib. *de Mysteriis initiandis*, cap. 9. et lib. VI. *de Sacramentis*, cap. 3. 4 et 5. fuse docet longe excellentiorem escam nobis dari in Eucharistia, quam olim in manna Judæi habuerint, cum illis Christi corpus in figura, nobis detur in veritate: de quo argumento supra diximus, cum ageremus de figuris hujus Sacramenti.

Secundo, idem Ambrosius in iisdem locis dicit, mutari panem et vinum in corpus et sanguinem Christi; et non esse amplius panem et vinum, sed corpus et sanguinem.

Ad quod argumentum dupliciter adversarii respondent. Primo revocant in dubium, sintne Ambrosii libri, qui inscribuntur *de Sacramentis*. Secundo dicunt mutationem, de qua loquitur Ambrosius, non esse realem, sed sacramentalem, ita ut panis et vinum, ex communibus et prophanis rebus adjuncta nova significatione, fiant sacramenta religionis. Vide Petrum Martyrem lib. *contra Gardinerum*, par. 1, object. 190. et seq. et par. 4. in explicatione verborum Ambrosii.

Sed prior solutio timide ab illis proponitur, et merito. Nam citantur hi libri sub nomine Ambrosii a Lanfranco, Guitmundo et aliis, qui ante annos 500. floruerunt. Deinde constat, librum de mysteriis initiandis esse Ambrosii: nam in præfatione dicit, se tractasse moralia quædam ex vitiis Patriarcharum, et ex Salomone; quæ opera nemo negavit unquam esse Ambrosii. Libros autem *de Sacramentis* ejusdem auctoris esse,

cujus est liber *de Myster. init.* res ipsa per se clamat, tanta est styli, et sententiarum similitudo Denique, etiamsi non essent Ambrosii, essent tamen antiqui alicujus auctoris. Sed stultum est ambigere de auctore horum librorum, cum nullum adversarii argumentum afferant, cur ambigere debeamus.

Posterior solutio refellitur ex ipsis Ambrosii verbis. [Nam in lib. iv. *de Sacram.* cap. 4. « Tu, inquit, forte dicis meus panis est usitatus; sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi ». Hæc ille. At si panis tantum mutaretur sacramentaliter, non desineret esse panis post consecrationem. Ibidem probat multis miraculorum exemplis, Christi verba esse operatoria; et ejusmodi, ut naturas vere mutare possint, quæ omnia sine causa adducuntur, si nulla realis mutatio fit in pane Eucharistiæ. Sed afferamus testimonium ad idem probandum ex lib. indubitato *de Myster. init.* cap. 9. « Forte, inquit, dicas: Alind video, quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur? virgam tenebat Moyses, projecit eam, et facta est serpens ». Hæc ille. Qui posteaquam multa alia miracula narravit Moysis, Eliæ, et Elisæi, concludit: « Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliæ ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas ». Hæc ille: ubi tam aperte loquitur de reali mutatione, ut nimia impudentia sit id negare. Ibidem paulo infra idem probat ex mysterio Incarnationis: « Lignet, inquit, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: et hoc quod conficimus, corpus, ex Virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem

in Christi corpore, cum præter naturam sit ipse Dominus Jesus partus ex Virgine? » Hæc ille. Quam inepte ista omnia dicerentur, si nulla fieret realis mutatio? Quid enim opus erat probare, non posse naturaliter fieri ex pane corpus Christi, quemadmodum nec ut Virgo pariat; si non reipsa, sed solum significative panis fit corpus Christi.

Tertium testimonium est in eodem lib. iv. *de Sacrament.* cap. 5. ubi probat, non esse dubitandum de veritate corporis Domini. Quæ probatio supervacanea est; si verum est, adversarii sentiunt: nemo enim dubitare solet, utrum panis possit esse corpus Christi significative: « Deinde, inquit, ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus, et sanguinem; numquid debemus de ejus fide, et testificatione dubitare? » Et ibidem paulo infra: « Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi, et tu dicis, Amen: hoc est, verum. Quod confiteatur lingua, teneat affectus ». Hic certe loquitur de eo, quod offertur manibus Sacerdotis, quod quidem, nisi vere sit corpus Christi, decipit nos Ambrosius, qui vult nos id, et confiteri lingua, et affectu sentire. Et lib. vi. cap. 1. « Sicut verus est Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus: non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris; ita vera caro sicut ipse dixit, quam accipimus ».

Quartum testimonium ex lib. i. *in Lucam*, ubi exponens illa verba cap. 1. *Apparuit illi Angelus*: « Non dubites, inquit, assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur ». At certe non assisteret Angelus, si sola figura corporis Domini, non ipse Christus in altari adesset.

Quintum testimonium est lib. iii. *de Spiritu sancto*, cap. 12. ubi tractans illud Psalm. xcvii: *Adorate scabellum pedum ejus*. « Itaque, inquit, per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi; quam hodie quoque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. » Hic locus nullam admittit solutionem: nam et liber est indubitatus, et sermo est adoratione patriæ; et aperte Ambrosius dicit, carnem Christi verbo unitam adorari a nobis in mysteriis, id est, in Eucharistia.

Diluamus nunc breviter, quæ Petrus Martyr ex Ambrosio profert, libro *contra Gardineros*, objecto 188. et seq. Primo igitur objicit ex commentario in ii. cap. I. ad Corinthi.

quod Ambrosius in mysteriis dicat significari carnem et sanguinem, quæ oblata sunt pro nobis, et mysticum calicem typum esse sanguinis Domini.

Respondeo, neque ea commentaria sunt Ambrosii, neque quidquam habent contra nos: fatemur enim, imo et docemus, Eucharistiam signum ac typum esse mortis Christi, seu carnis et sanguinis, ut visibiliter in cruce illa suffixa, ille effusus est.

Secundo objicit ex lib. iv. *de Sacram.* cap. iv. illa Ambrosii verba: « Hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, esse corpus Christi consecratione ». Hinc ita Petrus Martyr argumentatur: « Qui panis est, corpus etiam Christi est per consecrationem. At panis non potest esse corpus proprie; ergo solum significative ». Idem confirmat ex illis verbis, quæ ibidem habentur: « Si tanta vis est in sermone Domini, ut ea incipiant esse, quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quæ erant, et in aliud commutentur? ubi videmus sic mutari panem in corpus, ut tamen maneat panis.

Ad priorem locum respondeo, non dicere Ambrosium panem manere post consecrationem, sed potius non manere; illa enim verba: « Quomodo potest qui panis est, esse corpus Christi? » hunc sensum faciunt: Quomodo potest, qui nunc est panis, paulo post esse corpus Christi? et respondet: « Consecratione »; consecratio enim facit, ut qui panis est ante consecrationem, corpus sit post consecrationem. Istum esse sensum patet ex illis verbis lib. *de Myster.* init. cap. 9. « Probemus, non hoc esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit »: ubi vides non esse panem post consecrationem. Imo in ipso lib. iv. *de Sacram.* cap. 4. nonne Ambrosius ait: « Panis iste panis est ante verba consecrationis; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. »

Ad alterum locum respondit olim Lanfrancus in libro *contra Berengarium*, dupliciter. Primo, in aliis codicibus Ambrosii non haberi illa verba: « Ut sint quæ erant »; sed hoc modo legi: « Quanto magis operatorius est ut quæ erant, in aliud commutentur? » Quæ lectio verior, esse videtur, quia est conformior lib. *de Myster.* init. cap. 9. ubi sic legimus: « Sermo ergo Christi; Qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erant? » Secundo respondet illa verba: « Ut sint quæ erant », hunc sensum facere: « Ut sint quæ

erant », nimirum quoad speciem exteriorem, et tamen vere mutantur, quoad interiorem substantiam. Posset etiam responderi, Ambrosium voluisse dicere; Si potuit Christus ex nihilo aliquid facere, cur non poterit ex aliquo aliquid facere, non annihilando id, quod antea erat, sed in melius commutando? unde non dixit: « Ut sint id, quod erant »: tunc enim panis manere deberet, sed: « Ut sint quæ erant », id est, non annihilentur, sed maneant, quamvis mutata.

Tertio objicit ex lib. iv. *de Sacram.* cap. 5. et *de his qui inut. myst.* cap. 8. et *de benedict. patriarchæ.* cap. 9. ubi Ambrosius dicit, corpus Domini accipientibus fieri peccatorum remissionem. Atque inde colligit non sumi corpus Domini ab impiis, ac per hoc non sumi corporali instrumento, quod est commune eum impiis, sed ore tantum spirituali, quo impii carent.

Sed hæc sæpius jam dissoluta sunt: corpus enim Domini, quod ad se attinet, omnibus affert peccatorum remissionem, licet in quibusdam ob eorum indispositionem id non fiat.

Quarto objicit ex lib. *de Myster.* init. cap. 9. illa verba: « Ante benedictionem verborum celestium alia species nominatur: post consecrationem corpus Christi significatur. » Et lib. iv. *de Sacram.* cap. 4. dicit, nos bibere similitudinem pretiosi sanguinis, et cap. 5. dicit, oblationem altaris esse figuram corporis Christi, et lib. i. *de Officiis* cap. 48. dicit, umbram fuisse in lege, imaginem in Evangelio, veritatem in cœlestibus.

Respondeo in primis verbis citatis illud « significatur », idem valet, « appellatur », seu « dicitur ». Non enim loquitur de significatione rerum, sed vocum; nec docet quid Eucharistia significet, sed quomodo appelletur. Itaque sensus est: « Ante benedictionem alia species nominatur », id est, panis vocatur id, quod est in altari: « Post consecrationem corpus Christi significatur », id est, non amplius panem esse significamus, seu dicimus, si quis nos interroget, quid sit in altari, sed corpus Domini esse significamus, seu dicimus. Unde ibidem: « Ante consecrationem, inquit, aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur ». Ad alia verba fateor nos bibere similitudinem cruoris, sed sub qua veritas contineatur. Docet enim Ambrosius, nos non in specie sanguinis sanguinem sumere, ne ut ipse ibidem dicit, horror esset cruoris; sed in similitudine sanguinis, id est

specie vini, quod habet sang uinis similitudinem; ipsum sanguinem bibere. Ad illud et figura corporis, quamvis non esset absurdum, Sacramentum Eucharistiæ vocare figuram corporis ratione specierum externarum, tamen eo loco Ambrosius loquitur de pane ante consecrationem, ut ex ejus verbis patet. Neque est absurdum, panem vocari figuram corporis Domini ante consecrationem, licet nondum sit sacramentum : nam panis naturalem habet analogiam ad corpus Christi, et præterea ex eo, quod ponitur super altare, ut consecretur, incipit repræsentare ipsum Domini corpus, licet nondum habeat sacramentalem significationem. Ad aliud ex libro de officiis, Ambrosius distinguit imaginem a veritate, non quoad substantiam, seu præsentiam rei, sed quoad notitiam : nunc enim habemus Christum, sed signis, et imagine velatum ; in cælo videbimus sine ullo signo facie ad faciem. Id patet ex verbis ejus, quibus explicat, quod dixerat : « Hic ergo, inquit, in imagine ambulamus, in imagine videmus ; illic facie ad faciem, ubi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est ». Unde etiam paulo ante distinguens umbram ab imagine : « Ante, inquit, agnus offerebatur, offerebatur vitulus : nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo recipiens passionem ».

Quinto objicit illud ex lib. v. *de Sacram.* cap. 4. « Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui anim nostræ substantiam fulcit ». « Ex his verbis, inquit Petrus Martyr, vel cæcus videre potest Ambrosium non tam crasse sensisse de corpore Christi, ut putaverit illud ingredi, et recipi in corpus nostrum ».

Respondco : Non negat Ambrosius corpus Christi ingredi in corpus nostrum, sed negat illud converti in substantiam corporis nostri more ciborum corporalium. Id patet manifeste ex adversativa : « Sed animæ substantiam fulcit ; » est enim sensus : iste panis non vadit in corpus, id est, non transit in corpus per nutritionem, sed animam reficit. Alioqui enim quomodo negaret Ambrosius corpus Christi in corpus nostrum ingredi, cum dicat in serm. de S. Agnete : « Jam corpus ejus corpori meo sociatum est ? » et cum tam aperte docuerit in tot locis a nobis citatis, id quod sumimus, dum sumimus Eucharistiam, veram esse carnem Domini ? Hæc de Ambrosio.

## CAPUT XV.

### *Testimonium S. Basilii.*

Sanctus Basilius eodem tempore, quo Ambrosius floruit ; et in II lib. *de Baptismo* cap. 2 sic loquitur : « Si tales minæ adversus eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur : quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est ? Quanto enim majus aliquid is est templo secundum Domini vocem, tanto gravius, et terribilius est in animæ impuritate constitutum corpus Christi temere contingere, quam sit accedere ad arietes, vel tauros etc. » Hoc loco Basilius affirmat tanto gravius peccare, qui indigne sumunt corpus Christi, quam eos, qui indigne sumebant arietes, et tauros Deo immolatos, quanto Christus major est, non solum arietibus, et tauris, sed etiam ipso templo Domini : quæ certe sententia vera esse non potest, nisi in Eucharistia sit vere corpus Domini præsens. Nam inter Christum, et arietes ab Hebræis immolari solitos, distantia est plane infinita : inter panem autem Eucharistiæ secundum adversarios, et illos arietes penè nulla distantia : vel si distantia est notabilis, arietes excellebant, non panis Eucharistiæ, ut nos supra demonstravimus. Basilius autem affirmat tanto gravius peccare, qui indigne tractant Eucharistiam, quam ii qui indigne tractabant sacrificia illa vetera, quanto Christus major est non solum sacrificiis, sed etiam templo.

Petrus Martyr in lib. *contra Gardiner.* par. 4. respondere conatur, sed se ipse involvit, ac secum turpiter pugnat in eadem pagina. Dicit enim primum, Basilium ita conferre Eucharistiam cum sacramentis veterum, ut ab una parte ponat nuda symbola, id est, in sacramentis veterum, ab altera ponat rem ipsam, nulla facta symboli mentione, id est, in Eucharistia nostra. Itaque vult corpus Christi in illa collatione Basilii significare corpus Christi proprie dictum : illud enim est per eum res, et veritas sacramenti, ut opponitur symbolo externo. Sed quia Basilius dicit, illud Christi corpus sumi ab indignis ; indigni autem non sumunt rem sacramenti, sed nuda symbola secundum adversarios ;

ideo Petrus Martyr paulo post addit Basilium loqui de symbolis Eucharistiæ, quæ sola sumuntur ab impiis, et ea conferre cum symbolis veteribus.

Hæc autem aperte inter se pugnant, et unum destruit aliud; et præterea utrumque dictum est falsum. Quod pugnent, sic ostendo. Cum Basilius nominat corpus Christi in illa collatione cum sacrificiis veterum, vel intelligit corpus Christi verum, vel symbolicum. Si corpus Christi verum; ergo falsum est posterius dictum, quo asseruit Petrus Martyr Basilium loqui de symbolis, quæ sola sumuntur ab impiis: si corpus symbolicum; ergo falsum est prius dictum ejusdem, quo asseruit Basilium conferre rem ipsam, id est, corpus Christi, cum symbolis veteribus. Quod autem sit falsum etiam absolute utrumque dictum Petri Martyris, sic demonstro. Nam Basilius non confert cum sacrificiis veterum solum corpus Christi verum, quod erat primum dictum Petri Martyris: nam impii non sumunt corpus Christi verum secundum adversarios: neque sumunt illud corpus extra symbola secundum Catholicos. At Basilius illud ipsum dicit sumi ab impiis; ergo non loquitur de solo corpore Christi vero. Adde, quod non debuit Basilius, nec potuit ita comparare Sacramenta vetera cum Eucharistia, ut in illis tantum poneret nudum signum, in hac, verum corpus, cum utraque sacramenta eodem modo contineant corpus Christi secundum adversarios; imo melius vetera, quam nova, quia melius repræsentabant. Sed de hoc alibi diximus.

Neque vero confert Basilius cum sacrificiis veterum solum symbolum Eucharistiæ, quod erat secundum dictum Petri Martyris: nam symbola sola Eucharistiæ non præstant sacrificiis veterum, sed sunt illis inferiora, ut alibi ostendimus; et tamen Basilius hoc loco constituit infinitam distantiam inter corpus Christi, et sacrificia veterum. Sequitur igitur necessario, ut Basilius loquatur de corpore Christi vero, ut continetur sub specie panis vere, et realiter: sic enim omnia coherent. Nam hoc corpus vere excellit sacrificiis veterum infinita distantia et vere sumitur ab impiis corporali instrumento. Et confirmatur hoc totum argumentum ex sequentibus verbis ejusdem Basilii in eo loco; monet enim ut sumptari Eucharistiam diligentissime purgemur a sordibus peccatorum, ne incidamus in peccatum eorum, qui Christum occiderunt. Ista enim comparatio indigne communican-

tium cum illis, qui Christum occiderunt, cogit omnino ut intelligamus vere, et realiter Christi corpus contineri in Eucharistia. Nam ideo comparantur inter se ista peccata, quia utrumque attingit Christum in seipso; et Christum, non ut est in cælo, sed ut est in Eucharistia; quia impii non possunt Christum attingere, ut est in cælo, sed solum ut est in Eucharistia.

Alterum testimonium Basilii est in lib. *de Spiritu sancto* cap. 27. ubi sic ait: « Verba invocationis cum ostenditur panis Eucharistiæ, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit »? Hinc enim habemus morem fuisse in Ecclesia veteri, ut post consecrationem ostenderetur populo Eucharistia, quod etiam nunc fieri videmus; et conceptis verbis invocaretur, quæ verba quidam suspicantur fuisse, Kyrie eleison. Sed certe ex invocatione manifeste colligitur veritas Christi in Eucharistia: neque enim panem invocare possumus quantumlibet significet, vel repræsentet corpus Christi. Ibidem Basilius de mysteriis his loquens, dicit, nec intueri fas esse ista non initiatis. At certe nulla reddi potest causa, cur Eucharistiam ne videri quidem permitterent infidelibus, vel etiam catechumenis, si nihil est nisi signum. Nam rem significatam, id est, Christi passionem publice prædicabant, et signum etiam manifestissimum ejusdem passionis catechumenis quotidie fere imprimebant; dum eos signo crucis signabant. Qui igitur signa clarissima concedebant; cur negassent signum obscurius?

Porro ex Basilio objiciunt adversarii, quod in sua liturgia Eucharistiam appellet ἀντίτυπα id est, figuram corporis Christi, de qua re multa scribit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 183.

Ad hoc argumentum tres dari solent solutiones, sed duæ priores mihi non videntur solide. Prima est, vocem illam ἀντίτυπα non semper accipi pro figura, sed aliquando sumi pro exemplari: cujus significationis proferunt exemplum ex 1. epist. Petri cap. 3. ubi Baptismus vocatur antitypon diluyii, cum tamen diluvium figura fuerit Baptismi, non Baptismus diluyii. Itaque hac acceptione contendunt quidam a Basilio Eucharistiam dici antitypon, quod sit exemplar veterum figurarum.

Sed hæc opinio facile rejici potest. Nam vox antitypon (ut etiam notavimus in 1. lib. *de Sacramentis in genere*) nunquam accipi-

tur pro exemplari, sed pro imagine, quæ e regione respondet exemplari; et ita illud imitatur, ut fere cum eo contendere videatur. Quomodo valde proprie vocatur antitypon imago, quæ resultat in speculo, dum quis in illud intuetur: etenim in ea imago ita ad vivum repræsentat, ut cum ipso homine de forma ipsius hominis certare videatur. Et hoc modo accipitur hæc vox ab Apostolo Hebr. ix. et ab auctoribus passim: neque aliter accipitur Petri iii. Nam Baptismus aliquo modo est exemplar, aliquo modo imago diluvii, et ut imago, non ut exemplar, dicitur a sancto Petra antitypon diluvii. Nam si consideremus significationem ad placitum, seu divinam ordinationem, diluvium figura fuit Baptismi, non contra, Baptismus diluvii: neque enim Deus instituit Baptismum, ut repræsentaret diluvium; sed e contrario, diluvium Deus induxit in mundum, tum ob alias causas, tum etiam ut esset figura Baptismi. At si consideremus naturalem similitudinem, Baptismus est potius imago diluvii, quam diluvium Baptismi: siquidem magis proprie, et vere diluvium suffocavit homines impios, quam Baptismus peccata suffocet, illa enim vera et propria, hæc metaphorica suffocatio est. Quia tamen valde similis est effectus Baptismi, id est, suffocatio iniquitatum, effectui diluvii, id est, suffocationi hominum impiorum: ideo S. Petrus Baptismum antitypon diluvii appellavit. Sed præterea licet antitypon pro exemplari accipi posset, non tamen id nobis prodesset. Nam Basilius non dicit, Eucharistiam esse antitypon Sacramentorum veterum, sed corporis Domini; quare certum est a Basilio non accipi hanc vocem pro exemplari, sed pro imagine imitante ipsum exemplar.

Altera solutio est aliorum, vocari a S. Basilio panem Eucharistiæ antitypon corporis Domini, sed ante consecrationem, non postea. Ita respondit olim Joan. Damascenus lib. iv. *de Fide* cap. 14. et Epiphanius in VII. Synodo, act. 6. tom. 3.

Sed hæc solutio multas habet difficultates. Nam in liturgia Basilii invenimus panem Eucharistiæ vocari antitypon corporis Domini post recitationem verborum illorum: *Hoc est corpus meum*. Quocirca oporteret Damascenum, et Epiphanium existimasse, non consecrari Eucharistiam illis verbis: *Hoc est corpus meum*; sed illis, quæ infra ponuntur: quod minus adhuc probabile est; de qua re disputabimus in iv. lib. in controversia de

verbis, quibus Sacramentum Eucharistiæ conficitur. Adde, quod licet Basilius non vocaret Eucharistiam antitypon corporis Domini post consecrationem: tamen Theodoretus apertissime ita eam vocat in i. dialogo, necnon Macarius Ægyptius hom. 27. imo et Dionys. cap. iii. *Eccles. hierarch.* et Naz anzen. orat. in *Gorgoniam*.

Est igitur tertia solutio, Eucharistiam etiam post consecrationem recte dici antitypon corporis, et sanguinis, non solum quia species panis, et vini sunt signa corporis, et sanguinis ibi revera existentium; sed etiam quia ipsum corpus, et sanguis Domini, ut sunt sub illis speciebus, signa sunt ejusdem corporis, et sanguinis, ut fuerunt in cruce; repræsentat enim Eucharistia passionem Christi. Et ideo fortasse Basilius, et alii Patres non vocant Eucharistiam figuram, seu typum, sed antitypon; quia, ut diximus, antitypa non dicuntur quælibet figuræ, sed illæ tantum, quæ nihil fere differunt a veritate. Porro panis, et vinum, remoto corpore Domini, non ita ad vivum repræsentant corpus, et sanguinem, ut dici possint antitypa: melius enim repræsentabat agnus paschalis, et tamen non dicebatur antitypon, sed typus. At si sub specie panis sit vere corpus Christi, tum vere Eucharistia erit antitypon corporis in cruce immolati. Unde Chrysostomus homil. 17. in *epist. ad Hebræos* dicit, Eucharistiam esse typum, seu figuram sacrificii crucis; et tamen ibidem asserit, nunc eundem Christum offerri, qui tunc oblatus fuit. Simile esset, si rex aliquis gravissimo bello confecto idem ipsum bellum ad oblectandum populo in scena repræsentari vellet, et ipse idem, qui vere pugnaverit, in scena seipsum repræsentaret: esset enim ipse vere antitypon sui ipsius. Similia habemus in aliis Christi representationibus: nam cum tribus diebus latuit, et tandem tertia die inventus est in templo, significare voluit, teste Ambrosio in cap. ii. Lucæ, se triduo futurum in sepulchro absconditum, et tandem tertia die resurrecturum. Et Matth. xvii. cum transfiguratus est in monte coram Prophetis, et Apostolis, significare voluit, se eo modo videndum in gloria cælesti ab omnibus Sanctis veteris, et novi Testamenti. Ipse igitur non semel fuit typus, et figura sui ipsius.



## CAPUT XVI.

*Testimonium S. Gregorii Nysseni.*

S. Gregorius Nyssenus S. Basilii frater, insigne testimonium nobis præbet : ex quo etiam intelligi posset, quid Basilius sensisset, si de ea re ulla dubitatio oriretur. Constat enim Nyssenum in iis, quæ ad fidem pertinent, nulla in re a Basilio dissensisse. Igitur in lib. de vita Moysis, ubi disputat de manna Judæorum, et eum cibum cum Eucharistia confert, sic loquitur de Eucharistia : « Panis est absque semine, absque aratione, absque ullo humano opere nobis paratus. Is desuper defluens invenitur in terris. Panis enim qui de cœlo descendit, qui verus cibus est, qui ænigmatice hac historia significatur, non incorporea quædam res est : quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet ? res autem quæ incorporea non est, corpus omnino est ». Hæc ille. Hic duo habemus, quæ excludunt omnes, quæ fingi possent ab adversariis, expositiones. Nam primo Gregorius dicit, Panem Eucharistiae sine semine, sine aratione, sine opere humano fieri ; quod certe non convenit pani triticeo : loquitur igitur de vero corpore Christi, cui illa omnia conveniunt.

Secundo dicit, eundem panem corpore manducari : non ergo loquitur de corpore Domini, ut est in cœlo, et sola fide sumitur, sed de vero corpore, ut est in Eucharistia.

Idem Gregorius in *oratione catechetica* cap. xxxvi. et xxxvii. multa habet expresse de veritate hujus Sacramenti, et citatur hic locus ab Euthymio in *Panoplia* part. 2. titul. 21. et a Bessarione in lib. *de verbis consecrationis*. Inter alia dicit, et sæpius repetit, corpus Christi immortale conjungi per Eucharistiam cum nostro mortali corpore, et illud sibi simile reddere, id est, efficere, ut gloriosum, et immortale aliquando resurgat : « Quemadmodum, inquit, parum fermenti totam massam sibi similem reddit : sic et corpus illud, quod a Deo factum est immortale, in nostrum corpus ingrediens totum in se transfert, atque commutat. Nam, ut pestiferum cum salubri commixtum illud efficit perniciosum : sic et corpus immortale reddit totum illud, in quo susceptum est,

naturæ simile immortalis ». Et infra : « Fidelium corporibus conjungitur, ut ea conjunctione cum immortalis, homo etiam immortalitatis particeps fiat ». Hæc ille.

Secundo quærit, quomodo possit unum corpus toti mundo communicari, et tamen semper integrum maneat : quæ quidem quæstio absurdissima esset, si tantum in signo corpus Christi manducaretur ; nulla enim difficultas in ea re fingi posset : « Considerandum est, inquit, quomodo fieri queat, ut cum unum illud corpus assidue per totum orbem terrarum tot fidelium millibus impertiatur, totum cujusque per partem evadat, et in seipso totum permaneat ». Hæc ille.

Tertio, respondet ad quæstionem, ac dicit panem qui ponitur in altari, converti in carnem Christi, et eo modo omnes, qui eo pane vescuntur, vere sumere Christi carnem sine ullo ejus detrimento : quæ sane est acutissima, et verissima responsio. Nam vult dicere, ut habeamus, et comedamus veram Christi carnem, non esse opus, ut Christus de cœlo descendat, sed manente illo salvo, et incolu mi in cœlo, verti quotidie panem in corpus ejus, et eo modo a multis manducari.

Quod autem non loquatur de mutatione panis in carnem per solam significationem, ut adversarii dicere solent, sed de vera, et reali mutatione, patet primo, ex ipsa quæstione, quæ (ut dixi) inepta esset, si de mutatione significationis ageretur. Secundo, patet ex ipsa ejus explicatione ; dicit enim ita mutari nunc panem in carnem Domini virtute verborum ipsius, quemadmodum cum ipse in terris viveret, mutabatur panis, quo ipse vescebatur in carnem ipsius. Tertio patet, quia dicit hanc mutationem fieri divina virtute divinæ benedictionis : nulla autem virtus requirebatur ad mutandam significationem, cum sit res mere voluntaria. Hæc autem sunt verba ejus : « Divinum illud corpus panis nutrimentum accipiens, idem quodammodo erat cum illo cibo (ut diximus) in ejus corporis naturam immutato ». Et infra : « Quam ob rem recte etiam nunc Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari ». Et infra : « Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud (corpus Domini) rerum quæ videntur (id est panis, et vini, naturam mutans ». Hæc ille. Quæ tam perspicua sunt, ut non fuerit ausus ullus adversariorum, quod sciam, vel ad hæc loca respondere, vel aliquid ex hoc auctore nobis objicere.

## CAPUT XVII.

*Testimonium Beati Optati Milevitani.*

Optatus Milevitanus floruit eodem tempore, quo Ambrosius, et Basilius, ut patet ex lib. II. *contra Parmenianum*, ubi scribit se vixisse tempore Siricii papæ, qui Damaso successerat. Is igitur in VI lib. *contra Parmenianum*, sic ait: « Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando et vos obtulistis, frangere, radere, remove? in quibus vota populi, et membra Christi portata sunt: quo Deus omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus, unde e multis pignus salutis æternæ, et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est ». Et infra: « Quid est altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi? » Et infra: « Quid vos offenderat Christus, ejus illic per certa momenta corpus, et sanguis habitabat? » Et infra: « Hoc tamen immane facinus geminatum est dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores ». Hæc ille.

Quod autem per corpus Christi, quod tam sæpe repetit Optatus in altari manere solitum, non intelligatur corpus significative, sed vere, id est, non solus panis, qui Christi corpus repræsentet, sed ipsum verum, et proprie dictum corpus, multis modis probari potest ex hoc ipso loco. Primo ex eo, quod cum toties id repetat, ne semel quidem dixerit, signum corporis in altari manere, vel offerri, sed perpetuo corpus Christi, aut membra Christi.

Secundo, ex eo, quod dicit, invocari super altare Deum omnipotentem, et descendere super idem altare Spiritum sanctum, quod sine dubio referendum est ad consecrationem: videmus enim in omnibus liturgiis antiquis invocari Spiritum sanctum, ut descendat, et transmutet panem in corpus Christi; neque potest reddi alia ratio hujus descensus spiritus sancti, nisi ad Sacramentum conficiendum. At quorsum iste descensus, quorsum invocatio omnipotentis, si nihil mirabile, et supernaturale fieri deberet.

Tertio ex eo, quod Eucharistiam vocat Optatus, pignus salutis, tutelam fidei, et spem resurrectionis: alludit enim ad id, quot veteres, Irenæus, Hilarius, Cyrillus, Nyssenus, et alii dicere solent, ideo conjungi cum cor-

pore nostro corpus Christi ut ex illo trahat vim quamdam ad beatam immortalitatem assequendam.

Quarto ex eo, quod dicit per certa momenta habitare corpus Christi in altari. Si enim loqueretur de signo corporis, non diceret: « Per certa momenta », sed semper; semper enim in altari manere solet crux, ut Chrysostomus testatur in orat. quod Christus sit Deus; imo etiam (ut ipse ibidem ait) in culminibus, in parietibus, in vasis etc. Crux autem signum est Christi crucifixi; et ipsum etiam altera figura quædam est, et signum Christi, ut fatetur Petrus Martyr libro *contra Gardin.* objecto 38. alio igitur modo quam per significationem, Eucharistia corpus Christi est.

## CAPUT XVIII.

*Testimonium S. Gregorii Nazianzeni.*

Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui eodem tempore floruit quo superiores Patres, in 2. orat. de Paschate ita loquitur: « Absque confusione et dubio comede corpus, et sanguinem bibe, si saltem vitæ desiderio teneris, neque sermonibus, qui de carne habentur, fidem deneges, neque ob passionem offendaris; constans esto, firmus, et stabilis, in nulla re propter adversariorum sermones, fluctues ». Hæc ille. Ubi hortatur ad fidem erga tantum mysterium, etiamsi adversarii. id est, philosophi gentiles nos irrideant, quod dicamus nos carnem Christi manducare: hæc autem cohortatio supervacanea esset, si tantum in signo Christi carnem manducarem.

Respondet Petrus Martyr, Gregorium loqui de fide passionis Christi, atque hortari Christianos, ut certa fide credant Christum habuisse veram carnem, et vere esse mortuum, et hoc modo spiritualiter manducant carnem Christi. At non disputabat eo loco Gregorius de passione, sed de Eucharistia, cujus figura fuit manducatio agni paschalis; explicat enim eo loco varios ritus, quibus manducabant Judæi paschale magnum, et accommodat illos ad manducationem Eucharistiæ. Et quoniam inter alios ritus Judæorum unus erat, ut baculis nixi manducarent, dicit eo baculo significari, ut etiam nos firmi, et sta-

biles, et sine ullo dubio manducemus carnem, et bibamus sanguinem.

Aliud testimonium exstat in *oral. de obitu Gorgoniæ* sororis suæ, ubi refert, Gorgoniam morbo incurabili affectam, nocte quadam sese in templum proripuisse, ac procumbentem ante altare eoram venerabili Sacramento ita orasse, ut statim convaluerit: « Ad altare, inquit, cum fide procumbit, eumque qui super illud colitur, magno cum clamore obtestans, etc. » Quid autem super altare colatur, dubium esse non potest, cum nihil ibi ponatur a Christianis, nisi panis, et vinum mutanda in corpus et sanguinem Christi: unde Optatus paulo ante citatus, vocabat altare sedem corporis Christi.

Petrum Martyrem valde ussit, pupugitque hic locus, ut apparet ex lib. ejus *contra Gardinerum*, objecto 38. Nam primum conatur se expedire, ac dicit, super altare coli quidem Christum, sed coli in symbolo, sicut in symbolo significatur. At hæc responsio nihil eum juvare potest. Nam si colitur in symbolo, vel est ipse revera in eo symbolo, vel non est. Si est; errant Sacramentarii, qui id negant: si non est; ergo licet saltem coram symbolis procumbere, et ibi Christum licet absentem adorare; ergo licet Eucharistiam, et imagines Christi venerari, neque est idololatria, ut ipsi passim clamant.

Sed hac solutione non contentus Petrus Martyr, paulo infra aperit mentem suam, ac dicit, mulierculam illam parum in Christiana religione fuisse instructam; et abusum, ac superstitionem esse quod illa fecit, cum nec ullum sit altare Christianis, nec ullus Sacramenti usus esse debeat, nisi ad sacram cœnam. At illam sanctam fœminam satis defendit ab istius impii Apostatæ petulentia tum sancti Gregorii auctoritas, qui illam non solum prædicat, ut sanctissimam, et optimam; sed etiam testatur fuisse doctissimam in litteris utriusque Testamenti; tum evidens miraculum, quod illa ipsa nocte accidit, siquidem continuo curata est ab incurabili morbo. Quis autem credat abusum, et superstitionem tanti miraculi causam esse potuisse? Adde, quod si imperitia, et superstitio est, mensam Domini vocare altare, et Christum in Eucharistia colere, non sola Gorgonia, sed etiam ipse Gregorius accusandus erit imperitiæ, et superstitionis. Nam ipse est, qui mensam vocat altare, et qui Christum in Eucharistia coli dicit; ipsius enim Gregorii, non Gorgoniæ verba sunt illa: « Ad altare cum fide præ-

cubuit, eum, qui super illud colitur, magna voce obtestans etc. »

## CAPUT XIX.

*Testimonium S. Ephrem.*

Sanctus Ephrem, æqualis superiorum Patrum fuit, quippe sancto Basilio familiaris, ac tantæ auctoritatis, ut ejus scripta publice post divinas Scripturas in Ecclesia legerentur, ut testatur S. Hieron. *in Catal. scriptor.* Is ergo in lib. de natura Dei minime scrutanda cap. 5. « Quid scrutaris, inquit, inscrutabilia? si ista curiose rimaris, non jam fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis, atque innocens participa de immaculato corpore Domini tui, fide plenissima, certus quod agnum ipsum integrum comedis. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, noli temere ea perscrutari, ne in ipsorum perscrutatione comburaris. » Hæc ille. Et infra: « Hoc sane excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque sermonem, quod fecit nobis unigenitus Filius Christus Salvator noster. Ignem, et spiritum manducandum, ac bibendum præstitit nobis, corpus scilicet, et sanguinem suum. » Hæc ille.

Ad hoc testimonium neque respondent adversarii, neque respondere aliquid possunt. Nam difficultas ad credendum, mysterii inscrutabilitas, et miraculum superans omnem mentem (quæ tria in hoc Sacramento prædicat S. Ephrem) clarissime testantur, non esse Eucharistiam panem materiale, qui tantum significet corpus Domini, sed esse ipsum verum Domini corpus. Adde, quod Ephrem facit antithesim quædam: dicit enim mirabile fuisse, quod Angeli; qui sunt incorporei, in corpore assumpto manducarint cibos corporeos: sed mirabilius esse, quod nos homines corporei, et lutei comedamus ignem, et spiritum, id est, corpus cœleste Christi. At nulla esset admirationis causa, si tantum in signo corpus Christi manducaremus; imo mirabilior multo fuisset illa Angelorum manducatio, quam nostra sit.

## CAPUT XX.

*Testimonium S. Epiphani.*

Sanctus Epiphanius omnium superiorum æqualis ( nam etiam Athanasio familiaris fuit, licet omnibus supervixerit) in *Ancorato*, circa medium, cum docerè vellet, hominem vere esse factum ad imaginem Dei, licet non facile appareat, in quo consistat similitudo inter Deum, et hominem, cum homo sit corporalis, finitus, mutabilis; Deus incorporealis, immensus, immutabilis, dicit, multa esse ejusmodi, quæ aliud sunt, aliud videntur esse, et ponit exemplum de Eucharistia, quæ vere est corpus Christi, et tamen nihil minus esse videtur; cum id, quod apparet exterius, sit rotundum, et insensibile, et proinde valde dissimile corpori Christi. « Videmus, inquit, quod accepit Salvator in manus suas, veluti Evangelista habet, quod surrexit a cœna, et accepit hæc, et cum gratias egisset, dixit: Hoc meum est, Hoc et Hoc. Et videmus quod non æquale est, neque simile, non imagini in carne, non invisibili Deitati, non lineamentis membrorum: hoc enim est rotundæ formæ, et insensibile, quantum ad potentiam. Et voluit, per gratiam dicere: Hoc meum est, Hoc, et Hoc; et nemo non fidem habet sermoni; qui enim non credit esse ipsum verum, excidit a gratia, et salute ». Hæc ille.

Hic sane locus omnino convincit. Nam quod dicit Epiphanius oportere credere esse ipsum verum, excludit tropos, et præsertim cum addat excidere a salute, qui id non credunt. Quod etiam addit esse id credendum, licet sensus repugnent, apertissime testatur non loqui eum de significatione, sed de re ipsa: nam sensus non modo non repugnant, sed etiam juvant ut credamus Sacramentum significare.

Respondent adversarii, ac præcipue Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 186. Epiphanium loqui de representatione corporis Domini, ac velle dicere, credendum esse panem Eucharistiæ vere esse corpus Christi repræsentative, licet nulla appareat in pane similitudo cum corpore Christi. Id vero ex eo potissimum colligit, quod Epiphanius panem dicit esse corpus Christi:

affirmat enim id, quod Dominus accepit in manus, quodque ait rotundum, et insensibile esse; illud, inquam, ipsum vocatum a Christo per gratiam corpus ipsius. Panis autem rotundus, et insensibilis, id est, panis verus, ac materialis non potest esse corpus Domini, nisi repræsentative.

Sed hæc solutio facile refelli potest duplici ratione. Primo, quia Epiphanius non sine causa mutavit conclusionem in comparisonem Eucharistiæ cum homine. Nam cum dixisset hominem esse imaginem Dei, licet non appareat similitudo inter Deum, et hominem: debuisset dicere consequenter, panem Eucharistiæ esse imaginem corporis Domini, licet non appareat similitudo inter panem, et corpus Domini; id enim requirere videbatur ratio exempli allati. At non ita dixit, sed ait panem Eucharistiæ, esse ipsum verum corpus Domini. Et certe non dixisset de homine, esse ipsum verum Deum, sicut dixit de Eucharistia, esse ipsum verum corpus; et tamen non minus homo est verus Deus repræsentative, cum sit ejus imago, quam sit per adversarios Eucharistia verum corpus repræsentative. Quorsum igitur hæc mutatio, nisi ut intelligeremus, non conferri Eucharistiam, ut imaginem cum homine; sed Eucharistiam, quatenus in ea vere continetur corpus Domini?

Secundo, refellitur solutio adversariorum, quia si Epiphanius vellet solum dicere panem Eucharistiæ esse corpus Domini repræsentative, exemplum ipsius nihil valeret. Nam Sacramenta signa quidem sunt repræsentantia rem aliquam sacram, sed non repræsentant ratione figuræ, aut colorum, quemadmodum repræsentant imagines depictæ, vel sculptæ; sed repræsentant partim ut signa ad placitum, partim ob analogiam naturalem inter effectus ipsorum signorum, et rei significatæ, quemadmodum etiam verba sunt signa rerum, et hedera signum est vini. Quare nihil est novum, vel mirum, quod Sacramentum Eucharistiæ repræsentet Christum, licet non sit illi simile, vel æquale, quoad figuram et formam: non enim repræsentat ut imago. Et quemadmodum stultus esset, qui miraretur, quomodo voces possint esse signa rerum, cum non sint illis in figura, vel colore similes, vel magnitudine æquales; sic etiam stultus esset, qui miraretur quomodo panis Eucharistiæ possit Christum repræsentare, cum non sit Christo æqualis, nec habeat lineamenta corporis Christi. At-

qui Epiphanius affert in medium, ut rem mirabilem, et sola fide comprehensibilem, quod panis Eucharistiæ dieatur vere esse corpus Christi, cum non sit illi similis, nec æqualis, nec referat ulla corporis illius lineamenta; non igitur Epiphanius loquitur de pane representante corpus Domini, sed de ipso vero corpore, quod vere adest in illa sacra hostia, quam oculis videmus, et manibus tangimus, licet sensus omnes reclament.

Ad argumentum autem Petri Martyris, respondeo, Epiphanium nunquam dixisse panem materiale esse corpus Christi; sed tantum dixisse, Dominum, accepto pane, gratias egisse, atque Eucharistiam fecisse, et dixisse: *Hoc est corpus meum*. Ubi pronomen, *Hoc*, non demonstrat panem, sed id quod in manibus Domini erat, sive quod sub speciebus illis continebatur, ut supra diximus: quod quidem antea fuerat panis, sed prolatis illis verbis, corpus Domini erat.

At, inquit Petrus Martyr, de ea re, quam vocat rotundam, et insensibilem, de eadem pronuntiat, quod sit corpus Domini. Illa autem res panis sine dubio est. Respondeo, res illa rotunda, et insensibilis non est panis eo loco, sed aliquid speciem panis præ se ferens: vult enim Epiphanius dicere, sacram Eucharistiam vere esse corpus Domini, licet exteriori forma, ac specie rotunda, et insensibilis sit, ut panis merus videatur. Imo in hoc consistit (ut diximus) tota sententia Epiphani, quod videlicet credere debeamus, verum Domini corpus nos in Sacramento Eucharistiæ percipere, cum tamen nihil videamus, nisi panis materialis accidentia.

## CAPUT XXI.

QUINTA ÆTAS ECCLESIE AB ANNO DOMINI 400, AD 500.

### *Testimonium S. Gaudentii.*

Beatus Episcopus Gaudentius ad initium quinti sæculi floruit, ut patet ex serm. ipsius *de dedicatione Basilicæ Concilii Martyrum*, ubi dicit, se accepisse reliquias quasdam a duabus neptibus S. Basilii; et ante paucos annos refert inventa fuisse corpora Sancto-

rum Gervasii, et Protasii a S. Ambrosio. Hic igitur insignis auctor tract. II *de Exodo*, dicit, in veteri Testamento agnum paschalem non fuisse eundem omnium Judæorum, sed multos; siquidem unaquæque familia suum occidebat, et manducabat: ille enim agnus figura erat, non veritas. At in nostra veritate unum, et eundem in omnibus Ecclesiis immolari, et manducari affirmat. Quæ comparatio manifeste indicat in nostro Sacramento verum Christi corpus in seipso, non in solo symbolo adesse: alioqui etiam Judæi, unum et eundem agnum habuissent, eum omnes illi eorum agni unum Christum significarent.

Deinde idem auctor sic loquitur: « Ipse naturarum Creator, et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest, promisit), efficit proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, et de vino sanguinem suum ». Et infra: « O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei. Pascha est Domini, hoc est transitus Domini. Ne terrenum putes, quod cœleste effectum est, per eum, qui transit in illud, et fecit illud suum corpus, et sanguinem. » Et infra: « Quod annuntiatum est credas, quia quod accipis, corpus est illius panis cœlestis, et sanguis est illius sacræ vitis. Nam cum panem consecratum, et vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Credamus cui credidimus: nescit mendacium veritas ». Et infra: « Non infringamus os illud solidissimum: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Si quid autem superfuerit et jam nunc in uniuscujusque sensu, quod expositione ista non cœperit, ardore fidei coneremetur ». Ad hæc loca adversarii non responderunt, nec respondere possent.

## CAPUT XXII.

### *Testimonium S. Chrysostomi.*

Ad initium anni 400. floruit etiam S. Joannes Chrysostomus, qui multis modis testatus est, quid sentiret de Sacramento corporis Domini. Primum testimonium ejus habetur hom. 60. ad popul. *Antiochen.* et hom. 83. *in Matth.* « Credamus, inquit ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui,

et cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit. Superet et sensum, et rationem nostram sermo, quæso, ipsius; quod in omnibus rebus, sed præcipue in mysteriis faciamus, non illa, quæ ante nos jacent solummodo aspicientes, sed verba quoque ejus tenentes: nam verbis illius defraudari non possumus, sensus vero noster deceptui facilis est. Quoniam ergo ille dixit: Hoc est corpus meum; nulla dubitatione teneamur, credamus etc.» Et homil. 51. in *Matth.* « Qui, inquit, majus, id est, animam suam, pro te posuit, quare dedignabitur suum tibi tradere corpus? Audiamus igitur tam Sacerdotes, quam alii, quam magna, quam admirabilis res nobis concessa est, audiamus, oro, et perhorrescamus, carnes suas nobis tradidit, seipsum immolatum proposuit ». Sane non potuisset Chrysostomus clarius loqui, si Calvinistam aliquem ante se habuisset, quem hortari ad fidem voluisset.

Secundum testimonium habetur in iisdem duobus locis: « O, quot modo dicunt, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre; ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis. »

Ad hunc locum respondet Petrus Martyr, Boquinus, et alii, Chrysostomum tribuere nomen rei significatæ symbolis ipsis, et hyperbolice loqui. Et probant eum loqui de symbolis, non de ipso vero corpore, quia dicit videri Christum, et tangi in Sacramento, cum tamen sola symbola tangantur, et videantur: de ipso autem vero corpore supra dixit, oculis mentis per fidem esse videndum; et infra dicit, in rebus sensibilibus donum insensibile nobis dari. Quod autem insensibile est, nec tangi, nec videri potest: nec igitur de ipso vero Christo loquitur, sed de pane, cum ait: « Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. »

At solutio ista facile refellitur: Chrysost. enim cum dicit, Christum ipsum videri, et tangi, intelligit ipsum verum Christum videri, et tangi, sed in specie aliena, non in sua, id est, vere adesse, et recipi sub illis speciebus, quæ proprie videntur, et tanguntur; licet in propria specie Christus in Sacramento non videatur, nisi oculis fidei, necque sensibilis sit, ut in Sacramento est. Exemplum habemus in Angelis. Nam vere dicebantur videre, tangere, et hospitio excipere Angelos, qui illos recipiebant in corpore assumpto, ut Abraham, Loth, Tobias, et alii. Id autem velle Chrysostomum, patet ex eo

quod dicit, multos cupere videre vestimenta, et calceamenta, et in Sacramento, plus habere, quam cupiant, cum ipsum Christum habeant; illi enim qui cupiunt vestimenta, vera vestimenta cupiunt, non imaginem vestimentorum. Et sane optabilius esset videre, vel habere vera Christi indumenta, quam imaginem corporis ejus: non ergo vere dicit Chrysostomus, illos habere plus quam optent, nisi ipsum verum Christum vere habeant.

Præterea ibidem dicit Chrysost. nullum unquam pastorem pavisse oves carne, et sanguine suo, ut Christus facit, et multas matres dedisse filios aliis nutriendos, at Christum carne sua nos alere. Quæ comparationes omnino frigeant, si tantum id symbolo carne sua nos nutrit.

Adde, quod homil. 24. in *priorem ad Corinth.* dicit, magos hoc ipsum corpus adorasse in præsepi: nos autem aliquid amplius habere, quam habuerint magi: nam illi habuerunt in præsepi, nos in altari; illi in ulnis mulieris, nos in manibus sacerdotis; illi simplex corpus viderunt, nos et corpus idem videmus, et scimus ejus potentiam, et virtutem, etc. At si tantum in signo Christum habemus, non modo, non sumus magis superiores, sed tanto inferiores, quanto inferior est imago Christi ipso vero Christo.

Ibidem dicit, amantes consuevisse personis amantibus donare vestes, pecunias, et alia id genus: at carnem suam non posse dare; Christum autem rationem invenisse per hoc mirabile Sacramentum, quod se nobis vere donaret habendum. Sed falsum erit, quod Chrysostom. dicit si tantum in symbolo se nobis Christus donat: possunt enim etiam homines se donare, et reipsa donant amicis in symbolo, cum imagines suas illis donant.

Item homil. 51. in *Matth.* « Adeamus, inquit, Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti ejus tunc tetigerunt, recte omnes convalescunt: quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus? » Ubi non loquitur Chrysost. de Christo habito tantum in symbolis: non enim major est virtus imaginis Christi, quam fimbriæ illius, quam qui tangebant, curabantur omnes.

Item homil. 3. in *epist. ad Ephes.* dicit, Eucharistiam nihil prorsus differre ab illo corpore, quod in cælo ab angelis adoratur: « De corpore, inquit, nobis sermo est, et

eo, quod nihil ab illo dissidet. Quot istius corporis efficiamur participes? quot ejus sanguinem gustamus? Recolito, quia illius corpus, et sanguis est, qui supra cœlos residet, qui ab Angelis suppliciter adoratur. »

Denique homil. 3. *de Incomprehensibili natura Dei* prope finem, reprehendit acerrime populum, quod ad ejus concionem frequentissime accederent, ad sacrum autem rariores: « Me, inquit, vehemens cœpit suspirium, quod cum ego disputo vester conservus, studium adhibitis et ingenium, contenditis animum, alter alterum impellit, et jactat, ut ipse propius adsit, frequentes ad finem usque dicendi patientissimi perseveratis: cum autem ipse Christus communis omnium magister et Dominus in sacris mysteriis se ostensurus est, vacua ecclesia redditur. Proh fidem hominum Christianorum? » Hæc ille. Quæ sane comparatio, et exclamatio ineptissima esset, si nihil in Eucharistia præter signum haberemus: potuissent enim illi respondere, se domi satis multas habere imagines Christi in quibus eum videre possent.

Tertium testimonium habetur in iisdem locis, homil. videlicet 60. *ad popul.* et 83. *in Matth.* ubi Chrysostomus sic ait: « Non sufficit ipsi, hominem fieri, flagellis interim cœdi, sed nos secum in unam (ut ita dicam) massam reducit: neque id fide solum, sed reipsa nos corpus suum effecit. » Et homil. 61. *ad popul.* et hom. 45. *in Joan.* addit non sola charitate, sed reipsa nobis commisceri carnem ipsius per hoc Sacramentum. Et homil. 24. *in priorem ad Corinth.* dicit, sic nos uniri corpori Christi per Eucharistiam, quemadmodum corpus illud unitum est Verbo per Incarnationem, id est, vere et realiter. Et ibidem dicit, amantes aliquando præ nimio amore morsu appetere eos, quos diligunt, ut eo modo indicent, cupere se, si posset fieri, intime uniri, et fieri unum cum illis: Christum autem hoc mirabili modo per Eucharistiam effecisse, ut vere corpori ejus intime uniremur. Quæ omnia frigidissima, et ridicula essent, si tantum in signo Christi corpus acciperemus.

Respondet Petrus Martyr, duplicem esse unionem fidelium cum Christo; unam per fidem, et charitatem; alteram, quæ est ista sequitur, qua sumus membra Christi, et ipse caput nostrum; et de hac posteriore loqui Chrysostomum, cum dicit, nos reipsa uniri Christo, et non sola fide, aut charitate.

Sed contra. Nam ista unio membrorum

cum capite, qua efficiamur unum corpus mysticum Christi, proprie obtinetur per Baptismum, et necessario præcedere debet summptionem Eucharistiæ: qui enim non est membrum Christi, non nisi indigne ad hoc Sacramentum accedit. At Chrysost. dicit, per Eucharistiam nos conjungi Christo nova quadam, et vera unione. Præterea, quod ait Chrysostomus, reipsa nobis conjungi corpus Christi, non minus opponitur conjunctioni mysticæ membrorum cum capite, quam conjunctioni per fidem, et dilectionem: neque enim illa magis realis est, quam ista. Denique illa exempla Incarnationis, et amantissimis refellunt figmenta ista adversariorum.

Quartum testimonium est in his locis, ubi miraculo tribuit Chrysostomus, quod Christi corpus simul sit in cœlo, et in altari lib. III. *de Sacerdotio*: « O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum patre sursum sedet in illo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus illum excipere, et amplecti. » Item homil. 2. *ad populum Antiochenum* in fine: « Elias melotem discipulo reliquit: Filius autem Dei ascendens suam carnem dimisit: sed Elias quidem exutus, Christus autem, et nobis reliquit, et ipsam habens ascendit. »

Ad hunc locum respondet Beza in *Cyclope* Christi carnem in cœlo esse proprie, in terra symbolice. Et probat, quia ibidem Chrysost. dicit, Eliam simul fuisse sursum et deorsum, quia nimirum sursum erat in sua persona, et deorsum erat, quia requieverat spiritus ejus in Elisæo: et sic in alio erat deorsum, non in se. Adducit etiam Beza eundem Chrysostomum hom. 24. *in priorem ad Corinth.* ubi dicit, per hoc mysterium fieri, ut terra nobis sit cœlum, et hortatur, ut mente conscendamus in cœlum, ubi Christum habeamus.

Sed nihil Beza dicit. Nam etiam si Elias non erat proprie sursum et deorsum, tamen alia ratio est de Christi carne, quam Chrysostomus non confert cum Elia, sed cum ejus melote.

Quod autem proprie carnem Domini Chrysost. intellexerit in terra nobis relictam, et simul in cœlo, patet, tum ex loco citato ex lib. III. *de sacerdotio*, ubi miraculum in hac re agnoscit Chrysost.; neque enim miraculum esset, si tantum in symbolo carnem Domini haberemus: tum ex hoc ipso loco, de quo agimus. Dicit enim Chrysost. rem nobis longe

quam Elias Elisæo reliquit : quia Elias vestem, Christus carnem reliquit. At certe non est res major caro in symbolo, quam vestis porprie dicta.

Denique locus alius a Beza productus ex hom. 24. in priorem ad Corinth. vel solus sufficeret ad eum convertendum ad veram fidem, nisi in sua hæresi plane obdurisset. Nam non dicit Chrysost. ut mente in cœlum ascendamus, ut ibi tantum Christum habeamus, sed ut videamus, nihil esse in cœlo præstantius Christo, et ideo terram per hoc Sacramentum fieri cœlum, quia vere habemus in terris id, quod est in cœlo præstantissimum. Verba ejus hæc sunt hom. 24. in priorem ad Corinth. in fine : « Deum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum fit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cœli portas, et diligenter attende, imo non cœli sed cœli cœlorum, et tunc quod dicimus intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam ; nam quemadmodum in regis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est : ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc in terra videndum tibi proponitur : neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo. » Quo loco Chrysost. si solum in signo Christum in terra esse vellet, plane deciperet auditores ; nec anteponeret eum Angelis et Archangelis. Quis enim non malit veros Angelos videre, quam solam Christi imaginem ? Adde quod ibidem rursus ait Chrysost. : « Si puer regis purpura, et diademate ornatus tibi ferendus traderetur, nonne, omnibus rebus humi abjectis, eum exciperes ? Verum nunc cum non hominis regium puerum, sed unigenitum Dei Filium accipias, non horrescis, et omnem sæcularium rerum amorem abjicis ? » Hæc ille. Ubi si de Christi signo, non de ipso Christo loqueretur, nullo modo eum cum regio puero, sed cum imagine pueri regii conferret ; aut certe ineptissimus esset.

Quintum testimonium, est in his locis, ubi Chrysost. dicit, Christum in Eucharistia, non modo ab hominibus, sed etiam ab Angelis adorari. Hom. 41. in priorem ad Corinth. « Non frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus, pro istis agnum illum jacentem ; et peccata mundi tollentem deprecantes. » Hæc ille. Ubi apertissime dicit invocari (quæ species

est summæ adorationis) agnum in altari jacentem ; et forte alludit ad illa verba : « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona eis requiem. »

Idem in orat. de S. Philogonio, loquens de magis, qui ad Christum adorandum ex Perside venerunt, sic ait : « Si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus eum in præsepi jacentem. Nam hæc mensa vicem explet præsepis : si quidem et hic ponitur corpus Dominicum, non quidem fasciis involutum, sicut tunc, sed undequaque Spiritu sancto convestitum. Ac magi quidem nihil aliud quid adorarunt : tibi vero si cum pura accesseris conscientia, permittemus ut sumas, et sumpto domum abeas. » Ubi indicat nos non tantum adorare posse, quod magi fecerunt, sed etiam sumere.

Idem homil. 60. ad populum Antiochenum : « Cogita quali sis insignitus honore, qua mensa fruaris. Quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur. » Et homil. 61. « Huic et supernæ potestates assistunt, quoniam et ille nobis manifestius propositorum virtutem speculantur, et inaccessibiles admirantur splendores. » Et homil. 3. in epist. ad Ephes. « Et tu ad salutarem hoc hostiam accessurus, quam Angeli ipsi cum tremore suspiciunt. » Et lib. 6. ad sacerdot. : « Per id tempus, inquit, et Angeli sacerdoti assident et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est : id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego vero, et commemorantem quemdam audiui, cum diceret senem quemdam, virum admirabilem, ac cui revelationum mysteria multa divinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo fuisse : ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum altare ipsum circumdantium : denique sic capite inclinatum, ut si quis milites præsentem rege stantes videat. » Homil. 21. in Acta « Quid dicis ? hostia in manibus est, adsunt Angeli, adsunt Archangeli, adest Filius Dei : cum tanto horrore astant omnes etc. » Denique homil. de Eucharistia in encœniis : « Agnus Dei immolatur, Seraphim astant sex alis faciem tegentia, etc. »



Ad hæc adversarii neque respondent, neque respondere possunt. Si enim Angeli ad altare astant capitibus inclinatis, et cum timore, ac tremore, vix audent libere intueri propter splendorem inde emicantem; quis negare potest ibi aliud esse, quam panem? Et si Angeli adorant, quis homines reprehendere potest si et ipsi adorent?

Sextum testimonium est in his locis, ubi Chrysost. dicit mutari panem homil. 83. in *Matth.* et homil. 60. ad *Populum*: « Non sunt humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus, qui vero sanctificat ea, et immutat, ipse est. » Et infra: « Qui dixit, Hoc est corpus meum, et verbo factum confirmavit. » Et in hom. *de proditiōe Judæ* dicit ista verba: « Hoc est corpus meum », similia esse illis: « Crescite et multiplicamini. » Et hom. *de Eucharist.* in encæniis: « Num vides panem? num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit, ne sic cogites. Quemadmodum enim si cæra igni adhibita illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia. »

Ad hunc ultimum locum respondet Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* par. 4. Chrysostomum non negare in Eucharistia esse verum panem; sed modo illo loquendi significare velle, non esse attendendum ad panem, sed ad id, quod per eum significatur neque substantiam panis propria velle consumi ab ipso Domini corpore superveniente sicut ceram ab igne; sed istum esse tropum, quo indicetur oportere nos mentem abstrahere a pane, et vino, et in rebus significatis eam ponere. Id autem probat, quia Chrysostomus non solum substantiam panis, sed etiam accidentia consumi dicit, cum ait nihil superfluere, et cum adhibet cæra similitudinem, quæ tota omnino perit in igne, tum quoad substantiam, tum quoad accidentia. Atqui accidentia panis non consumuntur vere et proprie, cum adhuc sensibus percipiuntur; ergo neque substantia vere et proprie consumitur; ergo neque substantia vere, et proprie consumitur. Secundo idem probat, quia ibidem Chrysostomus dicit: « Ne putetis quod accipiatis divinum corpus ex homine, sed ex ipsius Seraphim forcipe ignem. » Quæ certe verba proprie accipienda non sunt, quia falsa essent: eodem igitur modo, cum idem auctor dicit, non esse panem, et vinum, et consumi mysteria, intelligenda sunt omnia improprie.

Sed hæc solutio nullo negotio refelli potest. Nam si Chrysostomus non negaret reipsa panem adesse, et tantum vellet non adesse quoad cogitationem nostram; non diceret Eucharistiam non emitti in secessum sicut alios cibos: ista enim nihil ad cogitationem, sed ad rem ipsam pertinent. Unde Petrus Martyr, quamvis multa dixerit de hoc loco, nunquam tamen respondit ad istam sententiam, sed eam semper, quasi scopulum quemdam infestum evitavit. Præterea valde absurda esset similitudo illa de cæra ab igne consumpta, si non reipsa panis consumeretur.

Ad argumentum ejus primum respondeo, Chrysostomum non dicere consumi accidentia panis: imo disertis verbis expressit ille substantiam discedere, adveniente alia substantia. Unde cum ait mysteria consumi, intelligit quoad substantiam, de qua loquebatur; et cum ait, nihil superfluere, nihil substantiæ remanere significat. Et denique cum cæra, quæ tota consumitur, solam substantiam panis comparat, non quidquid in pane est.

Ad secundum dico, non esse similes illas locutiones: « Ne putes divinum corpus ex homine te accipere. » et « Num panem vides, num vinum? » Nam in priore manifesti sunt tropi, dum sacerdotem vocat angelum Seraphicum, et corpus Domini ignem, et manum sacerdotalem forcipem: neque negat accipi corpus Domini a sacerdote, sed negat illum eo tempore gerere, ut hominem, sed potius angelico ministerio illum uti confirmat. At in posteriore omnes circumstantiæ clamant non esse ibi tropum, cum dicat, eum panem non ire in secessum, et totam substantiam consumi.

Septimum testimonium est in his locis, ubi dicit in Eucharistia esse veritatem sanguinis, cujus figura præcesserat in Testamento veteri. Homini ad Neophytos disputans de sanguine agni, quo linebantur postes filiorum Israël in Ægypto, ut ab Angelo percutiente liberarentur: « Sicut, inquit, regnantium statuæ, nonnumquam ad se confugientibus hominibus subvenire consueverunt, non quia sunt ære confectæ, sed quia retinent imaginem principalem: ita et sanguis ille liberavit, non quia sanguis fuit, sed quia ejus sanguinis ostendebat adventum. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto

magis terrebitur inimicus, si ipsum perspexerit veritatem? » Similia repetit hom. 45. in *Joan.* et homil. 61. *Ad populum Antiochenum.* Ad quæ loca nihil omnino responderi potest: nam sanguinis veritatem ponit Chrysostomus non solum in animo, sed etiam in ore fidelium.

Jam contra catholicam veritatem ex Chrysostomo novem testimonia Petrus Martyr adducit in lib. *contra Gardinerum* object. 197. et sequentibus, sed sex ex illis, nullam habent difficultatem. Unum sumit ex hom. 83. in *Matth.* ubi Chrysostomus Eucharistiam vocat symbola passionis Christi. Quod quidem et nos fatemur, ut supra sæpe diximus.

Alterum, sumit ex eadem homilia, ubi dicit Israëlitas agnum paschalem comedisse habitu viatorum, quia in Palæstinam profecturi erant; nos autem in cælum profecturos esse: ex quo loco deducit Petrus Martyr nos, dum manducamus Eucharistiam, debere in cælum mente conscendere, et ibi Christum quærere, non in Sacramento. Atqui ista mira est vel stupiditas, vel pertinacia. Nam non docet Chrysostomus, ut dum sumimus Eucharistiam, ascendamus in cælum, sed ut sumamus Eucharistiam tanquam cibum, et viaticum, quo roboremur in hac vita, dum proficiscimur ad patriam cœlestem, ad quam post mortem pervenimus. Id quod ex allata comparatione perspicuum est: neque enim Israëlitæ dum comederent agnum, ibant in Palæstinam, ut ibi quærerent agnum, sed comedebant agnum quem præsentem habebant, habitu tamen viatorum, quia paulo post iter facturi erant ad terram promissionis.

Tertium testimonium sumit ex homil. 24. in *priorem ad Corinthios*: ubi Chrysostomus ait: « Quid est panis? corpus Christi »: « Ergo, inquit Petrus Martyr, panis est corpus Christi; ergo verus panis manet in Eucharistia. » Respondeo: Chrysostomus non de pane materiali, sed de pane consecrato prædicat corpus Christi: verissime autem panis consecratus non est panis communis, sed panis vitæ, id est, corpus Christi. Unde ibidem Chrysostomus, disertis verbis dicit, in calice sacro illud esse, quod ex latere Christi fluxit, id est, sanguinem ejus.

Quartum testimonium sumit ex eadem homil. ubi Chrysostomus dicit, Eucharistiam esse cibum aquilarum, juxta illa verba

Domini: *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ* (1). Proinde more aquilarum debere nos in altum evehi, et ad Christum accedere. Hinc autem nititur ostendere Petrus Martyr, Christum non esse quærendum in altari. Sed frustra nititur. Chrysostomus enim loquitur de ascensione non in cælum corporale, sed in Deum, ac res æternas, et spirituales, neglectis terrenis curis, quod sane facit, qui Christum quærit, eique ad æret, ubicumque tandem is sit.

Quintum testimonium sumit ex homil. 27. in *priorem ad Corinthios*, ubi panem, et calicem vocat Eucharistiam. Sed ad hoc jam sæpe responsum est: utitur enim Chrysostomus verbis Pauli.

Sextum testimonium est in hom. 20. in *posteriorem ad Corinthios*, ubi Chrysostomus dicit, non solum Eucharistiam esse corpus Domini, sed etiam pauperes esse corpus Domini, de quibus Dominus ait: *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* At pauperes non sunt corpus Christi nisi representative; ergo et Eucharistia solum representative corpus est Christi. Respondeo: Non dicit Chrysostomus eodem modo corpus Christi esse pauperes, quo est Eucharistia: et ex aliis ejus locis infinitis satis jam probatum est, Eucharistiam esse ipsum verum Christi corpus, quale certum est non esse pauperes.

Septimum testimonium sumit ex comment. *Psal. xxii.* Sic enim ibi legimus: « Ut quotidie in similitudinem corporis, et sanguinis Christi panem, et vinum secundum ordinem Melchisedech nobis ostenderent in Sacramento. »

Respondeo: Commentarium in eum psalmum, sine dubio non esse Chrysostomi, imo neque græci alicujus; phrasis enim latina est, et cum res, tum verba longissime absunt a scriptis Chrysostomi: potest tamen responderi, (cujuscumque sit illa sententia), panem, et vinum in Sacramento ostendi quoad externam speciem. Nam ut supra diximus, etiam more Scripturarum res denominantur ab exteriori specie: quomodo serpens æneus vocatur serpens, et Angeli qui apparebant in forma humana, passim dicuntur in Scriptura homines. Neque negamus panem Eucharistiæ similitudinem gerere corporis Domini, quoniam ejus sacramentum est, licet simul etiam doceamus, præsens Domini corpus, non absens, eo sacramento

(1) *Matth. XXV, 40.*

significari. Porro ille auctor panem et vinum appellare voluit Eucharistiam, non corpus, et sanguinem, quia exponebat illa verba Salomonis : *Venite comedite panes meos, et bibite vinum, quod miscui vobis* (1).

Octavum testimonium sumit ex libro, sive epistola ad Cæsarium monachum, ubi legimus, panem post consecrationem non vocari amplius panem, licet natura panis in ipso permaneat.

Respondeo : Nihil ejusmodi unquam scripsisse Chrysostomum : neque enim in toto Chrysostomi opere ullus est liber, vel epistola ad Cæsarium. Verba autem hujus auctoris (quicumque ille fuerit) eandem prorsus sententiam habent cum sententia Theodreti, et Gelasii ; ideo, quod postea ad illos respondebimus, idem et huic responderi poterit : nolo enim cum Chrysostomo miscere testimonia incerta, et nullius auctoritatis.

Nonum testimonium sumit ex hom. in *Matth.* ubi sic legimus : « Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non verum corpus Christi, sed mysterium corporis ejus continetur ; quanto magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locum darre diabolo agendi in eis quod vult. »

Respondeo : Non dubium est, opus homiliarum imperfectum, unde sumptum est ab adversariis testimonium, non esse Chrysostomi : nec minus certum est, opus illud variis erroribus scatere. Id annotavit Erasmus in præfatione : idem fatetur Petrus Martyr ; et omnes, qui legerint, facile judicabunt. Porro verba illa : « In quibus non est verum corpus Domini, sed corporis ejus mysterium continetur » : ab aliquo Berengarii discipulo incerta illi homiliæ esse videntur. Nam non sunt in omnibus exemplaribus, ut ibidem ad marginem annotatur ; et præterea ad rem non faciunt. Nam loquebatur auctor homiliæ de vasis sacris templi Salomonis, quæ Balthasar transtulit ad profanum usum, et propterea regnum, et vitam perdidit. In illis autem vasis, non solum non erat verum corpus Domini, sed nec mysterium ejus. Denique constat opus illud multis modis corruptum a variis hæreticis, et varia hinc inde incerta habere. Id quod recte probat Sixtus Senensis lib. IV. *Bibliothecæ sanctæ* pag. 443. tribus argumentis. Primo, quia in quibusdam

antiquissimis exemplaribus non inveniuntur hi errores. Secundo, quia si auferantur, nihil perit de sensu et contextu verborum. Tertio, quia non solum sunt in hoc libro errores diversissimorum hæreticorum, ut Montani, Donati, Manichæi, Arii, Pelagii, Berengarii ; sed etiam inveniuntur contrariæ sententiæ, et plane catholicæ, et præsertim adversus Arianos ; id enim argumentum est manifestum, non esse illa omnia ejusdem auctoris. Habemus igitur, nihil solidi ex vero Chrysostomo ab hæreticis afferri potuisse, cum tamen nos tam multa ex indubitatis ejus, libris attulerimus pro catholica veritate.

## CAPUT XXIII.

### *Testimonium sancti Hieronymi.*

S. Hieronymus æqualis Chrysostomi fuit, licet ei aliquamdiu supervixerit : obiit enim anno Domini 422. cum obiisset Chrysostomus anno 409. Ex hoc igitur auctore quædam testimonia produci possunt. Primum est in comment. *Matth.* xxvi. ubi sic legimus : « Postquam typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum : ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech, summi Dei sacerdos panem et vinum offerens fecerat : ipse quoque veritatem sui corporis, et sanguinis repræsentaret.

Hinc locum etiam hæretici pro se adducunt, ut Petrus Martyr lib. *contra Gardinorum* objecto 210. propter illam ultimam voculam, repræsentaret ; sed locus plane noster est totus. Nam repræsentare apud Hieronymum, exhibere reipsa significat, ut supra diximus in testimoniis Tertulliani : quia significatione utitur etiam Ambrosius lib. I. *de Officiis* cap. 36. cum ait : « Intellige prius, quæ habentur in ferculis dapes, et tunc mitte manum, ut quæ legis, vel accipis a Deo, tu operibus exequaris, et collatam in te gratiam officiis repræsentas : » ubi pro eodem accipit, exequi, et repræsentare.

Sic accepisse Hieronymum, patet primo ex eo, quod opponit typicum pascha Judæorum vero Sacramento Paschatis Christianorum. Nam si Eucharistia solum repræsentaret corpus Christi in symbolo, et non reipsa :

(1) Prov. IX, 5.

nulla esset causa cur diceretur verum sacramentum, et cur opponeretur typico : nam etiam pascha Judæorum representabat in symbolo corpus Christi. Secundo patet ex eo, quod dicit Melchisedechum offerendo panem, et vinum præfigurasse ; Christum autem instituendo Eucharistiam representasse corporis veritatem : ubi antithesis requirit, ut Christus exhibuerit corporis veritatem, cujus figura in Melchisedechi oblatione præcesserat. Quod ipse idem clarius exponit in comment. Psal. cix. « Quomodo, inquit, Melchisedech rex Salem obtulit panem, et vinum : sic et tu offeres corpus, et sanguinem tuum : verum panem et verum vinum. Iste Melchisedech ista mysteria, quæ habemus, tradidit nobis, ipse est : qui dixit : Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem etc. » Hic videmus aperte opponi panem, et vino Melchisedechi, corpus et sanguinem Christi, quæ dicuntur verus panis, et verum vinum, non ratione naturæ, sed ratione effectus ; quomodo idem Dominus ait : *Ego sum vitis vera*. Nam aliqui etiam panis Melchisedechi fuit verissimus panis, si naturam spectes.

Secundum testimonium est in epist. ad *Hedibiam*, quæst. 2. « Nos, inquit, audiamus, panem, quem fregit Dominus, deditque scipulis, esse corpus Domini Salvatoris. » Et infra : « Nec Moses dedit nobis panem verum, sed Dominus Jesus ipse conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur. »

Hunc etiam locum pro se Petrus Martyr adducit, quia nomen panis in hoc testimonio legit ; sed locum esse pro nobis, dubium esse non potest, tum quia declarat Hieronymus panem illum non esse panem materiale, sed ipsum Domini corpus ; tum quia non vere diceret, Mosem non dedisse panem verum, id est, Christi corpus, si Eucharistia non esset corpus Christi, nisi significative.

Tertium testimonium est in comment. 1. ad Ephes. « Dupliciter, inquit, caro Christi, et sanguis intelligitur, vel spiritualis illa, atque divina, de qua ipse dixit : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus : vel caro, et sanguis, quæ crucifixa est, et qui militis effusus est lancea. Juxta hanc divisionem et in sanctis ejus diversitas sanguinis, et carnis accipitur : ut alia sit caro, quæ visura est salutare Dei, alia caro, et sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere. » Hæc ille. Ubi distinguit carnem, quæ est in Eucharistia, ab illa, quæ fuit crucifixa, so-

lum quoad accidentia, nimirum quod in cruce fuit caro passibilis ; in Eucharistia sit impassibilis, et spirituali ac divino quodam modo se habens : quemadmodum distinguitur caro nostra mortalis, ab ipsa nostra carne immortalis, qualis erit post resurrectionem. Nec potest responderi, carnem spirituales, quæ est in Eucharistia, solum esse in signo, et non re ipsa : Nam si ita acciperet, destrueret id, quo astruere volebat, veram carnem resurrectionem, contra Origenistas. Deinde caro Christi, ut in Eucharistia significatur, non potest distingui ab ea, quæ fuit in cruce, nec vocari divina ; Eucharistia enim est Sacramentum, sive symbolum passionis Christi : non ergo Hieronymus distingueret unam ab alia, si de symbolo tantum loqueretur. Neque etiam respondere possunt adversarii, Hieronymum non loqui de Eucharistia, sed de spirituali manducatione carnis Domini, de qua intelligunt ipsi verba Domini ab Hieronymo citata. Hoc, inquam, respondere non possunt : nam verba Domini secundum adversarios intelliguntur de carne Domini, ut fuit in cruce, quæ per fidem manducatur spiritualiter, cui manducationi adjunxit postea Dominus, ut ipsi dicunt, symbola externa. At Hieronymus distinguit carnem Domini, quæ vere est cibus, et quam manducamus, a carne crucifixa ; ergo non loquitur de manducatione per fidem, sed de vera, et reali, ut diximus.

Quartum testimonium est in commentar. cap. 1. epist. ad *Titum*, ubi cum dixisset, oportere ab officio conjugali eos abstinere, qui corpus Domini suscipere volunt, et attulisset exemplum Achimelech, qui noluit Davidi panes propositionis dare manducandos, nisi prius audivisset, eum ab uxore se aliquamdiu continuisse, subjungit : « Tantum interest inter panes propositionis, et corpus Christi, quantum inter imaginem, et veritatem ; inter exemplaria verorum, et ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur. » Hic sane locus apertissimus est. Nam si Eucharistia est ipsa veritas, quæ per panes propositionis figurabatur, certe non est in Eucharistia panis materialis significans corpus Christi, sed ipsum verum corpus : id enim omnium consensu est veritas per illos panes adumbrata. Quod autem Petrus Martyr dicit, Eucharistiam vocari ipsam veritatem, quia est symbolum clarius quam fuerint panes propositionis ; supra refutatum est, cum ageremus de figuris.

Porro ex Hieronymo quædam loca adducit Petrus Martyr in lib. *cont. Gardinerum*, objecto 207. 208. et 209. in quibus videtur Hieronymus dicere, non manducari corpus Christi ab impiis. Sed nihil ea loca concludunt: nam loquitur de manducatione utili, et fructuosa, id est, quæ revera spiritualiter nutriat, ac reficiat. Loca, quæ ipsi citant, sunt in comment. in cap. XLVI. Isaïæ in cap. 22. Hieremiæ, et in cap. 8. Oseæ, quibus locis opponi debet comment. in 1. cap. Malach. ubi disertis verbis Hieronymus dicit, ab impiis pollui mensam Domini, dum immundi ipsi mundissimum sanguinem bibunt.

## CAPUT XXIV.

### *Testimonium S. Augustini.*

S. Augustinus proxime S. Hieronymum sequitur, quippe qui ejus amicissimus fuit, et annos circiter decem illi supervixit: obiit enim, teste Prospero in Chronico, Augustinus anno Domini 433. cum obiisset Hieronymus, eodem Prospero auctore, anno 422. Hunc autem Patrem Calvinus totum suum esse mentitur lib. iv. Instit. cap. 17. §. 28. Eundem Petrus Martyr, et cæteri Calvinistæ præter cæteros omnes citant, ac suum esse jactant, ut etiam olim Berengarius, teste Guitmundo lib. II. solum Augustinum non respuebat. Proferam igitur ad hanc eorum jactantiam comprimendam, testimonia ex omnibus omnino tomis operum Augustini.

Ac primum ex primo tomo testimonium habemus in lib. ix. confess. cap. 13: «Tantummodo, inquit, memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Et infra: Ad cujus pretii nostri Sacramentum ligavit ancilla tua animam suam vinculo fidei.» Hæc ille. Qui per victimam, qua deletum est chirographum contrarium nobis, non potest intelligere, nisi veram Christi carnem, quæ pro nobis immolata fuit in cruce; neque enim panis est ejusmodi victima: et cum dicit eam victimam dispensari ex altari, apertissime indicat carnem Christi non tantum fide, sed etiam manibus, ex ore suscipi. Denique cum dicit sanctam Monicam alligasse animam suam vinculo fidei, ad Sacramentum corpo-

ris Domini, manifeste significat, in eo Sacramento non esse nudum signum, sed ipsum etiam verum Domini corpus: neque enim alligasset mulier sapientissima animam suam pani, ut per eum secura esset.

In secundo tomo in epist. 44. ad Maximum, cum Maximus homo gentilis objecisset Augustino, quod Christiani in abditis locis Deum suum se videre credant: nihil omnino respondit. Nam neque negare poterat Christum videri in Sacramento altaris, cum ipse idem dicat lib. 3. Trinit. cap. 10. in specie panis Dominum oculis apparere mortalium: neque tamen tutum, aut æquum putavit homini gentili explicare hoc mysterium. At certe si non nisi in signo Christus in Eucharistia adesset, potuisset, et debuisset objectionem illam refellere.

Exstat testimonium in epist. 86. ad Casulanum, ubi reprehendit Augustinus quemdam Urbicum, qui dixerat, ita mutatum esse Testamentum vetus in novum, ut cederet pecus pani, et sanguis poculo. «Dicit, inquit, cessisse pani pecus, tanquam nesciens, et tunc in Domini mensa panes propositionis poni solere, et nunc se de agni immaculati corpore partem sumere et dicit cessisse poculo sanguinem, non cogitans etiam nunc se accipere in poculo sanguinem.» Et infra: «Quando ergo melius, et congruentius vetera transisse, et novo in Christo facta esse sic diceret, ut cederet altare altari, gladius gladio, ignis igni, panis pani, pecus pecori, sanguis sanguini?» Hæc ille. At certe si vera esset adversariorum sententia, Urbicus ille rectissime dixisset, nam vere cessisset pecus pani, et sanguis poculo. Quod enim ad signum attinet, in pecore illo non minus fuisset Christus, quam in nostro pane: et sanguis Domini non minus fuisset in sanguine illo, quam in nostro vino. Quocirca tunc habuissent Christum in pecore, quem nos habemus in pane; et sanguinem in sanguine, quem nos habemus in vino: ac per hoc cessisset pecus pani, non pecus pecori; et sanguis poculo, non sanguis sanguini. Vult igitur Augustinus ita esse omnia mutata, ut pro pane propositionis panem cœlestem habeamus; pro pecore irrationali, agnum Dei; pro sanguine brutorum animantium, sanguinem Christi.

Idem in epist. 118. cap. 3. dicit, Eucharistiæ deberi singularem venerationem: et ibidem comparat eos, qui ex devotione ac-

cedunt quotidie ad hoc Sacramentum, vel ex devotione etiam aliquando non accedunt, cum Zacchæo et Centurione, quorum alter Dominum excepit in domum suam gaudens, alter dixit : *Domine, non sum dignus*, quæ comparatio frigida, et inepta esset, si nihil nisi signum corporis Domini sumeremus.

In epist. 120. ad Honoratum cap. 27. idem Augustinus exponens illud Psalm. XXI. Manducaverunt, et adoraverunt omnes divites plebis. « Et ipsi, inquit, adducti sunt ad mensam Christi, et accipiunt de corpore et sanguine ejus, sed adorant tantum non etiam saturantur, quia non imitantur : manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes. » Hoc loco Augustinus aperte dicit, homines superbos accipere de mensa Domini, corpus Domini, et adorare, sed non saturari. Ex quo sequitur, ut per corpus Domini non intelligat signum corporis, id est, panem, quia panis non adoratur : nec intelligat corpus Domini, ut est in cœlo, sed ut est in altari ; quia dicit sumi ex mensa Domini, et sumi ab impiis. Vide etiam epist. 162. et 163.

In tertio tomo sunt duo alia testimonia. Unum est lib. III. de Trinit. cap. 4. ubi cum dixisset aliter significari Christum per linguam, et voces scriptas, aliter per sacramentum corporis, et sanguinis, subjungit : « Nec linguam quippe, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, et prece mystica consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. » Hæc ille. At certe si Eucharistia tantum esset corpus Christi significative, cur non possent corpus Domini vocari verba ipsa, seu scripta, seu pronuntiata, quæ clarissime idem corpus significant ?

Sed paulo post idem Augustinus subjungit : « Quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, ut sit tam magnum Sacramentum, nisi operante invisibiliter spiritu Dei : cum hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur etc. » Ubi dupliciter asseritur ab Augustino veritas corporis Domini. Primo, quia dicit, operante invisibiliter Spiritu sancto fieri hoc Sacramentum : nec enim illa operatio necessaria esset, si tantum significative esset Eucharis-

stia corpus Domini. Secundo, quia numerat hanc operationem inter miracula : ibi enim de miraculis agit, ac multa profert exempla, ut de pluvia ab Elia impetrata, de tonitruis in monte Sina, de aqua mutata in vinum a Christo, de virga Aaron quæ floruit, et de virga Mosis versa in draconem. Quæ porro mirabilis operatio in confectione hujus Sacramenti esse potest, si nihil omnino fit ?

Ex his refelli potest solutio Petri Martyris, quam ad hunc locum adhibet in lib. *contra Gardinerum*, part. 4 : dicit enim operari invisibiliter Spiritum sanctum in hoc Sacramentum ; tum quia Sacramenta a solo Deo instituuntur, tum quia efficacia Sacramenti, qua mentes nostræ excitantur, a Spiritu sancto est. Sed sunt hæc mera effugia. Nam Sacramenti institutio, et etiam confectio, si nihil sit nisi signum, nullam requirit invisibilem operationem Spiritus sancti : operatio autem, qua mentes nostræ excitantur ad fidem, in mentibus nostris est, non in Sacramento.

Alterum testimonium est lib. III. Trinit. cap. 10. ubi sic ait : « Illas etiam nubes, vel ignes quomodo fecerint, vel assumpserint Angeli ad significandum quod annuntiabant, etiam si Dominus, vel Spiritus sanctus illis formis ostendebatur ; quis novit hominum ? sicut infantes non noverunt, quod in altari ponitur, et peracta pietatis celebratione consumitur, unde vel quomodo conficiatur, unde in usum religionis assumatur. Et si nusquam discant experimento vel suo, vel aliorum, et nunquam illam speciem verum videant, nisi inter celebrationem Sacramentorum, cum offertur, et datur, dicaturque illis auctoritate gravissima, ejus corpus, et sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, et de latere tali percusso liquorem illum omnino fluxisse. » Hæc ille. Ubi disputat de formis, in quibus Angeli, vel Deus apparuerunt in Testamento veteri. Ac ut ostendat nos ignorare, quomodo illæ formæ factæ sint, et tamen certo credere, in illis Deum vel Angelos apparuisse, assumit similitudinem ab Eucharistia ; ignorant enim infantes cum sacris intersunt, quomodo fiat illa forma, in qua consecratur Eucharistia, et tamen certo credunt in illa forma apparuisse Dominum, et in calice sanguinem Domini esse, quia dicitur eis, Christum in Evangelico hoc docuisse, cum ait : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.*

Habemus autem hinc argumentum firmissi-

um contra adversarios. Nam infantes, quibus dicitur auctoritate gravissima, in illa forma visibili esse corpus Christi, et liquorem qui est in calice, esse sanguinem, non credunt illa esse corpus et sanguinem significative, sed vere, et proprie : non enim valent ipsi per se intelligere istos tropos, sed credunt simpliciter id quod eis dicitur. Unde Augustinus ait : « Nihil aliud credent, nisi Dominum oculis apparuisse mortalium in illa specie, et liquorem illum de latere Christi omnino fluxisse. » Neque dicendum est hos infantes falsam fidem habere ; tum quia Augustinus dicit, illos id credere, quia dicitur eis auctoritate gravissima ; cum etiam quia si falsa esset ista fides, debuissent instrui, et admoneri, præsertim cum etiam ipsi eo tempore ad Communionem admitterentur. Præterea comparat Augustinus Eucharistiam cum formis, in quibus Angeli apparebant ; sed in illis formis Angeli vere, et proprie aderant præsentés. Igitur etiam in forma panis vere, et proprie præsens adest corpus Christi : alioqui nihil valebit comparatio, et tota Augustini disputatio corruet. Vide præterea eundem Augustinum lib. iv. Trinit. cap. 14. et in Enchiridio, cap. 100.

In tomo quarto habemus testimonium in lib. 3. super Levitic. quæst. 57. « Quid sibi vult, inquit, quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis, offerebantur, tantopere populus prohibetur ; si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum : a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed adhibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam ? » Hæc ille. At certe quæstio ista non modo supervacanea, sed etiam ineptissima esset, si tantum in signo, et spiritualiter sanguinem Domini sumeremus : non enim prohibebantur Judæi sanguinem bibere spiritualiter per fidera, sed corporaliter. Quare Cyprianus, vel quicumque fuit auctor, in serm. de cœna Domini, recte dixit, novam esse, et inauditam hanc doctrinam, quæ jubet sanguinem bibi, comme lex vetus esum sanguinis districtissime prohiberet.

In quinto tomo exstat testimonium lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. in hæc verba : « In alio libro qui dicitur Ecclesiastes, ubi ait : Non est bonum homini, nisi quod manducabit, et bibet ; quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam sacerdos ipse mediator Te-

stamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore, et sanguine ? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam vocem illam in Psal. 39. ejusdem mediatoris per prophetiam agnoscimus : Sacrificium, et oblationem noluit, corpus autem aptasti mihi : quia pro illis omnibus sacrificiis, et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur. » Hæc ille. Quo loco non potest Augustinus loqui de signo corporis, sed de ipso vero corpore, cum dicit offerri et ministrari illud corpus, quod successit sacrificiis antiquis : nam etiam illa erant signa corporis Domini. Ac præterea illud corpus offerri, et ministrari dicit Augustinus de quo scriptum est in Psalm. xxxix. *Corpus autem aptasti mihi* : quod quidem verum et naturale corpus fuisse, nemo negat. Neque possunt adversarii respondere, loqui Augustinum de vero corpore, sed quod fide tantum percipiatur : nam cum ait : « Offertur et ministratur, » apertissime loquitur de corporali tractatione corporis Domini. Vide etiam de hac re expositionem ejusdem Augustini in Psal. 39. ubi vocat corpus, quod norunt fideles, et quod sumunt in Eucharistia, completivum omnium veterum sacrificiorum,

In sexto tomo lib. ii. contra Faustum cap. 10. dicit, fideles eum sanguinem ore percipere, quo redempti sunt, et cap. 20. dicit, nunc bibi, quod ex latere Christi manavit, et lib. ii. contra adversarium legis, et prophetarum cap. 9. « Mediatorem, inquit, Dei et hominum hominem Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde, atque ore suscipimus : quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere. » Hæc ille. Ubi notandum est, quod dicit, non solum corde, sed etiam ore sumi a nobis carnem Domini.

In septimo tomo lib. ii. contra litteras Petilianæ, cap. 27. « Aliud est Pascha, quod adhuc illi de ove celebrant : aliud autem quod nos in corpore, et sanguine Domini accipimus. » Hæc ille. Ubi opponit Agno Paschali corpus Domini, quod sumimus in Eucharistia ; quod certe non faceret, si de signo corporis, non de vero corpore loqueretur : nam etiam ille agnus erat corpus Domini significative, et expressius, quam panis. Vide etiam lib. i. contra Cresconium

cap. 25. et lib. I. *de Peccator. meritis* cap. 24.

In octavo tomo sunt apertissima testimonia. In Psalm. xxxiii. conc. I. explicans Augustinus titulum Psalmi, in quo scriptum erat : « Et ferebatur in manibus suis » : « Hoc, inquit quomodo posset fieri in homine quis intelligat ? quis enim portatur manibus suis ? Manibus aliorum potest portari homo ; manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur, in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait : Hoc est corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus suis. »

Ad hunc locum dignatus est Calvinus respondere lib. IV. *Instit.* cap. 17. §. 28 qui tam multa testimonia omnium Patrum, et ipsius Augustini alto silentio præteriit. Dicit igitur, Christum, seipsum manibus suis tulisse, sed improprie, ac figurate, quia nimirum Sacramentum corporis sui ferebat. Id autem probat, quia Augustinus conc. 2. in eundem Psalmum rem eandem repetens, addidit particulam, « Quodammodo » ; sic enim ait : « Quomodo ferebatur in manibus suis ? quia cum commendaret ipsum corpus suum, et sanguinem, accepit in manus suas, quod norunt fideles, et ipse se portabat quodammodo, cum diceret : Hoc est corpus meum. » Eandem etiam solutionem adhibet ad hunc locum Petrus Martyr.

Sed facile refelluntur. Nam Augustinus non solum dicit Christum suis ipsius manibus portatum, sed addit rem istam esse difficilissimam, et impossibilem aliis hominibus ; sic enim ait : « Quomodo posset fieri in homine, quis hoc intelligat ? » et rursus : « Manibus aliorum portari potest homo ; manibus suis nemo portatur. » At quam facile est, ut quis seipsum in signo portet ? certe cum princeps monetam suam in sacculo portat, seipsum portat in signo, cum in ea moneta imago ipsius inveniatur impressa, et unusquisque nostrum cum litteras ad se datas legit, ubi nomen suum scriptum habet, nonne seipsum in signo portat ? Cum igitur rem frequenter, et usitate hoc fiat, cur diceret Augustinus id non posse fieri, et vix etiam intelligi, si de signo tantum loqueretur ?

Sed inquit Petrus Martyr : « Nemo potest se portare, quomodo Christus se portabat, quia nemo potest Sacramentum instituere, et eo modo seipsum in Sacramento portare. » At respondeo : Nemo potest Sacramentum

instituere, quatenus Sacramentum est instrumentum gratiæ conferendæ, vel infallibile signum ejusdem gratiæ : sed bene potest, instituere, quatenus est simplex alicujus rei signum. Christus autem si portare se ipse dicebatur, quia Sacramentum portabat ; ideo dicebatur se portare, quia Sacramentum illud erat signum ipsius : non quia erat instrumentum gratiæ, ut etiam ipsi fatentur, qui dicunt Sacramentum corporis Domini vocari corpus Domini, quia nomen rei signatæ aliquando tribuitur signo. Quicumque ergo portat imaginem suam a se depictam, ille non minus se ipse portat quam se Christus portaret, si vera est sententia adversariorum.

Addit Petrus Martyr : « Velint, nolint Papistæ, non potest ullo modo fieri, ut corpus suum Christus portaverit proprie, quia duo corpora tunc fuissent. » Hoc nimirum est, quod illi dolebat, mysterium esse sublimius, quam ut ipse illud capere posset fieri, ut una natura sit in duabus personis distinctis re ipsa, nisi natura illa geminetur ; quid, quæso, respondebit, nisi fide opus esse ad ista intelligenda, quæ humanam rationem superant ? idem ergo sciat a nobis responderi de hoc mysterio. Vel si Ariano ipse respondeat, divinam essentiam ob suam infinitatem posse esse in pluribus personis re distinctis : et nos ei dicemus, corpus Christi ob omnipotentiam Christi posse simul statui in diversis locis. Sed de hoc in sequenti libro disseremus.

Ad illud igitur objectum ex particula « quodammodo », respondeo, illam particulam significare Christum non se portasse in propria specie, sed in aliena, nec se portasse quomodo ordinariè portantur corpora humana, nimirum magno labore in humeris, vel alio simili modo, sed mystice et Sacramentaliter, sic tamen, ut vere sub eo mysterio corpus ejus contineretur. Ac breviter quidquid illud « quodammodo », significet, id nobis hoc loco sufficit, non significare, « in signo », vel « figurate », ut ostendimus.

Alius insignis locus est in comment. Psalm. 98. ubi explicans illud : *Adorate scabellum pedum ejus*, dicit, scabellum pedum Domini esse terram juxta illud Isai. LXVI : *Terra autem scabellum pedum meorum* : et quærit quomodo liceat terram adorare sine impietate : « Fluctuans, inquit, convertito me ad Christum, quia ipsum, quæro hic, et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, adoretur scabellum pedum ejus ; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne



Marie carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit; nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, ut non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. » Hæc ille.

Respondet Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* par. 4. loqui S. Augustinum de vera, et proprie dicta carne Domini, quam spiritualiter ore fidei manducamus, et quam in cœlo existentem adoramus: atque ibidem obiter notat, impios secundum Augustinum non manducare carnem Domini, quia impii non adorant Christi carnem; et secundum Augustinum nemo eam carnem comedit, nisi prius adoraverit.

At falsus iste Martyr, non bene legit Augustinum, et ideo audacter colligit ex Augustino omnino contraria iis, quæ Augustinus scripsit. Nam in Psalm. XXI. conc. I. de divitibus superbis et impiis, inquit Augustinus: « Manducaverunt corpus humilitatis Domini sui etiam divites, non sicut pauperes saturati sunt usque ad inivationem, sed tamen adoraverunt. » Et in epist. 120. supra citata: « Et ipsi, inquit, adducti sunt ad mensam Domini, et accipiunt de corpore et sanguine ejus, sed adorant tantum, non etiam saturantur, quia non imitantur. » Hæc ille. Vides igitur secundum Augustinum impios adorare, et manducare carnem Domini de ipsa mensa, id est, de altari acceptam. Ex illis igitur locis hunc locum explicamus, ac ex ipso Augustino docemus loqui ipsum de ipsa manducatione carnis Domini per corporale instrumentum, quandoquidem etiam impii eam carnem manducant.

Præterea si tantum vellet Augustinus dicere terram sine impietate adorari, quia caro Christi, ut est in cœlo, adoratur sine causa dixisset eam carnem nobis manducandam datam esse. Quorsum enim Eucharistiæ meminit si non in ipsa Eucharistia carnem Domini præsentem adoramus? Voluit igitur Augustinus ostendere, carnem ipsam Domini adorari, et quia non habemus aliud argumentum illustrius, quam ex quotidiano usu adorandæ Eucharistiæ, ideo illius meminit; nam præter istam adorationem non facile potest discerni, an quis adoret carnem Domini, an solam divinitatem.

Denique probabile est Augustinum totum hunc locum desumpsisse ex Ambrosio, qui

ut supra citavimus, aperte dicit carnem Domini a nobis in mysteriis adorari, ut eam Apostoli in propria specie adorarunt: et hoc esse adorare scabellum pedum Domini. Vide præterea in Psalm. XXXIII. L. XV. XCIII. XCIX. C.

In nono tomo tract. XI. in Joannem explicans illud: *Jesus autem non se credebat eis*, dicit istud convenire Catechumenis, quibus non se præbebat Dominus per Eucharistiam: « Si dixerimus, inquit, Catechumeno, Credis in Christo? respondet, Credo; et signat se cruce Christi, portat in fronte, et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credit in nomine ejus. Interrogemus eum, manducas carnem filii hominis, et bibis sanguinem filii hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei. » Et infra: « Quo perducit credentes: et baptizatos? ad manna, ecce dico manna. Notum est quid acceperint Judæi, populus Israel; notum est quid illis pluisset Dominus de cœlo: et nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani? Erubescant ergo, quia nesciunt, transeant per mare rubrum, manducant manna, ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic se ipsi credat Jesus. » Hæc ille. Qui etiam lib. II. de peccator. meritis et remissione cap. 26. dicit, Catechumenis dari solitam panem sanctum, qui non esset quidem corpus Christi tamem sanctus esset, et sanctificaret, et Sacramentum etiam dici posset, ac proinde sacræ rei signum. Ex his habemus argumentum insigne. Nam primo, si non esset in Eucharistia verum Christi corpus, et si non manducaretur Christi caro, nisi in symbolo, et per fidem, non esset verum Christum non se credere Catechumenis; nam et illi habent Christum in signo, et manducant eum fide; nam et signant se signo crucis, et credunt in Christum. Secundo, nulla esset ratio cur non daretur eis Eucharistia, cum dentur illis alia signa clariora, ut sunt verba Dei scripta. Tertio, potuisset etiam ille panis sanctus dici corpus Domini, ut patet, cum tamen id Augustinus constanter neget.

Idem auctor tract. XXVI. in Joan. explicans illud: *Panis quem ego dabo, caro mea est*; « Hoc, inquit, quando caperet caro, quod dixit panem carnem, vocatur caro; quod non capit caro etc. » At profecto facillime caperet caro, panem esse carnem significative. Unde etiam tract. 27. et 5. in Joan.

In tomo decimo serm. 2. de verbis Apostoli: « Audivimus veracem Magistrum, di-

vinum Redemptorem, humanum Salvatorem commendantem nobis pretium nostrum sanguinem suum : locutus est enim de corpore, et sanguine suo, quod corpus dixit escam, et sanguinem potum. Sacramentum fidelium agnoscunt fideles. » Hæc ille. Ubi sane loquitur de sanguine suo, non de figura sanguinis : nec enim figura est pretium nostrum; atque hunc sanguinem potum esse dicit, sicut etiam corpus escam. Ac ne dicerent adversarii, potum, et escam istam sola fide, ac mente sumi, adjunxit, Sacramentum esse fidelium, quod norunt fideles : ubi indicat, esse mysterium solis fidelibus notum, quomodo corpus Christi, et sanguis sint esca, et potus. Quam phrasim « norunt fideles, » in infinitis locis in Augustino reperimus, ut lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. xxxix. in Psal. cix. lib. I. hom. 42. et alibi. At profecto non est arcanum solis fidelibus notum, quod Christi corpus, et sanguis fide percipiatur : id enim publice prædicatur etiam gentilibus, et notissimum erat non solum fidelibus, sed etiam Catechumenis. Intelligit igitur Augustinus id, quod Ecclesia Catholica intelligit, arcanum esse vere mirabile in Eucharistia, quod nec debet aperiri infidelibus, nec sine fide intelligi potest.

In serm. ad Neophytos, ut testatur Ivo Carnotensis Episcopus in epist. ad Hymericum, et Paschasius in epist. ad Frudegardum : « Hoc accipite in pane, quod pendit in cruce ; hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere. » Lib. I. hom. 26. monet, ut summa diligentia, caveant ne aliqua particula Eucharistiæ in terram cadat. Serm. 2. de tempore : « Invitati sumus ad mensam, ubi non invenitur cibus hominum, sed panis ponitur Angelorum. » Denique citat etiam Gratianus ex Augustino in lib. sententiarum Prosperi apertissimas sententias. Vide dist. 2. de consecratione can. Nos autem, et can. Hoc est quod dicimus. Eisdem citat Algerus lib. I. cap. 5. « Caro, inquit Augustinus, ejus est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus, et sanguis ejus, quem sub vini specie, et sapore potamus. » Verba tamen illa, Hoc est, quod dicimus etc. videntur potius esse Lantfranci quam Augustini, vel Prosperi : habentur enim in lib. Lantfranci et ejus nomine citantur ab Ivone par. 2. cap. 9.

\* *Objectiones ex Augustino.*

Videamus nunc quid adversarii objiciant ex Augustino, ac eodem ordine per tomos ejus progrediamur.

Ex secundo tomo (nam ex primo nihil objiciunt) proferunt duo loca. Unum ex epistol. 23. ad Bonifacium. Alterum ex epist. 57. ad Dardanum. In epistola 23. loquitur Augustinus in hæc verba : « Si Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent : ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum verum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est : ita Sacramentum fidei fides est. »

Producunt hunc locum Calvinus, Petrus Martyr, et omnes alii, sed ante eos olim protulit etiam Berengarius : et responsum ei fuit : quare ut adversarii repetunt argumenta suorum majorum, et nos repetemus solutiones majorum, nostrorum. Primo igitur Paschasius in epist. ad Frudegardum, et Lantfrancus in lib. *contra Berengarium*, respondent, Sacramentum corporis Domini vocari quodammodo corpus Domini ; quia licet in sacramento Eucharistiæ sit verum corpus Domini, quoad substantiam, non tamen est ibi eo modo, quo fuit in cruce, nisi per similitudinem : loquitur enim ibi Augustinus de passione et morte Christi, quæ in sacrificio altaris repræsentatur. Idem itaque est, ac si dixisset, Celebratio mysteriorum altaris est quodammodo passio Christi; non enim est vere, sed tantum representative passio Christi; vel si dixisset, corpus Domini, ut est sub specie panis, est quodammodo corpus in cruce pendens: non est enim vere sed representative corpus in cruce pendens. Et illustrat Lantfrancus rem totam insigni similitudine. Lucæ ult. Dominus finxit se longius ire : quod exponit Augustinus lib. *contra mendac.* cap. 13. ubi dicit, Christum ea fictione significasse, se supra omnes cælos ascensurum. Idem igitur Christus sui ipsius figura fuit, et dici rectissime posset, Christus fingens se longius ire, et quodammodo Christus in cælum ascendens.

Guitmundus lib. II. adhibet duas alias solutiones. Unam, quod loquatur de Sacramentis veteribus, ut de manna, vel de pane Melchisedech, quæ secundum quemdam mo-

dum erant corpus Domini, quia Sacramenta, id est, signa, et figuræ corporis Domini. Alteram, quod loquatur de Eucharistia, quatenus signum est corporis Christi mystici : nam ipse idem Augustinus tract. 26. in Joan. dicit, Eucharistiam esse fidelium societatem, quia est signum, seu Sacramentum ejus societatis.

Porro Algerus lib. 1. cap. 5. de Sacramento Eucharistiæ exponit aliter, nec minus recte hunc locum Augustini. Vult enim loqui Augustinum de speciebus panis et vini, quæ sunt maxime proprie Sacramentum corporis et sanguinis Domini, id est signa sensibilia repræsentantia corpus, et sanguinem Domini, ac de iis rectissime dictum esse, Sacramentum corporis Christi est quodammodo corpus Christi : neque enim illæ species sunt corpus Christi, nisi quodammodo, id est, repræsentative. Dices : Non solemus ita loqui, ut dicamus species illas esse corpus Domini, licet non ita loqui soleamus.

Alter locus, quem Calvinus et Petrus Martyr, et alii passim objiciunt, est in epist. 57. ad Dardanum : « Spatia tolle corporibus, et nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt, tolle corpora qualitatibus corporum : non erit ubi sint, et ideo, necesse est, ut non sint. » Hinc probare nituntur, neque esse posse corpus Christi indivisibiliter in Sacramento, ut nos dicimus, neque accidentia panis, et vini sine proprio subjecto.

Respondeo : Loquitur Augustinus de rebus secundum naturæ cursum, non secundum omnipotentiam Creatoris ; fatemur autem naturaliter non posse intra cælum corpus non occupare locum, neque accidentia posse sine subjecto existere : sive (quod idem est) loquitur de corporibus quæ modum existendi corporalem retinent ; utrum autem possit aliquod corpus per omnipotentiam Dei accipere modum existendi spirituum, et proinde non occupare locum, non disputat eo loco Augustinus. Sed de toto hoc argumento tractabimus infra suo loco.

Ex tertio tomo objiciunt primo cap. 9. lib. III. de doctrina Christiana ubi dicit Augustinus, Christum instituisse pauca quædam signa, ut Baptismum et Eucharistiam. Sed locus non est ad rem, quia non negamus Eucharistiam esse Sacramentum, et proinde signum. Sed negamus nihil esse nisi signum.

Secundo objiciunt eap. 16. lib. III. de doctr. Christiana ubi dicit, figurate accipiendam manducationem carnis Christi. Sed hoc

explicatum est supra ubi tractavimus cap. 6 Joan.

Tertio proferunt cap. 19. libri de fide ad Petrum, ubi vocatur Eucharistia Sacramentum panis et vini. Sed nulla est in hæc difficultas : siquidem a materia rectissime potest eo modo Eucharistia nominari.

Quarto proferunt eap. 4. lib. III. de Trinit. ubi sic legimus : « Apostolus potuit significando prædicare Dominum Jesum, aliter per linguam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis, et sanguinis ejus. » Atqui hic etiam nulla difficultas est. Nunquam enim Catholici non asseruerunt per Sacramentum corporis Domini significari ipsum corpus Domini ; sed præsens, non absens : id quod Augustinus ibidem aperte asseruit, cum ait, aliter significari per hoc Sacramentum, aliter per sonos et litteras ; ista enim sunt nuda signa rei absentis, illud est signum rei præsentis. Unde ibidem dicit, nec litteras nec sonos dici corpus Christi, licet illud significant, sed tantum panem consecratum, corpus Christi dici.

Quinto proferunt cap. 10. ejusdem lib. III. de Trinit. ubi Augustinus dicit, panem in altari positum peracta pietatis celebratione consumi : « At corpus Christi verum, inquit, non consumitur ; igitur verus panis est, qui sumitur, eum Eucharistia sumitur. »

Respondeo : Panis, qui in altari ponitur, peracta celebratione consumitur ; nam consumitur, quoad interiorem substantiam peracta consecratione ; quoad externam vero formam consumitur, dum mandueatur. Nec enim dubium est, quin Augustinus loquatur de symbolo tantum visibili : nam loquitur de corporalibus formis, in quibus Deus, vel Angeli apparebant, et cum eis comparat symbola Eucharistiæ.

Ex quarto tomo nihil habent. Profert quidem Petrus Martyr unum locum ex lib. de catechiz. rudib. cap. xxvi. ubi Sacramenta dieuntur signacula visibilia rerum invisibilium. Sed neque constat an loquatur eo loco Augustinus de Eucharistia, an de Baptismo, an de pane benedicto, qui dabatur Catechumenis, et præterea numquam negavimus Sacramentum Eucharistiæ signaculum esse visibile rei invisibilis, sed præsentis tamen.

Ex quinto tomo nihil etiam habent solidi. Proferunt illud lib. x. de civitate Dei, cap. v. « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum est. » At locus iste non facit ad rem, quia loquitur

Augustinus de sacrificiis testamenti veteris. Item illud lib. XXI. cap. XXV. ubi Augustinus dicit impios non comedere corpus Christi. Sed loquitur de corpore mystico, ut supra ostendimus, cum explicarem locum Pauli I. Corinth. XI.

Ex tomo sexto prodneunt Calvinus, Petrus Martyr, et alii locum illum ex lib. contra Adimantum, cap. XII. « Non dubitavit Dominus dicere : Hoc est corpus meum ; cum signum daret corporis sui. »

Ad hunc locum respondent nostri multis modis. Dicunt aliqui, nec male, Augustinum loqui ex Manichæorum sententia, ut eos ex propriis ipsorum sententiis refellat. Ipsi enim cum Christo non tribuerent corpus verum, sed externa tantum specie, et apparentia ; et quidquid Christus passus est, dicant, in signo et apparentia passum : illa etiam verba : *Hoc est corpus meum*, in eo sensu accipiebant, ac si dictum esset : Hoc est signum, et apparentia corporis mei. Consuevisse autem Augustinum disputare cum Manichæis ex eorum principiis, constat ex lib. II. de bono perseverantiae, cap. II, et XII. Ubi cum Augustino objiceretur, quod scripsisset in libris de libero arbitrio, naturalem esse ignorantiam, et difficultatem, cum qua nascimur ; cum ipse contra Pelagianos contrarium assereret, nimirum non esse naturalem, sed ex peccato primi parentis ortam : respondit se locutum in libris de libero arbitrio ex mente Manichæorum, ut eorum errorem redargueret ex ipsa ipsorum sententia.

Alia solutio est, Augustinum hoc loco per signum intelligere non nudum signum, sed cum quo reipsa conjuncta sit res significata. Nam explicat illa verba Deuteron. XII. *Sanguis est anima* (1) ; ac docet, sanguinem dici animam, non quia sit anima, sed quia signum sit animæ ; et ad hoc illustrandum affert illam sententiam, Eucharistiam appellari corpus Domini, quia est signum corporis Domini. Porro sanguis non est signum animæ absentis, sed præsentis : longe enim aliter sanguis animam demonstrat, quam statua principem. Quare idem Augustinus quæst. 57. in Leviticum, explicans, quomodo sanguis dicatur anima, docet animam dici, quia continet animam. Sic igitur sanguis animam significat, ut simul eam contineat, et cum ea reipsa conjunctus sit : eodem autem modo Eucharistiam signum esse corporis Domini, omnes Catholici fatentur.

(1) Deut. XII, 23.

Tertia solutio est, loqui Augustinum de signo corporis, ut in cruce immolati : quomodo panis Eucharistiæ, de quo Dominus ait : *Hoc est corpus meum*, et est vere corpus Domini, et signum ejusdem corporis. Sic respondet ad alium similem locum Guitmundus lib. II. Vide quæ supra diximus ad testimonium ex epist. 23. nam eadem est, meo judicio. sententia utriusque loci.

Et hinc etiam solvitur, quo proferunt ex lib. XX. contra Faustum, cap. XXI. ubi sic ait Augustinus : « Hujus sacrificii caro, et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur : in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur : post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur. » Hæc ille. Videmus autem hoc loco Augustinum manifeste loqui de memoria passionis, et mortis Domini.

Denique ex eodem tomo sexto profert Petrus Martyr, et alii testimonium Augustini lib. III. « Christus adhibuit Judam ad convivium, in quo corporis sui figuram discipulis commendavit. » Respondemus, quod ad superiora respondimus, loqui Augustinum de figura corporis in cruce suspensi, id est, de representatione Dominicæ passionis ; eodem enim modo Augustinus Eucharistian figuram corporis vocavit, quo veteres Græci *antitypa*, de qua voce diximus in testimoniis Basilii.

Alterum locum proferunt ex comment. in Ps. XXVIII. « Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibaturi illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis etc. » Respondit olim Lanfrancus lib. contra Berengarium, voluisse Augustinum dicere, non idem corpus manducandum, id est, non eodem modo. Nam corpus in specie mortali et visibili aderat tunc præsens ; comedendum autem erat in aliena specie, et impassibiliter, ac invisibiliter se habens. Itaque idem erat (ut ait Lanfrancus) et non erat idem ; idem quoad substantiam, non idem quoad modum, speciem, et qualitatem. Nam et Apostolus I Corinth. : XV. « Non corpus, inquit, quod futurum est, seminias, sed nudum granum. » Ubi similiter intelligit, non idem corpus humanum mori, et seminari in sepulchro, quod postea resurrecturum est : non quod non sit idem corpus numero futurum, quoad substantiam (idem enim maxime probare volebat) sed quia non erit idem,

quoad qualitates; seminatur enim, ut ipse explicat, corruptibile, et surget incorruptibile. Et hunc modum loquendi notavit Augustinus in epist. 146. Et Ambrosius lib. II. de Pœnitentia cap. x. refert quemdam recte dixisse: « Ego non sum ego, » quia mutaverat vitam, et mores. Et Hieronymus in cap. I. ad Ephesios, dicit, aliam esse carnem in Eucharistia, aliam fuisse in cruce; cum tamen evidenter probatum sit, eum in Eucharistia ponere veram carnem, et eandem cum illa, quæ fuit in cruce, quoad substantiam, licet non qualitate. Denique Dominus ipse Luc. XXIV. distinguit se ipse a se, cum ait: « Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum. » Porro hanc fuisse mentem Augustini, ex illo ipso loco colligimus. Nam verum corpus Domini sumi in Eucharistia, ibidem docet, cum ait, esse ipsam carnem, in qua Dominus ambulavit, et a nemine manducari, nisi prius adoretur. Quomodo autem non idem corpus manducetur, explicat ibidem cum ait, putasse Capharnaitas scindendam in particulas Christi carnem, et sic manducandam: ad hæc enim absurdam cogitationem respondet Dominus, cum ait: « Non hoc corpus, quod videtis etc. »

Sed objicit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 220. unum dilemma: « Cum Dominus in ultima cœna corpus suum discipulis dedit, vel erat mortale illud corpus, vel immortale. Si mortale, non ergo differebat qualitate ab eo, quod tunc videbatur: nec poterat recte dici: Non hoc corpus quod videtis etc. Si immortale, quomodo paulo post mortuum est? »

Respondeo: In ultima cœna corpus datum discipulis, fuisse mortale, sed datum illis modo immortalis, et impassibilis; ut enim erat sub specie panis, lædi non poterat, licet alioqui in propria forma pati, et mori posset.

Ex tomo nono multa proferunt testimonia, sed vel levissima, vel alibi explicata. Primo illud tractatu 25. in Joan.: « Quid paras dentem, et ventrem? crede, et manducasti. » Ad hunc locum supra respondimus in explicatione cap. 6. Joannis, loqui Augustinum de manducatione Christi spirituali per fidem Incarnationis, non autem de Eucharistia.

¶ Secundo addunt illud tract. 26. in Joan. quod manducarint Hebræi eandem escam vobiscum. Ad hoc respondimus supra in explicatione figurarum Testamenti veteris, quod manducarint eadem significatione, non re ipsa.

Tertio proferunt illud tract. 30. in Joan. « Corpus Christi in quo resurrexit, uno in loco esse potest: veritas ejus ubique diffusa est. » Sed non negat hoc loco Augustinus, corpus Domini, pluribus in locis esse posse, sed negat ejus veritatem posse restringi ad unum locum, cum sit ubique diffusa: quod verissimum est. Quale etiam esset, si quis diceret, Christi humanitas uno in loco esse potest, divinitas non potest.

Quarto proferunt illud tract. 50. in Joan. ubi dicit, nunc non adesse Christum secundum præsentiam carnis. Ad hunc locum respondimus, cum tractarem locum illum: *Me autem non habebitis*; ac diximus loqui Augustinum de præsentia visibili.

Quinto proferunt illud tract. 59. « Illi manducabant panem Dominum, Judas autem panem Domini. » Ad quem locum respondimus, cum tractarem cap. II. prioris ad Corinthios, ubi demonstravimus corpus Domini ab impiis etiam manducari.

Sexto proferunt illud tract. 40. in epist. Joan. ubi Augustinus dicit corpus Christi naturale esse in cœlo, quo sublatum est per ascensionem; in terra autem relictum esse corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam. At ipse se explicat Augustinus. Nam sic ait: *Jam non invenis loqui Christum in terra*, et ibidem: « Ascensurus dixit verba novissima; post ipsa verba non est locutus in terra. » Itaque loquitur de præsentia Christi visibili et more humano cum hominibus conversantis: hoc enim modo non est in terra, nisi in corpore suo mystico.

Ex decimo tomo, primo profert Petrus Martyr, et etiam Calvinus ex sermone de verbis Apostoli, quod impii non vere sumant corpus Domini. Sed ad hoc respondimus supra, cum exponeremus cap. II. prioris ad Corinthios, ubi diximus, impios dici non manducare, quia non nutriuntur spiritualiter: nam idem ait Augustinus: « Illud manducare refici est, illud bibere, quid est, nisi vivere? » Ex eodem fundamento solvitur quod Petrus Martyr citat ex Augustino in sententiis Prosperi, ubi legimus non manducare panem Domini, nec bibere ejus sanguinem, qui ab illo discordat, licet Sacramentum ejus accipiat.

Secundo profert ex lib. 50. homil. serm. 26. quod Augustinus dicat, æquale esse peccatum, si quis corpus Domini in terram cadere sinat, et si quis verbum Dei sibi ex corde permittat effluere. Quæ comparatio

non videtur vera, si corpus Domini verum, et naturale sit in Eucharistia : majus enim peccatum esset sinere corpus Domini in terram cadere, quam verbum Christi ex corde perire.

Respondeo : Non comparat Augustinus verbum Christi ratione soni, aut characterem cum corpore Christi, sed ratione veritatis divinæ, quæ illis sonis, et characteribus significatur. Unde non dicit verbum Dei ex auribus effluere, sed ex corde : neque dicit idem esse peccatum, si quis Eucharistiam, et si quis Biblia in terram cadere sinat. Si enim hoc Augustinus dixisset, tum vere Petri Martyris argumentum aliquid valeret. Porro veritas divini verbi in multis similis et æqualis est corpori Christi. Nam ut illud est immortale, impassibile, Deo unitum : ita veritas verbi Christi est æterna, immutabilis divina. Et sicut illud corpus datur nobis in specie rerum visibilibus, ac terrenarum : ita hæc veritas datur nobis in signis externis litterarum, et sonorum. Quare ista collatio Augustini nobis maxime favet. Nam hinc sequitur, vere esse peccatum, et grave peccatum, sinere Eucharistiam in terram cadere, sicut est peccatum, et grave peccatum, conceptam in corde veritatem extinguere sinere : non autem est peccatum, aquam Baptismi in terram projicere, quæ tamen apud adversarios non minus sancta est, quam Eucharistia.

Ultimo proferunt sermonem ad infantes, cujus fragmentum recitat Beda in cap. x. prioris ad Corinthios : « Quod vidistis, inquit, panis est, et calix, quod nobis etiam oculi renuntiant : quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, et calix est sanguis. » Et infra, cum dixisset Christum esse in cælo, quærit : « Quomodo est panis corpus ejus? et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis ejus? » deinde respondet : « Ista fratres ideo dicuntur Sacramenta, quia in illis aliud videtur, aliud intelligitur : quod videtur, speciem habet corporalem : quod intelligitur, fructum habet spirituales. Corpus ergo Christi, si vis intelligere, audi Apostolorum dicentem : Nos estis corpus Christi etc. »

Respondeo : Tota vis hujus testimonii in duobus posita est. Primo in eo, quod Augustinus dicat, panem esse id, quod est in altari, ut oculi ipsi renuntiant. Secundo quod ad quæstionem, quomodo panis est corpus Christi, si Christus est in cælo? non respon-

derit Augustinus per transmutationem, aut aliquid ejusmodi, sed dixerit, Sacramenta esse signa quædam visibilia, et corporalia rerum spiritualium, et intelligibilium.

Ad primum facile est respondere. Augustinus enim declarat, quod sit, quod est in altari, ac dicit, panem esse, quoad speciem exteriorem, ut oculi recte judicant ; quoad interiorem substantiam, esse corpus Christi, ut fides recte judicet. Nam si Augustinus vellet dicere in altari esse panem etiam quoad substantiam, et id probaret testimonio oculorum, ut verba ejus prima fronte sonare videntur, repugnaret apertissime Cyrillo, Ambrosio, Nysseno, Epiphanio, Gaudenzio, Chrysostomæ, qui disertis verbis dicunt sensus falli, et non esse judicandum ex gustu, et denique non esse panem. Quis autem credat Augustinus in re tam magna tot Patribus repugnasse? et præterea si repugnasset, quomodo nec ipse unquam eos reprehendisset, nec ipse ab aliis reprehensus fuisset? Quare cum verba ejus dupliciter exponi possint, et uno modo repugnent Patribus cæteris, alio modo cum eis congruant, quis non videt uter sensus præferendus sit? Adde quod non solum aliis Patribus, sed etiam sibi ipse repugnaret, si sensuum judicio in hoc mysterio locum dare vellet, ut patet ex tot locis a nobis citatis.

Ad secundum respondeo Augustinum ad quæstionem, Quomodo panis sit corpus Christi? noluisse directe respondere, quia non erant auditores capaces ; homilia enim illa habebatur ad pueros recens baptizatos : ideo monuisse, ut simpliciter crederent, panem illum esse corpus Christi, et operam darent, ut essent ipsi corpus Christi per fidem, et opera bona, quia postea ubi crevisset, et profecissent in via Dei, mysteria ista eis aperirentur. Id ita esse patet, quia cum esset propositum de corpore Christi naturali, quod est in cælo, quomodo sit in Eucharistia, ipse, omisso corpore Christi naturali, transit ad corpus mysticum, ac dixit, Eucharistiam esse signum societatis fidelium, et nos esse corpus Christi, et nos manducare quod sumus, et mysterium nostrum esse in mensa, et alia id genus : nunquam autem dixit, panem esse signum corporis Christi naturalis, aut corpus naturale non esse in altari, aut esse symbolice, quæ certe dicere debuit, si directe ad quæstionem respondere voluisset, et in hæresi Calvinistarum fuisset. Sicut ergo illi a nobis quærunt, quare Augustinus non

solvit quæstionem dicendo panem esse corpus per transubstantiationem? sic et nos ab illis quærimus, quare non solvit quæstionem dicendo, esse corpus Christi repræsentative? et pro utrisque respondemus, Augustinum dedita opera dissimulasse quæstionem, et ad moralem cohortationem digressum. Ac de Augustino hæc tenet.

## CAPUT XXV.

*Testimonium S. Cyrilli Alexandrini, et Synodi Ephesinæ generalis.*

Sanctus Cyrillus Episcopus Alexandrinus, qui paulo post Augustini tempora floruit, multa nobis testimonia præbet. Sed primo loco poni debet testimonium, quod a III Synodo generali, cui ipse præsedet, ac deinde in IV. et V, approbatum fuit. Exstat epistola S. Cyrilli ad Nestorium cum duodecim anathematismis, quæ ut dixi, ab Ephesina Synodo, et ab aliis duabus approbata fuit: in ea sic legimus: « Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, et sanctificamur participes sancti corporis, et pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum redemptoris effecti: non ut communem carnem percipientes, quod absit; nec ut viri sanctificati etc. sed ipsius Verbi propriam factam. »

Ad hunc locum respondet Petrus Martyr in libro *contra Gardinerum* extremo, Cyrillum loqui de participatione veræ carnis Christi, sed quæ fit in animo, et fide, non ore corporali.

Verum falsam esse istam interpretationem facile probari potest, tum ex hoc ipso loco, tum ex aliis testimoniis ejusdem Cyrilli: nullus enim interpres melior ipso auctore inveniri potest. Et quidem hoc loco aperte loquitur de Eucharistia, ad quam accedimus communicaturi, quam ille vocat sacram benedictionem, et illam ipsam dicit esse carnem Verbi Dei. Sed videamus alia ejus loca adhuc clariora, lib. iv. in Joannem, cap. 3. explicans illud: « Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum. Firmam, inquit, fidem mysteriis adhibentes, nunquam in tam sublimibus rebus illud, (quomodo?) aut cogitemus, aut proferamus. » Hæc ille. Deinde ostendit, Deo nihil esse impossibile, et probat, potuisse nobis dare

carnem suam ad manducandum, quia multa alia mirabilia fecit, ut cum virgam in serpentem, et aquas in sanguinem mutavit; cum divisit mare, cum ex petra scaturire fecit aquas etc.; quæ omnia ineptissime dicerentur, si enim esset Eucharistia, nisi signum corporis Domini. Eodem lib. iv, cap. 14. docet non solum animam per Spiritum sanctum in beatam vitam ascendere, sed etiam corpus nostrum corruptibile, per contactum, et manducationem carnis Christi incorruptibilis, immortale fieri: et cap. 15. id ipsum repetit, atque illustrat similitudine insigni: « Sicut enim scintilla ignis in fœnum, aut paleam immissa totum inflammat; sic Verbum Dei per Eucharistiam naturæ nostræ corruptibili conjunctum totam resurgere faciet immortalem, et gloriosam; et cap. 16. dicit, nos membra Christi esse, quia per Eucharistiam ipsum Dei Filium suscipimus, et cap. 17. dicit, rem istam esse arduam, et sola fide comprehensam, et rursum illustrat alia similitudine de cera liquefacta et alteri ceræ admixta. Idem Cyrillus lib. x. in Joan. cap. 13. « Non negamus, inquit, recta nos fide, charitateque sincera Christo spiritualiter conjungi, sed nullam nobis conjunctionis rationem secundum carnem cum illo esse, id profecto pernegamus, idque a divinis Scripturis omnino alienum dicimus. »

Et quia negatur Petrus Martyr loqui Cyrillum de conjunctione corporali, quæ nobis cum Christo per incarnationem, quia natura nostra in Christo est; audi quomodo Cyrillus ipse se exponat: is enim paulo infra exponens, quæ sit ista conjunctio, sic ait: « An fortassis putat ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ eum in nobis sit nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Et infra: Unde considerandum est, non habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verum etiam participatione naturali. » Et infra: « Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem, et vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei conjungeretur. Non credis mihi hæc dicenti, Christo, obsecro te, fidem præbe. » Similia fuse repetit lib. ii. cap. 26. Denique citari solet passim epist. S. Cyrilli ad Calosyrium, in qua tria dicit. Primo, firmiter esse credendum verbis Domini: *Hoc est corpus meum*. Secundo, in Eucharistia esse corpus Domini, etiam extra usum manducationis.

Tertio, transmutari panem in veritatem carnis Christi. Vide hunc locum apud Joannem Garezum.

Jam ex Cyrillo contra veritatem multa adversarii colligere conati sunt, sed plane frustra. Primo proferunt ex lib. ad Evoptium in explicat. II. anathematismi, ubi Cyrillus dicit in sacramento Eucharistiæ, non contineri hominis manducationem; id enim esse ad crassas cogitationes credentium mentes deducere. Addit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 211. id ipsum haberi in Concilio Ephesino, sive in Epist. Cyrilli a Concilio approbata: « Inter cætera, inquit Petrus Martyr, ait Eucharistiam nostram non esse comestionem nudi, et puri hominis: quod non est aliud, quam mutatis verbis negare ἀνθρωποφαγίαν ». Hæc ille.

Sed excæcavit eos malitia eorum. Nam Cyrillus in utroque loco negat Eucharistiam esse manducationem puri hominis, ut Nestorius existimabat, et affirmat esse manducationem hominis Dei: et id vocat crassam, et humanam cogitationem, si quis existimet in Eucharistia esse carnem puri hominis, quæ nihil revera esset, nisi caro, id est, res terrena et corruptibilis, quæ vitam afferre non posset. Negatur tantum uterque locus, et nulla remanebit quæstio.

Secundo profert Petrus Martyr quædam loca, ubi Cyrillus dicit, carnem Christi afferre vitam, ut lib. IV. in Joan. cap. 10. 14. et 17. et in epist. ad Calosyrium: et inde concludit, carnem Christi non manducari ab impiis; proinde non manducari ore corporali.

Sed hæc inanissima sunt, et sæpe refutata. Non enim sequitur, impios non manducare carnem Christi, etiamsi vitam inde non accipiant: caro enim Christi ex se virtutem habet vivificandi, sed ob indispositionem accedentium aliquando mortem affert, non vitam, quomodo sol sanos oculos illustrat, infirmos lædit.

Tertio profert idem Petrus Martyr testimonium ex eadem epistola ad Calosyrium, ubi Cyrillus dicit in pane et vino sumi carnem et sanguinem Domini. Item aliud ex lib. IV. in Joan. cap. 24. ubi Cyrillus dicit, Christum dedisse Apostolis fragmenta panis, cum ait: *Accipite et manducate, hoc est corpus meum.*

Respondeo: Cyrillus panem, seu fragmenta panis vocat Eucharistiam, quia in specie panis datur: nam alioqui in eadem epistola ad Calosyrium disertis verbis Cy-

rillus ait, panem mutari in veritatem carnis Christi.

Quarto profert Petrus Martyr testimonium ex lib. VI. in Joan. cap. 14. ubi legimus Christum præsentiam corporis sui hinc subduxisse, tamen divinitatis majestate semper adesse.

Hic vero prodit Pseudomartyr negligentiam, et impudentiam suam. Nam sextus ille liber non est Cyrilli, sed Jodoci Clictovei, ut etiam inscriptio librorum indicat; perierunt enim ex duodecim libris Cyrilli in Joannem quatuor intermedii, sed eos supplevit Clictoveus. Cum autem Clictoveus ante paucos annos vixerit, et scripserit contra OEcolumpium de Eucharistia, et apertissime hostis Sacramentarium fuerit, dubitari non potest, quin illa ejus verba non repugnent veritati Eucharistiæ. Atque hinc discimus non esse mirandum, si Augustinus, Theodoretus, et alii veteres, quædam dixerint, quæ in speciem videantur favere hæreticis, cum etiam Jodoco quædam exciderint, quæ ab adversariis trahantur ad suam causam. Voluit igitur dicere, Christum secundum præsentiam carnis, non ubique, nec semper nobis adesse, secundum divinitatem autem ubique et semper.

## CAPUT XXVI.

### *Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani.*

Proclus eodem tempore Episcopus erat Constantinopolis, quo Cyrillus Alexandriae. Exstat ejus testimonium brevissimum, et robustissimum in lib. de traditione divinæ Liturgiæ. Nam posteaquam multa dixerat de mirifico affectu Apostolorum, atque aliorum Patrum antiquissimorum, erga Sacramentum Eucharistiæ, et quod semper in mente habebant illa verba: *Hoc est corpus meum*, et longissimas preces, et psalmodias inter sacra mysteria peragebant; ita subjunxit: « Per has preces Spiritus sancti adventum expectabant, ut ejus divina præsentia propositum in sacrificio panem, et vinum aqua permixtum, ipsum illud corpus, et sanguinem Salvatoris nostri Jesu Christi efficeret. » Hæc ille. His enim verbis tam aperte docet iste auctor mutari panem, et vinum in corpus, et



sanguinem supernaturali virtute Spiritus sancti, ut nullum hic locum habeant solutiones adversariorum de mutatione sacramentali per additionem solius significationis : ad istam [enim mutationem non esset opus invocare præsentiā Spiritus sancti.

## CAPUT XXVII.

### *Testimonium Theodoretī et Gelasii.*

Theodoretus æqualis Cyrilli fuit, et ei etiam supervixit, ut patet ex epist. Theodoretī ad Joannem Antiochenum de obitu Cyrilli, quæ legitur in V. Synodo.

Duo loca proferuntur ex Theodoro, tum a Catholicis, tum ab hæreticis. Prior est in primo Dialogo : « Servator, inquit, noster nomina commutavit, et corpori quidem id, quod erat symboli, ac signi nomen imposuit : symbolo autem quod erat corporis. » Hæc ille. Quæ verba pro se accipiunt adversarii. Sed paulo post ita subjungit, reddens mutationis nominum : « Volebat enim, inquit, eos, qui sunt mysteriorum participes, non attendere naturam eorum, quæ videntur sed propter nominum permutationem mutationi, quæ fit ex gratia, credere » . Hæc ille ; ubi dicit, panem vocatum esse corpus, ut ex nominis mutatione, intelligeremus, et crederemus rei mutationem. Non ergo vult Theodoretus (ut adversarii dicunt) Eucharistiam vocari corpus, solum, quia repræsenterat externa specie corpus Domini ; sed quia revera interius mutatus est panis in corpus.

Posterior locus est in secundo Dialogo : « Neque enim, inquit, signa mystica post sanctificationem recedunt a sua natura, manent enim in priora substantia, et figura, et forma, et videri, et tangi possunt, sicut prius : intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. » Hæc ille. Hujus loci priorem partem arripiunt hæretici, posteriorem Catholici.

Sed observandum est locum istum in specie quidem juvare nonnihil causam Lutheri, qui putavit cum pane vero conjunctum esse corpus Christi verum : at causam Calvini et Petri Martyris, et aliorum Sacramentariorum penitus destruere. Nam apertissime asserit hoc loco Theodoretus præsentiā corporis

Domini in Eucharistia, cum dicit, intelligi, credi, et adorari corpus Domini in Eucharistia, et ideo intelligi, credi, et adorari, quia panis Eucharistiæ, id est, panis consecratus, est vere id quod intelligitur, creditur, et adoratur. Adde, quod ibidem volebat Theodoretus aperte loqui, metuens ne adesset inter auditores aliquis non initiatus : « Non oportet, inquit, aperte dicere ; est enim verisimile adesse aliquos non initiatos ». At de Eucharistia, ut jam intelligunt Calvinistæ, potuisset quibusvis infidelibus apertissime loqui, cum nihil in ea mirabile, nihil arduum sit. Denique probare vult Theodoretus in illis omnibus dialogis, in Christo vere esse duas naturas, idque exemplo Eucharistiæ, ubi vere credimus cum symbolis panis esse corpus Christi. At si negasset veram præsentiā corporis Domini in Eucharistia, contra seipsum pro adversariis pugnasset.

Sed nec Lutheri causam adjuvat, si diligenter consideretur Theodoretus. Nam cum dicit, substantiam symbolorum remanere, et non mutari, non loquitur de substantia, quæ distinguitur contra accidentia, et quam in prima categoria posuit Aristoteles, sed de essentia, et natura accidentium, quæ ipse perpetuo symbola appellat, quomodo alii auctores Græci et Latini passim accipiunt vocabulum substantiæ : sed maxime Græcæ voces φύσις et οὐσία, quibus Theodoretus usus est, omnem essentiam et naturam amplectuntur. Nec solum Græci, sed Latini etiam interdum per substantiam intelligunt naturam accidentium. Petrus Cluniacensis in libro de sacrificio, et transubstantiatione : « Annon cernis, inquit, præter glaciale duritiam, præter lapideam firmitatem ( quantum ad speciem, vel perspicuitatem jam dicti elementi pertinet ) nihil utique substantiæ detractum ? » Ubi per substantiam intelligit naturam externæ figuræ et perspicuitatis, quæ manent, quando mutatur glacies in crystallum.

Hoc igitur Theodoretus docet, naturam symbolorum, id est, accidentium sensibilem, quæ sunt in Eucharistia, fuisse etiam ante consecrationem. Eum ita loqui patet. Primo, quia in Dialogo secundo hæreticus ex communi fide urgebat mutationem panis in corpus Christi, ut inde probaret suum errorem de mutatione unius naturæ in alteram in mysterio Incarnationis. Catholicus autem non negat mutationem aliquam panis in corpus

Christi fieri, quod certe facere debuisset, si esset vera sententia Lutheranorum. Imo ipse potius debuisset ex Eucharistia argumentari contra Eutychianum. Si enim verum esset, quod Lutherani dicunt, manere in Eucharistia panem et corpus sine ulla reali mutatione panis, exemplum Eucharistiæ nihil omnino, ne quoad speciem quidem Eutychianos juvisset. Catholicus ergo in Dialogo Theodoretæ, quia non poterat negare mutationem essentiæ panis, confugit ad symbola externa, ac dixit, naturam symbolorum non mutari, et eo modo esse in Eucharistia duas naturas impermixtas. Secundo, quia ita se ipse explicat. Nam ubi dixisset naturam symbolorum manere, probat, quia videmus, et tangimus eundem colorem, eandem figuram et formam, quam antea videbamus et tangebamus. Tertio, quia alioqui pugnaret secum. Nam ipse dicit mutari, et non mutari symbola; et videri quidem ac tangi symbola, tamen intelligi, et credi corpus Domini; quæ non coherent, nisi dicamus mutari, quoad internam substantiam panis, non mutari quoad exteriorem naturam, et proprietates accidentium. Quarto, quia non est ullo modo credibile, Theodoretum tam aperte repugnare voluisse Chrysostomo, Ambrosio, Cyrillo et aliis, qui negant panem manere in Eucharistia: hos enim auctores in illis Dialogis frequentissime citat, et præcipue Chrysostomo Theodoretus addictissimus fuit.

Eadem prorsus ratio est de sententia Gelasii in libro de duabus naturis. Nam quicumque fuerit is Gelasius (neque enim satis constat, quis ille fuerit) idem prorsus docet, quod Theodoretus, et ad eandem rem confirmandam: dicit enim manere naturam panis in Eucharistia, et tamen ibidem dicit mutari Spiritu sancto perficiente in divinam substantiam; et esse Eucharistiam rem divinam, ita ut ejus perceptione efficiamur divinæ consortes naturæ.

Ubi obiter est notandum, Gelasium istum non fuisse Romanum Pontificem, ut adversarii impudenter jactant. Nam Kemnitiæ 2. par. Examini Tridentini Concilii sess. XIII. cap. 4. mirabiliter triumphat ex hoc testimonio, tanquam Romani Pontificis. At non esse Romani Pontificis, argumento certissimo esse potest, quod cum dicat se velle referre testimonia omnium Patrum, nullam mentionem facit Hieronymi, Augustini, Leonis, et similium, qui Gelasio Papæ notissimi erant. Præterea quod multa testimonia affe-

rat iste Gelasius ex Eusebio Cæsariensi; quod nunquam Gelasius Papa fecisset, cum Eusebii libros reprobaverit in suo decreto de libris authenticis et apochryphis. Adde, quod videtur iste Gelasius scripsisse ante Concilium Chalcedonense, et is ipse esse, quem Theodoretus citat in III Dialogo, et cujus meminit Hieronymus in lib. de scriptor. Eccles. nimirum Gelasius Episcopus Cæsariensis, qui non potuit nisi valde senex esse, cum librum istum scripsit contra Eutychianos. Sed quicumque tandem fuerit, non discrepat ab aliis Catholicis scriptoribus, ut jam ostendimus.

## CAPUT XXVIII.

### *Testimonium S. Leonis.*

Sanctus Leo, licet junior Theodoro esset, eodem tamen sæculo floruit, ut patet ex epist. Theodoretæ ad Leonem, et ex altera Leonis ad Theodoretum.

Quatuor testimonia ex Leone citari solent. Primum est serm. VII. de passione Domini, ubi sic ait: « Ut ergo umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, et legalis festivitas, dum mutatur, impletur. » Hæc ille. Secundum est serm. 14. de passione Domini: « Ipsum, inquit, per omnia et spiritu, et carne gustemus. » Tertium est serm. 6. de jejuniis septimi mensis: « Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi, et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, et frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur. » Quartum est in epist. 23. ad Clerum, et populum Constantinopolitanum: « In Ecclesia Dei, in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis veritas corporis et sanguinis Christi inter communis Sacramenta fidei taceatur. » In duobus postremis locis probare nititur S. Leo Christum habuisse veram carnem contra errorem tunc exortum Eutychetis; id vero probat ex Eucharistia. Neque enim accipereinus veram carnem, si Christus non haberet veram carnem.

Respondet Petrus Martyr, argumentum

Leonis in eo consistere, quod non esset Eucharistia symbolum corporis Domini, si Christus non haberet corpus. Sed fallitur, nam adhuc esset symbolum corporis, quale ponebant Eutychniani, nimirum apparentis: possunt enim etiam corpora apparentia signo aliquo representari. Præterea Leo dicit idipsum ore sumi, quod fide creditur. At fide credimus Christum habere veram carnem: veram igitur carnem ore sumimus. Et qui respondet, *Amen*, dum suscipit Sacramentum, non confirmat confessione sua, id quod accipit, esse symbolum, sed esse corpus: sacerdos enim non dicit, Accipe symbolum, sed, Accipe corpus, ut etiam ex Ambrosio supra notavimus. Denique dicit linguas infantium non tacere corporis Domini veritatem in Sacramentorum celebratione: infantes autem simpliciter loqui solent, non figurate, et symbolice.

## CAPUT XXIX.

*Testimonium Hilarii Papa.*

Hilarius Papa sancto Leoni successit. Ex ipsius decretis proferunt adversarii unum testimonium, quod plane pro nobis, non pro illis facit. Testimonium exstat apud Gratianum de consecrat. dist. 2. can. Corpus, in hæc verba: « Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis et vinum extra videntur: veritas autem, dum corpus et sanguis Christi in veritate interior creditur. » Hæc ille. Sententia hujus testimonii ista est; si spectes Sacramentum Eucharistiae, quoad ea, quæ exterius videntur, figura est, imo et panis est; at si consideres, quid intus lateat, et quid ibi fides videat, corpus et sanguis in veritatem est.

## CAPUT XXX.

*Testimonium Eusebii Emisseni, seu Fausti Rhegiensis, seu Cæsarii Arelatensis.*

Postremus in hac ætate quinta sit nobis Eusebius Emissenus, seu quicumque fuit auctor ejus celeberrimi sermonis de corpore

Domini, qui incipit: « Magnitudo cœlestium beneficiorum. » Citatur quidem hic sermo nomine Eusebii Emisseni a Paschasio Corbeïensi, qui ante annos ferme 800. floruit: tamen certum est, non esse illius Eusebii Emisseni Græci, cujus meminit Hieronymus in Catalogo virorum illustrium. Meminit enim in hoc ipso sermone hæresis Pelagianæ, quæ exorta est post mortem Eusebii illius Emisseni Græci. Et præterea auctor hujus sermonis sine dubitatione Latinus fuit, non Græcus: et ut ex ejus homiliis ad Monachos, et ex homilia de S. Maximo, colligitur, Abbas fuit Monasterii Lirinensis. Quare nonnulli non sine causa suspicantur auctorem omnium illarum homiliarum esse Faustum Gallum, qui teste Gennadio, ex Abbate Lirinensi Episcopus Rhegiensis factus est, et floruit ad finem IV. sæculi. Alii tamen existimant eas homilias esse B. Cæsarii, qui teste Trithe-mio ex Abbate Lirinensi Episcopus Arelatensis factus est.

Quicumque tandem fuerit, insignis auctor est etiam adversariorum testimonio: ac de Eucharistia hæc docet. Primo nihil esse ambigendum de veritate corporis Domini in Eucharistia: « Recedat, inquit, omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse testis est veritatis. » Et infra: « Ad cognoscendum, et percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa te roborat potentia consecrantis. »

Secundo docet, non esse credendum sensibus: « Vere, inquit, unica, et perfecta hostia fide æstimanda, non specie, nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. »

Tertio docet, vere, et realiter mutari panem in carnem: « Invisibilis, inquit, sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, et sanguinis verbo suo secreta potestate commutat. » Hæc ille. Ac deinde probat, id esse credendum exemplis rerum similia, quia eodem jubente Deo repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum etc.

Quarto docet, corpus Christi totum esse in qualibet parte Sacramenti: « Quod corpus, inquit, sacerdote dispensante tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto, quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse probatur in singulis. » Hæc ille. Ubi si loqueretur de pane, non diceret, tantum esse in exiguo, quantum in magno, sive in toto: et si loqueretur de corpore Christi, ut est in cœlo, et

fide solum a fidelibus mentibus apprehenditur, non diceret, dispensari a sacerdote.

Quinto docet, post consecrationem non esse amplius panem : « Quando, ait, benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi numinis consecrentur, substantia illic est panis, et vini ; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi ; quid mirum autem si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata convertere ? Imo jam minoris videtur miraculi, si id quod ex nihilo agnoscitur condidisse, jam conditum in melius valeat commutare. Require quid ei possit esse difficile, cui facile fuit visibilia, et invisibilia voluntatis imperio suscitare. »

Porro ex hoc auctore unum proferunt testimonium adversarii. Confert enim hic auctor mutationem panis in corpus Christi, cum ea mutatione, quæ sit in nobis per justificationem : quæ sane mutatio non est substantialis, sed accidentalis, ut omnes fatentur.

Atqui hoc ipsum nobis maxime favet. Iste enim auctor non probat mutationem substantialem fieri in Eucharistia ex alia substantiali mutatione, sed probat non esse impossibilem mutationem substantialem in Eucharistia ex alia mutatione, accidentali quidem, sed vera, ac reali, et magis difficili, ac mirabili, quam sit mutatio substantialis panis in corpus Christi. Justificatio enim impii, et vera ac realis mutatio est animæ a peccato ad gratiam : et mirabilior est, quam ipsa creatio cœli et terræ, ut Augustinus testatur tract. 72. in Joan. Et simul ostendit, non esse mirum, si dicamus panem mutari, cum nulla exterius appareat mutatio : nam etiam in nobis nulla mutatio apparet exterius, cum tamen interius in anima maxima mutatio fiat. Sed verba Eusebii audiamus : « Ut tibi novum, et impossibile non debeat videri, quod in Christi substantiam terrena et mortalia commutantur, te ipsum, qui jam in Christo es regeneratus, interroga. Dudum alienus a vita, peregrinus a misericordia, a salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subito initiatus Christi legibus, et salutaribus mysteriis innovatus in corpus Ecclesiæ non vivendo, sed credendo transisti, et de filio perditionis adoptivus Dei filius fieri occulta puritate meruisti, in mensura visibili permanens, major factus es teipso invisibiliter etc. »

## CAPUT XXXI.

### *Testimonia Patrum VI, ætatis Remigii, et Primasii.*

Hactenus expendimus testimonia Patrum, qui primis quinque sæculis floruerunt, quos sibi favere Calvinus jactaverat. Nunc breviter annotabimus sequentium ætatum pauca testimonia, tum propter audaciam Petri Martyris, qui posteriores etiam, ut Theophylactum et Bernardum pro suo errore citare non dubitavit ; tum etiam, ut appareat continuatio doctrinæ Catholicæ ad nostram ætatem a temporibus Apostolicis, quod adversarii de sua doctrina demonstrare nullo modo possunt. Igitur ex ætate sexta duo testimonia proferemus, unum Remigii, alterum Primasii.

Remigius floruit in Gallia tempore Clodovei Regis ad initium anni Domini 500. et in hæc verba scripsit in commentar. cap. 10. prioris ad Corinth. « Panis, inquit, quem frangimus in altari, nonne participatio corporis Domini est ? Utique primum consecratur, et benedictura Sacerdotibus, et a Spiritu sancto, et deinde frangitur, cum jam licet panis videatur, in veritate corpus Christi est. » Et infra : « Caro quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali, in unitate suæ personæ, et panis, qui consecratur in Ecclesia, unum corpus sunt ; sicut enim illa caro, corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus. »

Primasius floruit tempore V. Synodi, circa annum Domini 550. ut patet ex ipsa V Synodo collat. 2. Scripsit autem in cap. 10. epist. ad Hebr. in hæc verba : « Est unum corpus Christi cum illo, quod suscepit de utero virginali ; non multa corpora etc. » ubi contendit hoc interesse inter sacrificia vetera, et sacrificium Christianorum, quod illa quotidie mutabantur ; nec enim idem agnus bis immolatur, sed hodie unus, cras alius : at Christiani in diversis altaribus, et temporibus, semper idem Christi corpus sacrificant. Quod certe non potest intelligi de pane materiali : is enim quotidie mutatur ; nec de pane ut significat corpus Christi ; nam hoc modo etiam Hebræi idem corpus semper immolassent, quippe qui omnibus suis victi-

mis eundem Christum representabant: nec potest intelligi de corpore, ut est in cœlo, et fide apprehenditur; nam Primasius dicit immolari a sacerdotibus in altari: cogimur ergo intelligere, ipsum verum Christi corpus, quod utrique unum est, vere in altari adesse, et sub specie panis ac vini, a sacerdotibus immolari. Ex quo testimonio apertissimo illud etiam colligitur, S. Augustinum nihil aliud sensisse, quam Catholici sentiunt. Fuit enim Primasius Augustini doctrinæ adiectissimus.

## CAPUT XXXII.

### *Testimonia Patrum VII ætatis S. Gregorii, et Isichii.*

Sanctus Gregorius, qui ad initium septimi sæculi, id est, anno 601. Romæ sedebat in cathedra Sancti Petri, ita loquitur, homil. 22. in Evangelia: « Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis; qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur; » et lib. iv. Dialog. cap. 58. « Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus, atque invisibilibus fieri? » Hæc ille. Ubi satis aperte descripsit præsentiam veram et realem corporis Christi cœlestis, summi et invisibilis, in specie panis terreni, imi, et visibilis.

Idem quoque Gregorius iusigni miraculo probavit, vere panem in carnem Domini converti, ut testantur Joannes Diaconus lib. ii. vitæ Sancti Gregorii, cap. 41. et Paulus Diaconus in vita ejusdem Gregorii. Addit vero Paulus Diaconus patrato miraculo ita Gregorium fuisse locutum ad mulierem, quæ de veritate corporis Domini in Eucharistia dubitaverat: « Discere veritati, vel modo etiam contestanti credere: Panis, quem ego dabo, caro mea est, et sanguis meus vere est potus. Sed præsciens Conditor nostræ infirmitatis, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, et corpus sibi ex carne semper Virginis operante Spiritu sancto fabricavit, panem et vinum aqua mixtum, manente propria specie in carnem et sanguinem suum, ad Catholicam præ-

cem ob reparationem nostram Spiritus sui sanctificatione convertit. » Hæc ille.

Isichius Hierosolymæ Presbyter, ac deinde Episcopus, sancti Gregorii æqualis fuit: falluntur enim, qui cum Hieronymi, et Augustini temporibus floruisse dicunt. Nam episcopus fuit Hierosolymæ, ut Glossa ordinaria in Levitic. testatur: nullus autem fuit Hierosolymæ Episcopus, qui Isichius diceretur, nisi ille ad quem scribit sanctus Gregorius libro 9. Registri epistol. 40. Et præterea exponit hic auctor in comment. in Levitic. versionem Hieronymi, tanquam communem, et receptam in Ecclesia, cum satis constet, eam non fuisse ita communiter receptam, nisi longo tempore post ipsius Hieronymi obitum.

Igitur Isichius lib. ii. in Levitic. cap. « Est, inquit, locus sanctus altare: ibi enim sanctus sanctorum requiescit: » Et infra, explicans ritum, quo igni tradebatur quidquid ex Agno Paschali homines comedere non potuerant, dicit eo ritu significari, ut quod non possumus capere in mysterio Eucharistiæ, id omnipotentiae Dei relinquamus: « Ergo inquit, ex hoc, quod agitur sensibiliter, significatio cujusdam intelligibilis rei eis, qui intendunt, provenit; ut quando ad comestionem sacrificii deficimus, et comedere illud integre non possumus, mente forsitan lacescente, sive deficiente, utrum ea quæ videtur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod oculis nec Angeli possunt prospicere, non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet Spiritus, ut ea comedat, quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat? Cum cogitaverimus virtuti Spiritus esse possibilia ea, quæ nobis impossibilia videntur. » Et lib. 6. cap. 22. « Per ignorantiam, inquit, percipit, qui virtutem ejus et dignitatem ignorat, qui nescit, quia corpus hoc et sanguis est secundum veritatem ». Et infra: « Sanctificationem, inquit, mystici sacrificii, et a sensibilibus ad intelligibilia translationem, commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet Christo oportet dari, id est, ipsi de eis miraculum cedere, et imputare: quia per ejus virtutem, et prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum. »

Sed objicit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 187. illa verba Isichii ex lib. ii. in Levit. cap. 8. Propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici,

quod simul panis, et caro est. » At hoc testimonium si quos hæreticorum juvaret, Lutheranos juvaret, qui in Sacramento verum panem, et verum Christi corpus agnoscunt, non autem Zwinglianos et Calvinistas, qui tanto intervallo separant panem a corpore Christi, quanto summum cœlum abest ab ima terra.

Sed nec Lutheranos juvat, quia ibidem Isichius dicit, Eucharistiam esse panem et carnem, quia corpus Christi, quod in Eucharistia sumimus, est panis vitæ, qui de cœlo descendit.

Sed instat Petrus Martyr : « Sed per panem hoc loco intelligere debemus non panem triticum, sed panem cœlestem ; id est, carnem Christi ; ergo cum Isichius ait, mysterium Eucharistiæ esse panem, et carnem, sensus erit, esse carnem, et carnem ; quod sane par absurdum videtur. » Respondeo : Objectionem istam non nobis, sed ipsi Isichio fieri debere. Ipse enim sententiam suam ita exposuit, ut per panem, non panem triticum, sed panem cœlestem intelligendum diceret. Nulla autem est in ejus verbis absurditas : id enim dicere voluit, Eucharistiam ejusmodi cibum esse, ut carnis, et panis appellationem mereatur ob varios suos effectus, quemadmodum etiam Dominus Joan. VI. ait : *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Sed de his satis.

### CAPUT XXXIII.

*Testimonia Patrum VIII. ætatis Joannis Damasceni, et Epiphani, ejus æqualis.*

Joannes Damascenus tempore Leonis Iconomachi floruit circa annum Domini 740. Scripsit vero de Eucharistia lib. IV. de fide, cap. 14. pro instituto suo plenissime, et apertissime. Nam cum aliquot argumentis probasset, nihil esse Deo impossibile, ita subjungit : « Quemadmodum omnia, quæcumque fecit Deus, Spiritu sancto cooperante fecit, sic et nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. » Et infra : « Panis, vinumque, et aqua per invocationem Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus et sanguinem Christi : et non sunt duo, sed unum et idem. Non est figura panis et vinum corporis, et sanguinis Christi ; absit

eum hoc, sed est ipsum corpus Domini deificatum. »

Epiphanius Damasceni æqualis, et doctissimus, in disputatione cum Gregorio, quæ habetur in VII Synodo act. 6. t. III. multis verbis probat, Eucharistiam non esse figuram corporis et sanguinis, sed ipsum verum corpus, et sanguinem Domini. « Nunquam invenies, inquit, neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod a Sacerdote offertur, imaginem dixisse ; verum ipsum corpus, et ipsum sanguinem. »

### CAPUT XXXIV.

*Testimonia Patrum IX ætatis Theophylacti et Paschasii.*

Theophylactus post annum Domini 800. omnium consensu floruit, ac de veritate corporis Domini Chrysostomum imitatus apertissime et copiosissime scripsit. In cap. XXVI. Matth. « Porro dicens, Hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum corpus est panis, qui sanctificatur in altari, et non respondens figura. Non enim dixit : Hoc est figura, sed, Hoc est corpus : ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis ». Vide etiam eundem in cap. XIV. Marci, et in cap. VI. Joan. et in cap. X. et II. prioris ad Corinth. in quo ultimo loco explicans illa verba : *Non judicans corpus Domini*, sic ait : « Si certiores essemus, quisnam, et quantus sit ille, qui nobis in conspectu adjacet, nulla ferme rei alterius ope indigeremus, sed solus ille, et continentiam nobis, et vigilantiam compararet. »

Sed invenerunt in Theophylacto unum verbum, quod pro se arriperent adversarii. Nam in cap. 13. Marci, dicit Theophylactus, panem transmutari in virtutem carnis Christi ; ex quo exponi volunt, quod idem habet in cap. XXVI. Matth. et in cap. VI. Joannis, panem transmutari in carnem Domini. Itaque sensum esse volunt omnium istorum locorum, panem per mutationem Sacramentalem fieri instrumentum divinæ virtutis, quo nimirum animi nostri excitentur ad fidem. Ita Petrus Martyr disputat libro *contra Gardinerum*, objecto 13.

At nimia impudentia est de Theophylacti testimoniis disputare, cum ipse in cap. VI.

Joan. diserte dicat non esse panem post consecrationem, licet oculis videatur; et transformari ineffabili operatione (nulla autem ineffabilis operatio requiritur ut sit instrumentum exetandæ fidei) et non esse figuram, sed ipsum corpus; et ita verti panem in carnem Christi per consecrationem, ut vertebatur olim per nutritionem, cum Dominus hic in terris viveret: et denique oportere in Eucharistia sumenda simpliciter credere, et non dicere, Quomodo potest id fieri? etc. Quod ergo Theophylactus dicit mutari substantiam panis in virtutem carnis Christi, significat mutari in essentiam carnis Christi, quæ vim habet nutriendi animos, ut substantia panis vim habet nutriendi corpora: idem enim est, ac si dixisset, sub speciebus panis antea erat vis quædam nutriendi corpora, nimirum substantia panis, nunc est vis quædam nutriendi animos, nimirum substantia carnis Christi. Adde, quod si Theophylactus dicere voluisset panem fieri instrumentum divinæ virtutis, non dixisset mutari in virtutem carnis Christi, sed in virtutem Spiritus sancti: nam spiritus sanctus est (ut ibidem ait Petrus Martyr) qui in sacra functione utitur Sacramento tanquam instrumento; imo nec dixisset, transelementari, sed fieri. Quis enim tam absurde loqueretur, ut si dicere vellet, calamum aptari oportere: ut fiat instrumentum scribæ, diceret calamum transelementari in virtutem scriptoris?

Eodem sæculo floruit Paschasius Abbas Corbeiensis, qui librum accuratissimum scripsit de corpore Domini ducentis ferme annis, antequam Berengariana hæresis nasceretur. In eo sic ait cap. 1. « Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, et in terra, et quia voluit, licet figura panis, et vini hic sit, tamen omnino nihil aliud, quam caro Christi, et sanguis post consecrationem credenda sunt », et infra prolixè id probat. Idem in epist. ad Frudegardum ex professo idem probat: et rursus in libello de institutione Sacramenti: « Nec, inquit, ita dixit cum fregit, et dedit eis panem. Hæc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei: sed ait non fecte, Hoc est corpus meum, et ideo, hoc est quod dixit, non quod quisque fingit. »

## CAPUT XXXV.

*Testimonia Patrum X. ætatis, Stephani Eduensis, et Fulberti Carnotensis.*

Stephanus Episcopus Eduensis, qui floruit circa annum Domini 950 (ut Joannes Garetius testatur) sic ait in lib. de Sacramento altaris, cap. 15. (Exstat hic liber tom iv. Bibliothecæ sanctorum Patrum). « Itaque fides nostræ est, et vere credendum est, quod sacerdote proferente, hæc verba: Hoc est corpus meum, jam non est panis terrenus, sed ille panis, qui de cælo descendit, mediator Dei, et hominum Jesus Christus. »

Fulbertus Episcopus Carnotensis vir sanctissimus, et doctissimus floruit ad finem hujus decimæ ætatis. Nam Adelmannus Episcopus Brixinensis in epistola ad Berengarium indicat, se et Berengarium discipulos olim in adolescentia fuisse sancti senis B. Fulberti, quem suum Socratem appellat. Si igitur Berengario adolescentulo Fulbertus senex erat, necesse est Fulbertum floruisse ante annum Domini 1000, siquidem constat Berengarium circa annum Domini 1040. cum sua hæresi apparere cœpisse.

Hic igitur sanctissimus vir in epistola ad Adeodatum, quæ exenti solet eum libris Paschasii, sic loquitur: « Quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulo post a nostris visibus sublaturus erat in cælum; ne sublatis corporis fraudaremur præsentem munimine, corporis nihilominus, et sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterii symbolum sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibilis creaturæ forma invisibiliter virtus secreta in sacris solemnibus operatur. Et infra: Dubitari nefas est, ut ad cujus nutum cuncta subito ex nihilo substiterunt; si pari potentia in spiritualibus sacramentis terrena materies panis, et vini naturam, et meritum generis sui transcendens, in Christi substantia commutetur, cum ipse dicat: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus. »

## CAPUT XXXVI.

*Testimonia Patrum XI. ætatis Anselmi  
et Œcumenii.*

Jam vero ætate XI. exorta hæresi Berengariana plurimi ex professo scripserunt de veritate corporis Domini in Eucharistia, ut S. Anselmus, Lanfrancus, Guitmundus, Adelmanus, Algerus, Hugo Lingonensis, et alii, qui floruerunt ab anno, 1000. ad 1100. Eodem sæculo scripsisse creditur Œcumenius Græcus. Satis vero hoc loco erit S. Anselmi, qui sanctitate, et eruditione præter cæteros claruit, et Œcumenii testimonia ponere.

Igitur S. Anselmus in cap. XI. primæ ad Coriuthios exponens illud: *Hoc est corpus meum*; « Manducate, inquit, quod tribuo, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum non aliud, sed idem substantialiter, quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem. »

Œcumenius in cap. XII. prioris ad Coriuth. « Cum sæpe, inquit, corpus, et sanguinem memoret, indicat, nequaquam exilem esse hominem, qui sacrificatur, imo ipsum Dominum omnium creatorem. : « Et infra » Si sciremus quantus sit, qui appositus est (in altari) nullo alio indigeremus, verum hoc ipsum sobrios nos redderet. »

## CAPUT XXXVII.

*Testimonia Patrum XII ætatis Euthymii,  
et S. Bernardi.*

In ætate XII. plurimi quoque de hac re apertissime, et fusissime scripserunt, ut Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo, et Richardus de S. Victore, Euthymius Zigabenus, S. Bernardus, et alii. Nobis autem satis erit duo testimonia ponere, unum S. Bernardi pro Latinis, alterum Euthymii pro Græcis.

S. Bernardus in vita S. Malachie: « Fuit,

inquit, quidam clericus, probabilis, ut fertur, vitæ, sed fidei non ita: is sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, et non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, et non corporis veritatem. » Hæc ille. Ubi subnectit insigne miraculum, quo ille a B. Malachia coactus est, vel invitus veritatem tandem amplecti et confiteri.

Euthymius in cap. XXVI. Matth. « Non dixit, inquit, hæc sunt signa corporis mei, et sanguinis mei, sed, hæc sunt corpus, et sanguis meus. » Et infra: « Quemadmodum supernaturaliter assumptam carnem deificavit, si ita loqui liceat; ita et hæc ineffabiliter transmutat in ipsum vivificum corpus suum. » Vide etiam Panopliam ejusdem tit. 21. ubi Patribus Nysseno, et Damasceno fusc probat, transmutationem panis in carnem Domini.

Audet tamen Petrus Martyr testimonia ex Bernardo proferre in lib. *contra Gardineros*, object. 252, 253 et 254. Scribit enim Bernardus sermon. 33. in Cantic. « Habeo et ego Verbum, sed in carne; et mihi, apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, et nudo satiatur grano. Me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, litteræ palea, velamine fidei. » Et infra: « At quantalibet sane abundantia pinguescant ista; non pari omnino judicante sumitur cortex Sacramenti, et adeps frumenti; fides et opes: memoria et præsentia: æternitas, et tempus: vultus, et speculum: imago Dei, et forma servi. » Idem quoque Bernardus in serm. de cœna Domini, comparat Sacramenta annulo et baculo, quibus tanquam signis confertur dignitas aliqua, vel possessio.

Hæc illi proferunt, ex quibus nos multum omnino lucratur. Nam dubitari non potest de sententia S. Bernardi, tum ex testimonio a nobis paulo ante citato; et ex aliis plurimis, quæ afferri possent, tum quia constat eum fuisse conjunctissimum Romane sedis quæ multis Conciliis damnaverat hæresim Berengarii: necnon amicissimum Hugoni de Sancto Victore, et Petro Cluniacensi, qui ex professo scripserant de Sacramento contra hæresim paulo ante exortam; tum denique, quia Petrus Martyr in fine objecti 252. dicit, Bernardum non recte de hoc negotio sensisse, quod illa tempora tenebris essent mirabiliter obfuscata. Quæ cum ita sint, necesse est, verba ejus, quæ



ab adversariis citantur, Catholicum sensum habere, quidquid tandem significent.

Ex quo intelligimus, non debere videri mirum, si antiquiores Patres, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et alii, ante exortam hæresim quædam scripserint, quæ possent trahi in malam partem, cum videamus Bernardum post hæresim exortam et damnatam, quædam scribere, quæ ab adversariis ad suam hæresim stabiliendam rapiuntur: quare oportet ex verbis apertis, et perspicuis sanctorum Patrum exponere ea, quæ videntur obscure et dubia in aliis Patribus, cum constet eos omnes idem sensisse.

Ut igitur ad locum Bernardi ex Canticis respondeam, confert Bernardus modum, quo Angeli fruuntur Verbo æterno in cælo, cum eo, quo nos eodem fruimur in terris, ac dicit, Angelos esse longe feliciores, quod illud aperte, et perspicue videant, nos autem habeamus velatum, et occultatum in cortice Sacramentorum in furfure carnis, in palea litteræ, in velamine fidei. Quibus verbis non dicit nos habere solum corticem, furfurem, paleam et velamen; sed habere ipsum etiam Verbum, sed occultatum in his quasi involueris: unde nihil ista pugnant contra veritatem corporis Domini in Eucharistia.

Quod vero paulo infra adjungit, Angelos habere præsentiam, nos memoriam; quod maxime urget Petrus Martyr, facillime solvitur. Nam per præsentiam intelligit, conspectum; id enim appellat præsens, quod cernitur, id absens quod non cernitur. Id vero inde patet, quia non loquitur de præsentia carnis Domini, sed de præsentia Verbi æterni. Illud enim dicit esse Angelis præsens, quia facie ad faciem ab illis cernitur: nobis vero dicit esse absens, et in memoria, non in præsentia, quia non cernimus illud ut est, sed tantum cum eo cogitatione versamur; licet alioqui Verbum Dei, cum Deus sit, ubique sit. Neque est hic modus loquendi alienus a Scripturis: Scripturæ enim Deum ubique esse testantur, et hortantur tamen, ut eum quæramus, dum inveniri potest. Si ubique est, certe præsens est; et tamen si quærendus est, aliquo modo absens est.

Eodem modo intelligimus quod ibidem Bernardus dicit, nos habere corticem, Angelos, adipem: significat enim Angelos frui ipsa adipe, quia facie ad faciem intuentur Verbum, nos autem in conspectu non habere

nisi corticem Sacramenti. Nec enim videmus aliud, quam species panis et vini: sed tamen intra eum corticem, latere etiam adipem, supra dixerat Bernardus. Denique id sufficere deberet, quod (ut ante dixi) non loquitur de carne Christi, de qua nostra quæstio est cum adversariis; sed de præsentia, seu fruitione Verbi æterni.

In sermone autem de cœna Domini, non dicit Bernardus per Sacramentum Eucharistiæ dari carnem Christi, tanquam per signum, ut datur dignitas aliqua per baculum, et annulum; sed dicit gratiam Dei, dari per Sacramenta ut per signa; sic enim loquitur: « In hunc modum appropians passioni Dominus, de gratia sua curavit investire suos: ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. » Hæc ille. Quomodo autem Sacramenta non sint nuda signa, sed etiam causæ instrumentales gratiæ, explicuimus, in disputatione de Sacramentis in genere, ubi etiam hunc locum sancti Bernardi tractavimus.

## CAPUT XXXVIII.

### *Testimonia ætatum reliquarum.*

In ætate XIII. præter plurima testimonia insignium Theologorum Alensis, Alberti, sancti Thomæ, sancti Bonaventuræ, et aliorum, exstat testimonium Concilii generalis Lateranensis sub Innocentio III. in ipso primo cap. decretorum ejus Concilii; ubi sic legimus: « Christi corpus et sanguis in Sacramento altaris, sub speciebus panis, et vini veraciter continetur etc. »

In ætate XIV. præter plurima doctorum testimonia, ut Scoti, Henrici, Durandi, et aliorum, exstat decretum Concilii generalis Viennensis sub Clemente V. de festo corporis Domini, ubi expressa testimonia per multa leguntur de veritate corporis Domini in Eucharistia. Vide Clementinam unic. de Reliquiis et venerat. Sanctor. Exstat etiam decretum de adoratione hujus Sacramenti contra errores Begardorum. Vide Clementinam Ad Nostrum, de hæret.

In ætate XV. exstant testimonia duorum generalium Conciliorum, Constantiensis sess. XIII. et Florentini, tum in decreto de unione cum Græcis, tum in instructione Armenor.

Quo etiam tempore non solum multi Latinorum de hac re scripserunt, ut Thomas Waldens, Joannes Gerson, et alii; sed etiam multi Græci scriptores, ut Samonas Episcopus Gazæ, Nicolaus Methonensis, Nicolaus Cabasilas Marcus Ephesius, et Bessarion, Cardinalis, qui omnes diserte asserunt veram ac realem transmutationem panis in corpus Christi. Vide tomum iv. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

In ætate denique XVI. exstat testimonium Concilii generalis Tridentini, sess. XIII. Exstat etiam Græcorum perspicuum testimonium, in censura, quam ante paucos annos ediderunt ad Confessionem Lutheranorum. Nam cap. 10. ejus censuræ disertis verbis affirmant, panem per consecrationem vere converti in ipsum verum Christi corpus. Habemus igitur continuationem Catholicæ doctrinæ per omnes ætates Ecclesiæ, non solum in Occidente, sed etiam in Oriente.

## CAPUT XXXIX.

### *Compendium argumentorum, quæ sumuntur ex Patribus.*

Si quis velit ad classes reducere argumenta omnia, ex quibus probamus, quid Patres locis jam antea a nobis citatis, de hoc Sacramento senserint, poterit ad sex classes omnia revocare.

Prima erit ex modo loquendi Patrum de hoc Sacramento. Utuntur enim veteres Patres vocabulis quibusdam, a quibus Sacramentarii nostri valde abhorrent; quod certe non facerent, si cum Patribus in sententia convenirent. Nam Sacramentarii vix unquam aliter Eucharistiam appellant, quam symbola corporis, et sanguinis Domini. At veteres omnes passim appellant, corpus et sanguinem Domini, quod non faciunt, cum de aliis signis loquantur. Præterea vocant pretiosum corpus, tremenda mysteria, pignus salutis, pretium nostrum. Vide Optatum, Chrysostomum, Ephrem, Augustinum, et alios. Denique Damascenus, Theophylactus, Euthymius, Paschasius et alii, disertis verbis dicunt non figuram esse, sed ipsum verum corpus.

Secunda erit ex comparatione hujus Sacramenti cum aliis rebus: ac primo cum Sacramentis Hebræorum. Patres enim pa-

lam affirmare non timent, differre hoc Sacramentum a manna, agno paschali, pane propositionis, et similibus rebus; ut veritatem a figuris, et corpus ab umbra, et rem cœlestem, divinam, et inconsumptibilem a re terrena, et consumptibili. Vide Origenem, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alexandrinum. Secundo comparant cum mysterio Incarnationis, ut Justinus, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Gelasius, Remigius, Damascenus. Tertio comparat Chrysostomus Christum, ut est in altari per Eucharistiam, cum eodem Christo in præsepi, et cum Christo in cœlo. Quarto comparat Augustinus Christum in Eucharistia, cum Angelis apparentibus in forma corporali. Quinto comparant Tertullianus, Cyprianus, Basilius, et alii, indigne tractantes Eucharistiam cum illis qui Christum occiderunt.

Tertia classis sumitur ex mutatione panis. Nam indicant Patres realem mutationem fieri multis modis. Primo, quia dicunt, non remanere panem post mutationem, ut Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Gaudentius, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Emissenus. Secundo dicunt, sensus falli in hac re: ut iidem auctores, et præterea Hilarius, et Epiphanius. Tertio dicunt, sic mutari panem in carnem, ut mutabatur per nutritionem Christo comedente, ut Nyssenus, Damascenus, et Theophylactus. Quarto comparant cum realibus mutationibus aquæ in vinum, virgarum in serpentes, et similibus. Vide Ambrosium, Cyrillum Hierosolymitanum, Cyrillum Alexandrinum, Augustinum, Emissenum, Damascenum. Quinto dicunt, ad istam mutationem requiri omnipotentiam Dei; Justinus, Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Nyssenus, Gaudentius, Proclus, et alii.

Quarta classis sumitur ex mysterio altissimo, quod Patres in Eucharistia agnoscebant. Nam primo dicebant, non posse intelligi sine fide, ut Andreas Apostolicus, Ephrem, Gaudentius Augustinus, Damascenus. Secundo hortabantur sæpe ad fidem certam, et ad non dubitandum de veritate hujus mysterii; ut Hilarius, Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Nazianzenus, Epiphanius, Ephrem, Gaudentius, Chrysostomus, Emissenus, Cyrillus Alexandrinus. Tertio dicebant, miraculum esse superans humanum captum; Ephrem, Chrysostomus, Augustinus, Gaudentius, Isi-

chius. Quarto non loquebantur de eo coram ethnicis et catechumenis, nisi tecte, ut illis verbis: «*Norunt fideles.*» Vide Tertullianum, Origenem, Chrysostomum, Augustinum, Theodorum. Quinto interrogantes, Quomodo potest fieri? remittebant ad omnipotentiam; Ut Cyrillus, Alexandrinus, Euthymius, Theophylactus, et alii.

Quinta classis sumitur ex veneratione. Nam primo adorabant Eucharistiam. Vide Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium, Nazianzenum, Chrysostomum, Augustinum, Theodoretum. Secundo invocabant, vel invocandam dicebant. Vide Dionysium Areopagitam, Origenem, Nazianzenum, et Chrysostomum. Tertio diligentissime cavebant ne caderet in terram. Vide Pium Papam, Tertullianum, Origenem, Cyrillum Hierosolymitanum, Augustinum. Quarto non permittebant videri ad infidelibus, vel catechumenis. Vide Basilium et Augustinum. Quinto assecebant, Angelos altare prope adstare dum peragitur sacrificium, Ambrosius, Chrysostomus, Gregorius Papa: ex quibus Chryso-

stomus aperre dicit, Angelos capite inclinato adstare coram Eucharistia.

Sexta classis sumitur ex effectu, quem tribuunt Eucharistiæ. Nam primo dicunt nobis per eam uniri Christum corporaliter; Hilarius, Nyssenus, Chrysostomus, Cyrillus Hierosolymitanus, et Cyrillus Alexandrinus. Secundo dicunt, nostra corpora resurrectura quia uniuntur cum Christi corpore: Concilium Nicænum, Irenæus, Hilarius, Ambrosius, Optatus, Nyssenus, Gaudentius, Chrysostomus, Cyrillus. Tertio dicit Chrysostomus, donare Christum se nobis per Eucharistiam, ut eum vere habeamus intra nos, quomodo cupiunt, et non possunt donare se homines iis, quos amant. Quarto dicunt, Chrysostomus, et Cyrillus Alexandrinus, et alii, conjungi Christum nobiscum, non solum per fidem, et charitatem, sed etiam reipsa, cum eum in Eucharistia percipimus. Quinto dicunt; per hujus Sacramenti perceptionem, nos fieri divinæ consortes naturæ, ut Cyrillus Hierosolymitanus, et alii.

## CONTROVERSIARUM

# DE EUCHARISTIA

## LIBER TERTIUS

### DE VERITATE CORPORIS DOMINI IN EUCHARISTIA.

#### CAPUT PRIMUM.

*Proponitur quæstio : An possit fieri, ut corpus Christi præsens constituatur in Eucharistia.*

Ex verbo Dei, et veterum Patrum sententiis disputavimus hactenus controversiam de veritate corporis Domini in Sacramento altaris: nunc ad plenam quæstionis hujus gravissimæ explicationem fingemus, non posse ex solo verbo Dei, aut Patrum sententiis quidquam certi colligi (tametsi contrarium duobus superioribus libris apertissime docuerimus) ac investigabimus ratione adjuncta variis principiis fidei, quid tandem de hac re sentiendum sit homini sapienti, et pio. Secabitur autem quæstio tota in partes duas. Primum enim quæremus, an potuerit Deus reipsa præsens exhibere corpus et sanguinem Domini in specie panis et vini. Deinde an voluerit.

De prima quæstione Joannes Wiclefus apud Thomam Waldeusem, tom. II. cap. 72. et 73. et ejus discipulus Joannes Calvinus aperte negant id posse fieri. Nam etiamsi ad invidiam declinandam Calvinus sic loquitur lib. IV. Institut. cap. 17. § 24. « Non quæritur quid Deus potuerit, sed quid voluerit. » Tamen paulo infra sic ait : « Cur (inquit) non faciat Deus, ut caro eadem plura, diversaque occupet loca, ut nullo loco continetur; ut modo, et specie careat? Insane, quid a Dei potentia postulas, ut carnem faciat simul esse, et non esse carnem. » Et

infra, § 29. respondet ad argumenta, quibus Catholici probant fieri posse, ut unum corpus sit in duobus locis, vel non occupet locum. Similia habet Petrus Martyr libro *contra Gardinerum*, object. 10, 11, et 12 et 106. Et Theodorus Beza in libro de cœna Domini contra Westphalum. Catholici contra certo credunt, id fieri potuisse.

Tres autem sunt difficultates, in quibus adversariis dissentimus. Una, an possit unum corpus poni simul in diversis locis. Altera, an possit corpus alicubi esse non occupando locum; et hæc sunt nobis cum solis Sacramentariis, non autem cum Lutheranis. Tertia est etiam cum Lutheranis de modo, quo corpus Domini incipiat esse in Eucharistia, ubi de transubstantiatione tractabitur.

Ut igitur quæstionem de potentia Dei in hoc mysterio contra Sacramentarios disputemus, et ordine rem totam explicemus, primo investigabimus, quæ sit certa regula cognoscendi quid Deus possit. Secundo probabimus posse Deum facere, ut unum corpus simul sit in diversis locis. Tertio solvemus objectiones adversariorum. Quarto probabimus posse Deum facere, ut unum corpus indivisibiliter maneat, ita ut locum non repleat. Quinto selvemus objectiones.

#### CAPUT II.

*Quæ sit regula cognoscendi quid Deus possit.*

Regula cognoscendi quid Deus possit, vel

sumi potest ab ipso Deo, de cujus potentia agitur, vel ab homine, qui eum cognoscere debet, vel a rebus ipsis, quæ per eam potentiam fiunt.

A Deo regulam quamdam sumunt Joannes Calvinus in Catechismo brevi, ubi explicat primum articulum Symboli, et in Institut. cap. 6. § 27. et Petrus Boquinus in libro de Cœna Domini prope finem, ubi de omnipotentia disputant. Dicunt ii homines potentiam Dei non esse separandam a voluntate, et operatione: id enim Deum posse facere, quod reipsa vult facere, et facit; nullam autem esse in Deo potentiam, qua possit facere id, quod non decrevit facere.

Hæc regula falsa est. et inutilis. Falsa est quia Scripturæ apertissime docent, Deum posse facere multa, quæ nunquam faciet. Matth. III. et Lucæ III. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (1). In quem locum Chrysostomus, Ambrosius, et Hieronymus, dicunt, posse Deum ex veris lapidibus homines formare: quod tamen nunquam fecit, et probabile est nunquam facturum. Item Matth. XXVI. *Possim rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum.* Et Marc. XIV. *Omnia tibi possibilis sunt; transfer calicem hunc a me* (2). Ubi satis aperte indicat Dominus potuisse reparari mundum sine morte sua, et potuisse impediri passionem suam per divinam potentiam, et tamen scimus hoc non esse factum. Quod etiam notavit Gregorius Nazianzenus in epist. I. ad Chelidonium: qui rursus lib. IV. de Theologia dicit, posse Deum facere, ut camelus transeat per foramen acus; et ut senex iterum redeat in uterum matris suæ, et renascatur; quæ tamen nunquam fecit. Quare Augustinus in Enchiridio cap. 93. recte scribit multa Deum posse quæ non velit, nihil autem velit, quod non possit; et lib. de spiritu et littera, cap. I. docet, multa esse possibilis Deo, quæ nunquam fient, et ponit exemplum de camelo trans-eunte per foramen acus. Sed quanvis ista regula vera esset, est tamen inutilis, quia non magis notum est nobis, quid Deus velit facere, quam quid possit facere.

Si quis autem diceret, regulam cognoscendæ divinæ potentiæ esse ejus voluntatem, vel intellectum, in hoc sensu; quod id omne possit Deus facere, vel quod intelligit esse factibile; regulam verissimam daret, sed

inutilem. Verissimam quidem, quia in hoc differt Deus a creaturis, quod creaturæ multa possunt animo concipere, ut factibilia, et etiam velle facere, quæ tamen non possunt reipsa facere: ac Deus quidquid potest velle, vel intelligere ut factibile, id totum potest facere, et nihil potest facere, quod non potest velle, aut quod non intelligit esse factibile. Sed regula est inutilis, quia non minus obscurum est nobis, quid Deus possit velle, aut intellige facere, ut factibile, quam quid possit facere.

Ex parte hominis posset accipi hæc regula: Id omne posse Deum facere, quod potest homo concipere. Nam cum objectum mentis nostræ, sit ipsum ens, et verum in universum, id quod potest concipi, sive intelligi, revera existere poterit; quod autem non potest concipi, nihil erit; proinde omnia poterit facere, qui poterit id totum, quod homo potest concipere.

Sed hæc regula partim est vera, partim falsa. Vera quidem est, quatenus affirmat posse Deum facere, quidquid potest homo intelligere esse factibile: at quatenus negat posse Deum facere quod homo non potest intelligere, fallax est, et contraria divinis litteris. Nam etiamsi totum ens est ex se intelligibile, et id solum, quod non est, non potest intelligi: tamen mens nostra ob suam imbecillitatem, nisi divinitus adjuvetur, sæpe fallitur in rebus intelligendis, et multa putat non posse existere, et proinde nec esse intelligibilia, nec factibilia, quæ tamen intelligi, fieri, et existere possunt. Hinc dicit Joannes: *Major est Deus corde nostro*, I. Joan. III. (3) Et Apostolus Ephes. III. dicit, Deum operari supra quam petimus, aut intelligimus. Et S. Augustinus, lib. XXI. de civit. Dei, cap. 5, 6, et 7. ostendit multa esse vera, quæ tamen homines intelligere non possunt. Et similiter Hilarius, lib. III. de Trinitate, et alii Patres. Et sane multa nostræ fidei mysteria ethnici philosophi prorsus impossibilia esse judicabant, quæ tamen fideles homines non minus, quam illi periti naturalium scientiarum, verissima esse credunt. Et si potest unus homo interdum ea facere, quæ alii homines non capiunt, et nisi facta viderent, crederent nullo modo fieri potuisse, qualia sunt, quæ de Archimede narrantur a Plutarcho in vita Marcelli: quanto magis poterit Deus multa facere supra captum omnium hominum? Atque hoc ipsum verbis

(1) Matth. III, 9; Luc. III, 8. — (2) Matth. XXVI, 53; Marc. XIV, 38. — (3) I Joan. III, 20.

fatentur etiam adversarii, ut Calvinus lib. iv. Instit. cap. 17. § 10. et 24. et Petrus Boquinus in lib. de cœna Domini ubi mysterium Eucharistiæ dicunt sublimius esse, quam ut a nobis plene intelligi possit : tamen reipsa satis indicant se nihil velle credere, nisi quod capiunt, cum passim assererent non posse fieri, id quod orbis terrarum credit non modo fieri potuisse, sed etiam factum esse; et mysterium quod ipsi dicunt, superare humanum captum, nullam habeat difficultatem, ut supra ostendimus.

Restat igitur, ut regula sumatur a rebus ipsis. Posset autem dupliciter sumi regula a rebus. Uno modo, si diceremus, Deum habere tantum activæ potentiæ, quantum est passivæ potentiæ in omnibus rebus, sive in tota natura. Et hoc modo Deum omnipotentem philosophi ethnici fortasse facerent; at Christiani majorem aliquam potentiam Deo tribuere debent, cum fateantur Deum ex nihilo mundum procreasse: qui enim ex nihilo aliquid facit, non pendet a potentia passiva subjecti.

Alio igitur modo regula sumetur a rebus, si dicamus Deum posse facere omnia, quæ ullo modo existere possunt, juxta illud verbum Angeli Gabrielis; Lucæ i. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Et illud Salvatoris Marci xiv. *Omnia tibi possibilia sunt* (1). Id autem omne existere potest, quod in sua ratione non dicit non esse, sed tantum esse. Et hoc est, quod scribit S. Thomas I. par. quæst. xxiv. art. 3. et omnes Theologi, Deum dici omnipotentem, quia potest id omne, quod non implicat contradictionem; quod enim implicat contradictionem, non est possibile ullo modo, quia ponit esse, et non esse simul, et proinde si illud fieret, fieret aliquid, cujus esset non esse. Solum autem non esse, non potest a Deo fieri, quia omne quod fit, debet esse aliquo modo simile ei, a quo fit: Deo autem, qui est ipsum esse, omne quod est, simile est, et solum non ens, non est ei ullo modo simile. Præterea facere quod non est, non est facere, sed deficere, et proinde ad illud non potentia, sed impotentia requiritur. Et hinc dicimus, Deum non posse mori, non posse peccare, non posse deficere, quia mors, peccatum, defectus formaliter sunt non entia, et illa posse non est potentiæ, sed impotentia. Denique est primum principium in lumine naturæ; Omne est, aut non

est: quo sublato tollitur omnis cognitio. Itaque etiam adversarii in hoc conveniunt, id non posse fieri, quod implicat contradictionem. Et siquidem in particulari evidenter constaret, quæ sit essentia uniuscujusque rei, simul etiam constaret quid implicet, et quid non implicet contradictionem; et quæstio omnis finita esset: sed quia id non satis constat, ideo laborandum est nobis, ut ostendamus quod volumus.

### CAPUT III.

*Posse unum corpus simul esse in pluribus locis.*

Accedamus nunc ad singula capita mysterii Eucharistiæ, quæ adversarii contendunt implicare contradictionem, atque ideo esse impossibilia. Ac ut incipiamus ab eo, quod est omnium difficillimum, probabimus non implicare contradictionem, et proinde possibile esse, ut unum corpus sit in pluribus locis.

Primum argumentum sumitur a Scriptura, quæ testatur Deo nihil esse impossibile, Matth. xix. *Apud Deum omnia possibilia sunt* (2). Explicabunt adversarii, omnia præter ea, quæ implicant contradictionem, quale est unum corpus esse in duobus locis. At refelli potest hæc explicatio multis modis, etiam ex earum principiis.

Primo principium eorum est, nihil esse credendum sine verbo Dei. At verbum Dei nusquam excipit a Dei omnipotentia, unum corpus esse in duobus locis. Excipit quidem abicubi, mentiri Deum, Hæbræor. vi. *Impossibile est mentiri Deum.* Et alibi: *Negare seipsum non potest.* II. Timoth. II. (3). Ex quibus recte colligitur, Deum illa tantum non posse, quæ facere, non est facere, sed deficere. Sed unum corpus in duobus locis esse, non potest clare ad ista reduci; proinde excipi non debuit.

Secundo principium eorum est, cam esse veram doctrinam, quæ Deum exaltat, et hominem deprimit; et contra falsam esse, quæ hominem exaltat, et deprimit Deum. At qui dicit, inter ea, quæ potest Deus, esse etiam, ponere unum corpus in pluribus locis, hic Deum exaltat, et hominem deprimit, cum fateatur plura posse facere, quam nos intelligamus: qui autem id negat, Deum de-

(1) Luc. I, 37; Marc. XIV, 36. — (2) Matth. XIX, 26 — (3) Heb. VI, 18; II Timoth., 42.

primit, et hominem exaltat, cum dicat, Deum non posse facere, quod homo non potest capere.

Tertio, illa implicat contradictionem, quæ pugnant cum essentia rei ita ut dicatur res esse, et non esse. At esse in loco, non est de essentia corporis, sed quid extrinsecum et accidentarium: nam ultimum cœlum est verum corpus, et non est in loco; ergo non repugnat essentiæ corporis esse in uno, vel pluribus locis, cum sint omnia extrinseca, et posteriora ipsa corporis essentia.

Secundum argumentum ducitur ab exemplo Scripturæ divinæ. Christus cum Apostolo Paulo apparuit, Actor. ix. et xxii. fuit simul in summo cœlo, et in terra, sive in aere terræ vicino: igitur unum corpus in pluribus simul locis esse potest. Christum fuisse tunc in cœlo adversarii non negant, et probari potest ex illo Actor. iii. *Quem oportet cœlum suseipere usque ad tempus restitutionis omnium* (1).

Ad hoc argumentum duplex solutio dari potest. Una, quod Paulus non viderit reipsa Christum in propria persona, sed in specie aliqua sibi apparente, et audierit vocem non ex ipso Christi ore, sed vocem quamdam divinitus factam, qualis fuit vox Dei Patris super ipsum Christum in Baptismo, et in monte Thabor. Ita videtur totum hunc locum intellexisse Calvinus in cap. ix. Actorum.

Altera quod Paulus viderit quidem, et audierit Christum, sed in cœlo existentem, ita ut divina virtute factum fuerit, ut oculi et aures Pauli penetrarent cœlos. Et hoc modo respondit ad argumentum propositum Calvinus lib. iv. Institutionum, c. 17. § 29. Cui sane commodum esset objicere, quod ipse idem scribit lib. iii. Institut. cap. 20. §. 24. ubi ridet Sanctorum invocationem: « Quis, inquit, eousque longas esse illis aures revelavit, quæ ad voces nostras porrigantur? oculos etiam tam perspicaces, qui necessitatibus nostris advigilent? » Hæc ille.

Quid igitur, si illi objiciamus non habuisse Paulum tam longas aures, nec oculos tam perspicaces, ut in cœlum usque penetrarent, et ubi Christum viderent, et audirent? quid, quæso, respondebit, nisi divina virtute id fieri potuisse? At si divina virtute fieri potest, ut oculi carni, et aures carni in cœlum penetrent: non poterit eadem virtute fieri, ut

oculi, et aures spirituales animarum glorificatarum in terram usque penetrent?

Sed his omissis probandum nobis est, a Paulo ipsum Christum vere, et proprie visum fuisse oculis corporalibus; idque in terra, non in cœlo. Ac primum quidem non modo certissimum, sed etiam evidentissimum est. Nam Actor. ix. cum dicit Lucas de comitibus Pauli: *Viri autem illi, qui comitabantur, cum eo stabant stupefacti, vocem quidem audientes, neminem autem videntes* (2). Ponit antithesim inter Paulum, et comites ejus, quasi dicat: Comites ejus audiebant vocem loquentis, sed non videbant quis loqueretur; Paulus autem, et vocem audiebat, et videbat eum, qui loquebatur. Ibidem narrabat Barnabas Apostolis, quemadmodum Paulus vidisset Dominum. Et cap. xxii. Ananias dicit ad Paulum de visione illa, quam habuerat in via: *Deus Patrum nostrorum præordinavit te, ut cognosceres voluntatem ejus, et videres justum, et vocem audires ex ore ejus* (3). Hæc ibi. Vidit igitur tunc Paulus Christum, et vocem audivit, non ex aliqua nube, aut Angelorum ministerio formatam in aere, sed ex ore Christi. Et cap. xxvi. ipse Christus Paulo dicit: *Ad hoc apparui tibi, ut constituam te ministrum, et testem eorum, quæ vidisti* (4). Ubi facit illum Apostolum, et testem oculatum resurrectionis: non autem fuisset verus testis, nisi ipsum corpus vidisset, quod resurrexerat, idque oculis corporalibus. Præterea, i. Corinth. ix. idem Paulus probaturus Apostolatuum suum: *Nonne, inquit, Dominum nostrum vidi?* Et i. Corinth. xv. enumerans testes oculatos resurrectionis Christi, posteaquam posuerat Petrum, Jacobum, et alios, tandem ait: *Novissime tanquam abortivo visus est et mihi* (5): quæ probatio nihil valeret, nisi vidisset ipse, ut alii viderant. Itaque dubitari non potest, quin vere oculis corporalibus corpus ipsum Christi viderit.

Jam vero quod Christum viderit, non in cœlo, sed in terra, vel in aere propinquo terræ, probatur; quia tanta lux ejus, qui illi apparuerat, Paulum circumfulsit, ut eum plane excæcaverit, ut patet Actor. ix.; non autem lædere potuisset ejus oculos lux illa corporis Domini, nisi propinqua fuisset. Deinde lumen quoddam etiam comites ejus viderunt, et sonum quoque vocis audierunt, Actor. ix. et xxii. quod est argumentum

(1) Act. III, 21. — (2) Act. IX, 7. — (3) Act. XXII, 14. — (4) Act. XVI, 16. — (5) I Cor. IX, 1; XV, 8.

certissimum, in terra, vel in aere proximo Christum apparuisse; nec enim comites Pauli summum cœlum oculis et auribus penetrare potuissent. Ad hæc licet comites Pauli audierint vocem, Actor. ix. tamen non distincte intellexerunt, quid Dominus dixerit, Actor. xxii. Quare propinquior Paulo Dominus fuit, quam aliis, et quasi in aurem ei locutus est. Si autem de cœlo vox facta fuisset, omnes æque audivissent. Præterea illa interrogatio: *Quis es, Domine?* et illa responsio: *Ego sum Jesus, quem tu persequeris* (1), aperte indicant præsentiam Domini. Si enim vidisset Paulus Christum in summo cœlo, ut cum vidit Stephanus, non dubitasset quisnam esset: sed quia repente vidit coram se hominem quemdam supra lucem solis rutilantem, ideo dixit: *Quis es, Domine?* Denique si solum in cœlo Paulus Christum vidisset, non fuisset idoneus testis resurrectionis: potuissent enim facile homines calumniari ejus testimonium, ac dicere cum deceptum fuisse, aut sola imaginatione vidisse.

Confirmatur argumentum ex aliis Christi apparitionibus. Nam in primis Petro Apostolo Christum apparuisse in terra, et cum eo collocutum testantur gravissimi auctores, ut Ambrosius in oratione contra Auxentium. Hegesippus lib. iii. de excidio urbis Hierosolym. cap. 2. Et Athanasius, licet paulo obscurius, in Apologia pro fuga sua. Deinde Christum apparuisse S. Antonio, posteaquam a dæmonibus gravissime cæsus fuerat; et ad Christi præsentiam dæmones fugisse, et plagas Antonii repente curatas, testatur Athanasius in vita ejus. S. Gregorius lib. iv. Dialogorum, cap. 16. affirmat ipsum Christum vere apparuisse S. Tharsillæ amitæ suæ paulo ante obitum; et realem, non imaginariam fuisse visionem probat ex immensa odoris fragrantia, quæ in cubiculo relieta est. Et ipsi Gregorio Dominum humana specie vere apparuisse, testatur Joannes Diaconus, lib. ii. vitæ ipsius, cap. 22. aliaque id genus multa ex probatis auctoribus adduci possent: quæ si quis velit omnia negare, merito impudentiæ, ac temeritatis argui posset. Sed præter cœteras apparitiones legatur ea, quam fuse narrat S. Paulinus in epist. ad Macharium, quæ sola abunde sufficit testatissimum efficere id quod volumus. Hoc argumentum adversus hæreticos hujus temporis, qui contendunt, Christum non

deseensurum e cœlo nec privatim, nec publice usque ad diem judicii, efficacissimum est: absolute autem non convincit, quia non est improbabile Christum privatim et ad breve tempus descendisse de cœlo post Ascensionem.

Tertium argumentum sumitur a testimoniis Patrum, qui rem unam in pluribus simul locis, esse posse docent. Ac primum Chrysostomus lib. iii. de sacerdotibus (ut supra citavimus) disertis verbis affirmat, eundem Christum eodem temporis articulo, et sursum in cœlo, cum Patre sedere, et in terra omnium communicantium manibus pertractari: et non loqui cum, de pertractatione solum in symbolo, patet, quia id tribuit miraculo. Idem etiam Chrysostomus, et cum eo Primasius, et Anselmus, et commentarius Ambrosio adscriptus in cap. x. ad Hebr. idem corpus Domini in multis altaribus simul offerri dicunt, nec loquuntur de signo corporis, sed de vero corpore (ut supra ostendi lib. ii. cap. 31.) Item Cyrillus lib. xii. in Joannem, cap. 32. et Theophylactus in cap. xix. Joannis, disertis verbis docent, Christum per carnem suam in Eucharistia perceptam sanctificare animas, et corpora omnium communicantium in toto mundo, et esse in omnibus totum, et impartibilem. Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. 16. proponit quæstionem, utrum cum in diversis locis simul, fiant miracula ad memorias alicujus Martyris, sit ipse Martyr præsens uno tempore tam multis locis, an ista fiant ministerio Angelorum: ac respondet, quæstionem esse supra ingenii vires.

Ex quo intelligimus, non existimasse Augustinum impossibile esse, ut una res sit in diversis locis; alioqui non dubitasset, sed aperte dixisset (ut Calvinistæ dicunt) implicare contradictionem, ut sit unum aliquid in diversis locis simul. Præterea cap. 17. refert historiam quamdam S. Joannis monachi, qui cum ex monasterio suo non discessisset, apparuit tamen adhuc vivens in somnis cuidam alteri longe posito: ac deinde dicit dubium esse, an spiritus ejus revera fuisset in utroque loco, an id esset factum alio modo: « Si ipse, inquit, interfuit somnianti, mirabili gratia utique id potuit, non natura; et Dei munere, non propria facultate etc. » Ac denique dicit se, si cum sancto illo monacho loqui potuisset, ab eo quæsiturum fuisse so-

(1) Act. XXII, 8.



lutionem utriusque quæstionis, et verbis ejus crediturum.

Si quis objiciat, aliam esse rationem corporum, aliam spirituum : Augustinum autem spiritibus concedere, ut possint esse in pluribus locis simul, non corporibus : is facile refelli poterit. Nam ratio, cur corpora non videantur posse esse in pluribus locis, non tam est moles, quam unitas. Non enim quæstio est, an possit corpus occupare duo loca; nam corpus Christi, non occupat nisi unum locum ordinariè; in Sacramento enim non est localiter, nisi ratione dimensionum panis. Et licet enim localiter arbitramur posse unum corpus esse in pluribus locis, et id probant exempla allata in secundo argumento; tamen ad mysterium Eucharistiæ defendendum, non requiritur, ut unum corpus possit occupare, seu replere plura loca, sed satis est, si possit quocumque modo esse in pluribus locis.

Ideo autem non videtur posse esse, quia non potest divelli a seipso, et videtur necessario debere divelli, ac distrahi a se, si ponatur in variis locis. Quocirca Petrus Martyr cum negat idem corpus posse esse in duobus locis, rationem reddit, quia geminaretur. Porro ista repugnantia, quæ sumitur ab unitate rei, non minus invenitur in spiritu, quam in corpore, utrumque enim est unum, et a se dividi non potest; quare perinde est ut in hac quæstione sive de corpore, sive de spiritu probetur.

Quartum argumentum sumitur ab exemplis Dei, et animæ rationalis. Deus enim cum sit res una, et simplicissima, atque indivisibilis; tamen est simul in infinitis locis : est enim præsens totus Deus omnibus rebus creatis : quod certe superat captum hominum : nec enim possumus cogitare rem unam in diversis locis, nisi cogitemus; aut loca illa fieri unum locum, aut rem unam dividi in plures. Unde Augustinus in epist. 3. ad Volusianum de hac existentia Dei in tot locis simul, sic ait : « Miratur hoc mens humana, et quia non capit, fortasse non credit. » Pari ratione anima rationalis tota est in qualibet parte corporis; alioqui enim si extenderetur ad extensionem corporis, esset materialis, et a corpore penderet, proinde non esset immortalis, quod cum fide Catholica pugnat.

Ad hoc argumentum nihil responderi potest, nisi, Deum, et animam non esse in diversis locis, sed in uno : replet enim Deus totum mundum, quasi unum locum, et anima

totum corpus, cujus rei signum est, quod si separetur unum membrum a corpore humano, in eo desinit esse anima, quia membrum illud incipit esse corpus aliud per se existens. At non magno negotio id refellitur. Nam etsi non possit naturaliter anima esse in membro abscisso, tamen nulla prorsus ratio fingi potest, cur non possit Deus in brachio abscisso conservare animam, ut ante abscissionem erat. Denique posset Deus alium mundum creare, qui istum, qui nunc est, nulla ex parte contingeret; et in eo etiam esset Deus, sicut in isto, ac proinde esset in locis dissitis, ac distantibus. Constat igitur nullam esse implicationem, ut res sit in pluribus locis.

Quintum argumentum sumitur a mysteriis nostræ fidei, vel difficilioribus, vel æque difficilibus, atque hoc est de quo agimus. Primum mysterium Trinitatis est, quod etiam Lutherani, et Calvinistæ admittunt, in quo unam naturam in tribus personis reipsa verissime distinctis credimus, quod sane mirabilius est, quam ut corpus unum sit in pluribus locis. Nam sicut hic est realis distinctio locorum, ita ibi personarum : sicut hic est unitas corporis, ita ibi unitas naturæ; sed mirabilius est mysterium Trinitatis, quia natura in Trinitate identificatur realiter, et formaliter cum singulis personis, corpus autem non identificatur ullo modo cum locis. Si ergo potest una numero natura non distrahi a seipsa, licet identificetur cum personis realiter distinctis, cur non facilius poterit unum corpus conjungi extrinsecus cum distinctis locis, et tamen non distrahi a seipso?

Secundum est mysterium Incarnationis, in quo unam hypostasim in duabus naturis perfectis, et dissimilimis confitemur. Et quia longe major unio est inter hypostasim, et naturam, quam inter locatum et locum, cum illa intrinseca et substantialis, hæc extrinseca, et accidentaria sit : profecto recte insipienti mirabilius videbitur unam esse hypostasim in duabus naturis, quam unum corpus in duobus locis. Adde, quod illa hypostasis identificatur prorsus realiter, et formaliter cum altera naturarum, id est, cum natura divina, et tamen unitur intime cum natura humana, quæ realiter, et formaliter differt a natura divina. Ex quo sequitur, ut sit plane incomprehensibile, quomodo in illa unionem, vel non confundantur naturæ, vel non dividatur hypostasis.

Tertium est mysterium resurrectionis mor-

tuorum, quod ut semper philosophis impossibile visum est, ita semper a fidelibus certa fide creditum est, et nunc etiam a Lutheranis, et Calvinistis creditur, si tamen creditur. Porro in hoc mysterio id maxime difficile, et mirabile est, ut unum et idem individuum bis fiat. Si enim bis fit, quomodo non duplici actione? si duplici actione, quomodo non sunt duo? nam effectus per se ab actione dependet, ut ejus terminus. Atque id maxime cernitur in accidentibus, quæ penitus perierunt, et tamen eadem numero restituntur a Deo.

Quartum est creatio, et annihilatio, quæ ab omnibus fidelibus divinæ potentiæ conceduntur, licet a philosophis rideantur, et contradictionem implicare credantur. Nam qui dicit ex nihilo aliquid fieri, quod est creari, vel ex aliquo nihil fieri, quod est annihilari, videtur dicere, nihil esse aliquid, vel aliquid esse nihil. Et sane superat humanam cogitationem, quod aliqua res nunc existat, quæ paulo ante nihil omnino erat. Quis enim concipiat, unde venerit? unde extracta sit? unde processerit in lucem, si nusquam latebat, nisi ipsum nusquam aliquid sit? Pari ratione quis intelligat ex aliquo nihil fieri, nisi ipsum nihil sit aliquid? Et tamen ista credunt, aut credere se dicunt, qui nolunt credere ea, quæ sunt facilliora; ut unum corpus posse a Deo poni in pluribus locis.

Quintum mysterium æternitas est. Difficilius enim videtur, ut unum instans durationis simul sit in diversis temporibus, sive coexistat diversis temporibus, quam ut unum corpus simul sit in diversis locis. Tempora enim fluunt, et impossibile est simul manere præteritum et futurum; at loca simul permanent, licet distincta, et separata ab invicem. Jam æternitas est unum instans durationis non fluens, et proinde coexistens toti tempori præterito, et futuro: et tamen nec ipsum instans dividitur, nec tempora confunduntur, quod superat plane humanum captum.

Sextum argumentum sumitur a simili. Nam potest unus locus capere duo corpora sibi adæquata simul, et tamen, neque locus ille dividitur in duo loca, neque corpora illa confunduntur in unum corpus; ergo poterit etiam unum corpus replere duo loca, etiamsi nec ipsum corpus dividatur in duo corpora, nec loca illa convenient in unum locum.

Consequentia videtur optima, quia ita se habet locatum ad locum, sicut locus ad locatum. Antecedens vero certum est exemplis

divinæ Scripturæ de egressu corporis Christi ex clauso sepulchro, et aliis, quæ in sequenti difficultate tractabuntur.

Quidam tamen Catholici, atque in eis S. Thomas in iv. dist. 44. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. existimant non posse unum corpus esse in duobus locis localiter, sed tantum sacramentaliter; et ideo negant consequentiam argumenti adducti. Et rationem hanc reddunt, quia unum est illud, quod est indivisum in se, et divisum a quocumque alio: ex quibus conditionibus, prior, nimirum indivisum esse in se, essentialis est, et inseparabilis: posterior autem non, nimirum divisum esse a quocumque alio, accidentaria est, et separabilis. Cum autem duo corpora sunt in uno loco, tollitur tantum posterior conditio unitatis, ac proinde non destruitur unitatis essentia: cum vero unum corpus ponitur in diversis locis, tollitur prior conditio, ac destruitur tota essentia unitatis.

Sed hæc ratio, pace tanti doctoris, non videtur solida. Nam duplex est divisio in se, et divisio ab aliis. Una respectu loci, quæ extrinseca est, et plane accidentaria. Altera respectu rei ipsius, quæ intrinseca est, et vel est de essentia, vel certe proprietas quædam unitatis. Jam igitur, quando duo corpora sunt in uno loco, non tollitur divisio a se, nec divisio ab aliis intrinseca, sed extrinseca solum, quæ est respectu loci. Nam licet se penetrent duo corpora, sunt tamen duo diversa, et distincta, quoad omnia principia essentialia, imo etiam, quoad accidentalia, excepto situ. Sic etiam, cum unum corpus est in diversis locis, non tollitur divisio intrinseca, sed solum extrinseca respectu loci: nam non dividuntur principia intrinseca, quæ corpus constituunt, sed solum dividuntur situs, sive ubi illius corporis.

Adde, quod si non posset esse unum corpus localiter in duobus locis, quia divideretur a seipso, profecto nec esse posset sacramentaliter, eadem ratione. Licet enim esse alicubi sacramentaliter, non dicat esse per loci occupationem; tamen dicit esse per realem, et veram præsentiam in pluribus hostiis, sive altaribus, quæ realis præsentia in tot altaribus, et non in locis intermediis, non minus tollere videretur indivisionem rei, quam repletio plurimum locorum. Sed jam ad solutionem objectionum veniamus.

## CAPUT IV.

*Solvuntur objectiones, quibus adversarii probare conantur implicare contradictionem, ut unum corpus sit in pluribus locis.*

Adversarii multa argumenta proponunt ac primum ex Scriptura, et Patribus duo argumenta proferunt. Primo, Calvinus in ult. admonit. ad Westphalum, urget illam consequentiam Angeli, Matth. ult. *Non est hic, surrexit enim* (1); quæ consequentia infirma esset, si posset idem corpus esse in pluribus locis: posset enim discedere, et remanere.

Secundo, proferunt ea loca, ubi Deo tanquam proprium tribuitur, ut non circumscribatur loco, sed ubique sit: *Cælum, et terram ego impleo*, Hierem. XXIII. (2) Et confirmant ex Patribus, qui probant Spiritum sanctum esse Deum, quia ubique est, juxta illud Psal. CXXXVIII. *Quo ibo a Spiritu tuo* (3)? Vide Ambrosium primo libro de Spiritu sancto, cap. 7. Hieronymum et Cassiodorum in Psalmum citatum; Augustinum tertio libro *contra Maximinum* cap. 21. Basilium lib. de Spiritu sancto, cap. 22. Didymum lib. I. de Spiritu sancto; Cyrillum lib. VII. Dialog. de Trinit. At si corpus Christi posset esse in multis locis, eadem ratione posset esse in omnibus, et tamen non esset Deus: ergo ratio Patrum nihil concluderet. Præterea Patres, qui scripserunt contra Eutychem, probant humanam Christi naturam non esse confusam cum divina, quia divina est ubique, humana autem etiam post resurrectionem certo loco circumscribitur. Vide Theodoretum Dialogo 2. et 3. Vigiliam lib. I. et IV. contra Eutychem, et Fulgentium lib. II. ad Trasymundum, cap. 17.

Addit Wiclef apud Waldensem tom. II. c. 72. alium locum ex Augustino in epist. 3. ad Volusianum, ubi Augustinus dicit, nullum corpus posse esse ubique totum. Posset denique addi alius locus ex lib. 20. *contra Faustum* cap. II. ubi sic loquitur Augustinus de Christo secundum præsentiam corporalem: « Simul et in sole, et luna, et in cruce esse non posset. »

Respondeo ad locum Scripturæ: *Non est hic, surrexit enim*; duobus modis. Primo,

consequentia illa Angeli optima est, sed si applicetur (ut applicanda est) ad mentem illarum sanctarum mulierum, cum quibus Angelus loquebatur: illæ enim quærebant corpus Domini mortuum in sepulchro, ut illud ungerent. Quare cum Angelus ait: *Non est hic*, sensus est: Non jacet mortuus in sepulchro, ut vos creditis. Et id probat, cum addit: *Surrexit enim*; nec enim poterat mortuus jacere si resurrexerat.

Secundo, consequentia illa optima est etiam absolute, sed moraliter loquendo, ut Angelus loquebatur, non metaphysice. Nam moraliter loquendo, qui resurgit a morte non remanet in sepulchro, sed egreditur: sepulchrum enim est locus mortuorum, non viventium: tamen fieri etiam potest, ut aliquis vivens in sepulchro jaceat, si velit. Itaque moraliter verissime dixit Angelus: *Non est hic, surrexit enim*; quamquam absolute potuisset ibi esse Christus, licet surrexisset. Simile est si quis dicat: Talis homo non sedet ad mensam, cœnatus enim est.

Ad alias Scripturas, et testimonia Patrum dico duas esse differentias inter Deum, et corpus Christi, quod pertinet ad existentiam in loco. Prima est, quod Deus reipsa, ac de facto est ubique; corpus Christi, reipsa, ac de facto non est ubique, neque unquam erit, sed uno in loco est localiter, nimirum in cœlo; in multis, sacramentaliter; in multis aliis nullo modo. Et hoc sufficit ad salvanda argumenta Patrum de Spiritu sancti divinitate, et de differentia naturarum in Christo. Nam si solus Deus de facto est ubique; certe Spiritus sanctus convincitur Deus esse, quia est ubique et Christi humanitas convincitur non esse confusa cum divinitate, quia non est ubique. Secunda differentia est; quod divinitas non solum est ubique, sed etiam non potest constringi ad unum locum, imo non potest non esse ubique cum sit intrinsece, et essentialiter immensa. At Christi corpus licet possit esse, et sit per Dei potentiam in multis locis, tamen potest etiam redigi ad unum solum locum, quemadmodum ante Sacramenti institutionem in uno solo loco erat; et post mundi consummationem in uno solo loco erit. Et hinc habemus argumentum propositum optime concludere contra Ubiquistas, sed nihil contra Catholicos. Nam Ubiquistæ docent, Christi corpus per unionem ad Verbum semper reipsa, et de

(1) Marc. XXVIII, 6. — (2) Jerem. XXIII, 24. — (3) Psal. CXXXVIII, 7.

facto esse ubique, nec posse redigi ad unum locum. Et hoc est, quod ex professo oppugnant, Theodoretus, Vigilus, et alii, qui scribunt contra Eutychetem.

Ad loeum autem ex epistola ad Volusianum, respondeo, loqui Augustinum de corpore existente in loco naturaliter, id est, secundum modum naturæ suæ convenientem. Omne enim corpus quantum est, et quia quantum etiam extensum est, ita ut major pars majorem locum, et minor minorem occupet: et implicat plane contradictionem, ut corpus extensum maneat, et tamen sit totum in qualibet parte. Eodem modo in lib. xx. *contra Faustum*, loquitur Augustinus de corpore Christi: Manichæi enim, non arbitrabantur Christum esse unum hominem, sed lucem quandam expansam per solem, lunam, et omnia alia loca, ut ibidem Augustinus testatur; illum autem, qui in forma humana crucifixus fuit a Pilato, dicebant phantasma fuisse, non verum hominem. Quare Augustinus utitur hoc dilemmate: Si Christus est Spiritus seu phantasma, crucifigi non potuit; si autem est corpus expansum per solem, lunam, et alia loca, non potuit totus simul esse in sole, et in luna, et in cruce, quia corpus expansum per tot loca non potest totum esse in singulis locis. Quod si Augustinus loqueretur de corpore Christi, ut est revera, et non secundum sententiam Manichæorum; respondere possemus, eum loqui de corpore, secundum ordinarium cursum naturæ; et non secundum id, quod potest in illo facere omnipotentia Creatoris. Nam ibidem dicit, spiritum nullo modo pati posse in cruce; quod necessario intelligi debet, secundum ordinarium cursum naturæ; alioqui Augustinus pugnaret secum; quippe qui lib. 21. de civit. Dei, c. 10. scribit, spiritum pati posse ab igne corporeo per divinam potentiam. Et certe si potest alligari spiritus igni corporeo, ut ab eo recipiat pœnam miris, sed veris modis, ut Augustinus loquitur, cur non posset alligari crucei, et ab ea pœnam recipere miris, sed veris modis? sed de hoc argumento satis.

Secundo, afferunt etiam philosophicas rationes. Ac primum Joannes Wielefus illo argumento utebatur; non potest aliquid simul esse in duobus temporibus; ergo nec in duobus locis.

Secundo, Calvinus, et Petrus Martyr argumentantur ab unitate rei; Si unum corpus sit in diversis locis simul, erit unum, et mul-

ta. Nam non continuatur corpus ut est in altari, cum eodem, ut est in cœlo; ergo divisum est; ergo non unum; et tamen ponitur esse unum; ergo unum, et non unum.

Confirmatur primo, quia si ponatur corpus unum in pluribus locis, erit in loeo, et non in loco; nam erit in loco, imo in loeis, ut ipsi ponimus, et tamen non erit in loco: quia omne, quod est in loco, aut circumseribitur loco, aut saltem ita continetur, ut non sit alibi, quod Theologi vocant esse in loeo definitive. At corpus Christi non ita est in cœlo, aut in altari aliquo, ut non sit etiam alibi; non igitur est in loco.

Secundo, quod incipit esse alieubi, ubi antea non erat, aut venit eo per motum localem, aut ibi generatum est. Sed corpus Christi non venit de cœlo ad altare per motum localem: quia quod movetur localiter, deserit unum locum, ut aquirat alium; Christus autem nunquam deserit cœlum, neque generatur in altari; non enim potest id, quod est, fieri: non ergo potest fieri, ut sit Christus simul in cœlo, et in altari.

Tertio, sequuntur multæ contradictiones, si idem corpus sit in pluribus locis. Nam poterit esse sursum et deorsum, proinde remotum, et non remotum ab eodem loco: item moveri, et quiescere, accedere ad unum locum, et simul ab eo recedere: item poterit uno in loco summe calefieri, in altero frigidari: vel etiam uno in loco vulnerari, et occidi, in altero bene valere: quæ sunt apertissime repugnantia.

Respondeo, de his argumentis rectissime dici potest, quod ait Augustinus lib. xxii. de civit. cap. ii. « Ecce qualibus argumentis omnipotentiae Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas. » Nam quod una res non possit esse in duobus temporibus, non nascitur ex ipsa re, sed ex temporibus, quæ non possunt esse simul, cum semper fluant: unde non est simile in locis, quæ permanent. Ad illud autem de unitate, jam antea responsum est, unitatem essentialem rei non pendere ab unitate loci, eum prius sit rem esse unam, quam esse in uno loco, sed pendere ab internis suis principiis. Itaque imaginatio quidem non potest concipere unum corpus in diversis locis, sed ratio tamen judicare potest, si sana sit, falli imaginationem, sicut fallitur, dum Deum, vel animam non potest cogitare in diversis locis, vel duo corpora in uno loco.

Ad illud de continuatione dico, corpus

Christi, ut est in altari, non continuari cum corpore, ut est in cœlo, nec tamen esse discontinuum, vel divisum ab illo. Nam continuari et dividi, est eorum, quæ multa sunt, sive sint tota quædam, sive partes ejusdem. Corpus autem, ut in cœlo, et in altari, non sunt duo tota, nec partes ejusdem, sed idem omnino totum.

At, inquires, *intercedunt multa corpora inter corpus Christi, ut in cœlo, et ut in altari est: ergo discontinuum, et divisum est a seipso.* Respondeo, hoc argumento recte probari, loca ipsa esse discontinua, nimirum cœlum, et terram, et per hoc etiam corpus Christi divisum esse a se respectu loci, sed non respectu propriæ substantiæ, sive quantitatis, ut supra dictum est.

Ad primam confirmationem respondere S. Thomas: Corpus Christi esse in cœlo circumscriptive, in Sacramento, autem non esse in loco, nec circumscriptive, nec definitive secundum se, tamen ratione dimensionum panis esse circumscriptive in omnibus locis, ubi sunt hostiæ consecratæ.

At quia nos existimamus, posse corpus Christi esse in pluribus locis etiam localiter, et visibiliter, ideo dicimus corpus idem posse esse circumscriptive, et etiam definitive in pluribus locis. Nam ut corpus sit circumscriptive in aliquo loco, tantum requiritur, ut commensuretur illi loco; ita ut termini loci et locati sint simul: non autem requiritur ut non sit alibi, tanquam in alio loco; ex hoc servatur in præsentia. Nam corpus Christi in cœlo commensuratur loco suo, quem ibi habet; et quando simul erat in terra, cum videlicet apparuit Paulo, commensurabatur in loco suo, quem in terra, vel in aere habebat. Itaque in utroque erat circumscriptive.

Dices, si corpus aliquod commensuretur loco trium cubitorum, et ponatur in duobus, vel tribus locis æqualibus, nonne occupabit spatium sex, vel novem cubitorum? Quomodo ergo commensuratur, et describitur loco trium cubitorum?

Respondeo: dupliciter potest intelligi, ut corpus trium cubitorum, occupet spatium novem cubitorum. Uno modo, quia magnitudo talis corporis commensuretur tali loco, et hoc modo fieri non potest, ut corpus trium cubitorum, occupet spatium novem cubitorum.

Altero modo, ut magnitudo talis corporis non commensuretur, nisi loco trium cubito-

rum, tamen eadem magnitudo, bis, aut ter ponatur in loco: et hoc fieri posse contendimus. Idem dici potest de modo existendi definitive. Nam, ut aliquid sit definitive in loco, satis est si definiatur certo quodam spatio, ita ut in toto illo sit, et non in majori; sive sit in alio loco etiam definitive, sive non: et hoc modo corpus Domini in qualibet hostia potest dici esse definitive, quia est in tanto spatio, quantum occupat hostia consecrata, et non in majori. Quod si quis contendat esse in loco tam circumscriptive, quam definitive, id requirere, ut res nullo modo sit alibi; dicere possumus dari tertium modum existendi in loco, nimirum per solam præsentiam, quomodo Deus est in loco: et hoc modo esse in loco ea corpora, quæ per divinam potentiam simul sunt in variis locis.

Ad Secundam confirmationem dico, Domini corpus incipere esse in altari, ubi antea non erat: non per generationem, nec per motum localem, sed per conversionem panis in ipsum. Nec desunt exempla similia. Nam cum homo per nutritionem augetur, anima rationalis incipit esse in materia illa allata, ubi antea non erat, et tamen non producit anima nova, nec movetur localiter, sed solum incipit informare materiam sibi adjunctam, quam non informabat. Et contra, cum membrum aliquod abscinditur, anima desinit ibi esse, et tamen non perit, nec recedit localiter: sic etiam Deus cum aliquid in mundo nascitur, incipit in ea re esse, et cum illud perit desinit ibi esse, et tamen nec generatur, aut corrumpitur Deus, nec localiter accedit, aut recedit.

Ad tertiam confirmationem varie Theologi respondent. Alii enim existimant ex positione unius corporis in diversis locis, multiplicari respectus, non autem absoluta; ut verbi gratia, dicunt idem corpus in cœlo, et in terra existens, habiturum varias relationes, ita ut dicatur esse propinquum terræ, ut est hic, quam relationem non habebit, ut est in cœlo, et contra. At si hic calefiat, etiam ibi erit calidum etc. Alii putant etiam absoluta multiplicari, et eousque progrediuntur, ut dicant posse eundem hominem uno in loco ebrium esse, in alio sitire; imo in uno mori, in altero vivere.

Sed media via tutissima esse videtur. Pro qua intelligenda, notandum est, unum corpus in pluribus locis positum, habere unum esse substantiale, sed multa esse localia. Ex

quo fit, ut illa omnia multiplicari debeant, quæ consequuntur esse locale: illa autem non multiplicentur, quæ aliundeveniunt, quam ex esse locali.

Ac primum relationes ad loca necessario multiplicabuntur: quia cum sit corpus vere in pluribus locis, et ratio terminetur ad ipsa loca, quæ plura sunt, non potest ipsa relatio non multiplicari. Itaque erit idem corpus sursum et deorsum; remotum, et propinquum; poterit moveri ad locum, et quiescere in alio loco. Neque absurdum est in eodem subjecto esse contrarias relationes, cum insint in eo subjecto per diversa fundamenta, aut diversas fundandi rationes. Nec tamen implicatur hic ulla contradictio.

Nam etsi possit dici propinquum, et remotum: et etiam remotum, et non remotum: sed sub diversa ratione, ut nimirum est in diversis locis; illa enim dicuntur contradicentia, quæ conveniunt uni respectu ejusdem, eodem tempore, loco, modo etc. Ac ne mirum id esse videatur, exemplum afferre possumus animæ humanæ, quæ cum in toto corpore, et in quolibet membro sit tota, certe ut est in capite, est remota a terra, ut est in pedibus, non est remota: et si quis unam manum moveat, altera quiescente; nonne etiam anima simul movebitur, et quiescet? Hæc igitur de relationibus ita se habent.

Idem porro judicium esse videtur de actionibus, quæ terminantur ad loca, ut si verbi gratia, una facula ponatur in multis locis, omnia illa simul illustrabit, et si applicentur in omnibus locis combustibilia, omnia comburet. Itaque posset fieri per divinam potentiam, ut una facula totum mundum illustraret, si poneretur in pluribus locis. Nam causa cur una facula posita in uno loco non illuminet ea, quæ procul absunt, est, quia illa non sunt intra sphaeram activitatis illius faculæ.

At si facula ponatur in pluribus locis, jam erunt illa omnia intra sphaeram activitatis ejus, nec propterea tamen sequetur, faculam illam esse soli æqualem, aut agere ultra suam virtutem; nam ipsa sua virtute non illuminat, nisi modicum sibi proportionatum, sol autem sua virtute illuminat totum orbem: sed ex positione in multis locis id illi faculæ accedit, ut multas habeat sphaeras activitatis, omnes tamen exiguas, et sibi proportionatas. Et simile est omnino de corpore trium cubitorum, quod (ut supra diximus) occupare potest spatium sex, et novem cubitorum,

non unica extentione sua, sed quia sæpius illa extensio ponitur in loco. Atque hæc dicta sunt de actionibus corporis locati, quæ recipiuntur in ipsis locis, vel aliis extrinsecis corporibus.

Contrarium porra judicium esse debet de his, quæ recipiuntur in corpore locato: quæ enim recipiuntur in corpore, sive sint actiones, sive qualitates, sive quæcumque alia, non multiplicantur, quia corpus unum est, non multa. Itaque si corpus uno in loco calefiat, etiam in alio erit calidum, et si uno in loco sit prope ignem, in altero prope glaciem; nec summe calefiat, nec summe frigeat, sed eodem modo alterabitur, atque alteraretur si in eodem loco applicarentur ei contraria illa agentia: et si uno in loco vulneretur, aut occidatur; in altero etiam vulneratum apparebit, et morietur: et si uno in loco comedat, in altero non esuriet, etiamsi non comedet, quia idem est corpus. Sed de his satis multa dicta sunt.

## CAPUT V.

*Proponitur, et explicatur secunda difficultas, quæ in eo posita est, quod corpus non occupet locum.*

Antequam ad probationem secundi pronuntiati veniamus, duo sunt observanda. Primum est, duas opiniones particulares falsas, et erroneas excogitatas fuisse in Scholis, ob hujus mysterii magnitudinem; quæ etiam nonnullam occasionem dederunt hæreticis hujus temporis, argumenta subtiliora contra veritatem fidei objiciendi. Una fuit Durandi in iv. dist. 10. quæst. 2. qui probabile esse putavit in Eucharistia substantiam corporis Christi esse absque magnitudine: et argumenta fecit ad hoc probandum, quæ nunc etiam a Sacramentariis fiunt, ut quod de essentia magnitudinis sit occupare locum, et alia, quæ postea afferemus. Altera sententia veterum quorundam, quam sine nomine refert, et refellit Albertus in iv. dist. 13. art. 10. et quam postea secutus videtur Okam in iv. q. 4. qui dicunt esse quidem in Eucharistia magnitudinem corporis Christi, quam ipsi a substantia distinguunt reipsa non putant, sed addunt, ita penetrari singulas partes cum omnibus aliis,

ut nulla figura, sit in corpore Christi, nec distinctio, et ordo partium corporis.

At sententia communis scholarum, et Ecclesiae est in Eucharistia totum Christum existere cum magnitudine, et omnibus accidentibus, excepta relatione ad locum caelestem, quam habet, ut est in caelo, et iis, quae ad existentiam in eo loco consequuntur : et contra in caelo totum Christum existere cum magnitudine, et omnibus accidentibus, excepta relatione ad species panis, quem habet, ut est in Eucharistia : et praeterea corporis Christi partes, et membra non se penetrare, sed ita distincta esse et disposita inter se, ut figuram, et ordinem habeant corpori humano convenientem. Ita docent Albertus, S. Thomas, Bonaventura, Ricardus, Scotus, et alii. in iv. distinct. 10. myst. 7. artic. 2. et alii. Et hanc esse doctrinam Ecclesiae dubitari non potest. Nam Ecclesia universa, ut patet ex Concilio Trident. session. XIII can. 1. non solum corpus, et sanguinem, sed etiam animam, et divinitatem, atque adeo totum Christum in Eucharistia esse docet. Certum autem est animam, et Divinitatem non esse in Eucharistia ex vi consecrationis, sed ex naturali concomitantia ; quia ubi est unum, ibi esse necesse est quidquid cum illo est unitum. At magnitudo et figura, unita sunt corpori Christi, et quidem naturaliter, et inseparabiliter ; igitur et illa adsunt.

Praeterea cum Dominus ait : *Accipite, et comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (1), idem corpus manducandum dedit, quod ad mortem tradendum fuerat sequenti die : ad mortem autem non fuerat tradendum corpus sine magnitudine, et figura, et aliis accidentibus, quae in ipsa magnitudine fundatur.

Ad haec, in Eucharistia sub specie panis caro Domini proprie continetur, juxta illud Joan. VI. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Et rursus : *Caro mea vere est cibus.* Et illud Ecclesiasticum : « Verbum caro panem verum verbo carnem efficit. » At certe substantia sine quantitate, et complexione quadam accidentium caro dici non potest.

Denique in Eucharistia non sola caro, sed etiam anima continetur, ut supra ex Concilio Tridentino probatum est. Atqui anima in corpore esse nequit, nisi disposito, et organizato : sine quantitate nulla esse potest dispo-

sitio, nulla organisatio : non igitur fieri potest, ut Durandi opinio cum Ecclesiae doctrina facile concilietur. Sed haec fusius tractanda scholasticis relinquimus.

Secundo, observandum est, ut Ecclesiae sententia planius intelligatur, magnitudini tria quaedam convenire, quorum unum ex altero sequitur. Primum est, extensam esse in se, et partem habere extra partem, ac proinde situm quemdam instrinsecum, et ordinem, ac dispositionem partium ; et hoc primum omnino essenziale magnitudini est. Quid enim est linea, nisi extensio in longitudinem ? quid superficies, nisi extensio in longitudinem, et latitudinem ? quid corpus, nisi extensio in longitudinem, latitudinem, et profunditatem ? Si tollas itaque extensionem, et partes, tolles pariter magnitudinem. Alterum est, coextendi loco seu commensurari loco, et habere situm extrinsecum in ordine ad locum ; atque hoc posterius est, et ex primo sequitur, et ideo separari potest ab illo. Nam supremum caelum revera extensum est in seipso, et tamen nullum occupat locum, cum a nullo corpore ambiatur. Tertium est, extrudere aliud corpus ex loco, seu non pati secum aliam magnitudinem in loco sibi adaequato : et hoc est posterius secundo, et ex illo sequitur. Ideo enim corpus unum non patitur alterum secum, quia replet totum locum. Quia tamen semper posterius per Dei potentiam separari potest a priore, ita ut maneat prius sine posteriore : non contra, quia non pendet prius a posteriore : inde est, quod secundum Catholicos, potest unum corpus occupare locum, et tamen non expellere aliud ; quae dicitur proprie penetratio corporum.

His notatis, Catholicorum communio sententia est, in Sacramento Eucharistiae vere adesse totam magnitudinem corporis Christi, sed habere primam conditionem, quae (ut diximus) essentialis est, non autem secundam, et tertiam, quae separabiles sunt. Et quamvis in Sacramento, nulla sit proprie corporum penetratio, cum desit secunda conditio : tamen existimamus posse etiam per Dei potentiam dari penetrationem, ita ut, corpus aliquod habeat primam, et secundam conditionem sine tertia. Quae quia adversariis impossibilia videntur, nunc ea probare aggredimur a duplici argumentorum genere.

(1) I Cor. XI, 24, — (2) Joan. VI. 52 et 56.

Quorum alterum sumitur ab omnipotentia Dei, quam Scripturæ prædicant. Alterum ab exemplis, tum a Scriptura, tum aliunde petitis.

## CAPUT VI.

*Posse corpus alicubi esse, et locum non occupare.*

Primum igitur argumentum sumitur ab illis Scripturis, quæ dicunt esse apud Deum omnia possibilia, Matth. XIX, Marc. XIV, Luc. I. Porro inter illa omnia esse etiam id, de quo nunc agimus, probari potest ex principiis adversariorum, ut supra fecimus in probando alio Catholicorum pronunciato. Vide caput tertium.

Sed præter ea probatur ex ipsa rei natura. Convenit enim inter nos, non debere excipi ab eorum numero, quæ Deus potest facere, nisi ea, quæ implicant contradictionem. Corpus autem esse alicubi, et non occupare locum, vel occupare, et non expellere alterum, nullam implicat contradictionem. Nam, id est implicare, repugnare essentiæ: non autem repugnat essentiæ magnitudinis, non occupare locum, aut non expellere alterum corpus. Id quod probatur primo, quia occupare locum, est quid posterius ipsa magnitudine; prius enim res in se magna est, et apta replere locum, deinde replet locum. Nihil autem posterius est de essentiâ prioris: essentiæ enim in indivisibili consistunt. Secundo, potest magnitudo intelligi, atque etiam definiri sine loco, sive repletionem loci: imo nemo hactenus in definitione magnitudinis posuit locum. Et quod majus est, potest esse sine loco, ut patet de ultima sphaera, et de corporibus, quæ sine dubio a Deo collocari possent supra convexum ultimæ sphaeræ: non igitur de essentiâ magnitudinis est occupare locum. Tertio, officium, seu functio non est de essentiâ ullius rei creatæ: solum enim in Deo, qui infinitus, et simplicissimus est, idem est esse, et agere. At replere locum, et expellere alia corpora, et officium magnitudinis, et functio quædam externa: non igitur ad essentiâ pertinet. Quarto, ita se habet moles, seu extensio ad magnitudinem, ut se habet gravitas ad corpus grave.

Nam ut magnitudo sua mole replet locum, et aliud corpus extrudit: ita corpus grave, sua gravitate ponderat, et alia corpora deprimat. At non est de essentiâ gravis ponderare, ut patet, quia in priori regione aqua, et aer non ponderat: igitur neque est de essentiâ magnitudinis replere.

Alterum argumentum sumitur ab exemplis divinæ Scripturæ. Primum exemplum est Matth. XIX, Marci X, Lucæ XVIII: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Et cum Apostoli dicerent: *Quis ergo poterit salvus fieri?* Respondit Dominus: *Hoc apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt* (1). Ubi Dominus, cum dicit, possibile esse Deo, id quod difficilius est, significat esse etiam possibile id, quod facilius est: facilius autem esse dicit, ut transeat camelus per foramen acus: igitur hoc Deo possibile esse voluit. At non potest camelus transire per foramen acus, nisi locum non occupando: alioqui majus esset minus suo minore.

Et præterea quomodocumque hoc fiat, certe non minus repugnare videtur rationi, ut camelus intret per foramen acus, quam ut corpus Christi contineatur in parva specie panis: imo minor est proportio foraminis acus ad camelum, quam hostiæ consecratæ ad corpus Domini, nisi quis dicat per camelum non intelligi illud magnum animal quod camelum vocamus, sed funem nauticum; ut quosdam sensisse testatur Theophyl. in cap. XIX Matth. Sed tum erit quidem minor proportio corporis Domini ad hostiam consecratam, quam cameli ad foramen acus: tamen etiam hoc erit hominibus impossibile, ut Dominus dicit, et ut experientia docet. Quis enim intelligat, qua ratione possit crassissimus funis, quales nautici sunt, per foramen acus transire.

Adde, quod expositio communis Patrum animal gibbosum, non funem nauticum intelligit. Vide Origenem, Hieronymum, Hilarium, et Chrysostomum in Matthæum: Ambrosium in Lucam, et Augustinum lib. II. quæst. Evangelic. quæst. 47. Adde etiam, quod funis nauticus græce scribitur per iota κάμινος, ut est apud Suidam, in Evangelio autem scribitur per eta κάμηλος, qua voce non funem, sed animal Græci intelligunt.

Quod autem quidam dicunt, per foramen acus intelligi portam quamdam angustam

(1) Matth. XIX, 24; Marc. X, 25; Luc. XVIII, 25 et seq. — (2) Luc. XVIII, 27.



Hierosolymæ, per quam cameli intrare non poterant onusti, nisi magno labore genua flecterent, (quam sententiam Cajetanus etiam approbavit) non solum fabulosum est, et sine ullo fundamento assertum; nec solum Patribus omnibus repugnat, sed etiam verbis Domini adversatur, dicentis Luc. xviii: *Quæ impossibilia sunt apud homines, possible sunt apud Deum.* Quo modo enim ista impossibilia sunt apud homines, si poterat arte humana fieri, ut cameli genua flecterent, et intrarent?

Ex eodem refellitur, quod Pelagiani dicebant apud Augustinum epistol. 89, quæst. 4. verba Domini esse intelligenda in sensu diviso, non in sensu composito; ita ut impossibile sit divitem, si maneat dives, ingredi in regnum cœlorum, non autem si abjectis divitiis desinat esse dives: et eodem modo impossibile sit camelum, si maneat camelus, transire foramen acus, non autem si extenuetur ad fili subtilitatem. Hæc, inquam, refelluntur ex eodem fundamento. Nam non est impossibile apud homines, ut camelus transeat per foramen acus, si desinat esse camelus, et convertatur in subtilissimum filum. Quare Augustinus epistol. 89. quæst. 4. recte docet, posse hominem divitem, etiamsi non desinat esse dives, per Dei gratiam, et potentiam ingredi in regnum cœlorum; licet sine gratia Dei solis viribus naturæ non solum impossibile sit, sed etiam valde impossibile: omnibus enim hominibus impossibile est sine gratia Dei salvari, sed multo magis divitibus, quam pauperibus. Idem etiam Augustinus lib. de spiritu et littera cap. i. aperte dicit, posse camelum per Dei potentiam transire per foramen acus, licet id nunquam sit factum, et nunquam fortasse futurum. Quod idem affirmat Gregorius Nazianzenus lib. 4. de Theologia, et Origenes in cap. xix. Matth. ubi dicit, quomodo id fieri possit, soli Deo esse notum.

Alterum exemplum Scripturæ est Joan. 20. ubi Evangelista scribit, Christum venisse ad discipulos, cum fores essent clausæ; et rursus post dies octo iterum ad eos intrasse januis clausis. Ex quo necesse est, ut corpus Christi, vel non occupaverit locum, cum transivit per januas clausas, vel se cum alio corpore penetraverit: quorum utrumque est impossibile viribus creatis, et intelligentiam nostram superat.

Hunc tamen locum depravare semper hæretici conati sunt. Nam et Berengariani, teste

Guitmundo lib. iii, negabant, Christum intrasse januis clausis: et nostro tempore Joan. Oëcolampadius Christum intrasse voluit per fenestram, aut alium aditum, cum fores essent clausæ, nec eas penetrare posset; quod accepisse videtur a Durando in iv dist. 44. quæst. 6. qui satis temere singulares suas opiniones in medium adducit. Joan. Calvinus lib. iv Instit. cap. 17. §. 29. dicit, Christum divina virtute sibi aditum patefecisse: atque id ipsum clarius explicans in ultima admonit. ad Wesphalum dicit, Christum intrasse januis clausis secundum Evangelium, quia non expectavit, donec Apostoli aperirent, sed ipse sua virtute ostium aperuit, vel etiam in nihilum redegit, et continuo restituit. Petrus autem Martyr lib. cont. Gardinerum object. 11. et 12, dicit, Christum intrasse per aditum patefactum, sive rarefecerit Dominus portas illas, sive etiam cedere jussit.

At hæc sunt meræ corruptelæ, et depravationes Evangelii. Nam in primis Evangelista Joannes miraculorum Domini diligentissimus enarrator, et qui alioqui non solet verba sine causa multiplicare, magno studio addere curavit: *Januis clausis*, idque non semel, sed bis. At si per fenestram intravit Dominus, aut aditu quocumque modo patefacto, nullum erit miraculum intrare januis clausis.

Deinde Lucas cap. 24. eandem apparitionem narrans, dicit, Dominum repente constitisse in medio Apostolorum, et propterea spiritum esse putatum: quæ certe indicant, Dominum nullo strepitu facto, sed tota domo immota manente comparuisse.

Præterea, Patres communi consensu agnoscunt miraculum in eo, quod Dominus corpus suum solidum per aliud solidum introduxerit. Vide Chrysostomum, Cyrillum, Augustinum, Euthymium, Theophylactum, in hunc locum Joannis. Et præterea Justinum quæst. 117. ad orthodoxos. Ambrosium in cap. ult. Lucae. Amphilochium apud Theodoretum in secundo dialogo. Ephiphanium hæres. 64. Hieronymum in epist. ad Pammachium de erroribus Joan. Hierosolymitani. Leonem epist. 10. ad Flavianum. Gregorium hom. 26. in Evangelia. Bernardum ser. i. de resurrect. et præter cœteros Hilarium lib. 3. de Trinit. ubi videtur prævidisse impudentiam nostri temporis hæreticorum: « Integra, inquit, sunt omnia, et obserata, sed ecce assistit medius, cui per

virtutem suam universa sunt pervia. Nihil cædit ex solido, neque per naturam suam aliquid tanquam lapsu insensibili, ligna et lapides amittunt. Corpus Domini a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo; et unde qui assistit, in medio est? Cædit ad hæc et sensus, et sermo, et extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo, ut de nativitate Domini fallimur, ita et de ingressu Domini mentiamur: dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus, et cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti ipsius fides vincit. Assistit Dominus clausa domo in medio discipulorum, et Filius est natus ex Patre.»

Adde, quod Patres maximam habuerunt occasionem negandi, Christum intrasse per januas clausas. Nam Marcionistæ, Valentiniani, Origenistæ, et alii, qui negabant veram corporis resurrectionem, ex hoc loco argumentabantur; ut patet ex Cyrillo, Epiphanio, Hieronymo locis citatis: non videtur enim verum corpus esse posse, quod januis clausis intrare potest. Huic autem objectioni facillime occurrere possent Patres, si dixissent, Christum, intrasse per fenestras, aut per januam a se antea patefactam, vel annihilatam: et tamen nulli unquam ante Berengarii tempora ista solutio venit in mentem; imo contra potius, ex hoc principio tanquam certissimo et explorato probabant alia dogmata. Nam Hilarius loco notato probat, non esse impossibile Deum Filium ex Patre generari sine ulla substantiæ paternæ diminutione, quandoquidem corpus Christi potuit ingredi per clausas januas sine ulla læsione, vel sua, vel januæ.

Tertium exemplum est de Domini nativitate: Exivisse enim Dominum de utero Matris clauso, inviolata videlicet manente integritate carnis, colligitur ex verbo Dei, et a Patribus disertis verbis asseritur. Nam B. Mariæ virginitas in partu, habetur in symbolo Apostolico: *Natus ex Maria Virgine*. Symbolum autem Apostolorum, verbum Dei esse non scriptum Catholici omnes fatentur, et hæretici nostri temporis non solent aperte symbolum illud rejicere. Et hæc veritas symboli ex illa Scriptura colligitur Isai. VII: *Ecce virgo concipiet, et pariet Filium* (1), ubi dicitur non solum Virgo conceptura, sed etiam Virgo paritura. Ezech. XLIV, describitur porta

quædam clausa, per quam solus Dominus intrat, quam portam, utrum semper clausum Virginis Deiparæ esse docent, Ambrosius lib. de Instit. Virg. cap. 7. et Hieronymus in comment. hujus loci. Præterea Jovinianus hoc nomine inter hæreticos ponitur a Siricio, et Ambrosio in epistolis, quæ sunt apud Ambrosium 80 et 81. et Augustinum lib. de hæres. cap. 82, quod asseruerit, B. Mariam pariendo fuisse corruptam.

Idem Augustinus lib. XXII. Civitat. cap. 8. hoc ipsum probat alio simili miraculo, quod tempore ipsius accidit: scribit enim feminam quamdam nobilissimam nomine Petroniam accepisse a quodam Judæo annulum in quo esset lapis quidam utilis ad sanandum morbum nescio quem, quo illa vexabatur; fuisse autem annulum illum capillario vinculo involutum, ac diligentissime alligatum; sed cum illa iret ad memoriam S. Stephani primi Martyris, apud quem vere curanda erat, ne tribueretur virtus miraculi alligaturæ judaicæ, repente annulum illum ante pedes mulieris astitisse illæsum, illæso etiam vinculo, et undique diligentissime clauso. De hoc miraculo sic loquitur Augustinus: «Non credunt hoc, qui etiam Dominum Jesum per integra virginalia Matris enixum, et ad discipulos suos januis clausis ingressum fuisse non credunt. Sed hoc certe quærant, et si verum invenerint, illa credant. Clarissima femina est, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat; ampla civitas, ampla persona, rem quærentes latere non sinunt. Martyr certe, quo impetrante illa sanata est, in filium permanentis Virginis credidit, in eum, qui ostiis clausis ad discipulos ingressus est, credidit.» Idem B. Augustinus in epist. 3. ad Volusianum de utroque isto miraculo disserens, id est, de ingressu ad discipulos ostiis clausis, dicit in hujusmodi operibus totam rationem facti, esse potentiam facientis. Idem communi consensu docent alii Patres, qui etiam conjungunt hæc duo miracula, ut Gregorius Nazianzenus in Tragœdia: Christus patiens, Theodoretus Dialogo 2. Hieronymus in Apolog. pro libris contra Jovinianum. Maximus hom. 2. de Natali Domini. Gregorius hom. 26. in Evangel. Fulgentius in serm. de laudibus B. Mariæ, et Bernardus serm. I. de resurrect. Domini.

Pudet jam referre quid ad hæc Durandus, vel Beza respondeant. Ille enim in IV. dist.

(1) Isai. VII, 14.

44, quæst. 6. dicit, integra quidem fuisse claustra pudoris, sed tamen dilatatos a Deo fuisse naturales meatus, ac per eos libere Christum exivisse. Iste autem in libro de omnipræsentia carnis Christi contra Brentium ultra medium, audat dicere, Virginis uterum revulsum, et apertum Christo egrediente, sed continuo divina virtute coaluisse partes uteri, ut etiam post partum Virgo dici posset.

At quæro primum, undenam ista didicerint? nec enim Scripturam, aut Patrem ullum proferent. Deinde, si dilatati sunt meatus, non peperit Virgo sine dolore: dolor enim parturientium in sola illa dilatatione consistit. Imo (si verum diceret Beza) supra omnes mulieres B. Virgo dolorem experta esset: gravius enim sentitur carnis revulsio, quam dilatatio. At ne Mahumetani quidem admitterent, B. Virginem cum dolore peperisse. Præterea, si ita esset, ut isti dicunt, B. Maria non fuisset virgo in partu, quia Virginem esse in partu, nihil aliud significare potest, quam in ipsa actione pariendi inviolatum, illæsumque uterum permanere. At hoc negant isti, ut olim negabat Jovinianus. Nam quod Durandus ait, inviolatam mansisse carnis integritatem, et solum meatus dilatatos, juxta doctrinam peritissimorum medicorum, implicat contradictionem. Nam, ut Joannes Fernelius docet, in 1. lib. de partium corporis humani descript. cap. 7. integritatis virginalis amissio non in fractione membranæ alicujus consistit, sed in sola dilatatione partium conjunctarum, seu contiguarum. Verum nec post partum Virgo mansisset. Nam virginitas carnis semel amissa reparari nequit, ut recte ait Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis. Nam etiamsi possint iterum conjungi partes revulsæ, tamen fieri nequit, quin revulsæ fuerint, si revulsæ fuerunt. Atqui esse Virginem, est nunquam fuisse corruptum.

Sed objicit Beza Ambrosium, et alios quosdam Patres, qui dicunt, Christum aperuisse uterum Matris cum natus est. Sic enim scripsit Ambrosius lib. II. in Luc. cap. 7: « Qui vulvam sanctificavit alienam, ut nasceretur Propheta, hic est, qui aperuit matris suæ vulvam, ut immaculatus exiret ». Similia habet Origenes, hom. 14. in Lucam, et Tertullianus in lib. de carne Christi.

Ac de Tertulliano quidem ambiguum est, quid sibi voluerit, nec magni facienda est ejus auctoritas, cum contradicit aliis Patri-

bus, cum constet eum (ut Hieronymus loquitur) hominem Ecclesiæ non fuisse. De Origene, et Ambrosio, facilis solutio est: id enim solum docent, Christum sua virtute, non auxilio obstetricum, vel alia humana opera de utero egressum, sed ipsum sibi aperuisse aditum. Porro aperuisse sibi aditum per clausum uterum, non eum dividendo, sed mirabiliter penetrando, docet idem Ambrosius locis supra citatis. Sic enim ait in lib. de Instit. Virgin. cap. 7. « Quæ est hæc porta, nisi Maria, ideo clausa, quia virgo? Porta igitur Maria, per quam Christus, intravit in hunc mundum, quando virginali fusus est partu, et genitalia virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum septum pudoris, et inviolata integritatis duravere signacula, cum exiret ex Virgine, cujus altitudinem mundus sustinere non potest ». Et cap. 8: « Hæc porta clausa erit, et non aperietur: bona porta Maria, quæ clausa erat, et non aperiebatur: transivit per eam Christus, sed non aperuit ». Origenes quoque tract. 26. in Matth. asserit. B. Mariam etiam post partum virginem fuisse.

Quartum exemplum est de egressu Domini ex clauso monumento. Nam, ut colligitur ex Matth. cap. 28. et Marco cap. 16, lapidem ab ostio monumenti non revolvit Christus, cum resurrexit; sed post resurrectionem Angelus de cælo descendit, et revolvit lapidem, ut ostenderet sanctis mulieribus, quæ Christum ungere volebant, monumentum vacuum esse. Unde S. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quæst. 6. docet, nulli hominum notam esse horam, qua Dominus resurrexit, cum tamen ex Evangelio satis constet, qua hora fuerit lapis revolutus a monumento.

Ad hoc argumentum Calvinus lib. IV. Instit. cap. 17. §. 29. Petrus Martyr in lib. contra Gardinerum, object. 11. Theodorus Beza in lib. de omnipræsentia carnis Christi supra citato, non negant Christum surrexisse, atque exivisse de monumento antequam lapis amoveretur per Angelum: licet existiment probabilius esse, anotum prius fuisse lapidem: sed more suo respondent eodem modo, quo ad superiora, nimirum divina virtute lapidem cecidisse, vel annihilatum, et continuo restitutum.

Sed ista non possunt ipsi probare, nisi propria auctoritate; cui nos objicimus testimonia Patrum, qui in eo ponunt miraculum, quod per clausum sepulchrum verum corpus exiverit. Justinus quæst. 117,

Nazianzenus in Tragœdia : Christus patiens. Chrysostomus homil. de sancto Joanne Baptista, tom. 3. Hieronymus in epist. ad Hedibiam, quæst. 6. Augustinus serm. 138. de tempore, qui est tertius de resurrectione. Beda hom. in vigilia Paschæ. Euthymius in cap. 28. Matth. Bernardus serm. 1. de resurrectione.

Quintum exemplum est de ascensione Christi, et beatorum in cœlum. Nam fide certissima tenemus Christum ascendisse super omnes cœlos, Ephes. 4. et similiter corpora beatorum post resurrectionem ascensura. Nulla autem est in cœlo janua, nulla fenestra, nulla rima, per quam supra cœlum ascendi possit ; et ut dicitur Job. xxxvii : *Solidissimi quasi are fusi sunt caeli* (1). Necessesse igitur est, ut possint plura corpora esse in eodem loco.

Ad hoc argumentum id solum responderi posse videtur, quod respondet Durandus in iv. distinct. 44. quæst. 6, divina virtute cœlum dividi, quando corpora beatorum illuc ascendunt.

At si cœlum natura sua solidum est, et incorruptibile, ut fere omnes hoc tempore Theologi, et Philosophi docent, certe probabile non est, tot foramina in cœlo esse facienda, quot corpora beatorum ascendent, præsertim cum illa plurima sint futura. Sed quidquid de hoc sit, de corpore Christi non nisi temere dici potest, cœlos omnes disruptos fuisse, cum ipse ad Patrem ascenderet. Nam primo, Scriptura nusquam id habet ; imo contrarium insinuat, Hebræor. 4, cum dicit, Christum penetrasse cœlos. Et sane tam novum, et inauditum miraculum sine Scripturæ testimonio affirmare, mirum est, si non insignis temeritas judicetur, præsertim apud eos, qui nihil credere volunt, nisi quod in divinis litteris continetur. Secundo, si corpus Christi clausis januis in cœnaculum intravit, ut ex Scriptura ante probavimus, cum tamen facillime potuisset eas aperire, quanto credibilius est non disrupto cœlo, quod natura sua disrupti nequit, idem illud corpus supra sidera collocatum.

Neque his repugnat, quod in Scriptura sæpe legimus, apertum, vel divisum esse cœlum, ut Matth. iii. Joan. i. Actor. vii. et x. et Apocal. xix. Nam Scriptura in his locis, loquitur de apertione cœli secundum apparentiam, ac metaphorice : significat

enim speciem quamdam in cœlos apparuisse ac si divideretur. Non fuisse autem reales cœli divisiones, vel ex eo colligi potest : quod eodem modo loquitur Scriptura de apertione cœli, quæ facta est in sola imaginatione et intelligentia, qualis est illa, quæ describitur Actor. x. et Apocal. xix. et de ea, quæ facta est in oculis corporalibus, Matth. iii. Joan. i. et Actor. vii. constat autem illam priorem non fuisse realem. Deinde, nulla fuit causa, cur cœlum dividi deberet. Nam Matth. iii, dicitur divisum cœlum, cum de cœlo Spiritus sanctus descendit in forma columbæ : at neque Spiritus sanctus egebat cœli apertione, ut descenderet, cum sit ubique : neque ea columba de cœlo proprie dicto missa est, sed in aere, et ex aere producta fuit : tamen ut intelligerent homines, rem illam fuisse divinam, ita apparuit, quasi e summo cœlo missa fuisset. Joan. i. dicit apertum cœlum ob descensum Angelorum. Angeli autem cum spiritus sint, omnium consensu, per quolibet corpora penetrare possunt. Actor. vii, aperitur cœlum, ut S. Stephanus videat Christum in dextera Patris. At neque tum ulla ratio fuit, cur cœlum scindi deberet. Nam aut oculis corporis, aut oculis mentis videt Stephanus Christum, cœlum autem cum sit perspicuum, aut diaphanum, neutram visionem impedire poterat. Itaque vocata est eo loco apertio cœli, non scissio corporis cœlestis, sed nova quædam illustratio, qua factum est, ut oculis Martyris appareret, quod antea non apparebat : quemadmodum Lucæ ult. dicuntur aperti oculi duorum discipulorum, quando Dominum agnoverunt ; non quod antea clausos oculos habuerint, sed quia tunc agnoverunt, quem ante cognoscere non potuerant.

Sextum exemplum est de pœnis damnatorum ; sunt enim in his pœnis multa miracula difficiliora, vel æque difficilia, atque est hoc, de quo agimus. Ac primum quod corpora damnatorum ab igne corporali comburantur, et vere, ac realiter torqueantur, et tamen non dissolvantur : nam dolor corporalis ad dissolutionem corporis tendit. Si est igitur in illis pœnis verus dolor corporalis, quomodo nunquam dissolvitur corpus ? si nulla dissolutio, unde dolor ? Itaque ethnici hæc ridebant, ut impossibilia, et tamen Catholici non propterea voluerunt unquam spiritualiter, vel metaphorice interpretari illa

(1) Job. XXXVII, 18.

supplicia, certo persuasi Deum posse facere supra id, quod cogitare possumus, vel intelligere.

Deinde, non minus difficile videtur, ut spiritus teneatur, et impediatur a corpore, ne transeat quocumque voluerit, quam ut corpus non teneatur, nec impediatur a corpore, sed libere transeat per solida corpora, ac si nulla essent: non enim minus convenit naturæ spirituali non posse impediri, quam corporali posse impediri. At divina potentia alligat spiritus hominum, et etiam dæmonum in gehenna certis locis, et corporibus, quasi carceribus, ut nullo modo egredi valeant. Et quid opus est in gehennam descendere, ut hoc miraculum videamus? annon potest unusquisque in seipso id cernere? Siquidem animus noster spiritus est per se existens, et a corpore independens et tamen tam mirabili artificio est inclusus a Deo in corpore mortis hujus, quasi in carcere, ut non possit inde egredi, nisi prius corporis constitutio dissolvatur.

Denique, illud est supra modum mirabile in pœnis damnatorum, ut non solum animæ, ac dæmones teneantur ab igne corporali, sed etiam affligantur, et torqueantur: quod tam difficile est, ut adhuc nemo inventus sit, qui rationem hujus rei, in qua alii acquiescerent, reddere potuerit. Nam si ignis incendiū non affligit, nisi (ut diximus) dissolvendo continuum: quomodo potest intelligi ut affligat indivisibilem spiritum? Vide de hoc toto argumento Augustinum lib. XXI. de Civit. Dei cap. 2, 3, 4, 5, 6 et 10, vide etiam epistol. 49, ad Deo gratias, quæst 6. ubi Augustinus quosdam reprehendit, qui quædam miracula Christianæ religionis credebant, quædam credere volebant. Id enim rectissime in Sacramentarios convenit: deberent enim aut omnia credere, quæ ex divinis litteris Ecclesia proponit, aut omnia negare.

Septimum exemplum sumitur a multis rebus similibus. Nam non magis convenit corpori quanto occupare locum, quam gravi ponderare, colorato videri, lucido lucere, calido calefacere. Sed potest Deus efficere, ut grave non ponderet, ut coloratum non videatur, etiamsi sit in lumine, et medium sit diaphanum, et oculi astantium sint aperti et intenti: ut lucidum non luceat, et calidum non calefaciat. Cur igitur facere non poterit, ut corpus quantum non occupet locum?

Assumptio perspicua est in divinis litteris. Nam Matth. 14. Christus et Petrus cum adhuc corpora mortalia haberent, super aquas ambularunt: et Josue III. aquæ Jordanis non modo non descendebant, sed etiam ascendebant, et instar montis elevabantur, dum transiret populus Dei: et simile miraculum scribitur a S. Hieronymo in vita B. Hilarionis. Christus item non semel invisibilem se fecit, ita ut a vicinis hominibus non videretur; cum tamen ibi esset, neque colorem amisisset, neque aliquid inter se, et illos opposuisset Luc. IV. *Ipse autem transiens per medium illorum ibat* (1). Et Joan. VIII. abscondit se, ne lapidaretur: non autem se abscondit in aliquo angulo, quod nec decebat eum nec poterat commode fieri, cum esset in media turba, et omnium oculi in eum conjecti. Et Luc. ult., cum evanuit ex oculis eorum. Ex quibus locis Marcionitæ probare nitebantur, Christi corpus non verum, sed phantasticum fuisse, ut B. Hieronymus refert in epist. ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosolymitani, quibus ipse B. Hieronymus respondet: verum fuisse corpus Domini, sed divina virtute se invisibile facere potuisse, qua etiam per januas clausas potuit penetrare. Idem etiam Domini corpus post resurrectionem sole isto cœlesti lucidius est, ut Paulus testatur Act. 26. qui et ex ejus aspectu excæcatus fuit: et tamen sæpius apparuit Apostolis, et cum eis familiarissime conversatus sine ullo insolito splendore. Potuit ergo id efficere, ut corpus lucidum non luceret: et sicut de corpore suo fecit, ita prorsus de sole isto cœlesti facere posset si vellet. Denique ignem divina virtute non calefacientem habemus Daniel. III. et sæpe idem legimus in historiis Sanctorum. Qui ergo potuit tam multa æque difficilia, cur non potuerit hoc unum de quo disserimus?

Respondet Petrus Martÿr ad hoc argumentum in lib. *cont. Gardinerum* objecto 12. ac dicit, non esse similia exempla, quæ adducimus: siquidem facile fuit Deo suspendere gravitatem corporis, ne mergeretur in aquis, et actionem ignis, ne calefaceret; non enim propterea destrui naturam corporis, aut ignis: sed ut corpus sit præsens, et non occupet locum, non posse fieri sine destructione corporis.

At nostrum argumentum, non est nostrum sed Patrum, qui illam ipsam consecutionem

(1) Luc. IV, 30.

probant, quam Petrus Martyr improbat. Nam Justinus quæst. 117. ad Orthodoxos. Hieronymus in Epistola de erroribus Joannis Hierosolymitani, et in epist. de obitu Paulæ; Augustinus in lib. de Agone Christiano, cap. 24. et Cyrillus lib. XII. in Joan. cap. 53. qui objicientibus hæreticis non potuisse Christi corpus intrare per clausas januas, objecerunt exemplum de ambulatione Christi, et Petri super aquas, et Augustinus lib. XIII. de civitate Dei, cap. 48, et lib. XXII. cap. 4 et 11. multum laborat, ut respondeat Gentilibus, qui putabant, fieri nullo modo posse, ut corpora terrena, id est, humana, post resurrectionem supra aerem ascenderent, cum ipsa graviora sint aere.

Præterea ratio plane convincit, exempla esse similia. Nam tota ratio cur possit divina potentia fieri, ut grave non ponderet, lucidum non luceat, calidum non calefaciat, coloratum non videatur, est, quia causa est prior effectui, et proinde ab eo non pendet, et sine illo esse potest. At eadem ratio valet in magnitudine, quæ est causa, et occupatione loci, quæ est effectus. Neque multum interest, sitne causa formalis, an efficiens, quod ad rem præsentem pertinet. Nam etiamsi effectus formalis a sua propria causa separari nequeat, et ideo non possit a Deo suppleri, possit autem effectus efficientium causarum: tamen causa ipsa quæcumque, etiam formalis, sine suo effectui esse potest, cum nulla causa ab effectui pendeat. Adde, quod gravitas in eodem genere causæ dat corpori gravi ponderare, in quo moles dat quanto replere: et tamen fatetur Petrus Martyr posse Deum facere, ut corpus grave etiam extra regionem suam non ponderet.

Quod autem videatur destrui natura corporis (ut dicit Petrus Martyr) si non occupet locum, idem etiam videtur in exemplis allatis. Nam si lapis ingens marmoreus, Deo impediente gravitatis officium, duobus digitis attolli posset, instar plumæ huc atque illuc jactari, quis non diceret, illud videri marmor, sed non esse? Et si ignis ardens, Deo impediente actionis calorem, manibus tractari posset sine ullo sensu caloris, quis non diceret depictum illud esse, non verum ignem? et si nivem candidissimam manibus tractaremus, et tamen videre non possemus, quis non arbitraretur se deludi. Denique si solem in medio cælo conspiceremus non lucentem et nihil tamen interpositum esse videremus quis non assereret naturam solis mutatam

esse? Si igitur fieri possunt ista omnia sine destructione naturæ, ut Petrus Martyr affirmat, licet ignorantibus miraculum videatur omnino destrui natura in ejusmodi suspensione causalitatum: cur non idem fieri poterit in magnitudine locum non occupante?

## CAPUT VII.

### *Solvuntur objectiones adversariorum.*

Duo sunt adversariorum argumenta præcipua. Unum ex Augustino in epistol. 57 ad Dardanum, quod et a Calvino, et a Petro Martyre millies repetitur; sic enim Augustinus loquitur: « Non potuit obtinere quantitas corporis, quod potuit qualitas; nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, quoniam sua quæque spatia locorum tenent, minores minora, et majora majores, non potuit esse in singulis quibusque partibus tota, vel tanta, sed amplior est quantitas in amplioribus partibus, brevior in brevioribus, et in nulla parte tanta, quanta per totum. » Et infra: « Spatia locorum tolle corporibus, et nusquam erunt; et quia nusquam erunt, nec erunt. » Et supra jam dixerat, destrui naturam humanam Christi, si non detur ei certum spatium, quo more aliarum rerum corporatarum contineatur.

Respondeo: Augustinus in ea epistola quædam dicit de corpore Christi, quædam de corporibus generatim, quæ non sunt confundenda. De corpore Christi docet, illud non esse ubique diffusum, ita ut forma, et figura humana careat; id enim esset naturam ejus destruere. Sic enim loquitur initio epistolæ: « Hinc fortasse intelligendum dicis. Paradisum quasi in aliqua cæli parte compositum; aut quia ubique Deus sit, hominem quoque illum qui in Deo sit, ubique esse diffusum. » Et infra hoc ipsum refellens: « Si venturus est, inquit, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est in eadem carnis forma, atque substantia; cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus: cavendum est enim, ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod est in Deo, ita sit ubique ut Deus. » Hæc ille: nec alia dicit de corpore Christi in particulari.

Hæc autem directe pugnant cum sententia

Ubiquistarum Lutheranorum, qui per unionem hypostaticam, ita Christi corpus ubique diffusum esse volunt, ut nusquam servet figuram, formam et situm humano corpori convenientem : quod est (ut Augustinus dicit) destruere naturam humanam Christi. At nos fatemur Christi corpus non esse ubique diffusum ; et ubicumque est, habere suam formam et figuram humanam, et partium situm, ac dispositionem ; quamvis hæc figura, forma, dispositio partium in cœlo conspiciatur, ubi locum replet ; in Sacramento autem sit quidem, sed non repleat locum, nec videri a nobis possit : quemadmodum etiam ut supra diximus, non caruit figura, et forma Christus, cum se non semel invisibilem fecit ; neque carne, et ossibus caruit, quando super aquas ambulavit, et per clausas portas intravit.

Jam vero de corpore generatim duo dicit Augustinus. Primo corpora magnitudinem habentia extensa esse, et habere certum ordinem partium, et proinde non posse fieri ut tanta sit magnitudo unius partis, quanta totius ; vel tanta in parvo corpore, quanta in magno : cujus contrarium videmus non solum in rebus spiritualibus, sed etiam in qualitatibus corporalibus. Nam eadem anima, et tota potest esse in parte corporis, et in toto corpore ; similiter in parvo corpore, et in magno ; et potest fieri, ut tantus sit candor, vel calor in parte corporis quantus in toto, imo etiam ut major sit candor, vel calor in parvo corpore, quam in magno.

Quæ omnia verissima sunt, et nihil pugnant cum sententia nostra de Eucharistia ; quia solum requirit Augustinus, ut omne verum corpus sit extensum in se, non autem ut necessario coextendatur loco. Quod si in verbis Augustini primo loco allegatis ab hæreticis, fit mentio loci, id fit, quia a posteriori probat Augustinus corpus in se extensum esse ex eo quod occupat certum spatium loci, sed non inde sequitur non posse extensum esse in se, nisi occupet locum. Ac per hæc explicata manent prima verba Augustini supra citata : « Non potuit obtinere quantitas, etc. »

Secundo Augustinus dicit, corpora ita esse in loco, ut pendeant a loco, cum e contrario Deus ita sit in loco, ut non pendeat a loco, sed potius locus pendeat a Deo. Sed hoc dictum intelligendum est de corporibus, quæ sunt infra cœlum, et quatenus naturaliter existunt : nam alioqui falsum esset. Siquidem, ut sæpe diximus, ultimum cœlum non

est in spatio, vel loco aliquo, sed est in seipso, et in Deo ; et sicut ultimum cœlum non eget ullo spatio in quo sit, ita posset sine dubio Deus conservare alia corpora sine spatio, tametsi naturaliter egeant spatio.

Neque mirum, aut durum videri debet dictum Augustini non esse verum absolute, sed solum cum duabus illis limitationibus : id enim abunde sufficit proposito ipsius ; solum enim docere volebat, Deum ita esse in loco, ut non pendeat a loco. Ut autem ostenderet, quid sit esse in loco, et non pendere a loco, explicuit per contrarium, quod est nobis notius, id est, per exempla corporum, quæ ita sunt in loco, ut pendeant a loco : ad hujus autem exempli veritatem satis est, si quædam corpora non possint naturaliter existere, nisi in loco sint. Atque hinc explicata manent illa alia verba : « Spatialocorum tolle corporibus etc. »

Altera objectio philosophica est : nituntur enim ostendere destrui essentiam quantitatis, si alicubi ponatur, et tamen non occupet locum. Sic enim Calvinus argumentatur lib. iv Instit. cap. 17. § 29. « Hæc est propria corporis veritas, ut spatio contineatur, ut suis dimensionibus constet, ut suam faciem habeat : facessat igitur stultum illud commentum, quod tam mentes hominum, quam Christum pani affigit. » Secundo Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum* objecto 74. probat, quædam esse ita intrinseca rei, ut licet sint posteriora, tamen separari nequeant ullo modo : « Nam facultas intelligendi est posterior ipsa hominis essentia, cum illa qualitas, ista substantia sit, et tamen non potest separari ab homine facultas intelligendi, neque enim homo erit, si ratione careat. Similiter quantitas est posterior corporata substantia, et tamen separari nequeunt sine interitu substantiæ. Sed occupare locum, est quædam intrinseca proprietas quantitatis ; ergo separari non poterit a quantitate, licet posterior sit. » Tertio idem ibidem argumentatur : « Non potest separari quaternarius a modo quaternarii, ita ut existat per modum unitatis ; ergo nec poterit linea, aut alia quantitas continua separari a modo suo, ita ut existat non extense sed indivisibiliter. » Huc pertinet aliorum etiam argumentum, quod sit quartum : « Non potest substantia existere nisi substantialiter ; ergo nec quantitas, nisi quantitative. » Et aliud quod sit quintum : « Non potest ullo modo spiritus indivisibilis existere per modum corporis

divisibiliter, et extense; ergo nec potest corpus divisibile existere ullo modo per modum spiritus indivisibiliter. » Sextum: « Videtur implicare contradictionem ut corpus trium cubitorum contineatur sub dimensionibus frustuli panis unius digiti: nam si ita fiat, erit idem corpus majus, et minus; et proinde majus et non majus respectu ejusdem. » Septimum: « Si corpus Domini suam habet in Eucharistia figuram, et partium distinctionem, et ordinem; ergo distant pedes magis quam pectus a capite. At distantia major, et minor sine relatione ad locum intelligi nequit: illa enim magis distant inter se. inter quæ majus intervallum interjectum est. » Octavum: « De essentia quantitatis est habere partem extra partem; ergo ubi est est una pars, non est alia; non igitur tota quantitas corporis Domini in eadem hostiæ particula esse potest. »

Sed hæc omnia solvi possunt ex fundamentis jactis cap. 5. Ad primum igitur Calvinii argumentum, respondeo illum admisisse vera falsis, ut aliquid dicere videretur. Nam quod ait ad corporis veritatem requiri, ut suas dimensiones, et suam faciem habeat, verum est: neque nos dicimus, Christi corpus in Eucharistia dimensionibus, aut facie carere. Quod vero addit, requiri etiam, ut spatio contineatur, falsum est, ut supra ostendimus. Et sane si ex tota hac aula, in qua nunc sumus, Deus totum aerem auferret nec alium ingredi pateretur, nos omnes retineremus dimensiones nostras, et facies, et tamen nec spatio containeretur, nec ullus alterius faciem videret.

Ad secundum Petri Martyris dici posset in primis illa non esse similia, quæ ipse ut similia adducit. Nam replere locum est actus quidam, non potentia, at facultas intelligendi est potentia, non actus: et magis absurdum est, rem carere potentia, quam actione. Unde nos qui dicimus quantitatem aliquando divino miraculo non replere locum: tamen simul dicimus, illam ex se aptam esse replere locum, et repleturam, si suæ naturæ relinquatur.

Deinde etiam respondeo facultatem intelligendi per divinam potentiam tolli posse nec tamen inde sequi, ut homo desinat esse homo, sed tantum, ut desinat exercere, quæ hominis sunt, quia instrumentis actionum humanarum careat: quemadmodum infantes ac moriones homines sunt, quia rationabilem animum possident, licet non minus careant

usu intelligendi, quam si facultatem illam penitus non haberent. Quod idem dico de substantia, et quantitate; licet enim naturaliter sejungi nequeant, tamen nullam involvit contradictionem, ut unum sine altero sit.

Ad tertium ejusdem respondeo quaternarium non posse separari a modo quaternarii essentiali, sed posse ab accidentario, id est, non potest fieri, ut quaternarius redigatur ad modum unitatis, ita ut quatuor homines sint unus homo: sed potest fieri, ut redigatur ad locum unitatis, ita ut quatuor homines occupent locum unius hominis. Et eodem modo non potest linea, vel corpus separari a modo suo essentiali, ita ut fiat in se indivisibile, sed potest tamen separari a modo accidentario, ita ut non occupet locum divisibilem.

Ad quartum de substantia, quæ non videtur posse existere, nisi substantialiter, respondeo eodem modo, substantiam non posse separari a modo suo essentiali, quod fieret, si inhæreret in subjecto more accidentium: tamen posse separari a modo suo intrinseco et proprio, sed non essentiali, qui est per se existere. Nam substantia humanitatis Christi, ab isto modo separata est, cum existat in verbo, et non habeat propriam subsistentiam: sic igitur, et quantitas non potest existere nisi quantitative, quantum ad essentialem modum, quia non potest existere sine extensione, et partium distinctione in se; tamen bene potest existere non quantitative in ordine ad locum, ut sæpe diximus.

Ad quintum de spiritu et corpore, respondeo, ex eodem principio colligi posse, cur non possit spiritus extendi in loco, et possit corpus non extendi. Nam extendi in loco est effectus formalis extensionis in se: ideo enim potest aliquid extendi in loco, quia in se est extensum, non e contrario. Potest autem causa formalis ab effectu separari, non contra, effectus a causa; quia causa prior est, effectus posterior. Hinc igitur potest corpus in se extensum non extendi in loco, quia per hoc separatur tantum causa ab effectu: non autem potest spiritus in se indivisibilis extendi in loco, quia per hoc poneretur effectus formalis sine causa, et posterior sine priore: quod fieri nequit.

Ad sextum respondeo, si consideremus dimensiones corporis Christi seorsim, et dimensiones hostiæ consecratæ, majores multo esse illas, quam istas; tamen si consideremus easdem corporis Domini dimensiones, ut sub



specie panis ineffabiliter continentur, non esse majores, nec minores, quia non commensurantur illæ istis, sed existunt sine ordine ad locum, eo modo fere, quo anima est in corpore, quæ nec minor, nec major corpore dici potest.

Ad septimum respondeo, distantiam, quæ est inter membra corporis, quatenus in se extensum est, non esse distantiam localem, sed alterius cujusdam generis : dicuntur enim ea distare inter se, quæ non sunt immediate conjuncta ; et ea magis distare, inter quæ plura sunt interjecta, et non intervalla, sed membra. Quod perspicue cernitur in corpore humano, quod supra cælum collocatum esse cogitare possemus : in eo siquidem distarent pedes a capite, non per spatium locale, quod ibi nullum est, sed per interjectionem pectoris, aliorumque membrorum.

Ad octavum, quod omnium videtur esse difficillimum ob ingenii humani imbecillitatem, respondeo, corpus quantum habere partem extra partem, si illud (extra) dicat habitudinem ad subjectum, non autem si dicat habitudinem ad locum. Et similiter cum in argumento colligunt : Ergo ubi est una pars, non est alia ; dico recte colligi, si illud (ubi) dicat situm internum partium in subjecto, non autem si dicat situm in loco ; et hoc modo intelligitur quod ait Philosophus in prædicamento quantitatis quamdam speciem quantitatis constare ex partibus habentibus positionem : loquitur enim de positione in toto, sive subjecto, non de positione in loco.

Sed contra solutionem quidam acute instant : Corpus quantum habet partem extra partem in ordine ad totum seu subjectum, ergo et in ordine ad locum. Probatur consequentia. Nam pars corporis coexistit certæ parti loci : vel ergo eidem parti loci coexistit alia pars corporis ; vel non ; si non, ergo etiam in loco habet corpus illud partem extra partem, et proinde non est totum in qualibet parte : si coexistit, ergo etiam inter se partes corporis coexistunt. At hoc fieri nequit, cum inter se distent, et una sit extra aliam, ut dictum est.

Respondeo : Nego primam illam consequentiam : Ergo et in ordine ad locum habet partem extra partem. Ad probationem dico duas partes corporis, coexistere eidem parti loci. Cum infertur : Ergo coexistunt etiam inter se ; dico coexistere etiam inter se in loco, non tamen in subjecto : cujus ratio est sæpe reddita, quia videlicet extensio, et dis-

tinctio partium in subjecto non impeditur, nec impediri potest, cum sit essentialis ; extensio, et distinctio quoad locum impediri possit, et reipsa impediatur a Deo, cum corpus Domini in Sacramento manet. Sed de his satis.

## CAPUT VIII.

*Ostenditur Deum voluisse, et fecisse, ut reipsa corpus Domini in Eucharistia præsens adesset.*

Demonstravimus hætenus non esse impossibile Deo corpus Domini in Eucharistiæ Sacramento vere ac realiter constituere : sequitur videamus, an voluerit id facere. Et Sacramentarii quidem uno ore Deum noluisse dicunt, quidquid tandem de potentia sit : id vero non aliter probant, nisi quia non videtur id neque utile, neque decens. At nos habemus omissis etiam Scripturis, et Patribus, testimonia credibilia nimis, et ad quæ nihil omnino responderi possit ab his, qui Christianæ fidei nomen dederunt.

Ac primum quidem argumentum sumitur a natura, et conditione hæresis. Illa enim tam apte quadrat in opinione Sacramentariorum, ut nulla sit in mundo hæresis, si illa non est hæresis. Quod si illa est hæresis, contraria erit veritas fidei, proinde veritas a Deo revelata : atque ita constabit Deum hoc voluisse, et fecisse.

Conditio primaria hæresis est novitas doctrinæ, ut veritatis Catholicæ antiquitas. Porro novitas his conjecturis convincitur, si notari possint auctor, locus, tempus, si incipiat cum paucis sectatoribus, si cum admiratione, et perturbatione fidelium appareat ; et si ei contradicatur, ad judicium et examen adducatur, et tandem a concilio Episcoporum, et consequenter a populis fidelibus condemnatur. Id enim in omnibus hæresibus gravioribus invenitur, ut in Ariana, Nestoriana, Eutychniana, Pelagiana, et similibus.

Jam sententia Sacramentariorum habet auctorem suum certum, Berengarium Turo-nensem natione, et Andegavensem Archidiaconum. Patet ex Paschasio, qui in lib. de verbis Institut. Sacramenti, affirmat suo tempore non defuisse aliquos, qui quæstiones moverent de veritate corporis Domini in Eucharistia (fuerant enim Joannes Scotus, et Bertramus) tamen nullum fuisse, qui

aperte negaret : « Et ideo, inquit, quamvis ex hoc quidem de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis credit, et confitetur. » Hæc ille. Itaque tempore Paschasii adhuc nullus fuerat, qui aperte profiteri ausus esset, non esse vere, et realiter Christi corpus in Eucharistia. Post Paschasii autem tempora nullus fuit ante Berengarium, qui aperte vel obscure de hac re scripserit ; sed ipse primus se doctorem novi dogmatis ventitare ausus est. Quare Adelmannus Episcopus Brixinensis, et Hugo Episcopus Lingonensis in epistolis ad Berengarium, ad eum scribunt tanquam primum assertorem ejus hæresis, et serio monent, ne Ecclesiam perturbet, et miminerit, quem exitum habuerint hæresiarchæ, qui ante eum fuerunt. Denique Guitmundus lib. III. non procul a fine : « Notissimum, inquit, est, hoc tempore priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nusquam fuisse ». Itaque auctor notissimus est.

Tempus æque notum ; quippe ab historicis, et chronologis, aliisque scriptoribus eorum temporum annotatum. Scribit Sigebertus in Chronico, anno 1051, cœpisse Berengarium novo suo dogmate Gallias perturbare ; quod idem indicant Lantfrancus, et Guitmundus, et alii, inter quos præcipue legendus est Gulielmus Bibliothecarius, Malmes Beriensis lib. III de gestis Anglorum, qui illo ipso tempore floruit.

Locus item notissimus ; nam in Gallia cœpit suam hæresim prædicare, ut omnes citati auctores scribunt.

Paucitas sectatorum initio describitur a Guitmundo lib. I, ubi dicit, Berengarium cœpisse audiri a pauperibus scholaribus quibusdam, quos ille data stipe ad se alliciebat. Admiratio, et perturbatio Ecclesiæ, quæ est evidens indecium novitatis describitur ab iisdem auctoribus et præsertim ab Adelmanno in epistolam ad Berengarium, et a Lantfranco initio libri contra Berengarium, ubi dicit lectam fuisse in Concilio Romano sub Leone IX, epistol. Berengarii a se ; in qua epistola cum scriptum esset tantummodo Sacramentum, omnes Episcopos miratos esse, quod illa verba adversarentur usitatissimæ fidei Catholicæ Ecclesiæ.

Denique contradictio, examen, judicium, et condemnatio habentur ibidem. Sic enim scribit Lantfrancus : « Tempore S. Leonis Papæ delata est hæresis tua ad Apostolicam

sedem. Qui cum Synodo præsideret, ac resideret secum non parva multitudo Episcoporum, Abbatum, diversique ordinis a diversis regionibus religiosarum personarum, jussum est in omnium audientia recitari, quas mihi de corpore et sanguine Domini litteras transmisisti ». Et infra : Intellecto, quod communi de Eucharistia fidei adversa sentires, promulgata est in te damnationis sententia, privans te communionem sanctæ Ecclesiæ quam tu privare sancta ejus communionem satagebas ». Hæc ille.

Videmus igitur omnia signa novitatis in opinione Berengarii reperiri : quorum ne unum quidem in sententia nostra reperitur. Neque enim hactenus ullus hæreticorum dicere potuit, quis auctor fuerit nostræ sententiæ : unde etiam Berengarius vocabat eam sententiam vulgi ut ibidem Lantfrancus testatur. Neque tempus, aut locum, aut paucitatem primorum sectatorum, aut admirationem populorum, aut denique ullum publicum judicium contra eam proferre unquam poterunt adversarii.

Et sane non esse inventum Papistarum (ut adversarii nos vocant) sententiam nostram de Eucharistia, sed rem antiquissimam patet evidenter ex consensu Græcorum. Græci enim a Romanis Pontificibus a longissimo tempore dissidere cœperunt, et proinde eorum nova dogmata non facile recepissent : et tamen in hac re nunquam a Latinis dissenserunt, neque hoc tempore dissentiunt, ut ex censura Orientalium ad Confessionem Lutheranorum patet. Confirmatur hoc totum argumentum a facilitate sententiæ adversariorum, et difficultate nostræ sententiæ. Nam cum sententia adversariorum sit facillima, et humanis sensibus accommodata, facile potuisset occulte irrepere, et a plurimis continuo admitti, ita ut laterent signa illa novitatis. At sententia nostra, quæ difficillima est, et repugnat sensibus, ac superat rationem, non potuit occulte irrepere, nec potuit facile tantæ multitudini persuaderi. Cum ergo videamus in sententia nostra nulla apparere signa novitatis, quæ tamen non potuit ullo modo occulte subintrare ; et contra inveniamus omnia signa novitatis, in sententia adversariorum, quæ tamen facile potuisset occulte insinuari : evidenter sane ostenditur nostram esse antiquissimam, et proinde veram ; contrariam vero novam et proinde falsam, et hæreticam.

Alterum argumentum veritatis fidei no-

stræ, est consensus Ecclesiæ. Nam habemus consensum Ecclesiæ totius Latinæ, Græcæ, Barbaræ. Scribit enim Paschasius in lib. de Instit. Sacramenti, ubi explicat verba Domini: *Hoc est corpus meum*, nullum omnino fuisse, qui se Christianum diceret, qui negare auderet carnem Domini vere esse in Eucharistia. Lantfrancus autem de suo tempore sic scribit in extremo lib. contra Berengarium: « Interroga universos, qui Latinæ linguæ, nostrarumve litterarum notitiam perceperunt, interroga Græcos, Armenios, seu cujuslibet nationis quoseumque Christianos, uno ore hanc fidem se testabuntur habere ». Nostro autem tempore tantus consensus erat in nostro orbe terrarum, antequam Carolstadius, et Zwinglius apparere cœpissent, ut Zwinglius scribat in commentario de vera et falsa religione, cap. de Eucharistia, se valde occulte initio egisse, et cum paucis amicis contulisse negotium istud novi dogmatis proponendi: metuebat enim, ne omnes offenderet, cum nullum omnino sciret esse ejus sententiæ, quam ipse invehere in Ecclesiam cogitabat.

Hoc igitur consensu posito, necessario sequitur, ut vel nostra sit vera fides de Eucharistia; vel numquam fuerit Ecclesia in mundo, vel fuerit, sed perierit, vel manserit in solis Berengarianis; vel simul maneat Ecclesia Dei, et summum ac publicum sacrilegium, summaque et publica idololatria. At Ecclesiam numquam fuisse in mundo, pugnat cum Scripturis, et cum Symbolo, et a nullo unquam vel hæreticismo id fuit assertum. Ecclesiam fuisse, sed periisse omnino pugnat cum apertissimis promissionibus Dei. Lucæ I: *Regni ejus non erit finis*. Matth. XVI. *Portæ inferi non prævalerunt adversus eam*. Matth. ult. *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (1). Mansisse in solis Berengarianis dici non potest, quia tunc, ante Berengarium non fuisset. Nam saltem per annos ducentos ante Berengarium constat ex testimonio Paschasii, et omnibus historiis, totam Ecclesiam credidisse id quod nos credimus. Deinde Berengariani paucissimi fuerunt, et vix alibi quam in Gallia, et brevi tempore ad nihilum redacti. Et licet post annos circiter 300, a Joanne Wiclefo, renovata fuerit hæresis Berengariana, tamen extra Angliam et Bohemiam pedem non posuit; et in illis etiam

locis, ita extincta fuit, ut annis circiter centum ante Zwinglium nusquam fuerit. At Ecclesia semper vivit, semper conspicua est nec potest (ut ista hæresis fecit) modo interire, modo renasci, nisi falsæ sint promissiones supra citatæ. Denique Ecclesiam esse, et simul in summo errore, sacrilegio, et idololatria versari, nullo modo fieri potest: nam alioqui nulli hæretici essent extra Ecclesiam et falso Paulus diceret I. Tim. III: Ecclesiam esse columnam, et firmamentum veritatis.

Videtur Petrus Martyr in sua preceatione ad Deum, qua concludit librum suum *contra Stephanum Gardinerum*, existimasse Ecclesiam veram esse posse, ubi hæresis, et idololatria regnent: sed ita adversus eum pugnat illa ipsius precatio, ut mirum sit ipsum etiam non id animadvertisse. Sic enim alloquitur Christum: « Si desperata, inquit, est plaga, neque veritati tuæ in tua Ecclesia amplius futurus est publicus, et apertus locus, ad exereendum iudicium quamprimum venito ». Hæc ille; qua quidem preceatione nullam unquam stultiolem legi. Nam si per veritatem intelligit sententiam Zwinglii, quam in toto eo libro asserere conatus est: fateri cogitur apud nos esse veram Ecclesiam Christi, et proinde se esse extra Ecclesiam: nostra enim Ecclesia est in qua non permittitur locus sententiæ Zwinglii. Si vero suum cœtum vocat Ecclesiam Christi, tum fateri cogitur, sententiam nostram de Eucharistia esse veritatem Dei: nam sententia nostra est, cui non datur locus in cœtu Zwinglianorum. Quare quocumque se vertat, suo se gladio ferit; ut omittam, nimiam esse stupiditatem, dicere in Ecclesia Dei non dari locum veritati Dei. Ubi enim erit veritas Dei, si in Ecclesia Dei non est? Sed justo iudicio Dei, qui Ecclesiam Dei perdididerunt, jam nec qualis illa sit, videre possunt.

Tertium argumentum sumi potest a diligentia, quam Ecclesia adhibuit in præsentia controversia examinanda, et a constantia in veritate retinenda. Si enim Ecclesia quæstionem discutere noluisset, aut leviter discussisset: possent hæretici aliquem colorem obtendere, cum dicunt Ecclesiam in errore versari. At nulla unquam quæstio sæpius, ac diligentius examinata est.

Primum discussa fuit in Concilio Romano sub Leone IX, et damnata hæresis Berengarii. Secundo in Vercellensi, eodem Leone

(1) Luc. I, 33; Matth. XVI, 18; XXVIII, 20.

præsente, ac præsidente, eadem quæstio discussa et eodem modo explicata: quo etiam Berengarius vocatus est, et cum accedere nolisset, cum ejus confœderatis, qui se Berengarii legatos nominabant, disputatum est. Tertio mortuo sancto Leone iterum in Concilio Turonensi præsidentibus legatis Victoris papæ, qui Leoni successerat, cum ipso Berengario acerrime disputatum, eoque convicto et hæresim abjurante, eadem fides confirmata est. Quarto cum Berengarius ad vomitum rediisset, iterum Romæ in generali Concilio Nicolao II, præsidente, et Berengario præsente, eadem quæstio proposita, et discussa diligentissime fuit, et tum secundo Berengarius abjuravit, et librum ipse suum coram omnibus cremavit. Atque horum quatuor Conciliorum meminit Lantfrancus in libro *contra Berengarium*, qui omnibus interfuit. Quinto cum Berengarium, iterum secunda abjuracione contempta, ad suam hæresim rediisset, coactum est quintum Concilium Romæ a Gregorio Papa VII, et rursus quæstio discussa diligenter, et hæresis damnata fuit: ubi etiam Berengarius tertio abjuravit, neque amplius defecit. Hujus Concilii non meminerunt Lantfrancus, et Guitmundus, quia nondum celebratum erat, cum illi scriberent: sed meminit Thomas Waldensis tom. II. de Sacramentis, cap. 43. Sexto in Concilio amplissimo totius orbis sub Innocentio III. Romæ celebrato, iterum eadem hæresis damnata est. Septimo eadem veritas explicata est in Concilio generali Viennensi, anno Domini 1311, unde exstat Clementina unica de reliquiis, et veneratione Sanctorum. Octavo idem est factum in Concilio generali Romano sub Joanne XXIII, anno Domini 1413. ut testatur Joannes Cochleus lib. I. historiæ Hussitarum. Nono idipsum actum est in Concilio Constantiensi propter hæresim eandem a Joanne Wicleffo renovatam. Decimo in Concilio Tridentino nostris diebus propter Zwinglianos, et Calvinistas: ut omittam Concilium Florentinum, et plurima alia, in quibus obiter idem est definitum.

Quæ cum ita sint, quis poterit sibi persuadere, Deum permissurum fuisse, ut Ecclesia in hac re erraret? Quid enim facere debuit, et non fecit? congregavit homines doctos, rem excussit, Deum invocavit, idque non semel, nec bis, sed sæpius. Quod si dubitare possumus an hac in re erraverit Ecclesia, de omnibus aliis definitionibus contra varias hæreses dubitare poterimus; imo

etiam, an Deus sit, sive an res nostras curet, dubitare poterimus; quid enim curat, si ista non curat?

Hunc accedit quod Ecclesia Catholica semper in eadem sententia mansit, neque deterrita est ob argumenta varia, et difficilia, quæ vel Berengariani, vel postea Wiclefistæ, vel Zwingliani excogitaverunt: in omnibus enim citatis Conciliis eadem sententia invenitur. Contra vero adversarii, nec ulla Concilia Episcoporum habuerunt, nec inter se unquam convenerunt. Scribunt enim Guitmundus lib. I. et Algerus in Prologo librorum de corpore, et sanguine Domini, statim in ipso initio Berengarianæ hæreseos ortas esse sex diversas opiniones, ac sectas, quas ipsi enumerant. Nostro autem tempore (ut supra diximus) multo plures existunt, præsertim si jungamus errores Lutheranorum cum erroribus Zwinglianorum.

Quartum argumentum sumi potest a patronis sententiæ nostræ. Nam sententia nostra ab eo tempore, quo propter Berengarium clarissime explicata est, id est, ab anno Domini 1051. patronos habuit plurimos viros tam claros vitæ sanctitate, et miraculis, ut etiam ab hæreticis hujus temporis sancti habeantur, et nominentur. In hoc numero sunt sanctus Anselmus, S. Bernardus, S. Malachias, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Antonius de Padua, S. Petrus Martyr, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Nicolaus Tolentinus, S. Ludovicus Rex, S. Bernardinus, S. Vincentius, S. Antonius, S. Franciscus Paulanus, et alii plures. Isti vere sancti, et amici Dei fuerunt, et cum Christo nunc in cælis regnant: nam præter commune Ecclesiæ testimonium, omnes miraculis claruerunt, et aliqui eorum pluribus, et certioribus, quam ulli fere veterum; ut Bernardus, ejus miracula præ multitudine numerari non possunt; ut Vincentius, in ejus canonizatione dicuntur certis testibus probata plusquam octingenta miracula; ut Franciscus, ejus etiam prope innumerabilia, et maxima narrantur a S. Bonaventura. Sunt autem hæc miracula certiora, quam veterum Sanctorum, quia Ecclesia his posterioribus sæculis non solet referre in numerum Sanctorum aliquos, nisi miracula certissimis testibus comprobentur, quod olim non fiebat. Et denique aliquos horum, ut Bernardum, Franciscum, Dominicum sanctos esse fatentur etiam adversarii. Lutherus in lib. de captiv. Babylon. cap. de Eucharistia, Tho-

nam Aquinatem vocat sanctum, et cap. de Baptismo, sanctos vocat Bernardum, Dominicum, et Franciscum. Philippus Melancthon in Apologia Confess. art. 4. et 5. et 27. sanctos vocat Antonium, Bernardum, Dominicum, Franciscum. Et Petrus Martyr in comment. 3. cap. 1. ad Corinth. in illud: *Dies enim Domini declarabit*, salvatos affirmat eosdem. Calvinus in Iustit. cap. 10. et 17. Bernardum pium scriptorem vocat. Hos autem in nostra sententia de Eucharistia fuisse tum ex libris eorum constat, tum ex eo, quod omnes Romanis Pontificibus adhæserunt; tum denique quia Romana Ecclesia nunquam eos in sanctorum catalogum retulisset, si in tanta re ab illa dissensissent.

Ad hæc extra controversiam est, sanctos, et amicos Dei esse non posse, qui vera fide carent; eum sine fide impossibile sit placere Deo, Hebr. XI. et eum justus ex fide vivat Hebr. X. Et denique non est ullo modo credibile, Deum, qui sanctis istis dedit spiritum Prophetiæ, et revelavit plurima etiam non necessaria, tanquam amicis, noluisse saltem alicui eorum revelare veritatem hujus rei tam necessariam.

Neque potest dici sanctos excusari posse, licet erraverint, quod in re parvi momenti, aut in re nondum explicata, et definita, aut certe non pertinaciter, sed simpliciter, et ex ignorantia lapsi fuerint. Nam in primis res gravissima est, et in qua vel summa pietas, et religio, vel summa impietas, idololatria, et sacrilegium continetur. Deinde res tractata, discussa, et definita jam erat in multis Conciliis, ut diximus, et inter hæreticos jam numerabantur, qui aliter sentiebant. Denique ipsi homines sancti non simpliciter hoc asseruerunt, sed fere omnes contra hæreticos propugnarunt; vel libris, vel concionibus, vel etiam disputationibus eum hæreticis habitis. Quare necesse est omnino aut veram esse sententiam nostram, aut homines illos hæreticos, et inimicos Dei fuisse: neque adversarii nostri unquam inter se conciliabunt ista duo, viros illos sanctos fuisse et in errore gravissimo versatos, atque ideo idololatrias, et sacrilegos tota vita sua fuisse.

Quintum argumentum sumitur ab auctoribus, et patronis contrariæ sententiæ: tales enim fuerunt, ut nullo modo probabile sit, Deum per tales homines Ecclesiam suam corrigere, vel reformare voluisse. Etsi enim Deus eligere solet aliquando homines simplices, ignobiles, imperitos, ut per eos mag-

nalia sua operetur; tamen ipse eos instruit divina sapientia, charitate, dono miraculorum, et similibus ornamentis, ut homines cæteri tuto credere possint illos a Deo missos. Tales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, institutores Ordinum religiosorum, et alii similes.

Inspiciamus nunc qualis fuerit Berengarius, quem parentem suum agnoscit Calvinus, in ultima admonitione ad Westphalum, ubi dicit se non ægre ferre, quod sententiam suam olim in Berengario damnaverit Nicolaus Papa in Concilio Romano, et Gregorius VII, in Concilio Vercellensi, sed contra potius suspectum sibi futuram fuisse, si Romani Pontifices illam approbassent.

Iste igitur Berengarius multis modis insignis fuit. Primo prævisus fuit divinitus. Nam ut scribit Gulielmus Bibliothecarius in lib. III. de gestis Anglorum, S. Fulbertus Episcopus Carnotensis in extremis agens, cum inter alios, qui illi morienti aderant, Berengarium tunc adolescentem, et nondum hæresiarcham vidisset, jussit eum expelli, protestatus videre se immanem dæmonem prope illum, qui etiam blando anhelitu multos ad eum allicere videbatur. Quæ sane visio aperte significavit Berengarium opera Diaboli plurimos per novam hæresim seducturum. In quo Berengarius æqualis Ario dici potest; nam Ario futuram hæresim S. Antonio Deus præmonstravit, ut in ejus vita testis est Athanasius. Solet enim Deus gravissima mala ut justissimo judicio suo interdum permittere, ita etiam ex magna sua misericordia præsignificare, ut homines sibi caveant, et minus inde lædantur.

Secundo excellit Berengarius in perjuriis, et inconstantia. Nam (ut supra diximus) ter diversis temporibus hæresim abjuravit, ac proinde bis perjurus fuit; ideo enim ter abjurare coactus est, quia post primam abjuratorem his perjurus fuit, eum in hæresim relapsus esset: tandem tamen Catholicus obiit, ut idem Gulielmus ibidem refert.

Fuit præterea Berengarius, ut patet ex I. lib. Guitmundi, qui ejus vitam breviter describit supra modum superbus, et arrogans, et ex ipsa superbia occasionem accepit novi dogmatis promulgandi. Nam prima illi controversia cum Lanfranco fuit de rebus ad Dialecticam pertinentibus; sed eum ab eo superari, et ab auditoribus quotidie magis ac magis descri se videret, ignominiam illam non ferens, Dialectica ommissa ad Theologiam

se transtulit : et quia malebat (ut ait Guitmundus) cum aliqua hominum admiratione esse hæreticus, quam in oculis Dei occulte Catholicus vivere, ea diligentissime sectabatur, quæ nova et inaudita cæteris essent. Inde ergo initium hæresis.

Accedit ad hæc, quod præter hanc sententiam de Eucharistia, duas alias promulgavit, quas ne ipse quidem Calvinus negaret hæreses esse. Docuit enim, ut ibidem Guitmundus testatur, legitima matrimonia destrui posse, ac licere omnibus fœminis uti, et non esse infantes baptizandos; quæ duo in Anabaptistis hujus temporis Calvinus, et Lutherus damnant. Quis igitur credat voluisse Deum per hominem ita erroneum, adversariorum etiam judicio, atque adeo manifeste hæreticum, Ecclesiam illustrare et reformare ?

De sectatoribus Berengarii scribit ibidem Guitmundus, homines sceleratos ad eum concurrere solitos, qui lætabantur se magno metu liberatos, cum intelligerent Eucharistiam non esse rem tam divinam, ut propter ejus perceptionem a sceleribus, et flagitiis se continere deberent.

Jam de Wiclefo, de Carolstadio, Zwinglio, Calvino, Petro Martyre, et aliis hujus hæresis patronis, nimis longum esset, quales fuerint, explicare. Illud constat, neminem ipsorum ullum unquam miraculum edere, aut signum ullum sui Apostolatus ostendere potuisse.

Postremum argumentum sunitur a miraculis, quæ in confirmatione hujus veritatis facta sunt, qualia hæretici pro suo errore, neque a Deo, neque a dæmone extorquere potuerunt. Nam nec Deus testis mendacii esse potest, nec permisit hactenus hæreticis, ut saltem opera diaboli, si non vera, saltem apparentia miracula facerent. Multa referuntur miracula circa Sacramentum Eucharistiæ a Joanne Garetio in lib. de vera præsentia corporis Domini, et a Tilmano Bredembachio toto lib. i. sacrarum collationum. Septem mihi videntur ad rem nostram maxime facere.

Primum est in vita B. Gregorii a Paulo Diacono scripta, et in lib. ii, cap. 41. vitæ ejusdem Gregorii per Joannem Diaconum scriptæ. Summa historiæ hæc est. Cum S. Gregorius Eucharistiam populo distribueret, venit ad mulierem, quæ forte panem, qui in altari fuerat consecrandus, suis manibus fecerat. Cum ergo illi S. Gregorius diceret :

« Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam », illa diabolo tentante subriit, et Pontifex manum retraxit, et particulam in altari reposuit. Deinde completis solemnibus interrogavit mulierem coram populo, cur in tam tremenda actione risisset. Illa diu mussitans tandem respondit, recognovisse se panem, quem suis manibus fecerat, atque inde credere non potuisse corpus Domini revera esse. Tum S. Gregorius a Deo petiit, et impetravit, ut etiam specie externa panis, in carnem mutaretur; quo facto, tam illam ad fidem reduxit, quam totum populum confirmavit.

Alterum miraculum exstat apud Paschasium in lib. de corpore Domini cap. 14. ubi refert Presbyterum quemdam valde pium et sanctum, optasse aliquando videre corporalibus oculis speciem ejus, quem certa fide credebat sub speciebus panis, et vini latere : et tandem quod petebat obtinuisse, ac vidisse Christi corpus in forma humana, sed puerili, quod etiam ipse petierat. Ut enim eo loco idem Paschasius refert, duplici de causa Deus hæc miracula facere solet, vel ad dubitantes in fide confirmandos, vel ad consolandos eos, a quibus ardentè amatur.

Tertium est S. Malachiæ, quod refert Bernardus in ejus vita. Cum enim Clericus quidam aliquando dicere præsumpsisset, in Eucharistia solum esse Sacramentum, non corporis veritatem, S. Malachias secreto, ac sæpe eum convenit, et admonuit non resipiscentem adducit in conventum Clericorum, ibique data facultate pro suo errore dicendi, cum illo disseruit, eumque apertissime confutavit. Nondum ad mentem redire volentem, coram omni populo publice arguit, hæreticumque denuntiat, et cum aliis Episcopis, qui forte aderant, anathemate ferit. Sed cum adhuc ille furens diceret, omnes favere homini, se autem solum non accipere personas, nec deserere veritatem, S. Malachias dixit : « Dominus faciat te veritatem fateri, vel ex necessitate. » Cui ille respondit, *Amen*. Sed ecce die eodem corripitur gravissimo ac lethali morbo, redit ad mentem, reconciliatur Ecclesiæ, expirat. Poterat ne clarius Deus ostendere a qua parte sit veritas ?

Quartum est ipsius Bernardi. Nam ut scribitur in ejus vita lib. ii, cap. 3. Mediolani præsentè populo innumerabili inter Sacramentorum celebrationem curavit dæmoniacam, cujus sanitas desperata jam videbatur.

Siquidem multos annos diabolus eam possederat, et oculorum, aurium, ac linguæ usum illi eripuerat; ipsam etiam linguam in morem promuscidis elephantinæ illi extenderat, ut monstrum horribile, non mulier videretur. Igitur sacram hostiam patenæ impositam super caput dæmoniacæ tenens, atque in hunc modum loquens, Diabolum expulit: « Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas; jam resiste, si potes; adest ille, qui pro nostra salute passurus; nunc, inquit, princeps hujus mundi ejectione foras. Hoc illud corpus, quod de corporis Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumultu jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cœlum. In hujus ergo majestatis terribili potestate, tibi, spiritus maligne, præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens contingere eam deinceps non præsumas. » Hæc ille. Ubi sicut fides veritatis a Deo exaudiri meruit; ita prorsus deceptionis, et erroris auctor dici posset (quod absit) Deus, si falsum esset quod S. Bernardus dixit, et tota Ecclesia credit.

Quintum est S. Antonii de Padua, quod insigne est, nec tamen a Joanne Garetio, vel Tilmanno Bredembachio annotatum. Describitur in ejus vita apud Surium, tom. III, et a S. Antonino in summa historiali par. III, tit. XXIV, cap. 3. § 2. Disputante S. Antonio de veritate corporis Domini in Eucharistia cum hæretico quodam in partibus Tolosanis (siquidem eo tempore Albigenses vexabant Ecclesiam, qui cum aliis plurimis hoc etiam errore infecti erant) petiit hæreticus ab Antonio, quem noverat dono miraculorum prædictum esse, ejusmodi signum: « Habeo, inquit, jumentum, cui per integrum triduum cibum non dabo. Exacto triduo adsis tu cum Sacramento, ego adero cum jumento, atque ante illum hordeum effundam; si jumentum hordeo derelicto ad Sacramenti venerationem accesserit, credam ». Factum est ut ille voluit, et triduo exacto S. Antonius, turbis fidelium comitatus, et venerabile Sacramentum manu tenens, sic ad jumentum locutus est: « In virtute et nomine Creatoris tui, quem in manibus, licet indignus, veraciter teneo, tibi dico, animal, et præcipio, ut confestim venias humiliter modo tuo, et ei reverentiam exhibeas: ut ex hoc cognoscat hæretica pravitas, quod omnis creatura suo subditur Creatori, quem sacerdotalis dignitas jugiter

tractat in altari ». His verbis prolatis, jumentum hordei ante se effusi, et famis oblitum, ad Sanctum accurrit, et capite inclinato, ac genibus, curvatis, eo modo quo potuit, Dominum adoravit, et hæreticum confutavit.

Sextum narrat Thomas Waldensis testis oculatus tom. II, cap. 63. Scribit enim sarratorem quemdam hæreticum publice in Ecclesia S. Pauli Londini in judicio coram Archiepiscopo et aliis Prælatibus constitutum, dixisse, digniorem esse araneam cultu, ac reverentia, quam Eucharistiam; et continuo de alto tecti culmine horribilem araneam directo filo ad os ejus properasse, ac vix multorum manibus prohibitam, ne ingrederetur.

Septimum narrat Tilmannus Bredembachius, lib. VII, sacrarum collationum cap. 60. quod quidem in illis partibus, ubi contigit, dicit esse notissimum, et celeberrimum, ac non solum soluta oratione, sed etiam carmine conscriptum. Ejus hæc est summa. Anno Domini 1561, die 8. Aprilis, feria 2. paschæ tribus horis ante meridiem, Noviomagi, quod oppidum est in Geldria, Parochus quidam nomine Antonius Wortius, completis Missarum solemnibus, venerabile Sacramentum ad fœminam ægrotam de more Catholico deferebat. Casu accidit, ut tempore eodem ad januam tabernæ, juxta quam Parocho transeundum erat, duo juvenes consisterent, Noviomagensis unus, alter Trajectensis, qui ova Paschalia in manibus habentes, inter se contendebant, uter celerius ovum deglutiret. Interea Parocho appropinquante, Trajectensis blasphemus, et irrisor tanti mysterii, et ut apparet, hæreticus Calvinista sodali suo dixit, se multo citius ovum suum devoraturum, quam muliereculam Deastrum illum: et continuo ovum in os injecit. Sed ovum in medio gutture constitit, et cum ille suffocari se sentiens, undique circumspiceret, vidit candelam sebacem ex pariete dependentem, eaque arrepta, atque in os injecta, ut ovum detruderet, ita hæsit totum sævum in ovo, ut nudum filum, seu stamen candelæ, miser extraxerit; tum denique concidit, et in Æthiopum nigredinem mutato vultu, elisoque gutture expiravit. Repertum est autem postea ovum instar tuberis in altera parte colli, non in gutture, ut par erat. Ita nimirum Christus, non Deastrum, sed verum Deum se esse demonstravit. Sed de his hactenus.

Ad hoc argumentum ex miraculis Petrus Martyr breviter respondet in libro *contra Gardinerum*, objecto 158. esse meras præstigiis ista, quæ a nobis dicuntur miracula. Id vero probat, quia Irenæus lib. 1. cap. 9. testatur, Marcum heresiarcham, et magum præstigiis quibusdam solitum fuisse in sua Eucharistia efficere, ut in calice cruor appareret.

At quænam est ista consequentia? Marcus hæresiarcha, et magus præstigiis eruorem in calice apparere faciebat; ergo B. Gregorius vir sanctissimus, S. Bernardus, S. Antonius, et alii, quos sanctos fuisse etiam hæretici confitentur non nisi præstigiis miracula circa Eucharistiam fecerunt. Sane si ita liceat argumentari, poterimus etiam hoc modo colligere: magi Pharaonis per incantationes convertebant virgas in dracones, et aquam in sanguinem; ergo et Moses cum similia faceret, per incantationes faciebat; et breviter omnia miracula Christi, et Apostolorum calumniari possemus.

Dico secundo, responsionem Petri Martyris utcumque aptari posse ad miracula, quæ fiunt, cum exterius in Eucharistia apparet caro, vel aliquid ejusmodi; at nullo modo aptari posse ad ea miracula, quæ consistunt in interitu hominum, ut est tertium et septimum a nobis recitatum: ille enim verè mortes fuerunt, non simulatæ, ac fietæ.

Dico postremo in hoc mysterio maxime locum habere dilemma Augustini lib. 22. de Civitate Dei cap. 5. Nam aut facta sunt miracula ad hoc mysterium confirmandum, aut non sunt facta. Si facta sunt, credamus igitur, quod tot miraculis confirmatum est. Si non sunt facta, hoc ipsum est summum miraculum, quod sine miraculis res tam difficilis credi potuerit a tot philosophis, atque adeo a toto orbe terrarum. Nam sententia adversariorum, quæ facillima est, non est mirum, si absque ullis miraculis admittatur: nostram autem sententiam, quæ non modo cum sensibus, sed etiam eum ratione pugnare videtur, quis credat tantæ multitudini, sine multis magnisque miraculis persuaderi potuisse, nisi, ut dixi, hoc ipsum summum miraculum esse dicatur?

## CAPUT IX

*Solvitur objectio deprompta ab inutilitate realis præsentia.*

Duæ sunt, ut supra diximus, objectiones adversariorum. Prima est ejusmodi: Deus nihil frustra facere solet. At frustra ponetur in Eucharistia vera corporis Domini præsentia, cum satis sit, si eam illic habeamus in signo. Primo, quia finis, ac fructus Eucharistiæ est, nutrire animas. Non minus autem nutrit animas Christus in symbolo existens, quam reipsa delitescens in pane. Animæ enim nutriuntur fide, et charitate: fides autem, et charitas tam bene possunt complecti Christum in cælo, quam in Eucharistia. Calvinus lib. 4 Institut. cap. 17. § 32. *Fidem, inquit, nos ista, quam enarravimus, corporis participatione non minus laute, affluenterque pascimus, quam qui ipsum Christum e cælo detrahunt.* Similia habet Petrus Martyr lib. *contra Gardinerum*, objecto 52. et 60 ubi etiam addit Scripturæ testimonium. Nam Joan. 16. Dominus ait Apostolis. *Expedit vobis, ut ego vadam: Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Non erat igitur utilis Apostolis corporalis Christi præsentia, alioqui expeditisset ipsum manere cum eis, non autem ab eis recedere. At non potest esse utilior corporalis Christi præsentia in Eucharistia, quam esset illa eadem cum Apostolis manifesta, et visibilis: igitur si illa inutilis erat post certum quoddam tempus, quanto magis ista inutilis erit?

Secundo, Baptismus confert gratiam, regenerat animam, ac proinde vitam spiritualem confert, licet non transmutetur aqua in Christum, vel Spiritum sanctum, sed vera et sola aqua maneat, ut antea erat: cur ergo non poterit Eucharistia conferre gratiam, et vitam jam acceptam conservare, et augere, etiamsi non mutetur panis in carnem, sed verus et solus panis maneat, ut antea erat?

Tertio, ipsa præsentia Christi invisibilis est, imo nullo sensu, ac ne ipsa quidem mente perceptibilis, nisi per fidem. At fides non egebat ista præsentia, ut Christum apprehendere posset: nihil igitur confert præsentia ista Christi in Eucharistia.



Quarto, qui sola fide in Symbolo Christum recipiunt, fructum passionis Domini sine dubio consequuntur; qui Christum reipsa in Eucharistia sine fide percipiunt, nullum fructum consequuntur.

Quinto, argumentatur Calvinus contra Westphalum: « Ista præsentia realis plus incommodi, quam commodi affert: nam facit, ut corpus Christi sit commune piis, et impiis, quod certe incommodum est non leve. Et præterea brevissimo tempore, nobis adest, nimirum quandiu species illa conservatur; quod exiguum commodum est; igitur inutilis est ea præsentia. »

Respondéo, ista argumenta levissima sunt. Ad primum negari potest consequentia, et antecedens. Consequentia enim illa, si quid probat, solum probat, non fuisse necessarium absolute, ut in Sacramento reipsa corpus Domini poneretur, sed non probat non fuisse utile, vel frustra poni. Id enim omne utile est, et non frustra fit, per quod nobis aliquid boni confertur, licet illud ipsum alia via conferri potuisset. Id vero manifeste colligitur ex multis similibus. Nam eodem modo argumentari possemus in mysterio Incarnationis. Poterat Deus sine Incarnatione Filii nos liberare; frustra igitur Deus homo factus est. Item poterat Christus homo, per quodcumque opus bonum nobis reconciliationem apud Patrem mereri, frustra igitur labores, et dolores sustinuit. Item poterat una sanguinis gutta nos redimere, quorsum igitur tot ludibria, verbera, vulnera, et sanguinis totius effusio? Item poterat sine descensu ad Inferos sanctos Patres inde eruere, dæmones alligare, aliaque id genus operari solo imperio; quorsum igitur illa descensio? denique poterant ægroti sola fide in Christum sanari, sine contactu manuum, vel fimbriæ ejus; quorsum igitur Dominus manus imponebat? quorsum illi tanto studio ad fimbriam accurrebant? Atque id genus infinita exempla possem afferre. Sic igitur non sequitur frustra corpus Domini reipsa in Eucharistia exhiberi, etiamsi eundem fructum ex solo symbolo per fidem recipere possemus.

Deinde nego eundem fructum recipi ex solo symbolo per fidem. Nam primum magis excitatur fides, charitas, devotio, pietas, reverentia, cum cogitamus reipsa nobiscum uniri Christum, quam si solum in cælo eum sedere credamus. Et hoc experimentum ipsum abunde testatur: longe enim aliter affi-

ciuntur pii fideles erga venerabile Sacramentum, quam erga imagines Salvatoris, quæ sunt mera Christi symbola. Deinde Christus ipse dum nobis reipsa conjungitur, multa nobis largitur, quæ non largiretur sine ista conjunctione, etiamsi posset. Quemadmodum omnes, quotquot tangebant eum, curabat ab omnibus languoribus, quos certe non curasset, nisi eum tetigissent; ut infinitos alios, qui eum tangebant, non curabat, et tamen quis negat potuisse eum sine illo contactu omnes curare? Sæpe etiam principes, si carceres invisant, multos liberant, quos alioqui non liberassent, tametsi possent solo imperio omnes liberare sine illa carceris visitatione.

Ad locum Evangelii dantur a Patribus duæ expositiones: neutra nobis adversatur. Una est Augustini tract. 94. in Joan. et Bernardi serm. 3. de ascensione Domini, qui dicunt Apostolos allectos dulcissima Christi consuetudine amasse illum humano quodam amore, dum is in terris degeret: sed oportuisse eos abstrahi, et quasi ablactari ab humana illa consolatione, ut ad amorem spirituales Christi provcherentur. Quæ expositio nostræ sententiæ non adversatur, quia præsentia Christi in Eucharistia cum sit invisibilis, non conciliat amorem humanum (nec enim illum videmus aut audimus, aut cum eo versamur, ut Apostoli faciebant) sed plane divinum, et spirituales: quare præsentia ista solum prodesse, non autem obesse ullo modo potest.

Altera expositio est Græcorum, Cyrilli lib. 10. in Joan. cap. 32. et Theophylacti in cap. 16. Joan. qui dicunt expedivisse, ut Christus recederet, non quia præsentia ejus corporalis unquam possit esse inutilis, sed quia utilior erat Apostolis et nobis omnibus, ejus recessus per mortem, et Ascensionem in cælum, quam conversatio illa in terris. Deus enim constituerat non mittere Spiritum sanctum, nisi prius sacrificium crucis perageretur, et nisi dispensatio Christi per ejus ascensionem compleretur. Itaque non impediabat adventum Spiritus sancti præsentia corporalis Christi, sed impediabat decretum illud Dei, quod statuerat, ut mors, et ascensio Christi præcederent.

Ad secundum argumentum concedo potuisse Deum, per Sacramentum Eucharistiæ etiam sine reali præsentia corporis Domini conservare, et augere in nobis vitam spirituales, in Baptismo acquisitam; sed non

ideo inutilis est ea præsentia. Nam etiam potuisset Deus sine symbolis aquæ, et panis, id est, sine Sacramentis sensibilibus, Baptismi et Eucharistiæ eandem nobis gratiam conferre, quam per ea symbola confert: et tamen non dicunt adversarii inutilia esse symbola externa aquæ, et panis.

Adde, quod non est eadem ratio Baptismi, et Eucharistiæ. Nam Baptismus nihil est aliud, nisi Sacramentum regenerationis: Eucharistia autem non est solum, Sacramentum refectionis, seu mutationis, sed præterea est memoriale omnium miraculorum, et quasi compendium vitæ, passionis, et resurrectionis Domini, juxta illud Psalm. 110: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quare debuit esse res plena miraculo, non autem simplex aliquod symbolum, ut non esset inferior sed superior mannae Judæorum, quod similiter fuit memoriale mirabilium, quæ in deserto Hebræis contigerunt. Deinde est testimonium, et quasi pignus amoris Christi erga sponsam suam Ecclesiam; et ideo sicut amor ille est infinitus, et potentia ipsius Christi est infinita, ita debuit hoc pignus supra modum esse mirabile. De qua re multa præclara exstant apud Chrysostomum homil. 24. in priorem ad Corinth. et alibi. Tertio est causa, et quasi semen resurrectionis corporum nostrorum, idque per contactum, et conjunctionem corporis gloriosi cum corporibus nostris mortalibus, vel supra ex Irenæo, Hilario, Cyrillo, aliisque Patribus demonstravimus. Denique est sacrificium religionis Christianæ (velint, nolint hæretici) et quia sacrificium Christianorum impletivum esse debuit figurarum veterum, et proinde præstantius sacrificiis omnibus Hebræorum, non potuit in solo pane, et vino constitui, quæ sunt longe inferiora vitulis et arietibus, sed necesse fuit ipsum verum Domini corpus in hoc sacrificio contineri, ut eo modo veritas imagini, et exemplar figuræ, et corpus umbræ, quam aptissime responderet.

Ad tertium nego, corpus Domini in Eucharistia non percipi, nisi fide. Nam etiamsi in propria specie, et immediate non attingitur ab ullo sensu, nec ab ipsa mente, nisi per fidem; tamen in specie aliena, et mediate attingitur oculis, manibus, lingua, et ipso etiam pectore. Quomodo etiam interdum saluberrima pharmaca ita involuta dantur ægrotis in variis integumentis, ut nullo sensu

immediate percipiantur, et tamen quia ipsa revera ad stomachum penetrant, utilissima sunt.

Ad quartum, concedo, sola fide sine reali præsentia corpus Domini apprehensum prodesse; et contra solo corpore per realem præsentiam acceptum nihil prodesse: sed nego inde sequi, realem præsentiam, et corporalem perceptionem inutilem esse. Nam etiamsi ista sine fide non prosunt, et fides sine istis prodest, magis tamen prodest fides cum istis, quam sine istis. Quemadmodum opera bona sine fide non prosunt, fides autem sine operibus prodest; cum quis videlicet ab operibus legitime impeditur. Et tamen plus prosunt opera bona cum fide, quam sola fides: et B. Mariæ nihil profuisset Christum corpore concipere, et parere, nisi etiam mente per fidem, et charitatem eundem concepisset: et contra multum profuisset sola mente concipere, licet eundem corpore non concepisset. Et tamen quis dicere auderet, non magis ei profuisse mente et corpore Christum, quam sola mente concipere?

Ad ultimum dico, nullum incommodum, sed maximum commodum consequi ex reali præsentia: nam non læditur corpus Domini ex eo, quod impiis communicatur; et in eo demonstratur summa Dei charitas. Quamvis autem brevi tempore inter nos Dominum habeamus, tamen brevi illo tempore maxima dona nobis largitur; alioqui etiam brevi tempore tangebant fimbriam Christi multi ægroti, qui tamen ex eo contactu curabantur.

## CAPUT X.

*Solvitur altera objectio, quæ sumitur ab indignitate rei.*

Alteram, eaque postrema hæreticorum objectio ab indignitate rei sumitur. Scribit enim Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. §. 32. absurda oportere rejicere, quæ cœlesti Christi majestate indigna sunt. Quæ autem illa sint absurda, ipse eo loco non dicit: sed ab aliis ista fere enumerari solent, quod oportebit concedere Christum in terram cadere, dentibus atteri, in ventrem, et in secessum ire, a muribus corrodi, vel etiam devorari, putrescere, vel acescere, denique

etiam cremari. Quæ omnia, et nunc ab hæreticis objiciuntur, et olim a Berengarianis objiciebantur, ut patet ex Guitmundo lib. 2. et ex Algero lib. 2. cap. 1.

Sed respondemus, quod ad similia objecta veteres Patres majores nostri responderunt. Neque enim solum hoc mysterium, sed omnia fere alia Judæi, pagani, hæretici tanquam indigna, et stulta irriserunt: de quibus Augustinus in epistol. 49. ad Deo gratias quæs. 6: « In ipsum, inquit, Christum non crederemus, si fides Christiana cachinnum metueret paganorum. »

Ac primum apud Judæos Saducæi ipsi Christo quæstionem ridiculam proponere ausi sunt contra resurrectionem, ut ex absurditate, quæ inde sequebatur, concluderent, nullam futuram esse corporum resurrectionem. Videtur enim sequi, ut si mulier aliqua hic habuerit septem viros per mortem sibi invicem succedentes, in altera vita, aut pro uxore litigent, aut una sit uxor septem virorum simul. Eodem modo Marcionistæ apud Tertullianum in lib. de resurrect. carn. et Origenistæ apud Hieronymum in epist. ad Pammachium contra errores Joan. Hierosolymit. ut resurrectionem carnis exploderent, argumenta petebant ab absurdis: quia si erunt tunc sexus distincti, erit etiam procreatio, erunt nutrices, et obstetrices: si venter et palatum, erunt etiam cibi, erunt egestionem, erunt latrinæ etc. Dominus autem respondit: *Erratis, nescientes Scripturam, et virtutem Dei: in resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur* (1); quod idem nos hæreticis dicere possumus; Erratis, ignorantem Scripturam, et virtutem Dei. Christus enim vere in Sacramento existit, sed nullo modo lædi potest; proinde non cadit in terram, non teritur, non roditur, non putrescit, non crematur: ista enim in speciebus illis recipiuntur, sed Christum non afficiunt, licet conjunctæ sint species illæ cum Christo. Ipsa quoque divinitas nonne ubique est præsens, et tamen nec sordescit in sordibus, nec crematur in flammis, nec putrescit in putrescentibus rebus.

Dices, si vere corpus Domini in Eucharistia est, cadente in Eucharistia in terram, non cadit corpus Domini; ergo separatur in illo casu corpus Domini ab Eucharistia, et unum manet in terra, alterum in altari, vel in manibus ejus, cui cecidit Eucharistia.

Respondeo, corpus Domini non separatur ab Eucharistia, donec species illæ integræ manent, et ideo, si Eucharistia, cadat in terram, corpus Domini in terra erit, sed non dicetur cecidisse; id enim proprie cadit quod corpus est, et corporaliter existit, ac movetur. Quare cadente homine, corpus cadit, anima non cadit, licet per accidens moveatur: sic etiam corpus Domini, quod indivisibiliter manet in Eucharistia, locum mutat cadente hostia, sed non proprie cadit.

Secundo, multi philosophi, ac præsertim Epicuræi, negabant providentiam Dei respectu rerum earum, quæ sunt infra lunam, quod dicerent, indignum Deo, ut ad res tam viles procurandas se dejiciat. Sed Christiani ex Scripturis didicerunt, non esse Deo indignum, imo dignissimum, ut absque ullo suo labore, et incommodo erga passerem, fœnum et res omnes, quamvis minutissimas benevolentiam suam ostendat. Quod idem nos hæreticis dicere possumus: non enim indignum est, sed dignissimum Christo, sine ulla sui læsione ita se nobis præbere, ut summum erga nos amorem ostendat.

Tertio, qui negabant Incarnationem, nulla fere argumenta fortiora sibi videbantur objicere, quam ab indignitate. Hinc Marcionistæ apud Tertullianum in libro de carne Christi, objiciebant indignum esse Deo in utero fœminæ includi, poni in præsepi, et alia id genus. Et Nestorius apud Theodoretum, lib. 4. hæret. fabular. et Evagrium lib. 1. histor. cap. 2. nihil fortius afferebat, quam, indignum esse, si Deus dicatur bimestris, et bicubitus; quæ tamen dici posse videntur, si vere infans aliquando fuit Christus, et simul Deus. Porro Judæi et pagani nihil magis horrebant, et ridebant in Christiana religione, quam indignitatem illam, quod dicerentur Christiani credere in hominem suspensum, et spem habere in homine inter latrones crucifixo, ut videre est apud Justinum in dialogo cum Tryphone, et Minutium Felicem in Octavio. Sed contempsit Ecclesia illorum irrisiones edocta ab Apostolo, 1. Corinth. 1., mysterium crucis Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam esse, sed ipsis electis, Dei virtutem, et Dei sapientiam. Neque enim ex omnibus Christi passionibus, Divinitas lædi ullo modo potuit, et tamen inde ingens Deo gloria, et summa hominibus utilitas nata est. Idem nos, et multo majore ra-

(1) Matth. XXII, 29 et 30.

tione Sacramentariis possumus respondere. Nam major indignitas videtur Christum Deum, et hominem in propria specie, quam in specie panis lædi potuisse. Et præterea Christus homo in specie panis, nihil omnino patitur: at in specie propria, vere passus est verbera, vulnera, et ipsam mortem, eamque cum summa ignominia in patibulo, atque inter latrones.

Quarto, Ariani, ut oppugnarent Christi Divinitatem, semper objiciebant id requirere honorem Dei Patris, ut ex Hilario colligitur lib. XII. de Trinit. et in lib. contra Constantium. Novatiani quoque (ut Ambrosius refert lib. I. de Pœnit. cap. 2.) ut negarent Ecclesiæ potestatem absolvendi peccatores, dicebant, indignum esse, si id hominibus tribuatur, quod est proprium Dei. Sed responderunt Patres, a nullis magis Deum Patrem affici contumelia, quam ab illis, qui non crederent verbis ejus: *Hic est Filius meus*. Et: *Quæcumque solberitis super terram* (1). Idem et nos Sacramentariis respondemus; non enim clarius dixit illa Deus, quam Christus dixerit: *Hoc est corpus meum*. Non amat Deus ejusmodi patronos, qui nesciant honorem, et dignitatem ipsius tueri, nisi verba ejus corumpant, et mendacem (quantum in se est) efficiant.

Denique, quia nonnulli vix ferre possunt, Christum quocumque modo posse includi in parva pyxide, cadere in terram, comburi, rodi a bestia; ab ipsis ego libenter discerem an non credant Christum infantulum inclusum vere fuisse primum in angustissimo, et obscuro fœmineo utero, deinde fasciis ac pannis involutum? Eundem non modo cadere in terram potuisse, sed etiam humi sæpe jacuisse? eundem infantulum remoto miraculo et comburi, et a bestia morderi potuisse? Si igitur ista pati potuit in propria specie, et cum læsione, cur mirum videri debet, si similia in specie aliena, et sine ulla læsione eidem accidere posse dicamus? Dixi autem in aliena specie, quoniam absolute non concedimus, Christi corpus in Eucharistia posse comburi, vel corrodi, ne in propria specie Christum hæc pati posse significare videamur.

## CAPUT XI.

*De modo existentiae corporis Domini in Eucharistia, sententiæ variæ referuntur.*

Gravissima controversia de reali præsentia Dominici corporis expedita, sequitur alia de ratione, et modo, quo corpus Domini in Eucharistia adesse incipit. Et quidem Catholica Ecclesia semper docuit per conversionem substantiæ panis, et vini in corpus, et sanguinem Domini, quæ conversio postmodum transubstantiatio appellata est, fieri, ut corpus et sanguis Domini, vere ac realiter in Sacramento Eucharistiæ præsentia sint. Sed præter hanc sententiam, quæ sola est antiquissima, et verissima, septem omnino exstiterunt errantium opiniones.

Prima Berengarii, et discipulorum ejus fuit, ut ex lib. I. et III. Guitmundi colligitur. Illi enim convicti fidelium argumentis, cum defendere non possent, Eucharistiam nihil esse aliud, nisi signum corporis Domini, ab isto quidem errore recesserunt, sed ad veritatem non pervenerunt: docuerunt enim verum panem et vinum, simul cum vero corpore et sanguine Domini in Eucharistia consistere. Et licet impanationem Christi rem istam Guitmundus appellet, non tamen aperte declarat, an panis hyspotaticæ a Verbo assumeretur ex illorum sententia, an non; imo ita illos impugnat, ac si solum docuissent, misceri simpliciter Christi corpus pani.

Altera sententia aliorum fuit, qui, ut ibidem Guitmundus ait, panem asserebant partim mutari in corpus Domini, partim non mutari: id quod ea de causa asserebant, quia putabant omnino improbabile, ut verum corpus Domini ab impiis sumeretur. Itaque volebant eam panis partem, quæ a piis sumenda erat, verti per consecrationem in corpus Domini, eam vero, quæ ab impiis erat accipienda, non converti. Cujus sententiæ auctores, Guitmundus dicit, Berengarii hostes fuisse, et tamen iisdem fere argumentis ad suum dogma stabiliendum uti consuevisse.

Huc referri possunt duæ aliæ sententiæ

(1) Matth. III, 17; XVIII, 18.

isti similes. Nam ut isti docebant, partem integrantem panis converti, et partem non converti, ita Durandus docuit, partem unam essentialem, id est, formam panis converti, partem alteram, id est, materiam non converti. Existimat enim Durandus in iv. dist. ii. quæst. 3. converti panem in corpus Domini per consecrationem, sed ita, ut forma panis recedente, materia panis maneat informata Christi anima, omnino ad eum modum quo cibus convertitur in carnem nostram per nutritionem.

Alii autem (ut nullus error decesset) e contrario docuerunt, materiam panis mutari in corpus Christi, sed formam panis substantialem remanere eandem. Refert hunc errorem sine nomine auctoris, sanctus Thomas 3. par. quæst. LXXV. art. 6.

Quinta sententia est Ruperti Abbatis Tuitiensis, qui circiter 40. annis Guitmundo posterior fuit. Rupertus igitur docuit, panem Eucharistiæ hypostatice assumi a Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem Verbo assumpta est. Id patet ex lib. vi. in Joan. ubi exponens illa verba: *Panis quem ego dabo, caro mea est* (1), dicit Verbum æternum per Incarnationem factum hominem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, et eodem modo per consecrationem Eucharistiæ, idem Verbum fieri panem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem. Ubi aperte fatetur, Christum dici, et esse panem facta consecratione, sicut dicitur, et est homo, per Incarnationem. Idem auctor in ii. lib. de divinis officiis, cap. 2. fusc idipsum docet: ubi declarat ipsum panem fieri corpus Christi, non quia vertatur in carnem Domini, sed quia assumatur a Verbo. Ex quo sequitur panem esse corpus Christi, sed corpus non humanum, neque carneum, sed panaceum; et longe diversum ab illo, quod de Virgine sumptum est. Ibidem docet, hæc duo corpora posse dici unum, quia unum est suppositum utriusque, sive unus est Christus, qui utrumque assumpsit: et disertis verbis dicit, illa corpora, panaceum, et carneum, esse unum, quia idem Christus sursum, id est, in cælo, est in carne, deorsum, id est, in altari, est in pane. Denique in eodem lib. ii. cap. 9. multa similia docet, et addit impios in Communionem sacra nihil accipere, nisi corpus panaceum;

pios autem accipere utrumque corpus. Nam quia idem Dominus sursum est in carne, deorsum in pane, ideo solum in pane sumitur ore corporali, quod est commune piis, et impiis; in carne autem, quæ est sursum, non sumitur nisi ore spirituali, quo carent impii.

Hunc errorem notavit, et refutavit Algerus, lib. i. de Sacrament. cap. 6. ubi dicit, hanc esse novam hæresim, et absurdissimam: Algerus enim vixit eodem tempore, quo Rupertus. Siquidem Rupertus vivebat anno 1124. teste Trithemio; Algerus autem vixit, et obiit tempore Petri Cluniacensis, ut idem Petrus testatur in epistola ad Alberonem Episcopum Leodiensem: Petrus autem Cluniacensis æqualis sancti Bernardi fuit, qui floruit circa annum 1140. Et notat ibidem Petrus, Algerum refutasse accuratissime modernorum quorundam errorem de corpore Domini.

Hinc refelli potest communis quidem error, quo hoc tempore plurimi tenentur de auctore hujus hæresis. Nam ut testatur Thomas Waldensis, tom. ii. de Sacrament. cap. 47, 65, et 93. exstabat olim quidam liber de divinis officiis sine nomine auctoris, quo Joannes Wicelufus mirabiliter triumphabat, et Catholicos vexabat, nunc Ambrosii, nunc Isidori, nunc Fulgentii nomine eum librum venditans. Quare Catholici diu quæsierunt auctorem verum ejus libri, et tandem certo deprehenderunt eum auctorem, vixisse tempore sancti Anselmi, et ab ipso Anselmo refutatum: et nescio quibus conjecturis suspicati sunt auctorem illum fuisse Walramum, seu Valeramum, ad quem exstant duo opuscula S. Anselmi, unum de azymo. alterum de diversitate Sacramentorum. Hinc Dominicus a Soto, Claudius Sanctius, Gulielmus Alanus, et alii, qui scribunt de Eucharistia, primum auctorem impanationis faciunt Valeramum. Sed nec ille fuit primus, cum præcesserint Berengariani; nec fuit Valeramus, sed Rupertus Tuitiensis: ex cujus libris eruenda est ejus sententia, quam sane perperam exponit Dominicus a Soto in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 2.

Esse autem Rupertum auctorem illorum librorum de officiis divinis, in quibus isti errores continentur, dubitari nullo modo potest. Nam sententiæ omnes, quas citabat Wicelufus apud Waldensem, inveniuntur ad

(1) Joan. VI, 52.

verbum in secundo libro Ruperti de officiis, cap. 9. Initium quoque librorum de officiis apud Waldensem est: « Ea, quæ per anni circulum »; et idipsum est initium librorum Ruperti. Denique conveniunt isti errores librorum de officiis divinis cum aliis ejusdem Ruperti in comment. in Exodum, et in Joannem. Unde non sine causa libri isti Ruperti sine honore et titulo jacuerunt annis ferme 400. nam ætate nostra primum lucem libere aspexerunt. Neque dubium esse potest, an libri isti de officiis divinis ejusdem Ruperti sint, cujus sunt omnia alia opera, quæ eidem adscribuntur: nam in prologo horum librorum de officiis divinis enumerat ipse omnia alia sua opera.

Sexta opinio, seu potius hæresis est cujusdam Joannis Parisiensis, qui (ut refert Thomas Waldensis, tom. II. de Sacramentis, cap. 65.) palam oppugnavit hæresim præcedentem, et aliam excogitavit: docuit enim panem assumi a Verbo, sed mediante corpore parte, id est, mediante corpore Christi, ut corpus accipitur pro parte hominis, non ut accipitur pro toto homine. Dixit autem mediante parte hominis, non mediante toto, ne admittere cogeretur, Deum esse panem. Quomodo enim Æthiops non dicitur albus absolute, quia non est candor in toto ipsius corpore, sed solum in dentibus: ita existimabat Deum non debere dici panem absolute, quia non conjungitur Deo panis, nisi mediante parte humanitatis ejus.

Septima opinio, seu hæresis, Lutheranorum est, quæ quatuor capitibus continetur. Lutherus in lib. de captivit. Babylonica cap. de Eucharistia, duo dicit. Primo, non esse articulum fidei, utrum panis maneat, vel non maneat cum corpore Domini in Eucharistia, sed utrumque posse defendi sine periculo hæresis. Et in hoc valde distinguuntur Lutherani a Calvinistis. Calvinistæ enim dicunt, transubstantiationem, sceleratam esse hæresim, et rem prorsus impossibilem: Lutherani dicunt, esse possibilem, et non pugnare aperte cum fide. Unde etiam Brentius in confess. Wirtemberg. cap. de Eucharistia, et Kemnitius in 2. part. Examen. Concilii Trident. sess. XIII. cap. 4. magis reprehendunt Catholicos, quod transubstantiationem faciant articulum fidei, quam quod eam defendant. Secundo dicit, videri sibi probabilius, et conformius Scripturis, et hoc etiam receperunt omnes Lutherani, ut panis maneat. Tertio, addit veram esse propositionem,

Panis est corpus Christi; propter unionem panis cum corpore, sicut est vera, Christus homo est Deus: ubi insinuat impanationem Ruperti, vel Joan. Parisiensis; tamen non apertius id explicat. Et Martinus Kemnitius in 2. par. Exam. ad cap. 4. sess. XIII. Concilii Trident. disertis verbis dicit, Lutheranos non ponere unionem personalem Christi cum pane: unde etiam ceteri Lutherani magis adhærent primo errori ex citatis, quam quinto, vel sexto. Quarto idem Lutherus in serm. de Sacrament. cœnæ Domin. et in Libro « Quod verba Christi: Hoc est corpus meum, adhuc firmiter stent », et in libro qui inscribitur: « Confessio Mart. Lutheri, de cœna Domini », explicat modum seu rationem, quo corpus Domini cum pane conjungitur, ac dicit, corpus Domini per unionem ad Verbum id assecutum esse, ut sit ubicumque est Verbum, id est, ubique: quod si ubique est, certe etiam in pane cœnæ Domini erat.

Atque hanc Lutheri sententiam secuti postea Joan. Brentius in Apologia pro Confess. Wirtemberg. in tractatu de cœna Domini, et in lib. de duabus naturis Christi, et Ascensione, et sessione a dextris, et in libro de Majestate Christi hominis. Matthias Illyricus in lib. de Ascensione Domini. Jacobus Schmidelinus in Thesibus de Majestate Christi hominis. Martinus Kemnitius in libro de duabus Christi naturis. Joan. Wigandus in libro de commun. idiom. Joan. Tilmannus in libro quem vocat Farraginem sententiarum. Denique fere omnes Lutherani, ut apparet ex libro Concordiæ nuper edito. Itaque Lutherani hoc tempore maxima ex parte sequuntur quartum hoc dictum Lutheri de Ubiquitate. Si qui tamen sunt qui ab eo abhorreant, ii sequuntur tria priora, et proinde primum errorem supra citatum Berengarianorum: et in hoc numero videtur Kemnitius in Exam. sess. 13. cap. 4. ubi dicit fundamentum præsentis corporis Domini, non esse ubiquitatem, tametsi ibi idem in libro de duabus naturis satis aperte ubiquitatem tueatur.

## CAPUT XII.

*Refellitur SECUNDUS error Berengarianorum.*

Antequam ad sententiam Ecclesiæ confirmandam veniamus, refellendi sunt errore

delirantium: idque quam brevissime fieri poterit, quod errores illi, excepto primo et postremo, extincti ac sepulti jam sint: postremus autem, qui est de Ubiquitate, a nobis alio loco diligenter fuerit confutatus; primus autem iisdem argumentis confutandus sit, quo sententia vera confirmanda.

Igitur secundus error (primum enim differemus in alium locum) facile refutari potest. Primo, quia (ut Guitmundus scribit lib. III.) fundamentum hujus erroris erat, ne daretur indignis corpus Domini. At hoc fundamentum pugnat cum Apostolo, I. Corinth. II: *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat etc.* quem locum supra lib. I. exposuimus, ubi etiam ostendimus consensum Patrum in eandem doctrinam, et respondimus testimoniis Augustini, quæ contra a Calvino afferuntur, et olim ab auctoribus hujus secundi erroris afferbantur.

Secundo, cum Sacerdos solus communicaturus est, ut sæpe accidit, si is forte indignus sit, vel consecrabitur panis, et convertetur in carnem Domini, ipso impio Sacerdote agente, vel non. Si consecrabitur; ergo impius sumet corpus Domini, si non consecrabitur; ergo pendet consecratio a bonitate, et malitia ministri, quæ est antiqua hæresis Donatistarum, jamdudum explosa a Catholica Christi Ecclesia.

Tertio, si esset vera ea sententia, nunquam sciremus an aliqua hostia sit vere consecrata; nec posset Sacerdos, nisi temere, dicere: Corpus Domini Jesu Christi; nec liceret ullam hostiam venerari. Nam nemo scit, qui sint justi, qui peccatores; et secundum hanc sententiam non est hostia vere consecrata, nisi quam justii accipiunt.

Quarto, oporteret novum et continuum miraculum Dei in consecratione, et distributione Eucharistiæ adesse, quo fieret, ut Sacerdote consecrante, vel nulla pars consecraretur, si omnes communicaturi essent indigni, vel totum consecraretur, si omnes essent digni; vel partim consecraretur, et partim non consecraretur, si pars communicantium digna esset, pars indigna: et rursum in distributione opus esset novo miraculo, quo fieret, ut Sacerdos non erraret in distributione, licet ignoraret quæ sint partes vere consecratæ, et qui sint homines vere digni. At ejusmodi miracula sine ullo fundamento Scripturæ, Conciliorum, Patrum asserere, mera stultitia est. Sed de his satis.

## CAPUT XIII.

*Refellitur error Durandi.*

Tertius error eorum, qui volunt solam materiam panis remanere, pugnat in primis expresse cum Tridentino Concilio sess. XIII. cap. 4. et canon. 2. ubi legimus, mutationem fieri totius substantiæ panis in corpus Domini: et cum Concilio Constantiensi sess. 8. ubi reprobat error Wiclefi, qui erat, accidentia non manere sine subjecto. Nam ex sententia Durandi, si materia panis manet, manent etiam accidentia omnia in suo subjecto: subjectum enim accidentium materia est, ex sententia meliorum philosophorum. Imo etiam cum Concilio Lateranensi pugnare videtur hæc Durandi sententia. Neque enim Concilium illud transubstantiari dixisset panem in carnem, nisi totam panis substantiam mutari, significare voluisset: illa autem mutatio, quam Durandus inducit, non transubstantiatio, sed transformatio dici potest. Itaque sententia Durandi hæretica est, licet ipse non sit dicendus hæreticus, cum paratus fuerit Ecclesiæ judicio acquiescere.

Secundo, refellitur hæc sententia. Nam vel informaretur materia panis sola Christi anima, vel tota Christi humanitate. Utrumque autem est apertissime falsum. Non enim ullo pacto dici potest informari materiam illam tota Christi humanitate: nec enim fingi potest, quomodo materia informetur a materia; materia enim potentiam habet ad formam, non ad materiam. Sed neque hoc Durandus dicit, qui vult conversionem panis similem esse nutritioni. Ac nec potest dici, materiam panis a sola Christi anima informari: nam illud compositum ex materia panis, et anima Christi, non esset caro, at certe non esset illa caro, quæ de Virgine sumpta est, et in cruce suspensa. Scriptura vero disertis verbis affirmat, Eucharistiam esse carnem illam, quæ crucifixa est, Joannis VI: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.* Et Matth. XXVI: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (1).

Dicit aliquis pro Durando: Per concomitantiam erit in Sacramento etiam caro illa, quæ de Virgine sumpta est. Sed hoc non

sufficit ad Scripturæ veritatem : Scriptura enim testatur id, quod ex vi Sacramenti est in Eucharistia, esse corpus illud, quod pro nobis ad mortem traditum est : debet igitur non per concomitantiam, sed ex vi Sacramenti esse in Eucharistia caro illa Domini, quæ de Virgine sumpta est.

Tertio, vel materia panis accedit reliquo corpori Christi, et in eo manet; vel accedit, sed non manet; vel non accedit. Si accedit, et manet, ergo quotidie augetur, et crescit corpus Domini, et jam in immensam molem exerevit : si accedit, et postea recedit, ergo quotidie crescit, et decrescit, quod sane quis ferat? si non accedit, ergo tria sunt Christi corpora re ipsa distincta; unum de Virgine sumptum, alterum conflatum ex materia panis, et Christi anima; tertium ex materia vini, et forma sanguinis Domini. Ecce qualia figmenta Patribus omnibus contraria Durandi temeritas admittere cogitur.

Quarto, si materia manet, et Christi anima informatur : ergo dimensiones panis, dimensiones Christi erunt; ergo extense, et corporaliter corpus Christi in loco erit; ergo vere, et proprie dividi, caleferi, corrumpi poterit. Dices : Non poterit, quia gloriosum est, et incorruptibile. At hoc ipsum probat argumentum, corpus illud non esse gloriosum, et incorruptibile, aut certe corpus gloriosum et incorruptibile lædi, et corrumpi posse : experimur enim consecratum panem, qui per Durandum est materia panis, Christi anima informata, dividi, alterari, corrumpi.

Sed videamus, quid pro se Durandus afferat. Ille satis apposite ad persuadendum probat. Primo, sententiam contrariam esse impossibilem. Secundo, suam esse possibilem. Tertio, suam re ipsa esse veram.

Primum hoc pacto probat : « Conversio fieri nequit, nisi manente materia, seu subjecto in utroque termino conversionis. Hoc enim interest inter creationem, annihilationem, et conversionem, quod in creatione fit, quod non erat; in annihilatione desinit esse id, quod erat: in conversione transit aliquid de uno esse ad aliud : oportet igitur ut remaneat id, quod transit. »

Respondeo, hoc argumentum tolerabile esset, si ab ethnico philosopho fieret. Vere enim naturaliter fieri nequit conversio, nisi

manente materia : nec enim possunt agentia naturalia materiam ipsam producere. At Christiani, qui certa fide tenent Deum ex nihilo fecisse materiam, et eam in nihilum posse redigere : mirum profecto est, si non credant ab eodem omnipotente Deo posse mutari materiam, et quodlibet in quodlibet, ex creatis rebus videlicet : nam in Deum nihil verti potest, nec ipse in aliud, siquidem repugnat actui puro omnis potentia passiva. Ad argumentum ergo dico, conversionem posse fieri totius in totum; distingui autem eam ab annihilatione, et creatione, quia per conversionem una, et eadem actione ex uno fit aliud, cum per creationem ex nihilo fiat aliquid, per annihilationem ex aliquo nihil.

Secundum probat Durandus hoc modo : « Christus post resurrectionem vere manducavit, Luc. ult. et proinde vere nutritus est; ergo potest verti in corpus ejus gloriosum panis per modum nutritionis. »

Respondeo, Christum post resurrectionem vere comedisse, quia vero palato, verisque dentibus, et lingua verum cibum sumpsit, et ad stomachum trajecit. Sed potuit non inde nutriri, sed eum cibum in aerem convertere; id quod indicare videtur Beda in comment. cap. ultimi Lucæ, ubi ponit hanc similitudinem inter manducationem nostram, qui ex indigentia manducamus, et illam Christi, quæ ex potestate facta est : « Sicut, inquit, aliter aquam terra sitiens absorbet, aliter solis radius candens : sic etiam aliter nos manducamus, aliter ille manducavit. » Porro terra vere sibi adjungit aquam, et ea juvatur, et pinguescit : solis autem radius non sibi adjungit aquam, quam absorbet, sed eam in auram, et vapores dissolvit. Posset etiam dici eum Joanne a Lovanio, in lib. de corpore Domini, Christum vere nutritum eo cibo post resurrectionem, sed sine ulla accessione, vel mutatione sua : potuit enim totum eum cibum vertere in carnem suam præexistentem, ita ut nec materia, nec forma panis remaneret. Sed prior solutio facilius est.

Tertium probat Durandus ex Damasceno lib. iv. de fide, cap. 14. cui possumus addere Gregorium Nyssenum in orat. Catech. cap. 37. et Theophylactum in cap. vi. Joannis, qui dicunt eo modo mutari nunc panem in carnem Christi per consecrationem, quo mu-

(1) Joan. VI, 52; Matth. XXVI, 26.



tabatur olim, dum ipse in terris viveret, per nutritionem.

At Patres illi similitudine nutritionis utuntur, ut veram, et realem mutationem ostendant, non autem, ut in omnibus similia esse velint consecrationem, et nutritionem; neque exempla, et similitudines id unquam exigunt, ut in omnibus omnino conveniant.

## CAPUT XIV.

*Refellitur quartus error.*

Jam vero quartus error de forma panis, ineptissimus est, nec alio fundamento nititur, nisi imperitiæ. Existimabant enim auctores ejus erroris, panem rem esse mere artificiosam, quia manibus, et arte hominum fit, et proinde formam panis nihil esse, nisi figuram illam externam, et accidentariam, quam in Sacramento remanere videmus. At panis non est res mere artificiosa, nec sola arte humana fieri potest, ut fiunt scamma, vestes, ædificia; sed res est naturalis, et actione naturali agentium naturalium ab hominibus applicatorum conficitur. Quemadmodum etiam ranæ, scorpiones, apes, calx, vitrum, et alia nonnulla humana arte fieri possunt, quæ tamen naturalia sunt, et formam substantialem habent, eo quod ad ea producenda adhibeantur agentia, seu causæ naturales.

Porro formam substantialem panis, quam esse in pane præter figuram externam, jam ostendimus, in Sacramento Eucharistiæ non remanere, facile probari potest. Nam aut cum materia sua maneret, aut sine illa; et si absque illa, aut informaret materiam corporis Domini, aut sine informatione, et separata a materia omni maneret. Si primum, tunc nulla fieret conversio, et coincideret hæc sententia cum prima. Si secundum, tunc non panis fieret corpus Domini, sed e contrario corpus Domini fieret panis, et Eucharistia formaliter esset panis, non corpus, et Dominus non dixisset accepto pane: *Hoc est corpus meum*, sed ostenso corpore dixisset, *Hic est panis meus*: a forma enim res unaquæque accipit esse, et nomen. Si tertium, frustra fieret miraculum hætenus inauditum, ut forma essentialis, et tamen corpo-

ralis sine materia maneret. Quorsum enim istud miraculum? Nam accidentia quidem externa utiliter manent in Eucharistia ad velandum corpus Domini; at ista forma invisibilis sine ulla causa maneret.

## CAPUT XV.

*Refellitur error Ruperti.*

Quintus error, quem Ruperti esse diximus, refellitur primo, quia repugnat apertissimis verbis Domini. Dominus enim ait Joan. vi. *Panis quem ego dabo, caro mea est*. At panis ille assumptus a Verbo, est quidem corpus Christi, sed non caro Christi; neque enim per assumptionem illam speciem suam mutat: panis autem corpus est, caro non est. Rursus Dominus ait Matth. xxvi: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (1). At corpus illud panaceum non fuit pro nobis traditum; corpus igitur datum Apostolis a Christo manducandum in ultima cœna, non fuit panaceum, sed carneum. Vel si contendas corpus panaceum datum discipulis; oportebit etiam fateri corpus panaceum pro nobis fuisse crucifixum, ut facete deducit Tertullianus lib. iv. contra Marcionem.

Responderi posset de corpore panaceo propter unionem hypostaticam prædicari corpus carneum; ac proinde dici potuisse; *Hic panis est corpus illud, quod pro vobis tradetur*, et *hic panis est caro mea pro mundi vita*; sicut dicimus; *Hic homo est Deus*, et *hic Deus est homo*.

At non potest ita responderi. Nam prædicatio diversarum naturarum propter unionem hypostaticam non valet, nisi in iis, quæ significantur ut tota quædam, et integra supposita. Unde non dicimus, *Corpus est anima*, vel *homo est anima*; neque dicimus, *Hic Deus (Christus) est corpus Christi*, vel *anima Christi*, sed tantum, *est homo*. Eodem igitur modo posita assumptione hypostatica panis a Verbo, liceret dicere, *Hic panis est Deus*, vel *est Christus*, vel *est homo*; non tamen posset dici, *Hic panis est caro Christi*, vel *hic panis est corpus carneum Christi*: caro enim, seu corpus carneum significantur, ut partes naturæ humanæ, non ut integra supposita. Nec potest dici, *carnem et*

(1) Joan. VI, 22; Matth. XXVI, 26.

corpus Joan. vi. et Matth. xxvi. accipi pro supposito, seu pro re totali, saltem per figuram intellectionis, quomodo legimus : *Omnis caro corruperat viam suam*, Gen. vi. et *Verbum caro factum est*, Joan. i. (1). Nam pronomina addita in utroque loco cogunt, ut accipiamus carnem et corpus pro parte, non pro toto. Sic enim Dominus ait : *Panis quem ego dabo, caro mea est* ; et *Hoc est corpus meum*, ubi, *mea*, et *meum*, non permittunt ut illa accipiantur pro toto, seu supposito.

Posset quis rursus pro Ruperto respondere, corpus Christi carneum per concomitantiam naturalem esse in Eucharistia simul cum corpore Christi panaceo, quandoquidem unita sunt illa corpora in eodem supposito : et ideo vere dici potuisse de Eucharistia : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur*.

At neque hæc responsio solida est. Nam unio hypostatica non trahit secum concomitantiam unius naturæ cum altera ; alioqui ubicumque est Verbum cum sua Divinitate, ibi etiam esset humanitas Christi per naturalem concomitantiam : quod falsum esse docent omnes Catholici contra Ubiquistas. Adde, quod Rupertus ipse non admittit istam concomitantiam : nam lib. ii. de officiis divinis, cap. 2. dicit, eundem Christum sursum, id est, in cælo esse in carne ; deorsum, id est, in altari, esse in pane.

Secundo posset hic error refutari omnibus ferme testimoniis Patrum, quæ supra toto lib. 2. adducta sunt : omnes enim una voce clamant, nobis in Eucharistia dari corpus Christi carneum de Virgine sumptum, et in ligno crucis extensum etc.

Tertio ratione refelli potest. Nam nulla omnino causa reddi potest, cur panem hypostatice Christus assumere voluerit : cur enim hominem assumpsit, tota causafuit, ut hominem liberaret. Ideo enim neque Angelum, neque naturam aliam assumpsit, quia res cæteræ aut non egebant liberatione, aut non poterant liberari : solus homo capax, et indigens liberationis erat. Quorsum igitur panem assumeret, qui nulla liberatione egebat.

Adde, improbable esse omnino, ut unio hypostatica Dei cum creatura quotidie fiat, et quotidie destruat : nihil enim majus, et mirabilius Deus creaturis donavit, quam suam ipsius personalitatem, cum Verbum caro factum est. At quis ferat, donum tam

singulare quotidie cum pane communicari, et iterum paulo post auferri ?

Adde ultimo, quod hæc opinio fidem nostram sine causa facit odiosam, et ridiculam infidelibus, et dat ansam cum fundamento blasphemandi. Nam absurda, quæ hæretici falso colligunt, cum dicunt, Christum in Eucharistia posse cadere in terram, rodi a muribus, ire in secessum, comburi etc. secundum hanc sententiam verissima essent. Si enim panis materialis per unionem hypostaticam est corpus Christi, atque adeo Christusipse : quomodo negari posset, Christum, sive ejus corpus cadere, rodi, putrescere, ire in secessum, cremari, cum panis ille cadit, roditur, putrescit, in secessum abit, crematur ?

Sed pro hæc sententia adduci posse videntur quedam Patrum testimonia. Nam Cyprianus in serm. de cœna Domini comparans Eucharistiam cum Incarnatione, sic ait : « Sicut in persona Christi humanitas videbatur, et latebat Divinitas, ita Sacramento visibili divina sese infudit essentia. » Remigius Remensis in cap. x. prioris ad Corinth. « Caro, inquit, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali in unitate suæ personæ, et panis, qui consecratur in Ecclesia, unum corpus sunt. Divinitatis enim plenitudo, quæ fuit in illa, replet et istum panem. » Similia habent Haymo in comment. ejusdem loci ; et Damascenus lib. iv. c. 14. Huc etiam trahi possent testimonia Theodoretii in 1. et 2. Dialogo ; et Gelasii in lib. de duabus naturis Christi, qui videntur ita velle panem, et corpus Domini uniri in Sacramento, quomodo uniuntur in Christo Divinitas, et humanitas.

Sed hæc omnia facile solvi possunt. Nam Cyprianus, Remigius, et Damascenus cum dicunt, panem se infundere Divinitatem, intelligunt ita se infundere, ut convertat panem in corpus Domini omnipotentia sua, non autem, ut hypostatice sibi jungat. Nam Cyprianus dicit ibidem aperte panem mutari, quoad naturam, et sic fieri carnem omnipotentia Verbi. Remigius quoque (quem Haymo secutus est) dicit esse idem corpus panem consecratum, et corpus ex Virgine, quia panis in corpus vertitur. Sic etiam Damascenus multis verbis conversionem panis in carnem docet et probat. Porro Theodoretus et Gelasius comparant Eucharistiam cum Incarnatione propter quamdam similitudinem, non

(1) Gen. VI, 12 ; Joan. I, 14.

quod in omnibus paria sint : similitudo autem in eo sita est quod sicut in Eucharistia sunt species panis, et etiam est caro Christi, et non confunduntur ista, nec permiscuntur ; ita in Christo sunt duæ naturæ inconfusæ, et impermistæ. Quod autem attinet ad substantiam panis, mutari illam non negant. Nam etiam ipsi ibidem (ut supra docuimus) aperte meminerunt mutationis terreni panis in rem cœlestem, id est, carnem Christi gloriosam. At Rupertus contraria via ingreditur, quippe qui in cap. vi. Joannis apertissime docet, a Christo panem fieri corpus, non mutando vel destruendo panem, sed assumendo ad personam suam.

panis est Deus, et Deus est panis ; quod est alterum incommodum, quod Joannes ille vitare cupiebat. Nam licet panis a Verbo assumatur mediante solo corpore Christi : tamen quia Verbum indivisibile est, a toto Verbo assumitur, et in toto Verbo subsistit ille panis, perinde plane, ac si mediante tota humanitate Christi assumeretur ; quare vere dicitur Deus Verbum esse panis. Nec similitudo Æthiopis repugnat : nam si candor, qui est in dentibus Æthiopis, mediantibus dentibus in toto corpore existeret, totus Æthiops diceretur candidus. Vide plura apud Durandum in iv. dist. 10. quæst. 1.

## CAPUT XVI.

*Refellitur error Joannis Parisiensis.*

Sextus error Joannis Parisiensis iisdem argumentis refellitur, quibus error præcedens Ruperti : et præterea habet aliud majus incommodum, quod vult panem immediate assumi a corpore Domini. Multi enim non sine causa dubitant an possit fieri, ut creatura creaturam hypostatice assumat. Et præterea corpus Domini in Christo caret propria personalitate ; quomodo igitur poterit aliis communicare, quod in se non habet ?

Sed nec obtinet iste error, quod cupit, nimirum, ut possit dici vere : Panis est corpus, et non cogamur admittere, panem esse Deum. Nam adhuc posita illa assumptione panis a Verbo mediante corpore Christi, non est vera propositio, Panis est corpus : siquidem corpus, ut hic sumitur, est pars quædam naturæ humanæ, et proinde non potest prædicari, vel de toto, vel de altera parte coassumpta. Sicut enim non dicimus : Deus est corpus Christi, nec Divinitas est corpus Christi, sed solum, Deus est homo : ita non posset dici, Panis est corpus Christi, vel essentia panis est corpus Christi ; licet in eodem supposito subsisterent. Quomodo etiam non dicimus, Digitus est manus, vel annulus est digitus ; licet digitus mediante manu in corpore subsistat, et annulus mediante digito sit in manu. Et præterea posita illa assumptione, poterit omnino vere dici,

## CAPUT XVII.

*Refellitur error Ubiquistarum.*

De errore Ubiquistarum fuse tractavimus in libris de Christo, ad quem locum lectorem remittendum putavimus. Hic autem contenti erimus brevissime demonstrare, per figmentum Ubiquitatis, non modo non explicari vel confirmari, sed plane obscurari, et everti Sacramentum Cœnæ Domini.

Primo igitur ex Ubiquitate sequitur, Eucharistiam non esse Sacramentum. Sacramenta enim novi Testamenti a Christi institutione pendent, et a ritu, et verbis, quæ ille præscripsit. At præcipuum quod est in Eucharistia, ab institutione, ritu, et verbis Christi non pendet, si vera est Ubiquistarum doctrina ; non igitur Eucharistia Sacramentum Christi est. Propositio conceditur ab omnibus, et supra a nobis in lib. de Sacramentis in genere probata est, nullo ex adversariis dissentiente. Assumptio autem est ipsius Lutheri in lib. quod verba Domini, Hoc est corpus meum, adhuc firmiter stent. Ibi enim affirmat ex eo, quod Christus sedet ad dexteram Dei, evidenter sequi ut ejus corpus sit in pane, etiamsi illa verba, *Hoc est corpus meum*, neque a Christo dicta fuissent, neque scripta essent. Et quamquam id Lutherus non diceret, tamen aperte sequeretur ex ejus sententia. Si enim ex unione hypostatica Christi corpus est ubique, certe fuit in pane ante Sacramenti institutionem, neque ab ea ullo modo pendet præsentia ista Christi in cœna.

Dicent fortasse, Sacramentum Cœnæ pendere ab institutione, et verbis Christi quan-

tum ad symbola panis, et vini, quæ non essent symbola, nisi a Domino ad hoc instituta fuissent. Sed hoc est incidere in sententiam Sacramentariorum, ob quam cavendam, inventa erat Ubiquitas. Nam Sacramenta et eorum efficacia et veritas integre pendent ab institutione et verbis Christi. Si ergo ab institutione et verbis Cœnæ non pendent, nisi symbola illa, et eorum significatio; ergo Sacramentum cœnæ nihil omnino est, nisi symbolum externum significans corpus Christi: et proinde illa verba, *Hoc est corpus meum*, quibus hoc Sacramentum conficitur, exponenda erunt, ut Sacramentarii faciunt, per illa, Hic panis significat corpus meum, vel est signum corporis mei.

Secundo, ex Ubiquitate sequitur, Christi corpus non posse vere manducari ore corporali, sed solum ore spirituali per fidem et gratiam, seu energiam et effectum; et consequenter non posse manducari, nisi a piis. At hæc est ipsissima hæresis Sacramentariorum, ob quam destruendam Ubiquitas in mundo apparuit. Quod id sequatur, sic ostendo. Quod est ubique, non potest moveri, nec transire de loco ad locum; ergo licet corpus Christi sit in pane, tamen non manducatur, cum panis manducatur, quia non movetur, nec transit cum pane e manu ad os, et ab ore ad stomachum: nam etiam antea erat in ore et in stomacho, priusquam panis eo veniret. Et explicatur exemplo Dei. Deus ubique est, et quia ubique non movetur cum rebus, in quibus est, nec per se, nec per accidens; et ideo licet sit in pane, non tamen manducatur, cum pane; licet in aere, non tamen attrahitur cum aere intra pectus, neque ejicitur cum respiramus. Et confirmatur. Nam si corpus Domini, quia est in pane, cum pane manducatur, ergo quia in terra cum terra calcatur; et quia est in ligno, cum ligno comburitur; et quia est in saliva, cum saliva expuitur. At hæc et similia, falsa esse constat. Quod si Christi corpus re ipsa et ore corporali non sumitur, sequitur aut esse inanem Cœnam Domini, aut saltem spiritualiter sumi per energiam, et per fidem, et solum a piis, qui habent fidem, et hoc est quod volunt Calvinistæ.

Tertio, etiamsi posset sumi corpus Christi ore corporali, cogentur nihilominus fateri, nullum esse fructum Cœnæ Domini, nisi energiam quamdam, ut dicunt Calvinistæ. Nam si Christi corpus est ubique, non egemus Cœna Domini, ut Christi corpus habeamus, neque opus est ad Ecclesiam ire, aut parare se ad

Communionem, aut institutionem audire, sed possumus domi nostræ in pane, et vino, et in quolibet cibo, imo et in aere quem inspiramus, Christi corpus habere. Quorsum igitur Cœna Domini? quid illa nobis prodest?

Lutherus hoc argumentum sibi ipse objecit, in lib. quod verba Domini firmiter stent: ac respondit, Christi corpus esse ubique, sed non posse ubique capi, sed solum in ea re, quam ipse ad hoc instituit. Et ponit exemplum de radiis solaribus, qui licet undique nos circumdant et impleant, cum in sole consistimus, tamen non possumus ex eis cistam implere, et nobiscum deferre. Similia dicit in serm. de Eucharistia, ubi docet Christi corpus esse ubique, sed non debere quæri, vel accipi citra verbum ejus: verbum autem non dicit Christi corpus debere quæri, vel accipi, nisi in pane Cœnæ Domini. Nam etiam in laqueo (istis enim exemplis novus Propheta mirifice delectatur) est, et tamen non debeo collum in laqueum injicere, et longam litteram facere; quia verbum Dei hoc non dicit.

At hæc omnia frustra dicuntur. Nam aut vult Lutherus corpus Domini, quod ubique est, non ubique posse utiliter haberi, aut simpliciter non posse ubique haberi. Hoc autem, quod posterius dixi, nulla ratione defendi potest. Nam quod ubique est, impossibile est non ubique haberi; implicat enim contradictionem, ut habeam panem, et non habeam in illo corpus Domini, si ubique ut corpus Domini. Neque exemplum de radiis solaribus ad rem facit: radii enim illi non sunt ubique. Neque valet quidquam illa ratio de verbo Dei. Nam aut verbum Dei docet, Christi corpus esse ubique, vel non: si non id docet, ergo temere Lutherani docent Ubiquitatem: si vero id docet, ergo non citra verbum, sed plane duce verbo ubique Christum habemus, et sumimus. Sed verisimile est Lutherum id intellexisse, quod primo loco posuimus, nimirum, non ubique, sed solum in Cœna, Christi corpus haberi utiliter, et efficaciter: nam ita exponit Brentius in lib. de duabus naturis, et Ascensione Christi. Dicit enim corpus Domini esse ubique personaliter, sed in Cœna esse etiam definitive, id est, ex definitione, et decreto Dei; qui modus essendi addit solum efficaciam, nam in Cœna Domini sumitur efficaciter, et nusquam alibi. At quid est hoc aliud, nisi Calvinismum inducere, dum oppugnare conaris? Nam hoc modo nihil habere-

mus in Cœna, quod non habeamus extra Cœnam, nisi efficaciam quamdam; et proinde vi Cœnæ non sumi corpus, sed energiam ejus, quæ est Calvinii sententia.

Quarto, dogma est a Lutheranis omnibus receptum, corpus Domini non esse in Eucharistia extra usum, id est, non esse nisi dum sumitur: et ea de causa non servant species consecratas, neque deferunt ad aegrotos. At Ubiquitas destruit istud dogma: si enim corpus Domini ubique est, erit etiam ante usum in pane.

Ridicula autem responsio Smidelini est in libro adversus Albertum Sperlingum, ubi dicit: « Quod aiunt Lutherani, corpus Domini non esse in Eucharistia extra usum, non intelligi de præsentia, sed de distributione, quia nimirum non distribuitur extra usum. » At vel Smidelinus loquitur de quocumque usu in genere, vel de usu Cœnæ Domini, id est, de ritu illo, quo utimur in consecratione, et distributione Eucharistiæ. Si de quocumque usu, idem est dicere non distribui extra usum; et non distribui, nisi cum distribuitur; quod est certum, sed nunquam fuit in controversia. Si de usu, et ritu Cœnæ Domini, falsum est non distribui corpus Domini extra illum usum. Nam quidquid porrigimus, seu distribuimus in quocumque loco, in eo distribuimus corpus Domini, si corpus Domini ita est ubique, ut tamen distribui possit. Nam (ut supra demonstravi) quod est ubique, non potest distribui, cum necessario sit immobile.

Quinto, accedat confessio ipsorum Ubiquistarum, qui et si valde urgeant Ubiquitatem, tamen satis aperte indicant, se coactos inopia rationum ad eam confugisse. Nam Brentius in libro qui inscribitur: *Recognitio Brentii*; aperte fatetur, non posse Lutheranos evadere quin cogantur admittere consecrationem Papistarum, nisi ponatur ista Ubiquitas. Itaque videmus, Ubiquitatem non per se placere, sed solum quia non habent quod dicant, quando ab eis petitur, unde fiat, ut corpus Domini sit in Eucharistia, si rejicitur consecratio.

Illyricus autem in libro de mystica Sacramentali, et externa præsentia corporis Domini in Cœna, dicit oportere admittere Christi præsentiam in Ecclesia, etiam hic in terris secundum humanam naturam, quia alioqui Ecclesia careret capite, et cogeretur admittere ejus Vicarium, id est, Papam. Quare Ubiquitas ista, non ideo placuit Illy-

rico, quia sit in se valde speciosa, sed quia videtur conferre aliquid contra Papam.

Kemnitius quoque in 2. parte Exam. cap. 4. sess. 13. et liber Concordiæ corporis Domini in Eucharistia non esse ponendum in Ubiquitate, sed in verbis Domini: *Hoc est corpus meum*, et tamen postea, cum ad rem venit, quia non possunt reddere ullam rationem illius præsentia, cum rejecerint consecrationem, ad Ubiquitatem confugiunt, eamque totis viribus tuentur. Sed de his satis.

## CAPUT XVIII. •

### *Explicatur sententia Ecclesiæ.*

Erroribus confutatis, explicanda, et confirmanda est veritas. Ecclesiæ igitur sententia est, rationem proximam, et propriam cur sit in Eucharistia verum Domini corpus, non esse assumptionem panis ad personam Verbi, neque Ubiquitatem, neque simplicem, et quasi localem unionem panis cum corpore, neque mutationem partialem panis in corpus, sed totalem conversionem substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem Domini. Et quamvis in hoc Theologi conveniant ob Conciliorum, et Ecclesiæ auctoritatem, tamen in modo explicandi nonnihil discrepant. Sequar autem in hoc mysterio explicando communio-riorem, et tutiorem viam S. Thomæ, atque, aliorum graviorum Theologorum.

Igitur tria sunt observanda. Primum est, ad veram conversionem quatuor conditiones requiri. Prima, ut aliquid desinat esse: non enim est intelligibile, ut unum convertatur in aliud, nisi id quod convertitur, desinat esse, quod antea erat. Hinc Augustinus lib. 18. de civit. Dei, cap. 18. docet, non fuisse veras conversiones illas, quas Gentiles jactabant factas a suis magis, vel diis, ut Arcadum in lupos, sociorum Diomedis in aves, sociorum Ulyssis in varias bestias, Iphigeniæ in cervam, et alias similes. Nam cum Iphigenia inventa esset alibi viva, post conversionem in cervam, intelligi potuit non eam vere conversam fuisse, sed Dæmonis arte subito inde adductam, et in ejus locum cervam substitutam.

Si objicias, in conversione uxoris Loth in statuam salis, nulla pars substantiæ illius fœminæ periit, sed tantum translata est anima in alium locum, et in materia ejus intro-

ducta est forma salis : et tamen ea verissima conversio fuit. Respondeo ; Conversio non requirit ut desinat esse, nisi id, quod convertitur. Quare si id quod convertitur, sit aliquid compositum, satis est si desinat esse ipsum compositum, etiamsi forte pars aliqua, vel etiam omnes, post dissolutionem compositi maneat. Ita igitur vera conversio fuit uxoris Loth, quia illud compositum, id est, illud corpus carneum, et illud animal rationale, vere desiit esse : quomodo philosophi vere dicunt, converti aquam in aerem, licet materia remaneat ; quia quod convertitur est aqua non materia, et vere post conversionem non remanet aliquid, quod sit aqua, vel quod fuerit aqua. At si id quod convertitur, non solum sit compositum, sed etiam partes ejus, tunc etiam partes debent simpliciter desinere esse ; et hoc fit in Eucharistia. Nam ideo Concilium Trident. dixit, conversionem fieri totius substantiæ panis, id est, tam formæ, quam materiæ.

Secunda conditio est, ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse ; alioqui non esset conversio, sed corruptio, vel annihilatio, si terminus illius actionis esset non esse rei. Atque hoc significamus cum dicimus, unum converti in alterum, sive quod fuit unum, nunc esse alterum : indicamus enim his sententiis unum alteri successisse.

Hinc intelligimus inanem, et supervacaneam fuisse Cajetani subtilitatem, in comment. S. Thomæ III. par. quæst. LXXV. artic. 4. ubi concedit quidem nullam partem substantiæ panis remanere post consecrationem, et tamen docet remanere id quod fuit panis, nimirum ut vere dici possit ; Quod fuit panis, nunc est corpus Christi. Sed non erat opus ista speculatione : vere enim dici potest : Quod fuit panis, est corpus Christi ; licet nihil omnino maneat, quod fuerit panis. Nam illæ sententiæ ex communi modo loquendi, significant solum id quod convertitur, non desinere in nihil, sed in aliquid, quod ei succedit. Hoc enim modo, sine ullo mysterio, dicunt de naturalibus mutationibus philosophi : Quod fuit lignum, nunc est ignis, et quod fuit aqua, nunc est aer : et tamen nihil manet, quod prius fuerit lignum, vel aqua ; materia enim quæ manet, nunquam fuit lignum, vel aqua.

Tertio conditio est, ut sit connexio quædam et dependentia inter definitionem unius, et successionem alterius, ita ut unum desinat, ut alterum succedat, et vi desitionis fiat

successio. Nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quæ dici posset conversio, sed essent duæ actiones per accidens se concomitantes, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur. Ut exempli gratia ; Si Deus annihilasset uxorem Loth, et deinde ubi illa fuerat, creasset statuam salis, nulla esset ibi conversio. At conversio fuit ; quia illa ipsa actio, per quam desiit esse uxor Loth, introduxit in ejus locum statuam salis.

Atque hinc intelligi potest, cur panis in Eucharistia, revera non annihilatur, licet nihil ejus remaneat post consecrationem, quia nimirum actio per quam panis desinit esse, non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini ; annihilatio autem est actio, quæ terminatur ad nihil. Id quod etiam cernimus in naturali transmutatione. Nam cum aqua vertitur in aerem, nihil prorsus remanet formæ aquæ, et tamen ea forma non annihilatur ; quia actio, qua illa destruitur, non terminatur ad non esse illius formæ, sed ad esse formæ aeris : num ab eodem agente, eadem actione, et iisdem dispositionibus una pellitur, et alia introducitur, imo ideo uno pellitur, ut alia introducatur. Quod enim quidam dicunt, non annihilari formam aquæ, quia remanet in potentia materiæ, inane est. Siquidem in potentia materiæ manet quidem forma quæ tunc corrumpitur, cum generatur aer : illa enim nusquam manet, nisi in potentia Dei objectiva. Sed hoc non impedit annihilationem, alioqui nihil annihilari posset.

Quarta conditio est, ut tam terminus a quo, quam terminus ad quem, sit vere positivus. In hoc enim distinguitur perfecta conversio, non solum a creatione, et annihilatione, sed etiam a naturali conversione ; nam licet ex uno fiat aliud, ut ex aqua aer, et proinde sit aliquo modo uterque terminus positivus : tamen quia non introducitur forma aeris in materia aquæ, nisi prius ea disposita sit per certas qualitates ; inde est quod præcedit privatio formæ aeris in materia aquæ, ipsam introductionem formæ aeris : tunc enim materia dicitur privata, cum habet dispositionem ad formam. Itaque terminus a quo in tali conversione, non tam est aqua, quam privatio aeris, et proinde terminus a quo non est positivus, sed privativus proprie loquendo. At in conversionibus supernaturalibus, qualis fuit uxoris Loth in statuam salis, et aquæ in vinum in Cana Galilææ, et virgæ in draconem tempore Mosis,

uterque terminus proprie positivus erat. Non enim Deus disposuit materiam uxoris Loth, ad formam salis recipiendam, aut aquæ materiam ad formam vini, aut virgæ ad formam draconis, sed in momento effecit, ut unum desineret in ordine ad alterius successionem : atque ita non fuit facta statua illa, aut vinum, aut draco ex materia habente privationem, sed ex materia habente formam contrariam.

Ex quo intelligimus conversionem panis in corpus Domini esse perfectissimam conversionem, et distingui ab omnibus aliis mutationibus, sed similiorem tamen esse conversionibus supernaturalibus jam dictis, quam ullis aliis : solum enim in duobus ab his distinguitur. Primo, quod in illis conversionibus probabile est materiam primam mansisse sub utroque termino, in hac autem certum est non manere. Secundo, quod in illis accidentia, aut omnia, aut aliqua mutata sunt cum forma substantiali, in hac autem omnia accidentia remanent, quæ prius erant, sola substantia mutata. Hæc igitur dicta sint de conditionibus, et natura conversionis.

Secundo notandum est. Ad veram conversionem non requiri, ut id, in quod aliquid convertitur, de novo producat, sed satis esse si unum alteri succedat (ut diximus) sive id tunc producat, sive aliunde adducatur, sive alio modo id fiat. Tribus enim modis fieri potest conversio. Nam si terminus ad quem non existat, vi conversionis, necessario producat, et inde vocatur a quibusdam ea conversio productiva ; qualis fuit conversio aquæ in vinum in Cana Galilææ, et aliæ permultæ. Si vero terminus ad quem existat, sed non in eo loco, ubi est terminus a quo, tunc vi conversionis adducatur ad eum locum, et inde vocatur ea conversio adductiva : talis fere est conversio cibi in hominem per nutritionem, quod attinet ad introductionem animæ : quamvis enim caro, quæ fit ex cibo, vere producat ; tamen anima non producat, sed tantum per nutritionem fit ut incipiat esse in ea materia, ubi antea erat forma cibi. Si denique terminus ad quem existat, et in ipso loco eodem, ubi est terminus a quo, ut verbi gratia, si duo corpora æqualia se penetrent, et unum divina virtute totaliter vertatur in aliud, tunc vi conversionis non producat, neque adducatur terminus ad quem, sed solum conservabitur, et inde dicitur ea conversio conservativa : nam cum non possint naturaliter duo cor-

pora simul esse, si Deus unum interimeret, ut alterum naturaliter ibi servaret, diceretur unum in alterum converti, ex eo quod unum desineret esse, ut alterum permaneret in esse.

Ex his colligimus conversionem panis in corpus Domini non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam. Nam corpus Domini præexistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis : conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis. Porro adductivam vocamus istam conversionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deferat suum locum in cælo, vel quia per motum localem huc de cælo adducatur, sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in cælo, jam etiam sit sub speciebus panis, et non solum sub illis sit per simplicem præsentiam, sive coexistentiam, sed etiam per unionem quamdam, qualis erat inter substantiam panis, et accidentia panis, excepta tamen inhærentia : de qua re plura infra dicemus.

Sed objiciet aliquis. Si per conversionem istam non producat corpus Christi, sed tantum sit præsens ; ergo terminus ad quem non est substantia, sed accidens ; ergo conversio ista non substantialis, sed accidentalis est.

Respondeo, etiam terminus ad quem, est substantia. Non enim per conversionem istam fit præsentia (relationes enim non fiunt, sed consequuntur) sed fit, ut corpus Christi succedat pani : proinde substantia in substantiam transit, et substantia substantiæ succedit ; non enim panis convertitur in præsentiam corporis Domini, sed in ipsum corpus Domini.

Tertio notandum est. Subjectum in quo recipitur actio divina hujus conversionis, partim esse panem, partim corpus Christi. Nam illa actio, ut conversio, in pane recipitur ; panis enim est, qui convertitur, proinde panis solus mutatur substantialiter. At illa eadem actio, ut adductiva corporis Christi, in ipso Christi corpore, recipitur : illud enim est, quod adducitur, id est, acquirit esse sub speciebus panis, quod antea non habebat.

Quod autem S. Thomas, et alii dicunt, corpus Christi incipere esse in Sacramento, non per mutationem sui, sed per mutationem panis in ipsum, verum est, sed intelligi

debet de mutatione deperditiva ; non autem de omni mutatione. Nam vere corpus Christi quod est in cœlo, non mutat, nec substantiam, nec ulla accidentia, nec ipsum etiam locum; tamen acquirit aliquid quod non habebat, nimirum esse Sacramentale, quod sine aliqua mutatione intelligi nequit. Nam si absque conversione ulla in ipsum, idem corpus Domini in cœlo manens, poneretur a Deo etiam in terra, quod fieri posse nos supra docuimus ; imo et factum esse probavimus ex apparitionibus Domini post Ascensionem : certe negari non posset, quin actio Dei, qua illud corpus in terra poneretur, in ipso corpore, tanquam in subjecto reciperetur, et proinde ipsum corpus aliquo modo mutaretur. Eodem igitur modo, cum per conversionem panis, idem corpus in sacra hostia ponitur, actio illa in corpore Domini recipitur, non quidem ut conversio, sed ut adductio est. Præterea corpus Domini per illam conversionem acquirit novam, et realem relationem præsentiae, ad species panis, et ad altare : requiritur igitur aliquod fundamentum illius relationis, quod sane aliud fingi non potest præter mutationem aliquam. Denique conversio, quatenus panem destruit, non tam est actio, quam negatio actionis : Deus enim destruit panem, dum desinit eum conservare. At per negationem nihil positive, et realiter fieri potest ; ergo positio corporis Domini sub illis speciebus, quæ est quid positivum, non fit ab illa conversione, ut ea est in pane, sed ut est, et recipitur in corpore Christi.

Dices : Si panis destruitur per negationem actionis, et corpus Domini ponitur in Eucharistia per actionem positivam ; ergo transubstantiatio non est una actio, sed continet duo quædam, nimirum negationem actionis, et actionem. Respondeo : Transubstantiatio est una actio, quia est quædam voluntas, seu volitio Dei, qua ipse vult non conservare panem, ut in ejus locum ponatur corpus Domini.

## CAPUT XIX

*Probatur ex verbo Dei transubstantiatio.*

Nunc tandem confirmanda est sententia Catholicæ Ecclesiæ, quæ docet, panem con-

verti in corpus Domini, et eam conversionem esse propriam rationem præsentiae corporis Domini in Eucharistia : ex quo simul confutabitur prima sententia Berengarianorum, quam etiam Lutherani sequuntur de simplici conjunctione panis cum corpore Domini in hoc Sacramento.

Primum autem argumentum ducitur ex illis Domini verbis : *Accipite, et manducate, hoc est enim corpus meum* (1). Hæc enim verba necessario inferunt, aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calvinistæ, nullo autem modo sententiam Lutheranorum admittunt : nam Dominus accepit in manibus panem, eumque benedixit, et dedit discipulis, et de eo ait : *Hoc est corpus meum*. Itaque panem accepit, panem benedixit, panem dedit, et de pane dixit : *Hoc est corpus meum*. Vel igitur benedicendo mutavit in corpus reipsa vere, et proprie, vel mutavit improprie, et figurate, addendo significationem, quæ non habebat ; vel nullo modo mutavit. Si mutavit reipsa, vere, et proprie ; ergo panem mutatum dedit, et de pane mutato verissime dixit : *Hoc est corpus meum*. Id est, quod sub specie panis continetur, non est amplius panis, sed corpus, et hoc est quod dicunt Catholici. Si vero quis dicat, panem mutatum esse figurate, tamen datus erit Apostolis panis, qui figurate erit corpus Domini, et illa verba : *Hoc est corpus meum*, hunc sensum habebunt, Hic panis est figura corporis mei. Hæc autem est sententia Sacramentariorum, quam et nos, et Lutherani communi consensu rejicimus. Si quis denique dicat nullam fieri mutationem, is cogetur dicere, panem non mutatum datum esse Apostolis, et de illo esse dictum : *Hoc est corpus meum*, id est, Hic panis verus ac triticeus, vere, et proprie est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, sive agamus de re ipsa, sive de propositione : nec enim ullo modo fieri potest, ut una res non mutetur, et tamen fiat alia ; esset enim ipsa, et non esset ipsa. In propositione autem affirmativa, necesse est, ut pro eodem supponant subjectum, et prædicatum ; alioqui esset falsa prædicatio. Non igitur potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro pane, prædicatum autem pro corpore Christi : panis enim et corpus Domini res diversissimæ sunt.

(1) Matth XXVI, 26.



Ad hoc argumentum respondit Lutherus in lib. de Babyl. captivit. cap. de Eueharistia, non oportere Aristotelem facere rerum tam sublimium. Deinde addit, si, propter istam regulam philosophicam, oportet panem transubstantiari, oportebit etiam propter eandem transaccidentari; alioqui dicemus, Hoc album, et hoc rotundum est corpus Christi. Denique ponit exemplum, in quo apparet posse prædicari diversum de diverso sine transubstantiatione: dicimus enim in Christo, Hic homo est Deus, et Hic Deus est homo: et tamen nulla fit transubstantiatio hominis in Deum, vel contra. Ex his ista concludit: « Ego sane, si non possum consequi, quomodo panis fit corpus Christi, captivabo tamen intellectum meum in obsequium Christi, et verbis ejus simpliciter inhærens credo firmiter, non modo corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi. »

Sed hæc nullo negotio refelluntur. Nam quod ad primum attinet, si Aristotelem judicem vocemus in quæstione dialectica, seu philosophica, qualis est hæc de natura enunciationis affirmativæ, non deberet Lutherus id tantopere ægre ferre. Sed non hic opus habemus Aristotele, cum sensus communis sufficiat. Nam si liceat affirmare disparata de disparatis, licebit eodem jure affirmare de nihilo aliquid, de aliquo nihil, de luce tenebras, de tenebris lucem, de Christo Belial, et de Belial Christum: neque fides nostra ad id nos obligat, ut ea defendamus, quæ evidentè implicant contradictionem. Adde, quod nusquam Dominus disertis verbis dixit: Hic panis est corpus meum; ut opus sit in ea re ita captivare intellectum, ut non obstante evidentia contradictionis, cogamur credere panem triticeum esse corpus Christi.

Quod vero Lutherus secundo loco adfert de transaccidentatione, levissimum est. Non enim admittimus illas propositiones: Hoc album, vel hoc rotundum est corpus Christi; neque cogimur eas admittere, licet fateamur panis accidentia in Eueharistia remanere. Nam illud: *Hoc est corpus meum*, non significat, Hoc album est corpus meum; pronomen enim, *Hoc*, non supponit pro accidente, sed pro substantia. Itaque non cogimur dicere, Hoc album est corpus meum, sed nec possumus admittere. Nam « Hoc album » ante consecrationem supponit pro pane, post con-

secrationem non supponit pro pane, qui panis ibi non est; nec pro corpore Christi, quia corpus Christi non est subjectum illorum accidentium, sed supponit pro quantitate remanente, quæ est subjectum accidentium reliquorum: porro quantitas illa alba et rotunda non est corpus Christi, ut patet.

Vide de ista quæstione, an hoc album sit corpus Christi, miras fraudes Wiclefi apud Thomam Waldensem, tom. II. cap. 52. Ille enim jubebat uno verbo responderi, an hoc album, et rotundum (demonstrata sacra hostia) sit corpus Christi. Si enim concederetur, inferebat: Ergo corpus Christi est album, et rotundum etc. Si negaretur, turbabantur simpliciter fideles, qui putabant negari veritatem corporis Domini in Eueharistia. Sed respondendum fuit: Hoc album non est corpus Christi, sed est quantitas quædam rotundæ figuræ, et albi coloris: tamen sub hoc albo et rotundo, vere et realiter corpus Christi latet.

Denique illud exemplum de Inarnatione non est ad rem. Nam in Christo propter unionem hypostaticam verissimæ sunt illæ propositiones: Hic Deus est homo, et hic homo est Deus; quia in utraque tam subjectum, quam prædicatum, pro eadem persona supponit. At in ista propositione, Hic panis est corpus Domini, pro diversis supponunt subjectum, et prædicatum, ut supra dictum est.

Porro Martinus Kenmitius in 2. par. Exam. sess. XIII. cap. 4. ad idem nostrum argumentum respondere conatur. Ac primum respondet, panem in Eueharistia mutari, quia, ut dicit Irenæus, ex pane communi fit Eueharistia, duabus rebus constans, una terrena, altera cœlesti. Atque hoc dicit sufficere, ut recte et vere dicamus, Panis est corpus Christi; licet panis non convertatur in corpus, sed simul cum illo maneat.

Deinde paulo infra repetitis Lutheri nugis de philosophia Aristotelis, dicit secundum morem Scripturæ sanctæ illa invicem prædicari, quæ divina ordinatione peculiari modo uniuntur, licet in ejusmodi propositiones non quadret regula Aristotelis. Ad veritatem autem harum propositionum dicit requiri tantum, ut significetur unio, et præsentia unius rei eum altera.

Exempla vero hæc adfert. Primum de Christo, in quo recte dicimus, Hic Homo est

(1) Joan. IX, 25.

Deus; tametsi ad regulas prædicabilium non congruat ea propositio. Ubi tamen monet se non ponere unionem personalem inter panem, et corpus Christi, sed tantum uti similitudine Incarnationis, ut ea usi sunt nonnulli veterum in eadem causa. Secundum exemplum Joan. xx. Dominus insufflavit, et dixit: *Accipite Spiritum sanctum*, ubi ipsum corporis flatum, Spiritum sanctum vocavit, ut significaret cum eo flatu dari Spiritum sanctum. Tertium exemplum Matth. 3. Columba vocatur Spiritus sanctus, cum dicitur Joannes Spiritum vidisse, qui tamen non viderat, nisi columbam. Quartum exemplum dicit esse posse illas visibiles species, in quibus Angeli, vel Deus olim ostendebantur: nemo enim ausus fuit articulum inde facere, quod species illæ fuerint accidentia sine subjecto. Quintum exemplum: Progrediente area dicebat Moses: *Exurgat Dominus*, nec tamen opus fuit transubstantiari lignum, vel aurum aræ. Sextum exemplum in vulgari locutione. Nam de dolio et vino, dicimus, Hoc est vinum; de marsupio et pecuniis dicimus, Hæ sunt pecuniæ; de fasciis et infante dicimus, Ille est infans uteri mei. His exemplis jactat Kemnitius gladio Spiritus se feliciter dissolvisse, vel præcidisse telam nostri argumenti.

Sed profecto nos non egemus gladio, ut telam solutionis ejus destruamus: est enim ea teke arancarum simillima, quæ levi flatu dissipari queat; nam multa dicit, sed nihil ad rem. Ad illud igitur de mutatione ex pane communi in Eucharistiam duabus rebus constantem, dico illam mutationem secundum veram Irenæi sententiam (ut nos lib. II. cap. 6. ostendimus) substantialem mutationem esse panis in carnem Christi, manentibus accidentibus, et proinde rem terrenam esse accidentia panis sensibilia, rem cœlestem, carnem Christi gloriosam: et hoc modo vere prædicari corpus Christi de pane Eucharistiæ, quia panis ille non est panis communis, id est, triticæus, sed panis cœlestis. At secundum Lutheranos, qui per rem terrenam exponunt panem, per rem cœlestem intelligunt corpus Christi, nulla est ibi vera mutatio panis, sed sola adjunctio corporis Domini ad panem, quæ non est satis ut possit vere dici, Panis est corpus Christi: alioqui etiam vere dicere possemus in homine, Anima est corpus; et in Christo, Humanitas est Divinitas; et in ferro ignito (quod est exemplum Lutheri loco supra

citato ad illustrandam conjunctionem panis cum corpore Christi in Eucharistia), Ferrum est ignis, vel ignis est ferrum; quæ tamen nemo concederet.

Ad illud quod subjungit Kemnitius de more, et usu Scripturæ, dico falsum esse in Scripturis ullas tales propositiones inveniri, quales ipse fingit. Ac in primo quidem exemplo bis peccat Kemnitius. Primo, quia dicit illam propositionem, Hic homo est Deus, non esse veram secundum regulas Aristotelis: in quo satis ostendit, se non legisse, vel quod est credibilius, non intellexisse regulas Aristotelis. Posita enim assumptione humanæ naturæ ad personam Verbi, illa propositio verissima est secundum omnes regulas philosophiæ, cum pro eodem supposito supponant tam *hic homo*, quam *hic Deus*. Nisi forte Kemnitius non agnoscat in Christo veram, et hypostaticam unionem duarum naturarum; quod sane insinuat, cum ait ejusmodi propositiones tantum significare unionem, et præsentiam unius rei cum altera. Sed si hoc velit, aperte se Nestorianis favere significat: illi enim volebant inter hominem et Deum in Christo, esse tantum unionem et præsentiam quamdam mutuam.

Secundo, quia dicit inter panem, et corpus Domini non esse personalem unionem; et tamen contendit, ita esse veram istam, Hic panis est corpus Christi, ut est illa, Hic homo est Deus. Nam aut vult non esse etiam personalem unionem inter Deum et hominem in Christo, quod est aperte Nestorianum; aut certe nescit quid loquatur, cum similitudinem ponat, et interim tollat fundamentum similitudinis. Tota enim ratio cur illa sit vera, Hic homo est Deus, est unitas personalis. Cum igitur hæc unitas ponatur in Christo, et non ponatur in Sacramento Eucharistiæ, nullo modo fieri potest, ut sint æque veræ, illa: Hic homo est Deus, et illa: Ille panis est corpus Christi.

Secundum exemplum non est ad rem. Non enim Dominus dixit, Hæc insufflatio est Spiritus sanctus; sed insufflando dixit: *Accipite Spiritum sanctum*: ubi solum ostendit, se signo exteriori repræsentare id, quod interna, et invisibili operatione faciebat. Unde illa verba: *Accipite Spiritum sanctum*, non faciunt hunc sensum: Accipite hanc insufflationem, quæ est Spiritus sanctus, sed hunc: Accipite in hac insufflatione, seu per hanc insufflationem, ut per signum et causam instrumentalem, donum Spiritus sancti.

Tertium exemplum simile est superiori. Nusquam enim expresse legimus, Columba est Spiritus sanctus; sed solum legimus, visum a Joanne Spiritum sanctum descendentem sicut columbam: nam omnes Evangelistæ, Matth. cap. III, Marc. cap. I, Luc. cap. III, Joan. cap. I, addiderunt particulam similitudinis, vel tanquam, vel sicut, vel quasi. Ex quo intelligimus, columbam signum duntaxat Spiritus sancti fuisse, et Spiritum sanctum in columba, ut in signo visum.

Quartum exemplum, est merum parergum. Nec enim disputamus nunc, an accidentia panis maneant sine subjecto, sed an sit vera propositio in proprio sensu: Hic panis est corpus Christi: nusquam autem inveniet Kemnitius hanc propositionem in totis Bibliis, Corpus ab Angelo assumptum est ipse Angelus.

Quintum exemplum simile est secundo. Cum enim elevabatur arca, dicebat Moses: *Exurgat Dominus*, non quod arcam appellaret Dominum, sed quia simul cum arca Dominus procedebat cum filiis Israel, et viam demonstrabat.

Sextum exemplum indicat sapientiam Kemnitii. Nam antea dixerat cum Luthero, ejusmodi propositiones non convenire cum regulis philosophiæ, et esse Scripturarum proprias, et oportere intellectum captivare, si eæ credendæ sint; nunc autem vult esse adeo vulgares, tritas et faciles, ut in communi sermone quotidie usurpentur. Istud nimirum est sapere. Sed nec in istis vulgaribus exemplis aliquid simile nostræ propositioni invenire potuit. Nam etsi dolium vino plenum, et marsupium plenum pecuniis, et infantem fasciis circumligatum, simpliciter vinum, pecunias, et infantem nominamus, tamen nemo diceret, Dolium est vinum, marsupium est pecunia, fascia est infantulus; ut ipsi vere dici volunt, Panis est corpus Christi.

Sed licet adversarii evidentissime convincantur ex eo, quod volunt illud pronomen, *Hoc*, significare, Hic panis; posset tamen aliquis dicere, in Eucharistia manere quidem panem cum corpore Domini, sed illa verba: *Hoc est corpus meum*, dicta esse solum de corpore Domini, ita ut pronomen, *Hoc*, supponat in confuso pro eo, quod continetur sub speciebus (ut nos supra diximus) et tamen virtute prædicati determinetur ad corpus Domini, et nulla mentio fiat substantiæ panis,

licet ibi maneat. Nam abstrahentium non est mendacium: et exempla esse possunt illa, quæ attulit Kemnitius. Nam de dolio vini, recte dicimus, Hoc est vinum; cum tamen sint ibi duæ substantiæ, una vini, altera dolii: et similiter de marsupio, et pecuniis dici potest, Hæ sunt pecuniæ.

Respondeo, absolute ex verbis Domini colligi transubstantiationem. Nam in propositionibus de re continente, et contenta pronomen, *Hoc*, potest quidem demonstrare alterutrum, id est, tam rem continentem, quam rem contentam: recte enim dicimus de dolio vini, Hoc est dolium, et etiam, Hoc est vinum. At cum demonstratur res contenta, demonstratur una res tantum, et excluduntur omnes aliæ, quæ ibi continerentur, et proinde ex modo communi loquendi falsa est demonstratio, si plura contineantur. Verbi gratia, si quis de dolio, ubi sit vinum et oleum, dicat, Hoc est vinum, fraudator censetur. Illud enim (*Hoc est vinum*) ex modo communi loquendi significat, In hoc dolio nihil est, nisi vinum. Pari ratione, si quis de marsupio pleno partim auro, partim argento, dicat: Hoc est aurum; vel de sacco pleno partim tritico, partim arena, diceret: Accipe et utere, hoc enim est triticum; deceptor jure haberetur. Eodem igitur modo illa verba: *Hoc est corpus meum*, ex modo communi loquendi, quidquid sit de metaphysicis subtilitatibus, significant sub illis speciebus non fuisse aliud quam corpus Domini; si enim fuisset etiam panis, debuisset Dominus dicere: Hic, id est, in hoc pane, est corpus meum, aut certe, hoc non tantum est panis, sed etiam corpus meum.

Sed dicet aliquis: totus panis est res continens respectu corporis Domini; ergo etc. sicut de dolio vini dicimus, Hoc est vinum, licet dolium sit substantia, et sicut de Angelo apparente in forma humana, dici posset: Hic est Angelus Raphael, licet illa forma corporalis esset etiam substantia.

Respondeo: In Eucharistia sola accidentia locum habent rei continentis; substantia autem panis, aut ibi non est (ut Catholici credunt) aut si ibi est, ut volunt Lutherani, est res contenta simul cum corpore Christi, et proinde falsa est propositio; Hoc est corpus, si ibi sint duæ substantiæ. Quod autem sola accidentia sint res continens, ex eo patet, quod corpus Christi non est in pane, ut in vase, aut in loco, sed est ut substantia sub accidentibus. Nam inde est, quod ex

natura rei, posita consecratione, ad motum illorum accidentium movetur corpus Christi, et ad illorum elevationem elevatur, ad illorum depressionem deprimitur, et ad illorum corruptionem desinit ibi esse corpus Christi, quomodo desineret substantia panis, si ibi fuisset. Quod non videmus in exemplis allatis de vino, et Angelo, quia illa non manent ut substantiæ sub accidentibus; sed ut res in vase, vel in loco: non enim ad motum corporis assumpti, movetur Angelus necessario, et ex natura rei, sed posset non moveri, et quando movetur, voluntarie movetur, imo ipse est qui movet illud corpus: et quando dissolvitur illud corpus, non necessario Angelus desinit esse in eo loco, sed potest manere, si velit.

Adde, quod licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas, vel ambiguitas, ea tamen sublata est, per multa Concilia Catholicæ Ecclesiæ, et Patrum consensum.

## CAPUT XX.

### *Transubstantiatio probatur testimoniis Patrum*

Jam testimoniis veterum Patrum res eadem est demonstranda, id quod necessario faciendum est: siquidem adversarii jaectant, transubstantiationem, non fuisse cognitam ante annum Domini 1200, id est, usque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III.

Lutherus in lib. *de Captivitate Babyl.* cap. I. non semel affirmat, transubstantiationem esse inventum S. Thomæ, et opinionem Thomistarum, et ibidem indicat eam opinionem probatam fuisse a Papa, in cap. Firmiter, quod caput de promptum est ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III, ubi Lutherus turpiter labitur in historia: siquidem S. Thomas nondum natus erat, cum ederet cap. Firmiter, et Concilium illud celebraretur. Constat enim Concilium celebratum anno 1215, sanctum vero Thomam natum postea anno 1224. Petrus Martyr in libro *contra Stephanum Gardinerm* objecto 128, Innocentium III, cum Concilio Lateranensi facit auctorem primum transubstantiationis, tum quoad nomen, tum etiam quoad rem. Joan. Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17. § 13. eodem respexit, cum ait, tempore S. Bernardi nondum innotuisse orbi transubstan-

tiationem. Idem quoque significat Martinus Kemnitius in. 2. par. Exam. Concil. Trident. sess. XIII. cap. 4. ubi dicit, tempore Petri Lombardi nihil certi de hac re fuisse in Ecclesia.

Igitur ad hoc mendacium refellendum, adducenda erunt testimonia Patrum ab Apostolorum tempore, usque ad tempora Innocentii III, sive ad annum Domini 1200. Prima ætate post Apostolos ab anno Domini 100 ad 200, floruerunt Justinus et Irenæus. Justinus in Apologia 2. prope extrema, dicit, eum cibum ex quo carnes nostræ aluntur, id est, panem prece verbi Dei sanctificatum, esse carnem Domini. Irenæus lib. IV cap. 34 « Quomodo, inquit, constabit eis eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui, etc. » Uterque igitur vult hanc propositionem esse veram, panis consecratus est corpus Domini. Atqui hæc vera esse non potest, sine mutatione Panis in corpus Domini, neque enim panis manens panis, esse potest corpus Domini, ut supra ostendimus; igitur mutatio fit, et eo modo panis mutatus, vere est corpus Domini.

Ab anno 200 ad 300, floruerunt Tertullianus et Cyprianus. Tertullianus lib. IV. in Marcionem: « Acceptum panem, inquit, corpus suum facit, dicendo: Hoc est corpus meum. » At quomodo potuit panis fieri corpus sine sui mutatione? Cyprianus in serm. de Cœna Domini: « Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus omnipotentia Verbi factus est caro. » Hic plane vides, panem mutari quoad naturam seu substantiam, et tamen effigiem, id est, accidentia remanere; et hoc est quod vocamus transubstantiationem.

Ab anno 300 ad 400, floruerunt Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus et Gaudentius. Cyrillus catechesi 4. mystagog. « Aquam, inquit, aliquando mutavit in vinum, et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit. » En realem mutationem. Paulo infra: « Sub specie panis datur tibi corpus et sub specie vini datur tibi sanguis. » En accidentia panis, quæ remanent. Et infra: « Ille sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat. » En absentiam substantiæ panis, manente colore, et sapore, et proinde integram transubstantiationem.

Ambrosius lib. de iis, qui initiantur my-

steriis, c. ix. « Quantis utimur exemplis, ut probemus, non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? majoremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. » Ecce non manet panis, quem natura formavit, et tamen accidentia manent, ut experimento constat; ergo substantia mutata est, accidentibus non mutatis.

Gregorius Nyssenus in orat. magna catechetica, cap. 37. « Recte Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus immutari. » Et infra: « Hæc autem tribuit virtute benedictionis in illud (corpus Domini) rerum quæ videntur (panis et vini) naturam mutans. » Ethic vides naturam panis mutari, manente specie exteriori: nam ideo dicit mutari naturam rerum, quæ videntur.

Gaudentius tract. 2. de Exodo: « Ipsa naturarum creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest, et promisit, efficit proprium corpus, et qui de aqua vinum fecit, de vino sanguinem suum facit. »

Ab anno 400 ad 500, floruerunt Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, et Eusebius Emisenus, Joannes Chrysostomus homil. 83. in Matth. « Non sunt humanæ virtutis opera proposita: nos ministrorum locum tenemus; qui vero sanctificat ea, et immutat, ipse est. » Et homil. de Eucharistia in Encæniiis: « Num vides panem, num vinum? num sicut reliqui cibi in secessum vadunt? absit: ne sic cogites. Sicut enim si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantiæ remanet, nihil superfluit: sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia. » Hic etiam videmus totam substantiam mysteriorum, id est, panis consecrati, consumi ab adveniente substantia corporis Domini, ut ceram ab igne: et tamen manere exteriorem speciem panis, ut sensus ipsi testantur.

Augustinus in serm. quem citat Beda in cap. 10. prioris ad Corinth.: « Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi, fit corpus Christi. » Adverte, non dixisse Augustinum, Panis est corpus Christi, ut Lutherani loqui solent, sed « Fit corpus Christi. » Quæ verba mutationem significant panis in corpus; ut quidem Zwingliani utcumque respondere possent, mutatione significationis ex pane fieri corpus: at Lutherani quid respondere possint, nescio. Nam ipsi volunt realiter corpus Domini adesse in Cœna: Au-

gustinus autem dicit, panem fieri corpus, proinde fateri debent ex Augustini sententia, panem reipsa converti in corpus. Item serm. 28. de verbis Domini: « Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica ait, Panem nostrum? panem quidem dixit, sed επιούσιον hoc est, supersubstantialem: non iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ qui animæ nostræ substantiam fuleit. » Thomas Waldensis tom. II. cap. 83. citat alium locum ex lib. Augustini de corpore Domini, quem dicit se transcripsisse ex antiquissimo libro, antiqua valde manu descripto: « Nec credendum est, inquit, quod substantia panis vel vini remaneat; sed panis in corpus Christi, et vinum in sanguinem vertitur, solummodo qualitatibus remanentibus. » Suspicio eum librum non Augustini, sed Alcuini esse: nobis tamen satis est antiqui auctoris fuisse.

Cyrillus Alexandrinus in epist. ad Calosyrium: « Ne horreremus carnem, et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ quasi quoddam semen inveniatur in nobis. »

Eusebius Emisenus, seu quicumque auctor fuit, serm. de corp. Domini: « Quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ saceris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi numinis consecrentur, substantia illie est panis et vini; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi. Quid mirum est autem, si ea quæ verbo creare potuit, possit creata convertere. »

Ab anno 500 ad 600. floruit S. Remigius Remensis, qui in cap. 10. prioris ad Corinth. sic loquitur: « Caro, quam Verbum Dei Patris assumpsit in utero virginali, in unitate suæ personæ, et panis, qui consecratur in altari, unum corpus Christi sunt; sicut enim illa caro corpus Christi est, ita iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus. »

Post annum Domini 600, Gregorius Papa I, teste Paulo Diacono in ejus vita, ita coram populo locutus est: « Præsciis conditor nostræ infirmitatis, ea potestate, qua cuncta fecit ex nihilo, panem et vinum aqua mixtum manente propria specie, in carnem et

sanguinem suum spiritus sui sanctificatione convertit. »

Post annum Domini 700, Beda in serm. de Epiphania: « Panis et vini creatura in Sacramento carnis et sanguinis ejus, ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur. » Nota, per Sacramentum intelligi ipsum corpus sub specie panis existens: nam alioqui non opus esset ineffabili Spiritus sanctificatione, si sola significatione panis mutaretur. Præterea idem Beda in lib. de mysteriis Missæ, quem citat Thomas Waldensis tom. II. cap. 82. « Ibi, inquit, forma panis videtur, ubi substantia panis non est: nec est ibi panis alius, quam panis, qui de celo descendit. »

Joannes Damascenus in IV lib. de fide, cap. 14: « Panis, vinumque et aqua per invocationem, et adventum Spiritus sancti, supernaturaliter transmutatur in corpus et sanguinem Christi, et non sunt duo, sed unum et idem. »

Post annum Domini 800. multi scripserunt Theophylactus in cap. VI. Joannis: « Transformatur arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, et accessionem sancti Spiritus, in carnem Domini. »

Strabus auctor Glossæ ordinariæ in Glossa cap. XI prioris ad Corinth. « Nos, inquit, incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est, profitemur, scilicet substantiam panis et vini, in substantiam corporis et sanguinis Dominici converti: modum vero conversionis nos ignorare non erubescimus fateri. Quæ autem remanent de priori substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus, nec ipsum corpus Christi afficiunt, nec in eo fundantur. »

Alcuinus, qui floruit circa annum Domini 800, in lib. de divinis officiis, cap. de Missa, exponens illa verba canonis: Ratam, rationabilem, etc. « Panis, inquit, per se irrationabilis est, sed orat Sacerdos, ut ab omnipotente Deo consecratus, rationabilis fiat transeundo in corpus Filii sui. » Et infra: « Consulens Deus infirmitati nostræ, qui non solemus carnes crudas manducare, et sanguinem bibere, facit ut in pristina remaneant forma duo illa munera; et est in veritate corpus Christi et sanguis. »

Remigius Altisiodorensis in Psal. XXI: « Panis et vinum a Christiana veritate dicuntur non quod naturam panis et vini post consecrationem in se retineant, nisi quantum ad speciem et saporem, et odorem: illi namque qui carnem in utero Virginis assumptam

Verbo suo personaliter et ineffabiliter unire potuit, qui etiam mortalia corpora nostra imperii sui potentia faciet immortalia, panis et vini materiam in sui corporis et sanguinis naturam transferre possibile est. »

Amalarius Trevirensis in lib. III. de Ecclesiastic. offic. cap. 24: « Hic credimus naturam simplicem panis et vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet corporis et sanguinis Christi. »

Paschanius Corbeiensis in lib. de corpore et sanguine Domini, cap. I: « Licet figura panis et vini hic sit, omnino nihil aliud, quam caro Christi, et sanguis post consecrationem credenda sunt. » Si nihil aliud; non igitur substantia panis et vini.

Sed omittenda non est elegantissima et acutissima responsio Kenutii ad hunc locum. Nam in fine disputationis de transubstantiatione. in 2. par. Exam. Concil. Trident. sess. XIII. cap. 4. volens exemplo quodam ostendere, quid se respondendum ad loca Patrum objicit sibi hunc locum, tamquam Ambrosii (cum tamen non Ambrosii, sed Paschasii sit) ac respondet, nihil aliud credendum esse in Eucharistia, quam carnem et sanguinem Domini: non quod panis ibi non sit, sed quia panis non creditur, sed videtur: corpus autem Domini sola fide apprehenditur. At si id voluit dicere Paschasius; ergo ante consecrationem panis non videbatur, sed credebatur: ipsa enim dicit, post consecrationem non credi, nisi corpus. Et cur, obsecro, idem auctor præmisit, Deum omnia posse convertere et mutare pro arbitrio?

Post annum Domini 900, floruit S. Fulbertus Carnotensis, qui in epist. ad Adeodatum: « Dubitari, inquit, nefas est, ut ad cujus nutum cuncta subito ex nihilo subsisterent, si pari potentia in spiritualibus Sacramentis terrena materies naturam et meritum generis sui transeundens, in Christi substantiam commutetur, cum ipse dicat: Hoc est corpus meum; et paulo post: Hic est sanguis meus. Si Deum omnia posse credis, et hoc consequitur ut credas, nec humanis disputationibus discernere curiosus insistas, si creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipsas multo magis valeat in excelsioris nature dignitatem convertere, et in sui corporis substantiam transfundere. »

Atque hæc de Patribus, qui floruerunt primis mille annis, antequam hæresis Berengarii oriretur: nunc subjiciemus eadem brevitate eorum testimonia, qui scripserunt

duobus posterioribus sæculis, qui omnes ut manifestam hæresim refellunt, remanentiam panis et vini in Eucharistia. Igitur ab anno 1000 ad 1100, hi scripserunt. Lantfrancus in lib. de corpore et sanguine Domini : « Ecclesia Christi, inquit, panem in carnem, vinum converti credit in sanguinem. » Et infra : « Confitetur Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, panem et vinum ad sacrandum proponi in altari, sed inter sacrandum incomprehensibiliter, et ineffabiliter in substantiam carnis et sanguinis commutari.

Adelmannus in epist. ad Berengarium : « Qui dixit in principio : Fiat lux et facta est lux de nihilo : non potuit dicendo de pane : Hoc est corpus meum; ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam convertit in vinum : non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet) sonante velociter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? »

Hugo Lingonensis in epist. ad Berengarium : « Sicut non capis, quomodo Verbum caro factum est; sic non potes iterum capere, quomodo panis iste mutetur in carnem et vinum in sanguinem transformetur, nisi te docuerit omnipotentiae fides. »

Guitmundus Aversanus lib. 3. contra Berengarium : « Nunc, inquit, contra illos habenda est ratio, qui Ecclesiae rationibus expugnati, jam quidem negare nequeunt, substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico : panem tamen et vinum per verba Salvatoris in carnem ejus, et sanguinem verti nequaquam credentes, sed Christum pani et vino commiscentes, tanquam subtiliori ratione hæresim alteram condiderunt. » Videsne hæresim appellari eam sententiam, quam nunc Lutherani defendunt, et tamen nondum natus erat Innocentius III.

Anselmus Cantuariensis in lib. de corpore Domini apud Joannem Garethum (nec enim librum ipsum Anselmi adhuc videre potui) : « Contra omnem sæcularis philosophiae rationem, et intellectum mutata panis substantia in aliam substantiam ad quoddam mysterii obsequium quaedam accidentia, quæ illi inhærebant, sic transtulit non mutata, ut corpus Domini (licet adsit albedo) non faciat album, nec rotunditas rotundum. »

Ab anno Domini 1100 ad 1200, sequentes auctores floruerunt. Algerus lib. 1. de corp. Domini cap. 7. sic in titulo posuit : « Quod remanentibus qualitatibus suis substantia panis, et vini in verum corpus Christi

mutetur ». Et ibidem, et cap. 8. fuse docet, cur Deus noluerit substantiam panis manere, et cur voluerit accidentia manere. Petrus Cluniacensis in lib. de sacrificio, et transubstantiatione contra Henricum, et Petrum Bruis : « Hoc sacrum, et salutare Sacramentum aliud esse videtur, et aliud est; per virtutem Verbi divini substantia (ut jam sæpe dictum est) mutata, specie reservata. » Ubi etiam fuse docet, omnino esse credendum, per consecrationem mutari substantiam panis, et accidentia remanere, exemplis plurimis in medium adductis, quibus probat id non esse impossibile. Hugo Victorinus lib. II. de Sacrament. par. 8, cap. 7 : « Videtur, inquit, species panis, et vini, et substantia panis, et vini non creditur : creditur autem substantia corporis, et sanguinis Christi, et tamen species non cernitur. » Et cap. 9 : « Per verba sanctificationis vera panis, et vera vini substantia, in verum corpus et sanguinem Christi convertitur : sola specie panis et vini remanente, et substantia in substantiam transeunte. Conversio autem ipsa non secundum unionem (Nota contra Lutheranos) sed secundum transitionem credenda est. » Petrus Lombardus lib. 4. sentent. dist. 11, lit. D : « Post consecrationem, inquit, non est substantia panis, vel vini, licet species remaneant. » Euthymius Zigabenus in cap. 26. Matth. : « Panem, inquit, et vinum ineffabiliter transmutat in ipsum corpus, et sanguinem suum. »

Habemus triginta duos probatissimos testes, quorum postremi quinque tempore S. Bernardi, omnes autem ante Innocentium III floruerunt. Ex quibus colligimus, primo, verissimum esse quod ait Concil. Trident. sess. XIII. cap. 4. Ecclesiae Catholicae semper fuisse persuasum, ita transmutari panem in corpus Domini, ut substantia panis recedente, sola maneret Christi caro sub accidentibus panis. Secundo, mendacia esse impudentissima tum Lutheri, tum Lutheranorum, qui hanc mutationem excogitatam esse volunt, vel ab innocenio III, vel a S. Thoma. Tertio, mentiri Calvinum, cum lib. IV. Instit. cap. 17. §. 14. de hac transubstantiatione sic loquitur : « Vetustatis patrocinio, quod evidenti Dei Verbo sæpe opponere audent, in confirmando isto dogmate destitui palam est. Nec enim ita pridem excogitatum fuit, ignoratum quidem non melioribus illis sæculis modo, quibus purior adhuc vigeat religionis doctrina; sed cum jam admodum iniqui-

nata esset illa puritas. Nemo est veterum, qui sacra Cœnæ symbola non fateatur disertis verbis panem, et vinum esse, et si (ut dictum est) variis epithetis illa interdum insigunt ad commendandam mysterii dignitatem. » Hæc ille : eui satis fuit dixisse ; nam probare quod dicebat, et vel unum ex Patribus testem adducere, indignum erat gravitate tanti hæresiarchæ.

## CAPUT XXI.

*Probatur idem ex definitione, et consensu  
Ecclesiæ ab annis quingentis.*

Nunc probanda est eadem veritas ex definitione sub anathemate, et consensu totius Ecclesiæ, saltem ab annis quingentis. Quæ probatio duabus de causis adhibenda est. Primo, quia adversarii, etsi fateantur a tempore Innocentii III, invectam esse opinionem transubstantiationis in Ecclesiam, tamen Kemnitiis loco citato contendit, non fuisse definitam sub anathemate, nisi hoc nostro sæculo a Concilio Trident., idque probat, quia Græci in Concilio Florentino noluerunt huic dogmati assentiri, et Latini, cum eis non obstante ea discordia, reconciliati sunt. Petrus etiam Martyr in lib. *contra Gardiner.* object. 84. dicit. Græcos semper a transubstantiatione abhorruisse, et ex eodem Concilio Florentino id probat. Nos igitur Deo volente, facillime demonstrabimus in sex Conciliis ante hoc nostrum sæculum fuisse sub anathemate definitam veritatem transubstantiationis ; quorum duo ante annos quingentos celebrata sunt. Ex quo sequitur, saltem ab annis quingentis, id est, a tempore hæresis Berengariæ dogma transubstantiationis sub anathemate stabilitum, et ipsos etiam Græcos cum Latinis in hæc re semper mirifice consensisse.

Secundo, adhibenda est hæc probatio, quia hoc fundamendo posito, duæ rationes colligi poterunt, cur de hæc veritate dubitari non debeat. Primum enim fieri nequit, ut Ecclesia universa tot sæculis in gravissimo errore versata sit. Deinde hoc ipso tempore, quo hæc veritas tanquam certissimum dogma, atque adeo ut fidei articulus celebratur, floruerunt in Ecclesia plurimi sanctissimi viri, vitæ innocentiæ, miraculis, aliisque di-

vinis donis clarissimi, quos nulla ratio admittit, ut et Deo amicissimi fuerint, et simul in fide graviter erraverint.

Primum igitur generale Concilium Romanum, sub Nicolao II, quod celebratum est circa annum Domini 1060, Berengarium abjurare coegit illis verbis : « Ego Berengarius anathematizo eam hæresim, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem et vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo Sacramentum, et non verum corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse. » Hæc abjuratio, et anathematizatio apertissime significat rem a Concilio definitam sub anathemate fuisse : nec enim conguntur ulli abjurare, et anathematizare sententias dubias, sed eas tantum, quæ damnantur ab Ecclesia, tanquam hæreses exploratæ. Quod autem Concilium hoc generale, eum jussit credi panem post consecrationem esse corpus Domini, intellexerit non esse corpus, manendo panem, sed desinendo esse panem per mutationem in corpus : ac proinde definierit transubstantiari panem in corpus, testantur tres optimi viri, qui illis temporibus vixerunt, Lanfrancus, Guitmundus, Anselmus, quorum unus ipsi Concilio interfuit, et fortasse etiam duo interfuerunt.

Lanfrancus igitur, qui Concilio interfuit, in lib. de corp. Domini sic alloquitur Berengarium : « Nicolaus Papa comperiens te docere, panem vinumque altaris post consecrationem sine materiali mutatione in pristinis essentiis remanere, concessa tibi respondendi licentia, cum non auderes pro tuæ partis defensione aliquid respondere, pietate motus ad preces tuas præcepit tradi scripturam tibi. Ejus principium est : Ego Berengarius etc. » Itaque voluit Concilium (ut Lanfrancus affirmat) illa confessione destruere hæresim, quæ asserit, panem non mutatum in Sacramento remanere.

Guitmundus, qui eidem Concilio videtur interfuisse, sic de eodem Concilio loquitur lib. III. de corpor. Domini. « Panem et vinum altaris Domini in corpus et sanguinem Christi substantialiter converti, non sicut delirat Berengarius, corporis et sanguinis Domini figuras tantum esse, et umbras, aut intra se latentem Christum tegere, universalis Ecclesiæ consensione roboratum est. » Et ibidem utitur hoc argumento : Si quod universa Ecclesia tenet, Apostolicum censendum est, et amsi nullis sit munitum Conciliis, quanto



magis illud Apostolicum censendum erit, quod universa Ecclesia tenet, et Conciliis roboratum est?

Denique S. Anselmus, qui etiam eodem tempore vixit, in epistola de corpore Domini, sic ait: « Panis substantiam post Domini corporis consecrationem in altari superesse semper abhorruit pietas Christiana, nuperque damnavit in Berengario Turonensi, ejusque sequacibus. » Vides igitur ab Ecclesia aperte definitum ipso tempore Berengarii, id est, ante annos quingentos, non remanere substantiam panis in Eucharistia, ac proinde definitam transubstantiationem, ut Catholicam veritatem.

Secundum Concilium fuit Romanum, sub Gregorio VII celebratum, anno Domini 1079, mense Febuario, ut refert Thomas Waldensis, tomo II. de Sacrament. cap. 43. in quo alia fidei possessio clarior edita est propter fraudes varias, quibus Berengariani priorem illam professionem editam sub Nicolao II. depravare solebant. Sic igitur habet posterior fidei confessio: « Ego Berengarius, corde credo, et ore confiteor, panem et vinum, quæ ponuntur in altari, per mysterium sacræ orationis, et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, ac propriam, et vivificatricem carnem, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi etc. » Nihil igitur novi, si de re ipsa agatur, statuit Concilium Lateranense, et multo minus Tridentinum.

Tertium est Concilium generale Lateranense, sub Innocentio III celebratum, anno Domini 1215, in quo non negant adversarii hoc nostrum dogma etiam sub nomine transubstantiationis confirmatum: sed negant aliqui eorum, ut Kemnitius, et quidam alii, definitum sub anathemate, atque ut decretum de fide, a quo non liceat dissentire sine periculo hæreseos. At hoc nullo negotio demonstrari potest. Nam initium capitis I. ejus Concilii sic incipit: « Firmiter credimus, et simpliciter confitemur ». Ac deinde subnectitur integra confessio fidei de Trinitate, de creatione mundi, de Incarnatione Verbi, de Ecclesia, et Sacramentis; et deinde cap. 3. de prædicta confessione sic loquitur idem Concilium: « Excommunicamus, et anathematizamus omnem hæresim extollentem se, adversus hanc sanctam, orthodoxam, Catholicam fidem, quam superius exposuimus ». Ecce igitur anathema, quod Kemnitius requirebat. Quid quod Lutherus ipse in lib. de captivitate Babyl. cap. I. agnoscit in cap. Fir-

miter, quod ex hoc Concilio sumptum est, transubstantiationem, ut articulum fidei definitam? Quæ cum ita sint, Kemnitii mendacium, et temeritas non modo cum ipso nostro Concilio, sed etiam cum suo propheta, et apostolo pugnat.

Quartum Concilium est Romanum generale, celebratum anno Domini 1413, in quo damnati sunt tanquam hæretici articuli Joan. Wiclefi, quorum primus est: « Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis manet in Sacramento altaris. » Secundus est: « Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento. » Hujus Concilii meminit, et decretum ipsum recitat Joannes Cochlæus lib. I. histor. Hussitarum.

Quintum Concilium est Constantiense generale celebratum anno Domini 1414, in ejus sessione VIII. confirmatur sententia Romani Concilii, et rursus nominatim, et sub anathemate damnantur articuli Joan. Wiclefi, et damnatio ipsa in fine Concilii iterum approbatur a Martino V vero, ac legitimo summo Pontifice.

Sextum denique Concilium est Florentinum generale, in ejus sessione ultima celebrata anno Domini 1439, consentiente universo Concilio Latinorum et Græcorum, data est instructio Armenis de fide, et Sacramentis: in ea instructione sic habemus de Eucharistia: « Substantia panis in corpus Christi, et vini in sanguinem convertuntur. » Ex his ergo evidenter apparet, quam aperte, et impudenter Kemnitius mentitur.

Quod autem Petrus Martyr, et idem Kemnitius objiciunt de Græcis, aliud est mendacium, et impostura plane digna iis hominibus, qui auctorem illum sequuntur, qui pater mendacii ab ipsa Veritate nominatur. Nam ut ex ipsius Concilii actis cognosci potest, nunquam fuit quæstio inter Latinos et Græcos, an panis vere et substantialiter mutaretur in corpus Domini, sed quæstio fuit, et adhuc est de verbis, quibus fit illa ineffabilis mutatio. Latini enim sentiebant, ut etiam semper sentient, solis Christi verbis fieri illam mutationem; Græci contra sentire videbantur, non solis Christi verbis, sed quibusdam aliis præcibus ab hominibus compositis mutationem illam fieri. Hanc autem solam fuisse quæstionem patet, tum ex ipso Concilio prope finem, tum ex auctoribus Græcis, qui de hac ipsa quæstione illo tempore scri-

pserunt, qui sunt Bessarion Cardin. Nicænus, Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesius.

Quod autem Græci nunquam abhorruerint a transubstantiatione (ut Pseudomartyr audacter mentitur) colligitur primo ex antiquis auctoribus supra citatis, Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio Nysseno, Joanne Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Joan. Damasceno, Theophylacto, et Euthymio.

Secundo, ex auctoribus recentioribus, Nicolao Methonensi, Samona Gazensi, Nicolao Cabasila, Marco Ephesio, et Bessarione, quorum opuscula exstant nuper impressa, qui omnes apertissime confitentur mutationem istam, de qua loquimur.

Tertio, ex Concilio Lateranensi, sub Innocentio III, supra citato : siquidem interfuerunt Græcorum etiam Patriarchæ, et cap. 4. ejus Concilii indicat Innocentius eo tempore Græcos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ rediisse.

Quarto, ex Concilio Florentino. Nam in instructione Armenorum disertis verbis ponitur hæc mutatio substantiæ panis in corpus Christi. Consensusse autem in eam instructionem etiam Græcos, patet ex initio, et fine illius instructionis ; initio enim dicitur facta sacro approbante Concilio, et in fine dicitur data in publica synodali sessione. Quod autem quidam dicunt, Græcos discessisse ex civitate Florentina, antequam Armenii advenirent, falsum est, ut patet ex ultimis verbis Concilii, quæ sic habent : Dum autem hæc gerebantur, Armeniorum Patriarchæ legati ad Synodum ipsam venerunt; et infra : Una cum Græcis Florentia discesserunt.

Quinto, patet ex eo, quod cum Græci tempore Leonis IX, et deinceps multa objecerint Latinis, ob quæ ab illis dissentire se dicebant, nunquam tamen hoc objecerunt de mutatione panis in corpus Christi, quam ab Ecclesia Latina doceri, ut dogma fidei, ignorare non poterant.

Sexto, denique patet ex censura Orientalium ad Augustanam Confessionem : divina enim providentia factum est, ut Lutherani ad suam ipsorum sempiternam confusionem, judices facerent controversiarum, quas nobiscum habent, inimicos nostros. Itaque miserunt Augustanam Confessionem ad Patriarcham Constantinopolitanum, qui censuram remisit pro approbatione, et cum in aliis articulis eos reprehendit, tum potissimum in art. 10. qui est de cœna Domini. Sic enim habetur in ea censura, cap. 10 :

« Multa in hac parte de vobis (Lutheranis Confessionistis) referuntur, quæ nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur sanctæ illud judicium est. In sacra Cœna post consecrationem, et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi, vinum autem in illum sanguinem, virtute Spiritus sancti transire ac immutari. » Et paulo infra dicunt : Corpus Christi non descendere de cœlo, ut in Eucharistia præsens adsit, sed fieri præsens per transmutationem, et transitionem panis in corpus. Et paulo post dicunt : Sub speciebus panis verum corpus Domini contineri. Desinat igitur Pseudomartyr dicere, Græcos semper a transubstantiatione abhorruisse : desinat etiam Kemnitius mentiri, Græcos in Concilio Florentino admittere noluisse mutationem istam panis in corpus Domini. Ecce enim inimici nostri sunt iudices ; ipsi sunt, qui et Calvinistas reprehendunt, quod solum signum corporis Domini in Eucharistia agnoscant, et simul Confessionistas arguunt, quod verum corpus Domini, sed sine panis mutatione in eodem Sacramento confiteantur.

## CAPUT XXII.

### *Probatur eadem veritas ex convenientia rationis.*

Nunc ultimo probanda est eadem veritas ex congruentia secundum rationem. Nam posito quo Deus voluerit, corpus Christi vere ac realiter communicari fidelibus manducandum, ut Lutherani (cum quibus nunc disputamus) concedunt, ratio profecto indicat omnino conveniens fuisse, ut non solum in pane et vino, qui est cibus et potus communissimus et optimus, id fieret, sed etiam ut substantia panis recederet, et accidentia remanerent.

Ac primum congruum fuisse, ut substantia panis abesset, probatur his rationibus. Prima ratio est, quia corpus Domini, ut supra diximus, manet sub accidentibus panis, non ut in vase, aut in loco, sed plane ad eum modum, quo substantia panis manet sub accidentibus suis, excepta informatione : nam ideo ex natura rei movetur ad motum accidentium, et desinit esse sacramentaliter ad accidentium illorum desitionem. Quod si

cum corpore Domini maneret substantia panis, tunc duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, et ab iisdem accidentibus, tanquam externis signis, demonstrarentur. Et quia substantia panis informaretur illis accidentibus, non autem corpus Christi, primarius ordo ad illa accidentia esset substantiæ panis, secundarius autem corporis Christi, et consequenter ipsa accidentia per se primo demonstrarent, et significarent panem, secundario autem corpus Christi; quod sane absurdum esset. Nam si quis peteret, quid sit quod est in altari, oporteret respondere: Est panis triticeus, et etiam corpus Christi; et si quis quæreret, quid significant illa accidentia? respondendum esset, substantiam panis illic esse, et simul corpus Christi; et si alius interrogaret: Quid frangit Sacerdos, et communicantibus tanta religione distribuit? diceremus, panem triticeum, et simul corpus Christi. Profecto igitur multo convenientius fuit, ut solum Christi corpus ad illa accidentia ordinem haberet, et illa soli Christi corpori deservirent.

Secunda ratio est ob venerationem Sacramenti. Nam si una cum corpore Domini substantia panis sub iisdem accidentibus contineretur, periculum esset, ne simpliciores adorarent panem: illi enim non distinguunt, sed simpliciter adorant, quod sub illis speciebus continetur.

Tertia ratio est ob dignitatem; quia non videtur rationi consentaneum, ut simul maneat cibus ventris et cibus mentis, panis terrenus, et panis coelestis.

Quarta ratio est, quia si panis substantia adesset, non posset corpus Domini sumi, quin solveretur jejunium; ex quo sequeretur, ut nemo posset eodem die sæpius communicare; siquidem ex decreto Apostolorum, teste Augustino in epist. 418. cap. 6. non nisi a jejunis corpus Domini rite sumi potest. Et tamen constat ante 1000 annos, fuisse in Ecclesia morem, ut Sacerdotes ter sacra celebrarent in die Natalis Domini, ut patet ex Gregorio, homil. 8. in Evangelia, et præterea extra eum diem certis de causis permittunt canones, ut unus presbyter sæpius eodem die sacrum faciat, et corpus Domini sumat.

Jam vero congruum fuisse, imo etiam necessarium, ut panis accidentia maneat, multis rationibus probari potest; quæ notandæ sunt, quoniam et Lutherus, et Petrus

Martyr, et Kemnitius, et alii mirantur, cur sicut dicimus, panem transubstantiari, non etiam dicamus transaccidentiari.

Prima igitur ratio est, quia si etiam accidentia abessent, nullum esset in Eucharistia signum sensibile; proinde nullum esset Sacramentum. Secunda, quia non posset ullo modo vera esse Domini sententia: *Hoc est corpus meum*, si ita mutaretur totum in totum, ut nihil in utroque termino commune remaneret. Tertia, quia hoc modo majus est meritum fidei. Quarta quia horror esset humanam carnem in propria specie manducare.

Quam rationem oppugnandam sumpsit Petrus Martyr in lib. *Contra Gardiner*. multis in locis, sed maxime par. 3. Primo, quoniam etsi Christi caro velatur speciebus panis, tamen non propterea assatur, sed adhuc remanet cruda: ac per hoc non tollitur horror. Secundo, quia major est horror mentis, quam oculorum; horret enim qui scit se occidendum, etiamsi oculis non videat gladium. Et certe magis horreret quis, si deberet comedere artocream, quam sciret ex carne humana confectam, etiamsi non videret, nisi panaceum illud tegmen; quam si juberetur comedere verum panem, sed ad humani corporis similitudinem conformatum. Tertio, quia Deus non solet parcere sensibus, quando aliquid nobis utile est: unde proponit fidelibus suis calicem passionis et mortis, horrore plenum. Sed hæc facile solvi possunt.

Ad primum respondeo, per illas species panis Christi, carnem non assari, neque ullo modo coqui; tamen magis tolli horrorem, quam si assaretur. Nam causa horrore in carne humana comedenda est læsio ipsius carnis: horret enim naturaliter homo vesci, et nutrirî carne humana, quia horret lacerare, et destruere carnem suæ speciei. At si quis posset amicum suum totum et integrum sine ulla ejus læsione intra pectus suum recipere, libentissime faceret. Nam ex vehementi amore hoc desiderari, testantur amplexus arctissimi eorum, qui se valde diligunt; et in hoc modo comedendi magis horret animus assam carnem, quam crudam, et vivam recipere: siquidem novit sine læsione assari non posse. Jam igitur, quia in specie panis sumitur Christus integer, et vivus, et sine ulla ejus læsione, et nostra summa cum utilitate, inde fit, ut animus non horreat.

Ad secundum dico, majorem esse horrorem mentis, quam sensuum; sed per species, panis, et doctrinam fidei, tolli utrumque horrorem in Eucharistia sumenda.

Ad tertium dico, Deum non parcere sensibus, quando agitur de sola pœna; parcere autem quando horror sensuum cum scelere conjungeretur: scelus autem esset, Christi carnem in propria specie sumere, quia deberet necessario lacerari, et destrui. Deinde in hoc Sacramento Deus consolari suos cupiebat, non affligere: unde debuit in hac re tollere horrorem, etiamsi in aliis rebus aliquando non tollat.

Adde, quod hæc ratio sumpta ab horrore, non est solius S. Thomæ, et Scholasticorum, sed multorum veterum Patrum; Ambros. lib. iv. de Sacrament. cap. 4. et lib. vi. cap. 1. Cyrilli in epist. ad Calosyrium; Gregorii apud Paulum Diaconum in ejus vita; Damasceni liv. iv. cap. 14, Theophylacti in c. vi. Joan. et Augustini apud Gratianum, de consecrat. dist. 2. can. Utrum.

### CAPUT XXIII.

#### *Refelluntur Kemnitii objectiones.*

Superest, ut ad ea respondeamus, quæ adversarii contra transubstantiationem objiciunt. Ac primum solvam argumenta Kemnitii: ipse enim omnia collegit, quæ Lutherus in lib. de captivitate Babylon. cap. 1. et Calvinus in lib. iv. Instit. cap. 17. § 13. 14. et 15. contra transubstantiationem scripserunt. Deinde solvam argumenta Petri Martyris, quia multa nova addidit ad superiora.

Igitur Kemnitius Lutherum et Calvinum secutus, primo loco proponit argumentum a nomine transubstantiationis, quod nomen peregrinum et barbarum transubstantiationis, Concilium hoc invenerit, quod signum et novæ, peregrinæ, et barbaræ sententiæ.

Respondeo primo, stultum esse, cum de re constet, litigare de nomine: de re autem ita constat, ut non possit magis constare. Nam Patres, ut supra vidimus, dixerunt panem substantialiter converti in carnem Christi, manentibus tamen accidentibus panis; et Hugo dixit, substantiam in substantiam ire; et Guitmundus, Algerus, Petrus Cluniasensis ante hoc Concilium ex professo

disputarunt, mutari substantiam panis, accidentibus non mutatis, quæ actio non potest uno verbo significari, nisi dicamus transubstantiari,

Secundo licuit Concilio Nicæno in ipso symbolo ponere nomen *ὁμοούσιος*, et Concilio Ephesino nomen *θεοτόκος*; majori igitur ratione licuit Concilio Lateranensi in confessione fidei nomen transubstantiationis ponere. Nam in Concilio Nicæno 318 Episcopi fuerunt, in Ephesino 200, at in Lateranensi Episcopi supra 400, et Patres in universum plusquam 1000. Deinde ante Nicænum, et Ephesinum Concilium pauca testimonia veterum extabant de re ipsa: at ante Lateranense innumerabilia. Neque obstat, quod nomen *ὁμοούσιος*, non fuerit primo inventum in Concilio Nicæno, ut nos ostendimus in II. lib. de Christo, cap. 1, nam satis est, quod in eodem Concilio fuerit publice ab Ecclesia receptum, et stabilitum, ut Augustinus affirmat lib. III. contra Maximinum, cap. 14. Præterea, ante Nicænum Concilium non extabat unum aliquod nomen æquivalentia nomini *ὁμοούσιος*: at ante Concilium Lateranense extabant multa nomina æquivalentia nomini transelementationis. Nam Patres passim vocant conversionem, et transmutationem, et Theophylactus in cap. XIV. Marci vocat transemetationem, quæ certe vox nihil minus significat, quam transubstantiationem: nam transelementatio significat mutationem totius rei usque ad prima elementa, id est, usque ad ipsam materiam, quæ ab Aristotele elementum vocatur. Denique, si mutatio solius formæ dicitur a Græcis *μεταμόρφωσις*, et a Latinis transformatio, et mutatio externæ figuræ, dicitur transfiguratio etiam in Evangelio, cur mutatio substantiæ non poterit recte dici transubstantiatio?

Deinde proponit argumentum negativum hoc modo: « Verissimum est illud axioma, nihil pro articulo fidei Ecclesiæ proponendum esse, quod non ex manifestis, certis, et firmis Scripturæ testimoniis aperte ostendi et probari potest. Sed transubstantiatio ab Andræ (uno videlicet ex Catholicis Doctoribus) collocatur inter illas res, quæ nullis Scripturæ sacræ testimoniis aperte definitæ, et explicatæ sunt. Scotus item Cameracensis, et alii diserte fatentur, nec verbis Scripturæ, nec symbolis fidei, nec veterum sententiis cogi nos ad dogma transubstantiationis. »

Respondeo, ad singulas partes argumenti.

Axioma Kemnitii falsissimum est : nam si nihil pro articulo fidei proponendum est, quod non ex manifestis Scripturis probari possit, certe pro articulo fidei proponi non poterit, quod libri Evangelistarum, et epistolæ Pauli sint Scripturæ divinæ : id enim ex nulla Scriptura, sed ex traditione sola probari potest. Remoto autem ab articulis fidei, quod libri illi sint Scripturæ divinæ, simul concident omnes alii articuli, qui ex Scripturis illis probantur. Axioma igitur Kemnitii universam fidem destruit.

Quod autem ex Andradio, et Scoto, atque Cameracensi Kemnitius refert, mala fide, ut ei solemne est, refert. Nam Andradius in lib. de cœna Domini, non dicit absolute transubstantiationem in rebus numerari, quæ ex Scripturis probari nequeunt, sed ex hypothesi loquitur, ac dicit : « Etiam si transubstantiatio ex manifestis Scripturis, ut tu, inquit, arbitraris, probari non posset, tamen furor esset in iis rebus, quæ ex certis locis Scripturarum, nec probari, nec refelli possent, velle suo iudicio potius, quam toti Ecclesiæ credere. » Itaque Kemnitius ex hypothetica Andradii sententia, absolutam fecit, ut calumiani occasionem haberet : qua ratione posset etiam dicere, Christum esse mendacem, idque probare ex ipsius Christi testimonio, qui dixit, Joan. viii. *Si dixero, quia non novi cum, ero similis vobis, mendax* (1).

Ubi etiam obiter notanda est alia impostura Kemnitii contra eundem Andradium. Sic Kemnitius loquitur loco citato : « Andradius meus texit tale argumentum : Scriptura affirmat non esse apud Deum impossibile omne verbum ; ergo credenda est transubstantiatio, et sinaturæ vires, ac modum superet ; ac deinde argumentum ineptum facile eludit. Sed nunquam Andradio venit in mentem, ut tale argumentum faceret : nec enim ex omnipotentia probat transubstantiationem fieri, sed non esse impossibilem. Legatur locus Andradii, et per se mendacium cadet.

Non dissimili arte in Scoto, et Cameracensi Kemnitius ludit : Scotus enim in iv. dist. 41. quæst. 3. quem sequitur Cameracensis, tria dicit. Primo, potuisse Deum efficere, ut in Sacramento vere adesset corpus Christi cum pane ; et si hoc fecisset, mysterium futurum fuisse facilius, et minus miraculorum in se continens. Quod quidem aliqui negant, alii concedunt : sed res ad fidem

non pertinet, neque de eo est nobis cum hæreticis controversia.

Secundo dicit, non extare locum ullum Scripturæ tam expressum, ut sine Ecclesiæ declaratione evidenter cogat transubstantiationem admittere. Atque id non est omnino improbabile. Nam etiamsi Scriptura, quam nos supra adduximus, videatur nobis tam clara, ut possit cogere hominem non protervum : tamen an ita sit, merito dubitari potest, cum homines doctissimi et acutissimi, qualis in primis Scotus fuit, contrarium sentiant.

Tertio addit, quia Ecclesia Catholica in generali Concilio Scripturam declaravit, ex Scriptura sic declarata manifeste probari transubstantiationem. Non enim potest non esse verus Scripturæ sensus, quem is tradit, qui Scripturam condidit : idem autem Spiritus sanctus est, qui et Scripturam dictavit Apostolis, et Prophetis, et qui eam per Ecclesiam declaravit. Utinam modum istum loquendi Scoti Kemnitius, et cæteri Lutherani imitarentur ; nulla enim controversia remaneret.

Unum tamen addit Scotus, quod minime probandum est ; ante Lateranense Concilium non fuisse dogma fidei transubstantiationem : id enim ille dixit, quia non legerat Concilium Romanum sub Gregorio VII, neque consensum illum Patrum, quem nos supra adduximus.

Ad argumentum igitur Kemnitii respondeo, dogma transubstantiationis ad fidem Catholicam pertinere, quia colligitur ex Scriptura divina, secundum explicationem communem Patrum, et juxta declarationem Ecclesiæ in Conciliis generalibus.

Tertium argumentum sumit Kemnitius ex illis Scripturis, quæ Eucharistiam panem appellant : siquidem ante benedictionem vocatur panis, Matth. xxvi : (*Accepit panem, et de ipso quod accepit, ait*) : *Hoc est corpus meum*. Et ne dubium esse posset, an particula demonstrativa denotaret id, quod acceperat Dominus, Lucas et Paulus id expresserunt in altera specie, siquidem dicunt : *Accepit poculum, benedixit, dedit illis, et ait* : *Hoc poculum etc* (1). Ergo simplex historia cogit ut dicamus panem esse corpus Domini, et poculum vini esse poculum sanguinis. At quomodo potest panis esse corpus si nullus sit ibi panis ? et vinum esse sanguis, si

(1) Joan. VIII, 55.

nallum sit ibi vinum? Deinde post benedictionem in ipso usu Paulus Eucharistiam I Corinth. x. et xi. quinque panem appellat: *Panis quem frangimus. De uno pane participamus. Quoties manducabitis panem hunc. Qui manducaverit hunc panem indigne. Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat* (2). Ergo verus panis est in Eucharistia, non autem spectrum panis, id est, accidentia sine substantia: « Hæc argumenta, inquit Kemnitius, sunt perspicua, firma, et valde urgentia. »

Respondeo: Quod pronomem, *Hoc*, non demonstret panem materiale, satis aperte demonstravimus in lib. i. cap. 10 et 11. neque opus est illa repetere, quia quod pronomem, *Hoc*, demonstret panem materiale, utile est Calvinistis, contra quos tunc disserimus, Lutheranis autem non modo nihil predest, sed vehementer obest. Quare valde miror Lutheri, Kemnitii, et aliorum imprudentiam, qui tantopere urgent, panem demonstrari pronomine illo: quanto enim fortius id probant, tanto seipsos fortius ligant, et impediunt. Nam (ut supra deduxi) si Dominus ait: Hic panis est corpus meum, necessario sequitur, ut aut falsa sit Domini sententia, si nimirum proprie panis materialis dicatur esse corpus Domini, quod aperte implicat contradictionem: aut panis si corpus non proprie, sed figurate, quod volunt Calvinistæ: aut denique panis non manens panis, sed benedictione mutatus sit in corpus Domini, quæ est sententia Ecclesiæ Catholicæ, et verissima.

Ad illas ergo argutias: « Si panis est corpus Domini, ergo panis manet ». Respondeo, falsa esse, panem esse corpus Domini, nisi addas, aut certe subintelligas, mutatum. Panis enim mutatus vere est corpus Domini: sed tunc non sequitur, debere manere panem; nam panis mutatus non est, sed fuit panis. Simile est, si dicas: Homo occisus, est cadaver: neque enim inde colligi potest; ergo homo manet, sed potius colligitur non manere, quia homo occisus non est homo.

Quod attinet ad alteram partem argumenti de nomine panis post benedictionem, respondi etiam lib. i. cap. ult. siquidem ea loca a Calvinistis objiciebantur: nunc breviter respondeo, apud Paulum panem vocari post consecrationem non spectrum, nec accidentia sine subjecto, sed verum cibum

supersubstantialem qui panis dicitur, vel quia ex pane factus est, vel quia figuram externam panis retinet, vel quia habet effectus, et proprietates panis, vel quia more Hebraico omnis cibus dicitur panis: siquidem manna vocatur panis in Scriptura frequentissime, Exod. xvi. Sap. xvi. Psal. lxxvii, Joan. vi.

Sed solutio ista Kemnitio non satisfacit: dicit enim esse valde absurdum in Scripturis ita ludere, ut in eodem capitulo modo panis accipiatur proprie, modo metaphorice. Cum ergo I Corinth. xi. panis omnium consensu accipiatur proprie pro pane triticeo, quando Paulus ait: *Accipit panem, et gratias agens etc.*, oportet etiam paulo infra proprie accipere, quando idem ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc etc.*

Respondeo, non est ita absurdum, ut Kemnitius putat in eodem cap. varie accipere aliquam vocem, quando analogia aliqua, et similitudo inter eas res invenitur. Nam Exod. vii, virga Aaron vocatur virga, antequam verteretur in colubrum; et rursum in eodem capitulo vocatur virga, cum esset coluber, non virga: *Devoravit*, inquit Scriptura, *virga Aaron, virgas Magorum*.

At instat Kemnitius; nam Exod. vii, aperte declarata est conversio virgarum in colubros: ea autem declaratione facta, non est absurdum idem nomen tribui rei ante et post conversionem. Paulus vero non declaravit transubstantiationem, I ad Corinth. ii. quare sine fundamento asseritur, panis nomen accipi variis modis apud Paulum.

Respondeo, aliud exemplum ex ipso Paulo adduci potest, ubi nulla notatur conversio, et tamen idem nomen varie accipitur, I Corinth. 10. cum dicitur: *Panis quem frangimus*, de pane triticeo Paulus loquitur secundum Kemnitium; et de pane cœlesti, id est, de corpore Christi naturali secundum Catholicos; et tamen ibidem Paulus ait: *Unus panis multi sumus*, ubi non de pane triticeo, nec de corpore Christi naturali, sed de Ecclesia loquitur. Adde, quod Apostolus I Corinth. xi. satis aperte declaravit variam panis significationem, ex mutatione facta in pane. Nam ante consecrationem absolute nominavit panem, dicens: *Accipit panem*; post consecrationem autem semper addidit pronomem, quo indicaretur sermonem esse de pane consecrato, et mutato; ait enim:

(1) Math. XXV, 26; Luc. XII, 49; I Cor. XI, 75. — (2) I Cor. X, 16, 17; XI, 26, 27 et 28

*Quotiescumque manducabitis panem hunc, id est, panem sic benedictum, et consecratum, et proinde mutatum in aliam substantiam. Adde, quod de pane non mutato falsum esset, quod Paulus dicit: Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, et, reus erit corporis, et, non dijudicans corpus Domini.*

Quartum argumentum Kemnitijs sumit a ratione Sacramenti. Nam secundum Scripturas Eucharistia Sacramentum est sicut Baptismus. At si desit substantia panis, tollitur ratio Sacramenti; ergo non est Scripturis conformis ista transubstantiatio. Assumptio probatur. Primo, in Sacramento requiritur, ut sint duæ res, materia, et forma; res terrena, et cœlestis; verbum enim accedens ad elementum, non annihilat elementum, sed facit Sacramentum. At transubstantiatio tollit materiam, et rem terrenam, et annihilat elementum.

Secundo, Sacramenta sunt instituta ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia: ideo enim abluimur in Baptismo, ut credamus nos ita vere, et certo interius lavari per gratiam, ut exterius lavamur per aquam, et eodem modo panem manducamus in Eucharistia, ut credamus nos ita vere, et certo accipere corpus Domini, ut accipimus panem externum. Sed si ille non est panis, sed spectrum panis, et ludificamur, ac decipimur in symbolo externo; quomodo fides rerum cœlestium confirmabitur?

Tertio debet esse analogia inter Sacramenta, et rem, cujus Sacramenta sunt, juxta Augustinum in epist. 23. Duplex autem analogia est in Sacramento Eucharistiæ. Una, quod sicut panis materialis alit, et sustentat corpus animale, ita corpus Christi est cibus nutriens, et sustentans novum, et internum hominem. Altera, quod sicut panis triticeus est quædam substantia ex multis granis coacta, ita unum corpus efficiuntur, qui de uno illo pane Eucharistiæ participant. Quæ significationes omnes intercident, si substantia panis tollitur.

Respondeo: Substantia panis non pertinet ullo modo ad rationem Sacramenti Eucharistiæ, sed sola accidentia externa, ut supra ostendimus lib. II. cap. 9. Sacramentum enim est signum sensibile, cui per accidentia est, ut habeat substantiam annexam, vel non habeat.

Ad Primam probationem dico, rem terrenam in Eucharistia esse species illas sensi-

biles, quæ terrenis sensibus percipiuntur; materiam autem, ex qua Sacramentum conficitur, dico esse verum panem triticeum, qui in Sacramento jam confecto remanet, quatenus opus est, id est, remanet quantum ad id, quo Sacramentum, id est, signum sensibile est. Porro verbum ad elementum accedens, non annihilat elementum, sed tamen mutat eo modo, quo opus est, ut fiat hoc magnum, et mirabile Sacramentum. Quod autem nulla sit in hac mutatione annihilatio, et supra breviter docuimus, et infra iterum docebimus in solutione argumentorum Petri Martyris.

Ad secundam probationem dico, ad fidem confirmandam rerum invisibilium, satis esse si externum signum vere percipiatur, etiamsi non sequatur effectus ejus signi, ut est res naturalis. Explico: in Baptismo aspergimur aqua, ad significandam internam lotionem animæ, et tamen non est opus, ut reipsa sordes corporis aqua illa purgentur, sed satis est si leviter ab illa aqua contingamur. Non enim aspergimur, ut lavemus corpus, sed solum gratia significationis, et ideo satis est si ita ab aqua attingamur, ut est signum internæ ablutionis. Sic igitur in Eucharistia, quia non sumimus cibum corporalem, ut caro inde nutriatur, et pinguescat; sed solum gratia significandæ internæ refectio- nis, ideo satis est, si vere corporali ore sumamus panem, quatenus significare potest. Significat autem panis ratione accidentium, quæ sola sunt signa sensibilia; itaque satis est, si panis sumatur, quoad accidentia. Neque est hic ulla ludificatio, quia norunt fideles se non sumere panem illum, nisi causa signi; signum autem verissimum, et verissime sumunt. Adde, quod etiam adversarii id fateri coguntur. Nam si forte detur alicui ab ipsis tam exigua particula panis consecrati, ut non sufficiat ad hominem alendum corporaliter; vel detur magna quidem portio, sed homo qui recipit, et virium debilitate, et gravi morbo nutririnequeat: non propterea negabunt verum Sacramentum ab illo fuisse acceptum; non igitur est opus ut cibus ille nutriat, sed tantum ut si nutritionis signum. Adde ultimo, quod etiam species Sacramenti nutrent, si in magna copia sumerentur: sicut enim divino miraculo manent sine subjecto, ita etiam nutriunt, ut Theologi docent.

Ad tertiam probationem dico, analogiam inter panem, et Christum non requirere, ut

panis vere nutriat, et ex multis granis constet, sed satis esse si naturaliter repræsentet eam rem, quæ vere nutrit, et ex multis granis constat. Nam Spiritus sanctus apparuit in specie columbæ ob analogiam inter columbam et Spiritum sanctum; et tamen non fuit opus, ut illa columba esset vera columba, quoad substantiam, sed satis fuit, ut speciem exteriorem columbæ haberet. Et serpens æneus Christum repræsentavit ob analogiam inter serpentem, et Christum; et tamen non fuit ille verus serpens, quoad substantiam.

Ultimo ex Patribus multa collegit Kemnitius contra transubstantiationem, sed ea omnia explicata sunt a nobis in II. libro: nam illa eadem afferebantur etiam a Calvinistis contra veritatem corporis Domini in Eucharistia. Vide quæ diximus de testimoniis Irenæi, Ambrosii, Theodoretii, Gelasii et Isidori. Horum enim duntaxat testimonia adducit, et eum nihil novi afferat, frustra in eorum confutatione immoraremur.

## CAPUT XXIV.

### *Refelluntur objectiones Petri Martyris.*

Petrus Martyr in lib. *contra Stephanum Gardinerum* multa argumenta, vel proponit, vel ab aliis antea proposita confirmat contra transubstantiationem: sed ex iis multa, quæ ex verbo Dei, vel ex Patribus sumuntur, supra a nobis refutata sunt. Nunc iis omissis, reliqua prosequemur.

Primum argumentum habetur objectione 13. cui argumento ad marginem libri hoc elogium adseripsit: « Nota utile argumentum. » Sic igitur argumentatur: « Sicut Dominus Joan. VI. de se dixit, Ego sum panis; ita Matth. XXVI. de pane dixit, Hoc est corpus meum. Sed cum ait, Ego sum panis; non se mutavit in panem: ergo eum ait, Hoc est corpus meum; non mutavit panem in corpus suum. »

Respondeo: non sunt omnino similes illæ duæ sententiæ. Nam cum Dominus ait: *Ego sum panis*, non loquebatur de pane triticeo, sed de pane cœlesti; nunquam enim dixit absolute: *Ego sum panis*, sed, *Ego sum panis vivus*, aut *panis vitæ*, aut aliud hujusmodi. Quare non fuit opus ulla mutatione, ut illæ

sententiæ veræ essent, cum pro eodem Christo supponerent, tam pronomen, *ego*, quam nomen *panis*. At cum idem Dominus ait: *Hoc est corpus meum*; ex adversariorum sententiæ, illud, *Hoc*, demonstrat panem triticeum; ex sententiæ autem Catholicorum demonstrabat id, quod continebatur sub triticeo panis speciebus. Itaque ex sententiæ adversariorum, sensus erat, Hic panis triticeus est corpus meum; quæ sententiæ non potest esse vera, nisi panis mutetur in corpus Domini, ut supra ostendimus. Ex sententiæ etiam Catholicorum non potest esse verum illud Domini pronunciatum, nisi fiat mutatio panis in corpus; non enim ante mutationem, id quod sub speciebus illis continetur, est corpus Domini, sed panis triticeo substantia. Quare in illo utili argumento major propositio est falsa, si illud, *sicut*, dicat similitudinem propositionum: si autem ita accipiatur illud, *sicut*, ut solum significet ejusdem Christi esse utramque sententiæ; tunc major propositio est vera, sed consequentia est mala, quia in alio sensu Dominus unum dixit, et in alio sensu aliud.

Secundum argumentum in objecto 14: « Transubstantiatio aperit fenestram Marcioni, Valentino, Eutycheti, aliisque hæreticis, qui Christi corpus phantasticum esse dicebant; nam si substantia corporis ejus invisibiliter volitat per innumera loca, et modo hic incipit esse, modo illic, quis non suspicetur esse phantasma? »

Tertium argumentum est ibidem: « Non potest panis totaliter desinere esse, quin annihilatur. At quod annihilatur, non potest converti, vel transire in aliam substantiam, et proinde nec transubstantiari, nisi vocabulis abuti velimus; ergo est impossibilis transubstantiatio, qualis a Catholicis ponitur ». Probat primam propositionem: nam panis erat aliquid, et jam est nihil; ergo est annihilatus. Quod autem sit nihil probat, quia nusquam est, nullus est, nulla pars ejus remanet. Nec potest responderi non annihilari quia succedit ei res nobilior, nam quando eibus in stomacho vertitur in carnem humanam, succedit ei res nobilior, et tamen dicitur simpliciter corrumpi. Probat autem secundam propositionem, quia converti, vel transire unum in aliud significat, si proprie loquendum sit, unum et idem manere sub utroque termino, alioqui non transit, sed resilit vel recedit unum ab alio, si uno veniente alterum cedit. Et quia hoc argumen-



tum videtur Petro Martyri insolubile, ita loquitur nobiscum: « Si ageretis cum belluis non deberetis audere tam ἀσύστατα, et monstrosa loqui. Gratia sit Deo, qui tam manifeste perdit sapientiam sapientium, et intelligentiam intelligentium rejicit. Ipse novit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Hoc quoque tempore ad nostram institutionem non dedignatur comprehendere sapientes in astutia ipsorum. » Hæc ille.

Calvinus quoque lib. IV. Institut. cap. XVII. §. 14. contendit, Catholicos non ponere veram conversionem, sed annihilationem panis. Quod idem asserit Kemnitius loco notato: et ante eos Joannes Wiclefus apud Thomam Waldensem, tomo II. cap. LXVIII. ubi etiam deducebat Christum esse Deum malum Manichæorum, si vera sit transubstantiatio, quia annihilabit res bonas a Deo creatas.

Respondeo: Argumentum de phantasmate Marcionistarum, verum phantasma mihi esse videtur: habet enim faciem quandam argumenti, sed verum argumentum non est, eum nihil concludat pro adversario. Nam phantasma, seu phantastica corpora, quale esse putabant Christi corpus Marcionistæ, Manichæi, Eutychiani, videntur esse vera corpora, si externis oculis considerentur, et tamen reipsa non sunt vera. At corpus Christi in Eucharistia ex Catholicorum sententia non videtur oculis externis esse verum corpus et tamen reipsa est. Itaque habet corpus Christi in Eucharistia contrarias condiciones iis quæ conveniunt corpori phantastico. Quare argumentum adversarii concludit contrarium ejus, quod ipse volebat.

Ad alterum ex iis, quæ supra diximus cap. XVIII. patet solutio: sed ne Martyr nimium gloriatur, respondeo ad singulas partes argumenti ipsius. Nego igitur panem annihilari, atque assero verissime converti. Ad illam probationem: « Panis aliquid erat, et nunc nihil est, nullus est, nusquam est, etc. » respondeo, non propterea esse annihilatum. Nam etiamsi panis nihil sit, tamen id in quod ipse conversus est, non est nihil, nec nullum, nec nusquam. Non enim dicitur annihilari quod manet nihil in se, sed quod terminatur in nihil, ita ut terminus actionis, qua ipsum desinit esse, nihil sit: alioqui aqua, quæ a Domino versa est in vinum, annihilata fuisset; nam post conversionem nihil fuit, nulla fuit, et nusquam fuit. Neque obstat quod forte materia manserit; nam mate-

ira non est aqua; et præterea saltem forma substantialis aquæ, et multa ejus accidentia annihilata fuissent, quia nihil omnino eorum mansit.

Ad exemplum de cibo, qui in stomacho corrumpi dicitur etiamsi succedat ei res alia nobilior, respondeo proprie loquendo: cum succedit res nobilior, tota illa actio generatio dicitur, non corruptio, sicut e contrario, cum succedit res ignobilior corruptio dicitur, non generatio. Quia tamen revera ubicumque est generatio unius, ibi est corruptio alterius, admitto cibum vere corrumpi, ut caro humana generetur, et eodem modo admitto panem per consecrationem interire, ut ei succedat corpus Christi: sed aliud est corrumpi, et interire, aliud annihilari. Corruptitur enim sive interit, quidquid desinit esse: at non annihilatur nisi quod ita desinit esse, ut nihil succedat, ita ut ejus desinitio terminetur ad nihil. Itaque cibus corrumpitur quidem, quia desinit esse, sed non annihilatur quia non desinit in nihil, sed in carnem humanam.

Quantum autem ad alteram propositionem argumenti Petri Martyris, respondeo, aliud esse transire de uno ad aliud, aliud transire unum in aliud. Cum enim dicimus transivisse aliquid de uno ad aliud, tunc significamus permanentiam ejusdem rei in utroque termino: et hoc modo quando unum sic cedit alteri venienti, ut migret ad aliud, dicitur resilire, seu recedere, et transire ab illo, cui cedit, non autem in illud transire. At vero, cum dicimus, unum transire in aliud, tunc non significamus permanentiam ejusdem rei in utroque termino, sed significamus desinitio- nem unius rei, et inchoationem alterius. Sic dicimus usitatissime noctem converti, seu transire in diem per ortum solis, et diem in noctem per solis occasum; ligna in ignem per combustionem; cibum in hominem per nutritionem; et elementa in invicem per mutuuum conflictum; atque hoc modo dicimus panem converti, seu transire in corpus Christi; non autem aliquid tertium de pane transire ad corpus Christi. Hinc igitur patet quam inepta, et frigida fuerit Pseudomartyris gloriatio.

Quartum argumentum habetur objectione 59. ubi ex confessione Berengarii, quæ habetur can. Ego Berengarius, de consecrat. distinct. 2. argumentum sumit. Nam in ea Confessione, quæ a Concilio Romano approbata fuit, habetur panem, et vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem esse non solum Sacramentum, sed etiam verum

corpus, et sanguinem Domini, et sensualiter, et in veritate Sacerdotum manibus tractari, et frangi, et fidelium dentibus atteri. Ex qua confessione aperte colligitur, panem verum esse in Eucharistia, et eum sensualiter tractari, frangi, atteri : neque enim ista de Christi carne dici possunt sine ingenti blasphemia.

Idem argumentum antea fecerat Joan. Wielefus apud Thomam Waldensem tom. II. cap. 42. et 43. Objiciebat enim Wielefus, Ecclesiam tempore Innocentii III. defecisse ab Ecclesia, quæ fuit tempore Nicolai II. quod illa negaverit substantiam panis manere in Eucharistia, cujus contrarium posuerat ista in abjuratione Berengarii. Calvinus etiam lib. IV. Instit. cap. 77. §. 12. et alii tum Lutherani, tum Calvinistæ istam confessionem Berengarii, aut contra nos objiciunt, aut eam ut monstrosam irridunt. Et denique primus omnium Berengarius (teste Lantfranco in libro de corpore Domini) post illam abjurationem perjurus cœpit objicere fidelibus, ex illa confessione colligi posse verum panem esse in Eucharistia : « Sicut enim qui dicit, Christus est lapis angularis, Christum non tollit, sed ponit ; ita etiam (dicebat ipse) qui ait, Panis est corpus Christi, panem non tollit, sed ponit. »

Respondeo, Confessio illa Romani Concilii, quod ad verba attinet, tota desumpta est ex antiquis sanctis Patribus, et ideo non potest rejici, vel irrideri, quin simul veteres SS. Patres rejiciantur, et irrideantur. Quod autem attinet ad rem ipsam, nihil continet falsum ; aut contrarium fidei, quam et antea, et postea Catholica Christi Ecclesia tenuit.

Quatuor sunt partes ejus confessionis. Prima est, panem post consecrationem esse Sacramentum : et hoc nullus negat adversariorum, et habetur expresse apud Augustinum lib. XX. contra Faustum cap. 13. ubi dicit, panem et calicem certa consecratione fieri mysticum, alioqui esse alimentum refectiois, non Sacramentum religionis.

Secunda pars est, eundem panem post consecrationem esse verum, et naturale Christi corpus : quod intelligitur de pane mutato substantialiter virtute consecrationis, ut supra cap. 21. probavimus ex Lantfranco, Guitmundo, et Anselmo. Itaque panis consecratus, quoad species externas, est Sacramentum ; quoad internam substantiam, est

verum, et naturale Christi corpus. Et hoc non solum est verum quoad sensum, sed etiam conforme sententiis Patrum supra citatis cap. 20. præsertim S. Augustini in homil. ad infantes apud Bedam in comment. I. Corinth. X. ubi dicit : « Panis est corpus, et vinum est sanguis. »

Ad argumentum autem Berengarii, Wielefii, Petri Martyris, et aliorum, qui dicunt, Si post consecrationem panis est corpus Domini ; ergo post consecrationem manet panis : respondit optime Lantfranco, omnino manere panem post consecrationem, sed panem cœlestem non triticeum ; panis enim post consecrationem est panis mutatus substantialiter in carnem Domini, ut sæpe diximus.

Tertia pars est, corpus Domini sensualiter manibus tractari, frangi, et atteri dentibus ; qui modus loquendi invenitur apertissime in Patribus. Chrysostomus homil. 83. in Matth. : « Ipsum, inquit, vides, ipsum tangis, ipsum comedis. » Et homil. 45. in Joan. : « Non se tantum videri permittit desiderantibus, sed et tangi, et manducari, et dentes carni suæ infigi. » Et homil. 24. in priorem ad Corinth. : « Quod in cruce passum non est, id in oblatione patitur, et propter te frangi sustinet, ut omnes satiet. » Hæc ille. Chrysostomus asserit, corpus Domini in Eucharistia, videri, tangi, frangi, et dentes in illud infigi : qualia etiam leguntur apud Cyrillum lib. XII. in Joan. cap. 58. et alios Patres. Sensus autem horum verborum est, Christi corpus videri, tangi, frangi, et teri mediantibus speciebus panis, quæ solæ formaliter videntur, tanguntur, franguntur, teruntur. Quomodo Luc. VIII. dicebat Dominus : *Quis me tetigit ?* Et rursus : *Tetigit me aliquis* (1). Et tamen nemo ipsum, sive ejus corpus immediate tetigerat, sed solum mediante fimbria vestis : et nos usitate dicimus : Pluvia me totum madefecit, et humectavit, etiamsi forte solum pallium aspersum fuerit aqua. Denique in Scripturis frequentissime dicebantur Angeli videri, et tangi, cum in corporibus assumptis viderentur, et tangerentur.

Quarta pars est, contactum istum sensualem carnis Christi non esse tantum in Sacramento, id est, in symbolo, sed etiam in rei veritate : quæ particula addita est ob fraudes hæreticorum. Nam duobus modis potest Christi caro sensualiter videri, et tangi, mediantibus speciebus panis. Uno modo me-

(1) Luc. VIII, 45 et 46.

diantibus speciebus, aut signis quibusdam; quomodo qui imaginem Christi depictam, vel sculptam videt, et tangit, dicere potest se sensualiter vidisse, et tetigisse Christum, mediante illo signo: et hoc modo tantum Christum videri et tangi in Eucharistia, negat confessio illa Romani Concilii. Altero modo mediantibus illis speciebus, ut reipsa tegentibus præsentem Christi carnem; et hoc vult illa confessio, et ad hoc faciunt exempla allata de tactu Christi mediante veste; et de tactu Angelorum mediante corpore assumpto: atque hunc modum loquendi habet etiam Chrysostomus hom. 83. in Matth. ubi sic ait: « O quomodo dicunt, Vellem speciem ejus, et formam videre. » Et subdit: « Ipsum igitur vides, ipsum tangis etc. » Ubi opponit præsentiam Christi in Eucharistia, præsentiae ejus in imagine, et forma ad vivum expressa; quod certe non faceret, si in Eucharistia non haberemus Christum nisi in signo.

Quintum argumentum habetur objectione 63, 64, 121, 122, 123, 129. Sensus falli non possunt circa sensibilem substantiam: at illi judicant in Eucharistia esse panem. Item Patres probant, Christum fuisse verum hominem, contra Marcionem, Manichæum, et similes hæreticos, quia manduebat, bibebat, dormiebat, fatigabatur; ergo eodem modo probare possumus in Eucharistia esse verum panem, quia ibi est color, sapor, odor, figura veri panis. Vel si hic sensus falluntur, et licet nobis dicere: Non est panis, licet videatur omnibus sensibus, cur non licebit Marcionistis dicere, Christus non fuit homo, licet omnibus sensibus videretur esse homo? Ergo ista transubstantiatio præjudicat fidei, et favet hæreticis etc. Hæc est summa illarum objectionum. Similia habet etiam Joannes Wiclefus apud Thomam Waldensem tom. II. cap. 45. et 46. ubi argumentatur, in Eucharistia esse verum panem, quia ita judicant mures.

Potest addi argumentum paulo gravius ex Scoto, qui et proponit, et solvit. Est autem hujusmodi: « In Sacramento veritatis nihil decet esse falsum. At si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus: accidentia enim externa, sunt naturalia signa internæ substantiæ, unde etiam per ea a posteriori indagatur a philosophis substantia. »

Respondeo ad primum: Illa sententia philosophorum, sensum non falli circa suum objectum; verà est, sed eget multis limitationi-

bus, quæ notandæ sunt, ut videamus quam debile fundamentum habeant adversarii. Primo, vera est de objecto per se, id est, de accidentibus, non de substantia, quæ est objectum sensuum per accidens. Videmus enim circa substantias etiam sensibiles, homines falli frequentissime, cum ex sola apprehensione sensuum judicant, ut patet in glacie, quæ videtur crystallum, in aurichaleo, quod non discernitur ab auro, et sic de aliis: et hoc sufficeret ad argumentum solvendum. Fatemur enim sensus non falli in accidentibus panis, quæ sunt objecta per se, sed in substantia tantum, quæ est objectum per accidens. Allatum est ad nos Romam anno 1585. a quibusdam ex Syria, fragmen ligni conversum in lapidem, manentibus accidentibus quibusdam ligni, ut figura, colore, asperitate etc. quod quidem ita verum lignum videbatur iudicio oculorum, ut sane qui rem non nosset, juraturus fuisset illud esse lignum, cum tamen non lignum, sed verissimus lapis esset.

Secundo, vera est ea sententia de objecto proprio, non de objecto communi. Unde videmus homines passim decipi in iudicanda magnitudine stellarum, in figura baculi in aqua existentis, in motu et quiete cum navigamus: putamus enim littora recedere, et navim quiescere.

Tertio, vera est de objecto proprio si sint organum, et medium bene disposita: nam alioqui etiam circa proprium objectum falli possumus; sæpe enim per viridia perspicilla colorem album putamus esse viridem; et gustus infectus dulcia iudicat esse amara.

Quarto, vera est de objecto proprio in generali; nam in particulari videtur posse contingere error, etiam organo, et medio recte dispositis. Vera est (inquam) de objecto in genere, quia sensus videndi non errat unquam in eo, quod apprehendit colorem, vel lumen: nullo enim modo fieri potest, ut apprehendat saporem, et odorem, aut aliquid aliud, excepto colore, et lumine. Quomodo etiam intellectus non errat in eo, quod apprehendit ens, in genere: at in particulari videtur posse contingere error, nimirum, ut apprehendat unum pro alio. Nam in iride judicant oculi verissimos esse colores, qui tamen non sunt, nisi lumen reflexum. Cum igitur hæc ita sint, merito Patres reprehendunt eos, qui ex apprehensione sensuum de hoc Sacramento, et aliis rebus fidei iudicare volunt. Vide Cyrillum catechesi quarta my-

stagogica, Chrysostomum homil. 83. in Matth. et Augustinum serm. 33. de verbis Domini.

Ad secundum respondeo contra Marcionem, Manichæum, et similes, probari a Patribus, Christi corpus verum, et solidum non autem phantasticum fuisse experimento sensuum: idque rectissime propter duas causas, quarum utraque deest argumento adversariorum circa panem Eucharistiæ. Prima causa est, quia disputabatur cum illis hæreticis de objecto proprio sensuum, id est, de soliditate corporis; phantasma enim tangi nequit. Unde etiam Dominus Luc. iv. probavit se non esse spiritum seu phantasma, sed corpus solidum ex tactu: *Palpate, et videte, quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere* (1). Non autem cum Lutheranis disputamus de substantia panis, quæ non est objectum sensuum, nec proprium, nec commune, nisi per accidens, et in quo sæpe erratur.

Secunda causa est, quia Scriptura nusquam dicit Christum non habere verum corpus, imo contrarium affirmat, et similiter Ecclesia in Conciliis idem semper docuit. Posito autem hoc fundamento fidei ex verbo Dei per Ecclesiam explicato, recte adhibentur omnia argumenta alia, quæ idem confirmare possunt; licet alioqui non possint certitudinem fidei Catholicæ efficere. At in causa Lutheranorum, verbum Dei per Ecclesiam Catholicam in multis Conciliis declaratum affirmat, in Eucharistia non esse panem: proinde argumenta ex experimento sensuum, quæ (ut ostendi) in se fallacia sunt, in hac re fallacissima judicanda sunt.

Ad argumentum Scoti, dico nihil esse falsi in signo sensibili Eucharistiæ; quia accidentia illa significant naturaliter sub illa specie latere substantiam panis, et ideo, nisi præter cursum, ordinemque naturæ Deus aliquid faciat, per illa accidentia venit in cognitionem substantiæ. In Eucharistia autem non naturaliter, sed supra ordinem naturæ fit, ut sub illis accidentibus desit substantia panis. Itaque in ipsis signis nulla est falsitas, cum id solum significant, naturaliter sub illa specie latere substantiam panis. Quod si imaginatio hominum fallitur in hac re, id nascitur ex ipsorum vitio: nam vel sunt fideles, vel infideles. Si fideles non falluntur, quia sciunt testimonio Dei, et Ecclesiæ ibi esse accidentia sine substantia. Si infideles

falluntur, vel quia credere nolunt Deo, et Ecclesiæ, vel si forte non audierunt quidquam de hoc mysterio, falluntur simpliciter ex ignorantia mysterii, non ex falsitate, quæ sit in re. Et hoc nullum est absurdum: nam hoc modo fallebantur etiam sancti viri, Abraham, Loth, Tobias, Manue, Gedeon, et alii, qui Angelos in specie humana sibi apparentes, veros homines esse credebant, et ut homines tractabant: et duo discipuli fallebantur, qui Dominum peregrinum aliquem esse existimabant: et Magdalena, quæ eundem hortulanum esse putabat.

Argumentum sextum est apud eundem objectione 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73; « Panis Eucharistiæ mutationes varias recipit, quæ nullo modo fieri possunt sine substantia panis, quæ sit subjectum illarum mutationum; ergo substantia panis, et non sola accidentia in Eucharistia reperiuntur. Antecedens probatur, quia panis Eucharistiæ potest alterari, ut calefieri, imo etiam veneno infici: constat enim Victorem III. Papam, et Henricum VII. imperatorem veneno periisse, quod in Eucharistia positum fuerat. Item panis Eucharistiæ aliquando corrumpitur, et inde aliud generatur: nam ex eo homines nutririi constat, et vermes inde procreari, et illum etiam posse comburi, et vinum Eucharistiæ verti aliquando in acetum. »

Respondeo: Tractantur hæc omnia accurate a scholasticis: sed quod attinet ad argumenta adversariorum, facile solvi possunt. Nam vel mutatio in pane Eucharistiæ est sola alteratio, vel est corruptio. Si sola alteratio, ut calefactio, condensatio, etc. tum non requiritur materia, seu substantia; nam accidentia omnia pro subjecto habent quantitatem, quæ in Sacramento manet. Unde hostia consecrata dicitur alba, sapida, rotunda, parva, etc.; hæc enim omnia denotant quantitatem, alioqui non posset fieri ista denominatio: non enim accidentia de seipsis dicuntur in concreto, sed solum de subjecto, excepta quantitate, quæ et dicitur quantitas, et quanta. Et sicut fieri potest, ut maneat qualitates in quantitate separata a materia, sic etiam potest fieri, ut introducantur novæ qualitates in eandem quantitatem a materia separatam. Si vero sit corruptio specierum, ut in nutritione humana, combustionem etc. tum requiritur quidem ma-

(1) Luc. XXIV, 39.

teria, sed ea substituitur a Deo in illo ipso instanti, quo desinunt esse illæ species, et in quo aliud generatur; et hoc sine miraculo. Sicut enim cum disposita est materia corporis humani sufficienter, Deus animam creat, et infundit, et hoc non dicitur miraculum, quia hoc exigit ordo rerum a Deo institutus : ita etiam quando per alterationem specierum panis eo venit, ut adsint dispositiones requisitæ ad aliquam formam introducendam, exigente ordine rerum, Deus materiam substituit, et in illo ipso instanti ab agente naturali, mediantibus dispositionibus præmissis, introducit formam substantialis. Atque hæc est simplicissima, et tutissima explicatio hujus rei : sic enim omnia cohærent. Nam nec dicimus, fieri generationem, et corruptionem sine materia, nec multiplicamus miracula, nec dicimus ab agente naturali fieri materiam, aut certe nihil ab eo fieri, sed totum a solo Deo : et simul ostendimus nihil materiæ mundo deperire ex tot panum consecratione.

Sed objicit Petrus Martyr objectione 67. argumentum suo judicio insolubile, re autem vera prorsus ineptum, et indignum vel mediocri philosopho : « Nam si disponuntur, inquit ipse, illæ species ad materiam recipiendam, vel id fit, manente Christi corpore in Eucharistia, vel post ejus abscissum. Manente Christi corpore id fieri nequit, quia nunquam simul esse debent materia panis, et corpus Christi; essent autem simul si dispositio, fieret manente Christi corpore : nam simul est ultima dispositio, et introductio ejus, ad quod fiebat dispositio. Abscedente autem corpore Christi, species pereunt, nec usquam sunt, ut omnes Theologi docent, qui volunt corpus Christi manere, donec species manent. At quod perit, non potest disponi; igitur fictitia est illa dispositio. »

Respondeo : Dispositiones non fiunt ad materiam recipiendam, ut imperite Martyr dicit, sed ad formam : sed quia forma introduci non posset, nisi adesset materia, ideo (ut dixi) materiam Deus substituit. Porro dispositiones illæ inchoantur, manente Christi corpore : ultima autem dispositio, cum qua simul, et materia substituitur a Deo, et forma ab agente naturali introducit, fit in illo instanti, quod est primum non esse corporis Domini in Eucharistia, et primum esse rei genitæ.

Sed, inquit Martyr : « Tunc species non sunt. » Respondeo : non sunt in sua natura,

sed sunt tamen in natura aliarum qualitarum introductarum : neque est hoc novum, aut singulare, sed commune, et ordinarium in omni generatione, et corruptione.

Ad illud autem de veneno in Eucharistia propinato, respondeo, quidquid sit de veritate historiarum (neque enim desunt, qui eas historias falsas esse contendant) vel venenum consistebat in sola qualitate aspersa vino Eucharistiæ, vel in substantia aliqua admixta illi vino ante, vel post consecrationem. Si in sola qualitate, tum nullum sequitur absurdum, si dicamus in ipsa specie consecrata posse manere, vel introduci istam qualitatem, ut possunt aliæ, quæ se compatiuntur cum accidentibus panis, et vini. Si vero sit aliqua substantia venenata, ut aliquis liquor, in illo corpus Domini non erit, licet in eodem calice sit ille liquor cum vino consecrato; nihil enim verti potest in corpus, et sanguinem Domini, nisi quod ipse Dominus instituit, id est, panis et vinum.

Argumentum septimum est in objectione 106 : « De accidentium ratione, et essentia est, ut inhæreant in subjecto. Sed in pane Eucharistiæ accidentia panis inveniuntur; ergo et subjectum eorum, quod est substantia. » Probat majorem propositionem. Primo, quia accidentis esse est inesse, ut colligitur ex lib. v. Metaph. tex. 35. Unde accidens non tam dicitur ens, quam entis, id est, aliquid entis, sive aliquid in ente existens.

Secundo, Aristoteles Platonem reprehendit, quod posuit ideas a materia separatas. Quod si formæ substantiales, quales idææ sunt, a materia separari nequeunt, quanto minus poterunt separari formæ accidentales?

Tertio, sicut accidenti convenit inhærere in alio, ita substantiæ non inhærere. Sed nullo modo fieri potest, ut substantia inhæreat in alio : ergo neque ut accidentia non inhæreant.

Quarto, ista accidentia vel sunt in se, vel in alio. Si in se; ergo subsistunt per se, et proinde substantiæ sunt, non accidentia. Si in alio; ergo inhærent; ergo non manent sine subjecto.

Quinto, Augustinus in epist. 57. ad Dardanum : « Tolle, inquit, ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi sint; et ideo necesse est, ut non sint. » Alium locum huic similem afferebat Joannes Wiclefus ex lib. II. Soliloquiorum cap. 12. ubi sic loquitur Augustinus : « Cui fieri posse videatur, ut id,

quod in subjecto est, maneat, ipso intereunte subjecto ? »

Respondeo, falsum esse ad accidentis essentiam pertinere inhærentiam in subjecto : id enim negant non solum veteres Patres, et omnes Theologi, ac philosophi Christiani, sed etiam multi ex Ethnicis. Ex Patribus Basilus, non solum credidit, accidens sine subjecto esse posse, sed etiam re ipsa fuisse initio creationis rerum. Nam homil. 2. de opere sex dierum, et clarius homil. 6. docet lucem solis creatam fuisse primo die, et mansisse absque sede, et vehiculo tribus diebus, et tandem die quarta creatum fuisse corpus solare, et in eo, ut in subjecto positam fuisse lucem illam, quæ fuerat prima die creata. Et ne quis dicat, per lucem non intelligi a Basilio veram, et solam qualitatem, sed substantiam aliquam lucidam : ipse se clarissime explicat. Dicit enim aliud esse albedinem, aliud esse corpus, quod per eam fit album ; et eodem modo aliud esse lucem, aliud corpus lucidum : et quamvis nos separare non possimus unum ab alio, nisi sola cogitatione, tamen posse a Deo re ipsa separari, quæ nos mente, et cogitatione separamus. Nec potest etiam dici Basilium forte confundere lucem cum lumine, et solum velle dicere primis illis tribus diebus fuisse lumen in mundo sine sole, ita tamen, ut non defuerit subjectum (lumen enim in aere, et aqua, ut in subjecto erat) sed defuerit causa secunda efficiens, id est, corpus lucidum, a quo illuminatio illa fieret. Hoc, inquam, dici non potest. Nam homil. 3. distinguit Basilus lucem primigeniam, quam postea in corpore solari collocatam dicit, a lumine quod per aquam, et aerem diffundebatur : ait enim lucem illam per emissionem radiorum, et rursus per eorundem contractionem effecisse diem, et noctem ; dum enim lux illa emitteret radios ; omnia corpora diaphana illustrabantur, dum radios contraheret, eadem corpora obscurabantur. Similia habet Joannes Damascenus Basilium secutus lib. II. de fide Orthodoxa cap. 7.

Porro Thomas Waldensis tomo II. cap. 76. profert multa testimonia veterum philosophorum, qui docebant posse accidentia existere sine subjecto. Aristoteles autem id quidem non concedit, quia non potest naturaliter fieri : tamen aperte docet non esse inhærentiam de essentia accidentis : quod nobis hoc loco sufficit ad refutandam Petri Martyris vanitatem. Nam Aristoteles

lib. III. de anima tex. 9. dicit : « Aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse. » Quod si ipsum esse, id est, existentia accidentis, distinguitur ab ejus essentia, certe multo magis inhærentia distinguetur, quæ est modus quidam existentia. Rursus lib. 4. Phys. tex. 58. quærit Aristoteles, an spatium censendum esset vacuum, ubi solus esset color, aut sonus : quæ sane quæstio inanis esset omnino, si inhærentia esset de essentia : qui enim diceret colorem, necessario includeret etiam subjectum, et proinde corpus.

Ad primam igitur probationem dico illam sententiam, Accidentis esse est inesse ; et, Accidens non ens, sed entis : nihil significare aliud, nisi accidentis naturam esse imperfectam, et habere ordinem quemdam ad substantiam, ob cujus gratiam existit.

Sciendum enim est, accidentia habere propriam essentiam, ut patet : nam accidentia habent sua genera, et species distinctas plane a substantiæ generibus, et speciebus ; sunt enim diversa prædicamenta. Rursum negari non potest, quin habeant accidentia propriam existentiam distinctam ab existentia subjecti, seu substantiæ, ut patet, quia terminant actiones reales ; nam alteratio proprie qualitatem producit, et augmentatio quantitatem : tamen habent accidentia triplicem ordinem ad substantiam. Primus est essentialis quia, ut dixi, sunt entia essentialiter imperfecta, et ideo essentialiter respiciunt substantiam. Hic autem ordo non est relatio proprie dicta, sed est ipsa natura imperfecta, et ratione hujus dicitur esse non tam ens, quam entis, et ejus esse dicitur inesse, quia ordinatur ad inhærendum in subjecto. Secundus ordo est quædam potentia, seu aptitudo ad inhærendum : et hic ordo non est de essentia, sed est proprietas quædam accidentis, quæ oritur ex natura illa imperfecta, ut diximus. Tertius ordo est actualis inhærentia, qui est quasi actus quidam, et officium accidentis, et proinde quid posterius ipso accidente. Non enim accidens, verbi gratia, candor talis est, quia facit parietem candidum, sed contra, ideo facit parietem candidum, quia ipse in se est candor. Nulla igitur repugnantia admittitur, si divina potentia separaretur accidens ab eo, quod nec est de essentia ejus, et a quo ipsum non pendet, cum sit prius.

Ad secundam probationem dico, merito reprehendi ab Aristotele eos, qui ponebant

formas substantiales separatas : illi enim existimabant, hanc esse naturam rerum, ut formæ separatae sint. Sed hæc reprehensio ad nos non pertinet, qui fatemur naturaliter non solum non existere, sed etiam non posse existere formas separatas.

Ad tertiam respondeo, fallaciam latere in argumento ; nam cum dicit Petrus Martyr : Sicut accidenti convenit inhærere, ita substantiæ non inhærere : comparat actum accidentis, non cum actu substantiæ, ut debuit, si recte comparare voluit ; sed cum negatione actus accidentis. At si recte comparasset hoc modo : Sicut accidenti convenit inhærere, ita substantiæ convenit subsistere ; vel negative : Sicut accidenti convenit non subsistere, ita substantiæ non inhærere, vidisset argumentum suum nihil valere, imo pro nobis esse. Nam sicut substantiæ convenit naturaliter subsistere, et tamen supernaturaliter potest separari a sua subsistentia, ut patet in mysterio Incarnationis, ubi natura humana est substantia, et tamen non subsistit, id est, non per se existit, sed a Verbo sustentatur : ita accidenti convenit naturaliter inhærere, et tamen fieri potest divinitus, ut non inhæreat. Sic etiam, sicut substantia nullo modo potest subsistere per se : nam in Sacramento licet non sint accidentia in subjecto, tamen non per se subsistunt more substantiæ, sed a Deo sustentatur modo supernaturali. Ratio autem cur non possit inhærere, vel accidens per se existere, in promptu est ; quia non potest effectus formalis separari a causa sua, a qua intrinsece pendet, licet e contrario possit causa separari ab effectu, quia prius non pendet a posteriori. Porro inhærere est effectus formalis accidentis, sicut subsistere, substantiæ ; inde ergo non potest ullo modo illa res inhærere, quæ non est accidens, neque illa subsistere, quæ non est substantia.

Ad quartam, quod erat ejusmodi : « Accidentia ista, vel sunt in se, vel in alio. Si in se, ergo subsistunt : si in alio, ergo inhærent. » Respondeo, esse in se, et non subsistere : quia sunt in se negative, non positive. Nam ideo dicuntur esse in se, quia non sunt in aliquo supposito, et tamen revera non subsistunt per actum positivum, qualis manat ex naturis substantialibus ; sic enim dico esse in alio, et non inhærere, quia sunt in alio, ut in conservante, non ut in subjecto.

Ad quintam probationem ex Augustino,

respondeo, cum loqui de eo, quod potest fieri naturaliter.

Argumentum octavum habetur in objectione 125. et 126 : « Transubstantiatio, vel fit ante verba consecrationis, vel post, vel simul. Si ante ; ergo non fit virtute verborum illorum : si post ; ergo verba illa sunt falsa : Hoc est corpus meum : si simul ; ergo transubstantiatio fit successive, non autem in instanti, ut omnes Theologi docent. »

Respondeo, fit simul : et ad argumentum in contrarium, dico fieri non toto tempore quo durat pronuntiatio, sed in ultimo instanti terminativo illius prolationis. Etsi enim non detur ultima pars illius motus, quo proferruntur verba, neque etiam temporis ei respondentis : datur tamen ultimum mutatum esse terminativum illius motus, et ultimum instans terminativum illius temporis.

Quod autem Petrus Martyr objicit, sequi ex hac solutione totam vim consecrationis consistere in illo ultimo (um) quod videtur esse ridiculum, leve est. Nam illud (um) non operatur virtute sua sola, quippe quod per se nihil significat, sed virtute totius sententiæ, quæ tunc habet esse completum, cum finitur tota prolatio.

Sed posset aliquis objicere : Sicut corpus Domini incipit esse in Sacramento in instanti, sic etiam panis desinit esse in instanti : non enim corrumpitur paulatim per dispositiones prævias, sed per simplicem actionem divinam desinit esse. At ea, quæ desinunt in instanti, desinunt per ultimum sui esse, sicut ea quæ incipiunt in instanti, incipiunt per primum sui esse : ergo dandum est instans affirmativum tam desitionis panis, quam successionis corporis Domini. Rursus, aut est idem instans desitionis, et successionis ; aut diversum. Si idem ergo simul erunt sub illis speciebus, panis, et corpus Domini : si diversum ; ergo in tempore intermedio (nec enim dantur duo instantia immediata) erunt species illæ sine substantia panis, et sine corpore Domini.

Respondeo : Licet panis desinat in instanti, tamen illud instans non potest assignari, vel notari, nisi negative, ita ut sit primum non esse panis, non autem ultimum esse panis. Cujus ratio est, quia panis desinit ad desitionem verborum, in quorum virtute fit illa conversio : verba autem non habent ultimum esse, sed primum non esse. Itaque illud instans terminativum prolationis verborum, est primum non esse verborum, et

consequenter substantiæ panis : et simul est primum esse corporis Domini sub illis speciebus. Quod idem cernimus in naturali transmutatione. Nam substantia quæ corrumpitur, in instanti desinit esse, non enim sunt gradus in substantia, sicut in qualitatibus; et tamen, quia desinit ad desitionem dispositionum, non habet ultimum esse, sed primum non esse : dispositiones enim per motum successivum desinunt.

Argumentum nonum habetur objectione 108. et sequentibus usque ad 116 : « Posita transubstantiatione, sequitur ex pane fieri corpus Christi : at hoc multis nominibus est absurdum; igitur transubstantiatio admitenda non est. Probatur assumptio. » Primo, « Si ex pane fit corpus Christi; ergo generatur corpus Christi : mutatio enim ad substantiam nulla est, nisi generatio. At absurdum et quotidie Christum generari. » Secundo, « in Eucharistia est Christus Deus et homo; ergo, si quod est in Eucharistia, fit a sacerdote per consecrationem; ergo Deus et homo fit a sacerdote. » Tertio, « corpus Christi, quod fuit in cruce, et in utero matris, non fuit factum ex pane, sed ex carne Virginis. At quod est in Eucharistia, fit ex pane; ergo corpus Domini quod est in Eucharistia, non est illud, quod fuit in cruce, et in utero matris. » Hoc argumentum sæpius, ac sæpius repetit, et in varias formas syllogismorum redigit, ut nullus cavillis relinquere possit locus.

Respondeo : Non est ullum absurdum ex pane fieri corpus Christi : ita enim loquitur Ambrosius lib. iv. de Sacram. cap. 4. Gaudentius tract. ii. in Exod. et alii Patres.

Ad primam probationem miror imperitiam, vel audaciam Petri Martyris, qui toties inculcat, corpus Christi necessario dicendum esse generari, si conversio ista terminatur ad substantiam. Nam etiamsi generatio recte distinguatur a philosophis ab alteratione, augmentatione, et latione; quia generatio terminatur ad substantiam, alteratio ad qualitatem, augmentatio ad quantitatem, et latio ad ubi, sive ad locum : tamen quis Christianorum ignorat generationem distingui a creatione, licet utraque sit ad substantiam? Et rursus, conversiones miraculo factas aquæ in vinum, et uxoris Lothi in statuam salis, terminatas fuisse ad substantiam, et tamen non esse proprie generationes? Dico igitur transubstantiationem terminari ad substantiam, et tamen non esse generationem, sed

conversionem supernaturalem, per quam (ut supra ostendi) corpus Christi non produci-  
tur, sed succedit substantiæ panis.

Ad secundum nego, Christi corpus, vel ipsum Christum Deum, et hominem absolute a sacerdotibus fieri. Aliud enim est Christi corpus ex pane conficere, quod sacerdotes faciunt, aliud absolute Christi corpus efficere : ex pane enim Christi corpus efficere, non est ipsum producere, sed in ipsum præexistens panis substantiam commutare. Quanquam si de modo loquendi agatur, non dubitavit Hieronymus in epist. ad Heliodorum, et in altera ad Evagrium dicere sacerdotes Christi corpus sacro ore conficere.

Ad tertiam dico, corpus Christi ex pane fieri, non tanquam ex materia, quomodo factum est ex carne sanctæ Virginis, et quomodo ex ligno fit sedes, ex auro et argento vasa pretiosa; sed tanquam ex termino a quo, quomodo ex nihilo factum est cælum, ex die fit nox, et etiam ex aqua factum est vinum. Neque enim aqua mansit, ut materia vini, licet manserit materia prima, quæ aqua dici non potest. Porro ista varia effectio, non mutat rei naturam. Nam si quis a Deo ex nihilo produceretur, non esset diversæ naturæ ab illis hominibus, qui ex materia præexistente fiunt, neque vinum factum ex aqua in Cana Galilææ fuit diversæ naturæ a vino, quod fit ex uvis. Quamvis autem nunquam mutetur species, tamen novum individuum produci-  
tur distinctum ab omnibus aliis, quando conversio est productiva : in præ-  
senti autem negotio conversio non est productiva, ut supra ostendimus. Panis enim convertitur in ipsum corpus Christi præexistens; et ideo corpus ex carne Virginis factum, et ex pane factum, non sunt diversa, sed unum et idem omnino.

Ad argumentum autem Petri Martyris comprehensum syllogismo expositoryo, in quo ille tantopere confidit, respondeo in forma. Argumentum hoc est : « Hoc corpus (demonstrando corpus crucifixum) non est factum ex pane. Hoc corpus (demonstrando corpus Domini in Eucharistia) est factum ex pane; ergo hoc non est illud. » Respondeo : Si per *factum ex pane* intelligatur productum; concessa propositione, negatur assumptio : non enim corpus Domini in Eucharistia produci-  
tur, sed solum succedit pani. Si vero per *factum ex pane*, intelligatur successisse pani in ipsum converso, et mutato;



tunc assumptione concessa, negatur propositio. Nam vere corpus illud quod fuit crucifixum, factum fuit ex pane: Illud enim est, in quod panis per consecrationem conversus

fuit a Christo ipso dicente: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Atque hactenus de transubstantiatione.

---

## CONTROVERSiarUM

# DE EUCHARISTIA

## LIBER QUARTUS

### QUI EST DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

#### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit proprie Sacramentum Eucharistiæ,  
et num extra usum sit vere corpus Domini  
sub specie consecrati panis.*

Hactenus de veritate corporis Domini in Eucharistia disseruimus, quod erat fundamentum controversiarum omnium de Sacramento Eucharistiæ. Nunc de Sacramento ipso disseremus, atque eas controversias explicabimus, quæ de ipsa natura Sacramenti, deque ejus causis, et partibus, id est, de materia, forma, fine, et efficiente, et denique de usu ejus existunt.

Prima igitur quæstio est, quid sit proprie Sacramentum Eucharistiæ, consecratione panis, et vini, an res ipsa consecrata, an potius sumptio, et manducatio, ex qua quæstione pendet alia quæstio; Num corpus Domini sit in Eucharistia solum, dum sumitur, an vero permaneant in ea, dum servantur species illæ consecratæ. Nam cum Domini corpus non sit in specie panis, nisi quatenus illæ ad Sacramentum sit, non erit corpus Domini in illis speciebus, quando servantur in pyxide, vel quando deferuntur ad ægrotos etc. ex qua quæstione rursus pendet aliquo modo aliæ controversiæ de adoratione Eucharistiæ, et de sacrificio, ut notum est. Hoc autem ordine presentem controversiam explicabo. Primo, referam adversariorum

sententiam. Secundo, eam refutabo, et respondebo ad eorum objectiones. Tertio, explicabo sententiam Catholicorum.

Quod ad primum attinet, Lutherani, et Calvinistæ, alique hujus temporis hæretici in ea sunt opinione, ut existiment, Sacramentum Eucharistiæ non esse rem permanentem, sed actionem transeuntem: cum e contrario Catholici omnes sentiant, Sacramentum Eucharistiæ proprie rem permanentem esse, nimirum hostiam consecratam. Auctor primus sententiæ adversariorum Martinus Bucerus fuit: nam (ut scribit Joannes Cochlæus lib. iii. Miscellaneorum tract. 8.) anno Domini 1536. 23 die Maii, persuasit Luthero Bucerus, corpus Domini non esse in Eucharistia, nisi dum sumitur, et proinde ipsam sumptionem proprie Sacramentum esse. Excogitavit hanc sententiam Bucerus, ut per eam conciliaret inter se Lutheranos et Zwinglianos: videbatur enim temperamentum quoddam, et quasi medium quid inter extremas illorum sententias. Sed quamvis concordia non successerit, tamen hanc sententiam libenter arripuerunt, tum Lutherani, tum Zwingliani, quod viderent per eam destitui adorationem Eucharistiæ, et alia nonnulla quæ in usu erant apud Catholicos. Itaque Philippus Melancthon ex Lutheranis eam tuctur in locis communibus, loco de cœna Domini. Joannes Brentius in Confession. Wirtembergens. cap. de Eucharistia. Matthias Illyricus in Apologia pro Confess. Antuerpiensi cap. de Cœna Domini, et Martinus Kemnitius, qui verbosissime de hac

re tractat. in 2. part. Examinis Tridentini Concilii sess. XIII. cap. 3. et 6. Ex Zwinglianis, Joannes Calvinus lib. 4. Institut. cap. 18. §. 37 et 39. et Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 88. et 132. et alibi.

Sed observandum est, non eodem modo usum istum Sacramenti explicari. Nam Calvinus, et Martyr, et Illyricus contendunt tunc solum panem et vinum esse Sacramentum, dum comeditur, et bibit, sicut aqua Baptismi tunc solum est Sacramentum, cum abluit: unde negant manere Sacramentum, si deferatur ad ægros. At Kemnitius, ut eludat testimonia Patrum, docet in tota actione cœnæ Domini Sacramentum, et corpus Domini manere, id est, dum panis benedicitur, frangitur, distribuitur, et etiam dum ex ipsa Cœna immediate deferitur ad ægros, vel ad absentes, ut illum comedant, non ut servant. Quidam etiam eo usque progressi sunt, ut dicerent toto triduo posse servari Eucharistiam propter ægros, et toto illo spatio temporis esse Sacramentum, et in ea re ipsa manere corpus Domini, ut ex Lindano refert Claudius Sanctes, repetitione 4. de Eucharistia cap. 12. extremo. Sed profecto qui concedunt triduum, mirum est, cur non etiam quadriduum, et octiduum, et eadem ratione integrum mensem, vel annum concedant.

Porro fundamenta adversariorum tria sunt. Primum institutio Domini, qui ait: *Accipite, edite*. Secundum similitudo Baptismi, et aliorum Sacramentorum, qui omnia in actione consistunt. Tertium testimonia quædam veterum, qui jubebant reliquias cœnæ Domini, vel comburi, vel dari puerulis edendas, ne quid superesset.

## CAPUT II.

*Probatur ex verbis institutionis Dominicæ, Sacramentum Eucharistiæ esse rem permanentem, et in eo corpus Domini permanentiter existere.*

Jam vero Catholici omnes conveniunt, panem rite consecratum, sive corpus Domini sub specie panis contentum vere, et proprie

esse Sacramentum, sive sumatur, sive servetur in pyxide. Id quod expresse habetur in Concilio Tridentino, sess. XIII. cap. 3 et 6. et can. 4. et 7.

Esse autem hoc verissimum, probatur primo ex verbis Domini in institutione Sacramenti prolatis. Verba Domini (*Hoc est corpus, Hic est sanguis*) prius dicta sunt, quam fieret actio manducandi, et bibendi; ergo ante illam actionem fuit corpus Domini præsens in cœna, et proinde etiam Sacramentum Eucharistiæ confectum. Consequentia probatur dupliciter. Primo, quia juxta Augustinum tractat. 80. in Joan. « accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. » Sed ante actionem comedendi, et bibendi, verbum ad elementum accessit; ergo ante actionem comedendi, et bibendi factum est Sacramentum. Secundo, verba Domini mox atque prolata fuerunt, vera fuerunt. Sed prolata sunt ante illam actionem manducandi, et bibendi: ergo ante illam vera fuerunt; ergo fuit vere corpus Domini, et proinde Sacramentum, ante illam actionem.

Ad hoc argumentum Illyricus, Calvinus, et Kemnitius respondent. Illyricus negat antecedens: dicit enim Dominum locutum esse de pane in actu existente, id est, dum comdebatur. Et posset id confirmari ex verbis Domini: nam Evangelistæ dicunt, panem datum discipulis, et postea dictum esse: *Hoc est corpus meum*. Nam Matth. XXVI. sic legimus: *Accipit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite, hoc est corpus meum* (1). Itaque videmus simul concurrisse probationem verborum Domini, et actionem manducandi: nam sicut post panis distributionem immediate secuta est prolatio verborum, ita etiam post eandem distributionem immediate secuta est manducatio.

Respondeo: Non oportet attendere in hac re, quæ verba Evangelistæ prius posuerint, et quæ posterius: illi enim certis de causis sibi notis aliquando mutant ordinem verborum. Nam Marcus cap. XIV. sic ait de calice: *Et accepto calice gratias agens dedit eis; et biberunt ex illo omnes, et ait illis: Hic est sanguis meus novi Testamenti* (2). Ubi si attendamus ordinem verborum Evangelistæ, colligemus verba illa (*Hic est sanguis*) dicta esse post actionem bibendi; quod nemo admittit: quia tunc nihil demonstraret pronon-

(1) Matth. XXVI. 26. — (2) Marc. XIV. 23 et 24.

men (*Hic*) et verba essent falsa, vel oporteret post actionem bibendi remansisse partem aliquam vini consecrati, et de ea dictum esse: *Hic est sanguis*; quod aperte pugnaret cum sententia adversariorum. Oportet igitur colligere ex verborum sensu, et significatione, non ex ordine, quo sunt scripta, quid prius, et quid posterius in sacra cœna factum sit.

Porro sensus verborum cogit, ut dicamus prius fuisse a Domino prolata illa verba: *Hoc est corpus*, et *Hic est sanguis*; quam dederit discipulis cibum illum, et potum. Nam illa verba: *Hoc est corpus*, continent rationem, cur debuerit comedi ille cibus: et similiter illa verba: *Hic est sanguis*, continent rationem, cur debuerit bibi ille potus. Unde Matth. xxvi. ponitur particula causalis, cum dicitur: *Hic est enim sanguis, etc.* Prius autem debuit ratio illa a Domino explicari, et etiam percipi ab audientibus, quam eis daretur panis ille comedendus, nimirum et scirent, quid acciperent. Præterea si invitantur ad bibendum, quia est sanguis; ergo prius fuit sanguis, quam illi biberent. Ad hæc Lucas cap. xxii. et Paulus I. Corinth. xi. scribunt: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo* (1), Ergo in calice fuit sanguis, et non solum in ore sumentium; et sane prius in calice, quam in ore sumentium; nam ex calice ad os pervenit, non contra. Adde verba Pauli I. Corinth. x: *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? et calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est?* (2) Hic enim aperte Paulus indicat, panem prius consecrari, et mutari in corpus Domini, quam frangatur, et distribuatur: dicit enim id, quod frangitur, non esse futurum, sed jam esse corpus Domini. Unde Chrysostomus in commentario ejus loci: « Quid est, inquit, in calice, quod ex latere Christi fluxit »? Huc etiam pertinent illa capituli xi: *Non judicans corpus Domini*: ubi, dum arguit Corinthios, quod non discernent corpus Domini ab aliis cibus, qui in mensa ponebantur, significat potuisse discerni, et proinde ibi fuisse ante manducationem. Denique, in omnibus Liturgiis etiam antiquissimis, Jacobi, Basili, et Chrysostomi, et in nostra Latina, quæ S. Petri et Clementis esse censetur, verba Dominica: *Hoc est corpus, Hic est sanguis*, multo ante pronuntiantur, quam panis sanctificatus distribuatur, et manducetur.

Alia solutio (si tamen alia) est Joannis Calvini lib. iv. Instit. cap. 17. §. 37. ubi non disputat, quid Dominus prius pronuntiaverit, sed contendit verba Domini: *Hoc est corpus meum*, non ante impleri, et verificari quam ipsa manducatio re ipsa exerceatur. Id vero probat, quia Dominus simul conjunxit præceptum, et promissionem; præceptum enim fuit: *Accipite, et comedite*; promissio autem: *Hoc est corpus meum*, non debet autem promissio impleri, nisi præceptum impleatur. Itaque accipientibus, et manducantibus, juxta Domini mandatum, panis ille fit corpus Christi: sed extra illum usum non fit, quia non est annexa promissio, nisi tali mandato. Illustrat rem totam Calvinus similitudine: « Mandatum, inquit, dedit Deus, cum diceret: Invoca me; promissionem addidit: Exaudiam te. Si quis invocato Petro, aut Paulo, hac promissione gloriatur, nonne omnes clamabunt eum perperam facere? »

Hæc Calvinii solutio non magno negotio refutari potest. Nam in primis, si verba illa, *Hoc est corpus*, promissionem continerent, certe per verbum futuri temporis expressa fuissent, ut factum videmus in similibus promissionibus: sic enim de Baptismo legitur Marci ult.: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (3). Et in exemplo Calvinii: « Invoca me, et exaudiam te. » Hoc autem loco non dixit Christus, Hoc erit, sed, *Hoc est corpus meum*.

Deinde, si ista verba promissionem præcepto annexam continerent, impletio ejus promissionis non comitaretur, sed sequeretur manducationis; proinde non haberent fideles Sacramentum, et ipsum corpus Domini, dum manducarent, sed solum postquam manducassent: atque ita non manducarent corpus Domini, ne in Sacramento quidem, quod est absurdissimum, et ipsis etiam Calvinistis repugnans. Id autem sequi probatur, quia id videmus in omnibus similibus promissionibus; semper enim actio præcedit, quæ imperata fuit, et tandem sequitur impletio promissionis. Et ratio etiam reddi potest hujus ordinis, quia impletio promissionis est effectus actionis imperatæ, et semper causa est prior suo effectui, saltem naturali. Itaque sicut prior est Baptismus, quam remissio peccatorum, et prior est invocatio, quam exauditio, ita prior erit manducatio, quam præsentia corporis Domini, sive in re,

(1) Luc. xii, 20; I Cor. xi, 25. — (2) I Cor. x, 16. — (3) Marc. xvi, 16.

sive in Sacramento. Quod autem hoc sit absurdum, etiam ex Calvinii sententia, probatur. Nam cum tractatur de Comunione impiorum, de quibus Apostolus ait I. Corinth. XI. *Qui manducat indigne, judicium sibi manducat* (1), Calvinus dicit, hoc interesse inter pios, et impios, quod pii, dum sumunt ore corporali Sacramentum, simul sumunt ore fidei ipsum verum Domini corpus: impii autem sic sumunt ore corporali Sacramentum, ut non sumant ore fidei corpus Domini. Vide Calvinum lib. IV. Institut. cap. 17. §. 34. Omnes igitur, qui communicant, Sacramentum manducant ore corporali: at quomodo manducant, si non prius incipit esse Sacramentum, quam absoluta sit manducatio?

Tertio, Scriptura, et Patres corpus Domini non solum in ore fidelium, sed etiam in altari, et vasis sacris agnoscunt; ergo verba illa extra manducationem verificantur, et non in sola manducatione Sacramentum consistit. Antecedens probatur ex illis Pauli ois: *Panis quem frangimus, et Calic benedictionis, et Hic calic novum Testamentum est, et Non dijudicans corpus Domini*, I. Corinth. X. et XI. Concilium Nicænum dicit, in sacra mensa Agnum Dei situm esse: quem Canonem Nicæni Concilii esse fatetur Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17. §. 36. Optatus Milevitanus lib. VI. contra Parmenianum, vocat altare sedem corporis Christi, et calices, Christi sanguinis portatores. Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinthios, dicit eundem Christum nunc in altari consistere, qui aliquando in præsepi a Magis fuit adoratus, Cyprianus in sermone de lapsis dicit, corpus Domini fuisse in arca. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica, jubet accipi dextera manu. Augustinus concione prima et secunda, in Psal. XXXIII. dicit, Christum portasse in manibus corpus suum, quando de eo, quod in manibus habebat, dixit: *Hoc est corpus meum*. Sive autem portaverit corpus suum verum, et naturale, ut nos credimus, sive in Sacramento tantum, ut Calvinistæ volunt, nihil interest ad id, quod nunc tractamus: semper enim concludimus, Sacramentum ante manducationem confectum fuisse, et proinde falsum esse, quod ait Calvinus, verba illa: *Hoc est corpus meum*, non adimpleri, nisi dum panis manducatur. Et quia ejusmodi testimonia passim

occurrunt, non modo in Patribus, sed etiam in ipsis hæreticorum scriptis, manifeste colligimus Calvinii sententiam improbabilissimam esse, et cum ipso suo auctore pugnantem.

Restat Kemnitii responsio. Is animadvertens, non posse ullo modo defendi, quod majores sui responderant, in sola sumptione Sacramentum consistere: alia via sibi ingrediendum esse censuit. Itaque docuit quod Lutherani dicunt, Sacramentum hoc in solo usu consistere, non debere restringi ad solum usum manducationis, sed ad omnem usum, sive omnem actionem, quæ exercetur in cœna. In cœna autem quinque actiones fuisse, acceptionem panis in manibus, benedictionem, fractionem, distributionem, manducationem; et de his omnibus intelligi posse illud: *Hoc est corpus meum*, ut sit sensus: Hoc quod accepi, quod benedixi, quod fregi, quod distribu, quod manducatis, est corpus meum. Ex quo deducit Sacramentum Eucharistiæ, et ipsum corpus Domini fuisse ante manducationem in sacra mensa, tamen non fuisse ante omnem actionem cœnæ; nec superesse post omnem actionem cœnæ, et eodem modo in sola actione consistere.

At hæc responsio est omnium absurdissima. Nam aut vult Kemnitius in istis quinque actionibus simul sumptis consistere hoc Sacramentum, aut in singulis seorsim. Si in omnibus simul sumptis, tunc redit opinio Calvinii, et Illyrici: Nam non erit perfectum, et integrum Sacramentum, nisi peracta manducatione, atque ita falsum erit, quod dicit Kemnitius, ante manducationem esse corpus Domini in mensa. Si in singulis seorsim; ergo quinque erunt Sacramenta Eucharistiæ; eaque diversissima.

Præterea, vel ita est in singulis, ut sit formaliter quælibet illarum actionum, aut ut tantum coexistat singulis. Non potest esse formaliter quælibet illarum actionum, quod sic probo. Actio accipiendi, quæ est omnium prima, non potest esse formaliter Sacramentum Eucharistiæ; nam quod est formaliter acceptio, non existit, nisi dum accipitur. At hoc Sacramentum existit post acceptionem, dum frangitur, distribu, manducatur; ergo etc. Rursus, actio manducandi, quæ est ultima, non potest esse formaliter hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dum manducatur: existit autem ante manduca-

(1) I Cor. XI, 99.

tionem, dum accipitur, frangitur etc. Denique actiones intermediæ, benedictio, fractio, distributio, non possunt esse formaliter hoc Sacramentum, quia tunc non existeret, nisi dum illæ actiones fiunt.

Atqui existit ante illas, et post illas; ergo non est aliqua illarum, sed tantum coexistit illis; ergo est res permanens: nam quod est aliquid, et non est actio transiens, necessario est res permanens.

Tertio probo, Sacramentum hoc necessario esse rem permanentem ex doctrina Kementii, ac per hoc probo doctrinam ipsius seipsam destruere. Sacramentum Eucharistiæ, et præsentia corporis Domini durant toto tempore, quo fit sacra cœna. Sed inter unam actionem, et aliam, sæpe intercedit, aut certe intercedere potest tempus (quis enim prohibet quominus minister post fractionem panis aliquantulum quiescat, antequam illum distribuere incipiat? Vel qui Sacramentum de manu ministri accepit, aliquamdiu retineat, antequam manducare aggrediatur?) Quæro igitur, utrum illo tempore interjecto inter duas actiones, Sacramentum, et corpus Domini perseverent, an non. Dici non potest non perseverare, nam tunc non in toto tempore cœnæ Sacramentum, et corpus Domini adessent, quod est contra adversarium: et præterea oporteret Christi corpus tempore cœnæ sæpius accedere, et recedere, quod est omnino ridiculum. Quis enim credat Christi corpus adesse, dum panis accipitur in manibus, et statim evanescere, deinde iterum adesse, dum panis frangitur, et finita fractione evanescere; tum iterum redire, dum distribuitur panis, et rursus continuo abire? Ergo necesse est confiteri Sacramentum, et corpus Domini præsens adesse tempore illo interjecto inter duas actiones, et proinde rem esse permanentem: quod enim manet omni actione cessante, non potest dici res transiens, sed manens.

Quarto, exposito fundamento in argumento superiori, probo etiam post omnem actionem cœnæ, Sacramentum, et corpus Domini perseverare in ea parte Sacramenti, quæ non fuerit a communicantibus consumpta. Nam perseverat Sacramentum, et corpus Domini in eo tempore, quod est interjectum inter distributionem, et manducationem, si quis velit (ut diximus) aliquantulum hæerere, et quiescere ante manducationem; ergo perseveraret etiam, si quis differret manducationem illam in alterum diem

vel mensem. Si enim perseverare potest per quadrantem horæ, cur non per integram horam? Et si per horam, cur non per diem? Et si per diem, cur non per mensem? Et si per mensem, cur non per annum? Et tandem semper dum species illæ non consumuntur.

Ex his solvitur argumentum primum adversariorum, quod ex Scriptura petitur hujusmodi est: « Sacramenta pendent a divina institutione, ita ut Sacramenta non sint, si non servetur in illis conficiendis ritus, et institutio Domini. At Dominus jussit panem benedici, frangi, distribui, manducari, non autem jussit servari in pyxide, gestari in supplicatione, exhiberi adorandum in Ecclesia; ergo non est Sacramentum, cum servatur in pyxide, gestatur, adoratur, sed solum cum benedicatur, frangitur, distribuitur, manducatur. »

Respondeo dupliciter. Primo, negando consequentiam, quia asservatio in pyxide, gestatio, et adoratio non repugnant ullo modo divinæ institutioni. Dominus enim jussit panem benedici, et manducari; sed non jussit continuo post benedictionem manducari, præsertim totum, et ab omnibus: unde non repugnat institutioni dilatio manducationis, modo ad eum finem benedictio, seu consecratio ordinetur.

Atque hoc fecit Ecclesia: semper enim consecrat Eucharistiam in ordine ad manducationem, sed conservat aliquam partem Sacramenti, non ut non manducetur, sed ut tempore opportuno manducetur, nimirum, ut deferatur ad ægrotos, quodcumque necesse fuerit. Oportet enim ob varios, et maxime repentinos casus Eucharistiam semper esse paratam: eo autem tempore, quo conservatur, nihil impedit, quominus possit vel gestari, vel ostendi ad devotionem populi excitandam.

Secundo dico, si quis legitimus Sacerdos existens Eucharistiam consecraret, iis servatis, quæ ad Sacramenti essentiam requiruntur, non tamen in ordine ad manducationem, sed ad quamvis alium finem is quidem male faceret, tamen verum Sacramentum conficeret, et perseveraret Sacramentum illud, quamdiu species illæ panis perseverarent. Ratio est, quia institutio Domini non complectitur solum essentiam Sacramenti hujus, sed etiam Sacramenti usum: benedictio enim, seu consecratio ad Sacramentum faciendum pertinet; distributio, et manducatio ad usum. Porro res non pendet quoad

esse suum, ab usu. Sicut ergo, si quis faciat sedem, cujus sedendo usus est, et tamen nemo unquam ibi sedeat, non propterea desinet esse sedes; imo etiam si quis faciat sedem, non ut ibi sedeatur, sed ut in spectaculo exhibeatur, adhuc erit verissima sedes: sic etiam sacrosanctum Sacramentum non desiuit esse Sacramentum, licet nemo illo utatur ad id, ad quod est institutum.

### CAPUT III.

*Probatum ex dissimilitudine Baptismi, et Eucharistiæ, Eucharistiam, rem esse permanentem.*

Nunc jam expendemus alterum adversariorum fundamentum, et sicut ipsi ex similitudine Sacramentorum probare nituntur, Eucharistiam in solo usu consistere: ita nos ex dissimilitudine contrarium ostendemus. Sit igitur hæc ratio. In Baptismo non est aliqua res permanens, sed sola actio, quæ dicatur, et sit Baptismus; in Eucharistia contrario, non est aliqua actio, sed sola res permanens, quæ dicatur, et sit Eucharistia, sive corpus Domini, sive Sacramentum corporis Domini; ergo Sacramenta ista dissimilia sunt, et unum in actione, alterum in re permanente consistit.

Probatum antecedens. Ac primum de Baptismo, notum est, aquam, quæ est res permanens, non dici Baptismus, nec Sacramentum Baptismi, sed abluitionem, quæ est actio, dici et Baptismus, et Sacramentum Baptismi. B. Paulus Baptismus vocat lavacrum aquæ in verbo vitæ, Ephes. v. et lavacrum regenerationis Tit. 3. Si autem de re ipsa agatur, certum est, aquam, ut est res permanens, non esse Sacramentum Baptismi: Nam Sacramenta, ut Augustinus dicit lib. xx. contra Faustum cap. 13. non nascuntur, sed fiunt per mysticam precem, sed olim a Deo creata sunt. Neque obstat quod in Ecclesia benedici solet; Nam illa benedictio non est de essentia Sacramenti: possent enim in aqua fluminis, aut maris sine ulla præcedente benedictione aquæ, homines vere baptizari. Et similiter certum est, Sacramenti definitionem optime convenire abluitioni; illa enim est signum et causa instrumentalis invisibilis gratiæ, et a Deo per ministrum efficitur. Et denique verba, quibus efficitur

Baptismus, non diriguntur ad aquam, sed ad hominem qui Baptismus recipit. Dicimus enim: « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. » Unde baptizare non est aquam consecrare, sed hominem abluere.

Atque hinc apparet ineptissime ratiocinari Kemuitium in 2 par. Exam. Trident. Concilii sess. xiii. cap. 3. cum ait: Si quis verba institutionis Baptismi pronuntiet super aquam, et nemo adsit qui baptizetur, nullum fieri Sacramentum. Nam verba Baptismi: « Ego te baptizo etc. » non possunt nisi a stulto aliquo pronuntari super aquam, cum non ad aquam, sed ad hominem referantur. At alia ratio est de verbis Eucharistiæ, ut mox dicemus. Itaque de Baptismo nullum est dubium, quin proprie in actione consistat.

At in Eucharistia omnia aliter se habent. Nam in primis, si agamus de modo loquendi, nemo unquam vocavit Eucharistiam, vel corpus Domini fractionem, vel consecrationem, vel distributionem, vel manducationem, vel aliam actionem, sed rem permanentem, id est, panem sanctificatum. Sic Justinus in Apolog. 2: « Hic cibus, inquit, a nobis Eucharistia appellatur. » Irenæus lib. iv. cap. 34. dicit, panem communem post acceptam benedictionem non esse amplius panem communem, sed Eucharistiam constantem ex re terrena, et cœlesti. Sic Tertullianus in lib. de resurrect. carnis: « Caro, inquit, corpore et sanguine Domini vescitur. » Ubi corpus Domini non appellatur actio vescendi, sed cibus ipse quo vescimur. Sic Augustinus lib. xx. contra Faustum, cap. 13. panem consecratum appellat Sacramentum religionis. Optatus lib. ii. queritur de furore Donatistarum, qui Eucharistiam canibus dederunt: et Victor Uticensis lib. i. histor. cap. 3. narrat Arianos Eucharistiam in terram abjecisse, et pedibus conculcasse. At quomodo potuerunt ista fieri, si Eucharistia non est res permanens? Item Justinus, Ambrosius, Eusebius Emisenus, Theodoretus, Gelasius, et alii passim conferunt Eucharistiam cum Verbo Incarnato; quia sicut in Christo duæ sunt naturæ, ita in hoc Sacramento duæ sunt naturæ, nimirum corpus Christi, et accidentia panis. Denique Patres passim dicunt, Eucharistiam, seu corpus Domini offerri, confici, portari, manducari, quæ nullo modo conveniant actioni, sed rei permanenti.

Quod autem ad rem attinet, Sacramentum Eucharistiæ non consistere in actione, sed in

re permanente, probatur. Ac primum, quod non in actione consistat, patet; qui nulla est actio, cui conveniat tota ratio Sacramenti. Præcipua actio per adversarios est manducatio: at hæc nullo modo potest esse Sacramentum. Nam ista est actio solius suscipientis, non Dei, aut ministri: nec enim Deus, aut minister manducat, sed suscipiens manducat. At Sacramenta non sunt actiones suscipientis, alioqui essent opera nostra: unde in Baptismo Sacramentum est ablutio, ut a Deo per ministrum datur. Præterea verba Sacramentalia, sine quibus Sacramentum non fit, non dicuntur a manducante, neque ad manducantem, sed a ministro super panem; illa enim verba: *Hoc est corpus*, ad panem pertinent, non ad manducantem. Et hinc est, quod non dicitur Eucharistiæ Sacramentum facere, qui manducat, sed potius illud consumere: et tamen revera dici posset Sacramentum facere, si in illa actione consisteret; sicut dicitur baptizare, qui abluit. Idem probari potest de actione frangendi, et distribuendi panem sanctificatum. Illæ enim actiones non sunt Sacramenta; nam non significant gratiam invisibilem: nec dicitur Sacramentum facere, qui frangit, aut distribuit. Restat sola consecratio, quam adversarii præter cæteras negligunt: sed nec est ipsa proprie Sacramentum Eucharistiæ. Nam consecratio non est signum, neque causa proxima invisibilis gratiæ, quæ duo requiruntur ad rationem Sacramenti novæ legis. Consecratio enim, ut verba ipsa sonant, solum significat, et efficit corpus Domini ex pane; proinde Sacramentum efficit, non est ipsa Sacramentum.

Quod autem rei permanenti, id est, pani consecrato conveniat tota definitio Sacramenti, perspicuum est. Nam ille panis est signum sensibile, et causa internæ atque invisibilis nutritionis spiritualis. Præterea fit a Deo per ministrum, idque ritu, et cæremonia a Deo instituta. Denique elementum et verbum concurrunt ad hoc Sacramentum, ut ad omnia alia. Neque obstat, quod non maneat in hoc Sacramento jam confecto elementum, id est, panis triticeus, neque verbum. Nam elementum, et verbum requiruntur ad Sacramenti effectum, et ideo in his Sacramentis quæ in actione consistunt, et quorum idem est fieri et esse, elementum et verbum sunt principia, tum effectum, tum essentiæ ipsius Sacramenti. At in hoc Sacramento, in quo aliud est fieri, aliud esse,

principia illa concurrunt proprie ad Sacramenti effectum: in ipsa autem re effecta manent, sed alio modo. Nam elementum manet, quoad externas species, et verbum manet, quoad virtutem: sicut etiam in mixture elementorum manent elementa, sed alterata, et secundum multos manent solum quoad virtutes, non quoad substantiam.

Ex his solvitur argumentum secundum adversarios, quod hujusmodi est: « Sacramentum Baptismi in actione consistit; ergo et Sacramentum Eucharistiæ. Probatur antecedens; nam Sacramenta novæ legis ejusdem generis sunt. Et præterea, si Sacramentum Baptismi in actione consistit, quia Dominus dixit: Baptizate omnes gentes, Matth. ult., quanto magis Eucharistia in actione consistet, enim Dominus in ejus institutione non uno verbo, ut in Baptismo, sed multis actionem declaraverit, dicens: Accipite, manducate, bibite, hoc facite etc. »

Respondeo, Sacramenta novæ legis sunt ejusdem generis, sed non ejusdem speciei: et quanvis ejusdem speciei essent, adhuc posset unum in actione, alterum in re permanente consistere; ista enim differentia materialis est, et ad rationem formalem Sacramenti non pertinet. Verba autem Scripturæ citata, usum Sacramenti continent, non essentiam, nisi per accidens, quando usus ab essentia non distinguitur, ut in Baptismo.

#### CAPUT IV.

*Probatur eadem veritas testimoniis Patrum.*

Ultimo loco probanda est eadem veritas testimoniis Patrum: semper enim in Ecclesia ista fides viguit. Ac primum ipso tempore Apostolorum, Clemens Romanus lib. viii. constit. cap. 13. in alia editione, cap. 20. jubet peracta Communione, quod superest de corpore Domini, reponi à Diaconis cum debita reverentia in pastophorio. Quid autem sit pastophorium, explicat Hieronymus in comment. cap. xxii. Isaïæ, ubi dicit, pastophorium significare tabernaculum, seu thalamum, ubi templi Præpositus habitat. Hinc igitur Apostoli vas illud, in quo Sacramentum asservandum recondebatur, pastophorium dixerunt, quod in eo Sacramento vere Christus sit, qui est verus templi Præ-



positus. Opera autem Clementis, etsi non ab omnibus recipiantur, tamen Kemnitiis repudiare non potest, quippe qui (ut infra videbimus) utitur ejusdem Clementis testimonio contra Catholicos.

Post annum Domini 100. primo saeculo post Apostolos, Justinus in Apologia II. prope finem, scribit post sacra peracta in Ecclesia, dari consuevisse Eucharistiam Diaconis deferendam ad absentes fratres, qui aliqua de causa impediti fuerant, ne interessent celebrationi mysteriorum. Quo loco dubitari non potest, quin Diaconi non ante discederent ex conventu Ecclesiae, quam tota actio finiretur: ex quo apertissime sequitur, post ipsam actionem totam, fuisse in Eucharistia verum Sacramentum, ac verum Christi corpus. Nam alioqui quorsum ille labor deferendi Eucharistiam ad absentes?

Eodem saeculo Irenaeus in epist. ad Victorium Papam, quam refert Eusebius lib. V. histor. cap. 24. testatur morem fuisse illius temporis, ut Papa Eucharistiam mitteret in signum pacis, et communionis ad alios Episcopos. At quid, quaeso, mittebat, si Eucharistia non est, nisi dum manducatur, vel dum peragitur sacra Coena?

Post annum Domini 200. Tertullianus in lib. II. ad Uxorem, testatur consuevisse suo tempore deferre Christianos Eucharistiam ad suas domos, ut ibi eam opportuno tempore sumerent: « Non sciet, inquit, maritus, quid in occulto ante omnem cibum sumas? »

Eodem saeculo Cyprianus in serm. de lapsis: « Mulier quaedam, inquit, cum arcam suam, in qua sanctum Domini fuerat, indignis manibus tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est. » At quid, obsecro, in illa arca includi potuit, si Eucharistia (de ea enim loquitur) extra actionem Coenae, neque corpus Domini est, neque Sacramentum?

Eodem saeculo Dionysius Alexandrinus in epist. ad Fabium, quam refert idem Eusebius lib. VI. hist. cap. 36, scribit, Serapionem quemdam in extremis agentem misisse puerum ad Presbyterum, ut ad se veniret cum Sacramento Eucharistiae: sed Presbyterum forte tunc aegrotantem non potuisse per se accedere, sed misisse, per eundem puerum particulam Eucharistiae. Ex quo loco apertissime patet, morem fuisse asservandi Eucharistiam propter aegrotos: neque enim presbyter ille tunc sacram Coenam celebra-

vit, quippe qui aegrotabat, et forte hora in-tempestiva erat.

Eodem saeculo S. Tharsicius Martyr (ut scribitur in vita S. Stephani I. Papae, et apud Bedam in Martyrologio die 15. Augusti) cum Eucharistiam deferret, et paganis quaerentibus, quid illud esset, noluisse aperire, ab illis continuo necatus est, et tamen divino miraculo ita Sacramentum disparuit, ut nunquam sacrilegi illi invenire illud potuerint.

Post annum Domini 300. exstat insignis testimonium Concilii I. Nicæni, canon. 44. alias 18. alias 20. ubi jubet Synodus, ut in absentia Presbyterorum, Diaconi Eucharistiam porrigant. Ex quo evidenter colligitur, Eucharistiam servari solitam in Ecclesia, ut distribui posset quovis tempore, etiam quando Coena non celebratur. Nam loqui Concilium de tempore, quo sacra Coena non celebratur, perspicuum est, quia Coena sine Presbyteris celebrari non potest: Diaconis enim non est data auctoritas offerendi, ut in eodem canone legitur. Est autem hic observandum, istam partem canonis non haberi in omnibus editionibus, tamen haberi expresse apud Rufinum, lib. X. hist. cap. 6. Canones autem, quos Rufinus descripsit esse ipsos veros, et authenticos Nicæni Concilii canones, testatur etiam S. Cyrillus in epist. ad Concilium Carthaginiense, quae exstat in tom. I. Conciliorum in actis Concilii Africani: quod est observandum propter Kemnitiis, qui in dubium revocare istum canonem contendit.

In eodem Nicæno exstat canon. 13. et quidem in omnibus editionibus, in quo Patres jubent, ut secundum antiquam regulam in mortis articulo nemini denegetur sacra Communio: qui canon saepe postea renovatus fuit in Conciliis posterioribus. Certum autem est, aegrotos in articulo mortis existentes ad Ecclesiam venire non potuisse: certum est etiam non potuisse celebrari in cubiculis singulorum aegrotantium totam actionem Coenae, et praesertim secundum opinionem adversariorum, qui damnant Missas privatas; ergo necesse est, ut Eucharistia servaretur consecrata pro aegrotis, vel certe extra actionem publicae Coenae, quam solam pro vera Coena agnoscunt adversarii, Eucharistia aegrotis praebetur.

Eodem saeculo Basilius in epist. ad Caesariam Patritiam, testatur, Anachoretas qui non poterant commode saepius Ecclesias fre-

quentare, consuevisse Eucharistiam secum in eremum deferre : quæ epist. licet non habeatur in omnibus exemplaribus, tamen passim citatur etiam ab ipso Kemnitio.

Eodem sæculo Gregorius Nazianzenus in orat. in Gorgoniam testatur, sanctam illam fœminam nocturno tempore in Ecclesia ad altare procubuisse, et partem Eucharistiæ, quam forte servaverat de more illius temporis, in conspectu habuisse. Quod etiam testimonium clarissimum est; neque enim tunc sancta Cœna celebratur, cum et nocturnum tempus esset, et ipsa sola in templum ad orandum se recepisset.

Eodem sæculo Ambrosius in orat. de obitu Satyri fratris sui, cap. 7. scribit, eum in orario involutam Eucharistiæ particulam suspendisse ad collum suum in periculo naufragii, et eo auxilio fretum se deiecit in mare, ac liberum ad littus evasisse.

De hoc exemplo multa garrit Petrus Martyr in lib. *contra Gardinerum*, objecto 88. Primo dicit, hanc esse fabulam ab Ambrosio, non tam ut Episcopo, aut Theologo, quam ut Rhetore narratam. Sed refellitur mendacium istud ab ipso Ambrosio, qui eam historiam narrat, ut inde religionem Satyri demonstret, et ut rem verissimam, et multis notam refert.

Secundo, reprehendit Ambrosium, ac dicit, eum excusari non posse, quod factum illud Satyri laudaverit. Sed ad Ambrosii defensionem, satis est illum esse Ambrosium, istum esse infelicem apostatam.

Tertio dicit, inde refutari hujus temporis superstitiones. Nunc enim Eucharistia sub clavibus asservatur, nec sine pompa, et luminibus producitur; tunc omnibus etiam Catechumenis, qualis erat Satyrus, permittebatur. At nunc sub clavibus servatur propter abusum, qui paulatim exorti sunt: tunc autem, cum simpliciores essent Christiani, necdum cœpissent ad magias abuti Sacramentis, facilius mittebantur, nec tamen etiam tunc licebat Catechumenis Eucharistiam sumere, aut etiam videre. Unde ibidem Ambrosius dicit, Satyrum non fuisse ausum Eucharistiam videre, et multo minus ore percipere, sed ne omni præsidio careret, jussisse sibi a fidelibus, qui in eadem navi erant, et Eucharistiam secum habebant, particulam involutam orario sibi tradi. Quod autem creverit honor externus sanctissimi Sacramenti, præsertim devotione interna

decescente, nemini displicere potest, nisi hostibus Christi, et religionis.

Quarto dicit, crimen idololatriæ Satyrum commisisse, dum spem in Eucharistia posuit; et tamen ibidem continuo addit, fortasse Deum ornare voluisse reliquias illas Eucharistiæ, miraculo, ut quondam ossa Elisei, et pallium Eliæ. At quomodo ista coherant, ut Deus miraculo ornaverit Eucharistiam in gratiam idololatriæ? num Deo fortasse placet idololatria, ut etiam miraculis confirmare voluerit?

Quinto dicit, Satyrum forte alicunde suffuratum illam particulam Eucharistiæ. At Ambrosius dicit, eum accepisse a Christianis, qui erant in navi.

Sexto dicit, illas reliquias non fuisse Sacramentum, sed tantum reliquias quasdam panis, quæ extra usum Cœnæ Sacramenta dici non possunt. At Ambrosius disertis verbis vocat Sacramentum: « Quos, inquit, initiatos esse cognoverat, ab his divinum illud fidelium Sacramentum poposcit. »

Post annum 400. S. Joannes Chrysostomus in epistola priore ad Innocentium Papam, quæ exstat tum inter opera ejusdem Chrysostomi, tom. v. apud Nicephorum lib. xiii. cap. 19. scribit, milites quosdam ad vesperam magni Sabbati Sanctuarium ingressos tantum excitasse tumultum, ut etiam sacratissimus Domini sanguis, qui in Sanctuario erat, in eorum vestes effunderetur. Quod autem id gestum non fuerit, dum sacra Cœna celebraretur, sed extra illam actionem, patet ex eodem loco: ibi enim Chrysostomus dicit, hoc factum esse, cum mulieres jam præparentur ad Baptismum. Itaque tum imminabat Baptismus, qui in Sabbato Paschali celebrari solet: constat autem mysterium Eucharistiæ semper celebrari post Baptismum, non ante, vel simul cum Baptismo, nimirum, ut neophyti tunc primum sancto illi mysterio intersint, et Eucharistiam percipiant. Quare sanguis ille Dominicus, qui in Sanctuario erat, non tunc consecratur, aut distribuebatur, sed aliquo alio die consecratus fuerat.

Eodem sæculo S. Hieronymus in epist. ad Rusticum, laudat Exuperium Tholosæ Episcopum, quod ob inopiam voluntariam cogerebatur Christi corpus in canistro portare.

Eodem sæculo S. Cyrillus in epistol. ad Calosyrium, insanire dicit eos, qui asserunt, Eucharistiam, si in alterum diem servetur, vinum suam amittere: ubi apertissime errorem

istum nostrorum adversariorum reprehendit.

Post annum Domini 500. S. Benedictus, ut in ejus vita scribit S. Gregorius, lib. II. dialogorum cap. 24. cum defunctus quidam monachus sepeliri nequiret, misit aliquos, qui Eucharistiam super pectus mortui ponerent, et eo facto sepeliri potuit. Et sane delatio Eucharistiæ cum supra mortui pectus poneretur, non fuit ulla actio Cœnæ Dominicæ, neque S. Benedictus Eucharistiam tunc consecravit, quippe qui sacerdos non erat, sed habebat in Ecclesia sua asservatam, de more totius Ecclesiæ. Ubi etiam notandum est mendacium Petri Martyris in lib. *contra Gardinerum* object. 38. quo in loco, ut hoc exemplum odiosum faciat, scribit jussu Benedicti, Eucharistiam in os mortui fuisse injectam: « Benedictus, inquit Pseudomartyr, jussit Eucharistiam in os inferi defunctæ mulierculæ »; quod est apertum mendacium. Nam hæc sunt verba S. Benedicti, referente S. Gregorio: « Ite et hoc Dominicum corpus supra pectus ejus cum magna reverentia ponite. » Neque credendum est, relictum Dominicum corpus in sepulchro cum homine mortuo, sed tantum positum supra pectus ejus, dum collocaretur in tumulo, ac deinde continuo ablatum. Nisi forte loquatur Petrus Martyr de eo, quod scribit Gregorius cap. superiore de duabus sanctimonialibus: sed in eo etiam mentiretur iste miserrimus Pseudomartyr; non enim Benedictus jussit inseri Eucharistiam in os earum defunctarum mulierum, sed pro illis Domino immolari.

Eodem sæculo monachi quidam sancti Gregorii a Constantinopoli Romam navigantes, in navi secum Eucharistiam deferrebant, ut in periculo naufragii non sine communione discederent. Refert Joannes Diaconus in vita S. Gregorii lib. II. cap. 33.

Post annum Domini 600. in Synodo, quæ dicitur Quinisexta can. 52. statuunt Patres illi, ut in Quadragesima solum die Sabbati, et die Dominico consecratio fieret, aliis diebus communicarent ex præsanctificatis. Itaque servabant Eucharistiam consecratam, ut minimum sex diebus, id est, a die Dominico usque ad sequentem feriam sextam.

Atque hæc ex Patribus satis esse possunt: Nam tempora posteriora ab adversariis plane contemnuntur: Et præterea exstant multa decreta Conciliorum de hac re, ut Turonensis, Wormatiensis, Aurelianensis; quæ vide apud Burckardum lib. V. decreti,

et Ivonem par. 2. decreti, et Gratianum de consecratione dist. 2.

## CAPUT V.

### *Diluuntur responsiones adversariorum ad testimonia Patrum.*

Ad hæc, et hujusmodi testimonia Joan. Calvinus uno verbo respondens, lib. IV. Institut. cap. 17. § 39. « Sed enim, inquit, qui sic faciunt, habent veteris Ecclesiæ exemplum. Fateor. Verum in re tanta, et in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est, quam veritatem sequi. » Hæc ille. Sed non fuit unquam quæstio, tutius sit sequi veritatem, an falsitatem, sed quæstio est a qua parte stet veritas: et sane nisi plane desipimus, tutius est in re tanta, et in qua non sine magno periculo erratur, veterem Ecclesiæ consuetudinem et doctrinam, quam novas adinventiones sequi.

Petrus Martyr a Calvino in hac parte non dissentit, nisi quod impudentius, et nominatim nunc Ambrosium, nunc Nazianzenum, nunc Bernardum, nunc Damascenum, nunc alios reprehendit.

Unus est Martinus Kemnitius, qui sic omnia confundit, ut nescias, utrum Patres sequi, an ab eis dissentire, constituerit. Duæ tamen colliguntur ex ejus verbosissima disputatione responsiones. Prima est, illa testimonia simpliciter admittenda, quæ habent ab ipsa actione Cœnæ missam fuisse Eucharistiam ad absentes, vel ad ægrotos, ut eam continuo sumerent: existimat enim toto illo tempore perseverare actionem, sive usum Cœnæ.

Hic autem multis modis deficit responsio Kemnitii. Primo, quia hæc responsio non potest aptari manifeste, nisi unico testimonio S. Justini; reliqua enim asservationem indicant Eucharistiæ, non delationem ab ipsa Cœnæ actione.

Secundo, quia si verum est, quod toties Kemnitius repetit, non esse Sacramentum, nisi dum fit, quod Christus expresse fecit, aut fieri jussit, quomodo erit Sacramentum in illa delatione ad absentes? neque enim Christus detulit ad absentes, aut deferri jussit.

Tertio, supervacanea est ista delatio, secundum principia Lutheranorum; ergo a

Kemnitio non fuit admittenda. Nam (ut Calvinus colligit ex communi Lutheranorum doctrina, quam etiam agnoscit, et recipit Kemnitius in fine disputationis in 6. cap. sess. XIII. Concil. Trident.) vel qui deferebant Eucharistiam ad absentes aut aegrotos, in domibus eorum erant recitaturi institutionem, ac Cœnæ ritum repetituri, aut non. Si recitaturi institutionem ac Cœnæ ritum repetituri erant, quid opus erat tam longe panem asportare? nonne ex illa ipsa domo panem accipere potuissent? Et præterea si illa delatio intra actionem Cœnæ concluditur, et ideo perseverat in ea corpus Domini, ut ibidem Kemnitius docet, quid opus est nova consecratione? Si autem non erant institutionem repetituri, nihil utilitatis absentibus illis attulissent: non enim symbola externa sine verbo quidquam prosunt, nec Sacramenta dici possunt, nisi adhibeantur ad confirmandum verbum.

Adde quarto, certum esse illos, qui tempore Justini deferebant Eucharistiam ad absentes, non consuevisse in domibus eorum ritum Cœnæ celebrare, et eo modo Eucharistiam consecrare: nam Diaconi erant, non Sacerdotes, ut Justinus clarissimis verbis testatur. Diaconis autem nunquam licuisse Eucharistiam consecrare certissimum est, tum ex Concilio Nicæno supra citato, et ex Hieronymo in epist. ad Evagrium, aliisque Patribus, tum ex perpetua totius Ecclesiæ praxi. Quare necesse est, ut Kemnitius, aut rejiciat testimonium Justini, aut fateatur, non esse opus repetere consecrationem Eucharistiæ in domibus eorum, ad quos defertur, cujus tamen contrarium ipse affirmat loco notato.

Altera responsio Kemnitii complectitur alia testimonia Patrum, qui in hac re errasse videntur; quæ autem de iis dicit, ad quatuor capita revocari possunt omnia. Primum igitur dicit, posse illis ignosci, quia simpliciter erraverunt, ut Cyprianus dicit de iis, qui ex ignorantia in calice Dominico solam aquam ponebant lib. II. epist. 3. Secundo dicit, non defuisse alios antiquos Patres, qui contrarium sentirent, et proinde non fuisse universalem consuetudinem asservandi Eucharistiam. Et citat Clementem, Origenem, Isichium, Nicephorum, Concilium Matisconense II. Humbertum, et Gabrielem. Tertio dicit, consuetudinem, quæ alicubi fuit asservandi Eucharistiam, fuisse abrogatam postea, quia nimirum advertit

tandem Ecclesia, pugnare cum institutione Christi illam asservationem: citat autem pro hac abrogatione Concilium Toletanum, et Casaraugustanum. Denique quarto dicit, veteres, qui Eucharistiam asservabant, sine superstitione id fecisse, quia asservabant, ut manducaretur: nunc a Catholicis asservari superstitione, quia non ad manducationem, sed ad pompam, et gestationem, et adorationem, et alios ejusmodi fines alienos a Christi institutione, asservatur. Et hæc est summa verbosissimæ, et confusissimæ disputationis Kemnitianæ.

Ad primam partem hujus responsionis dico, valde dissimilem esse causam illam, de qua Cyprianus loquitur, ab hac nostra. Nam Cyprianus loquitur, de paucis quibusdam Sacerdotibus, qui ex simplicitate contrarium morem servabant in sacrificio celebrando ab eo, qui in tota servatur Ecclesia: quocirca merito illos reprehendit, et tamen ignosci vult eorum simplicitati. At doctrina, et consuetudo asservandæ Eucharistiæ, non a paucis, nec paucis tempore servata est, sed a Patribus omnium ætatum, et ab ipso Nicæno Concilio, et ab omni omnino Ecclesia. Quis autem ferat, ut post annos 1566. unus minister Brunsvicensis dicat se ignoscere Concilio Nicæno, plurimis Patribus, et toti Ecclesiæ Christi simpliciter erranti?

Ad secundam nego ulla esse testimonia contraria nostræ sententiæ. Clemens Romanus primo loco adducitur, qui in 2. epist. jubet, ut tot ponantur in altari holocausta, quot populo sufficere posse videntur: si quid autem supersit post Communionem, non servetur in crastinum, sed a clericis, absumatur. Respondeo, intelligi debere hunc locum exceptis his partibus, quæ servandæ erant pro Communionem infirmorum: nolebat enim nimis multum Eucharistiæ conservari. Porro ex ipso Clemente manifeste probo partem Eucharistiæ asservari debuisse: nam in illa secunda epistola non procul ab initio sic ait: « Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta divinatorum secretorum, Presbytero, Diacono, et Ministro, qui cum timore, et tremore reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inveniat, ne cum negligenter agitur, portio corporis Domini gravis inferatur injuria. » Hæc ille. At quæ custodia adhibenda esset, et quodnam periculum putredinis timeri potuisset, si nihil servandum fuisset? Idem

etiam Clemens lib. viii. Constit. cap. 13. alias 20. jubet peracta Communione, quod superest corporis Domini, a Diaconis in p-stophorium inferri, ut supra citavimus. Adde, quod Ivo Carnotensis par. 2. Decreti, et Burckardus lib. v. decreti inseruerunt decretum istud Clementis de consumendis reliquiis, in medio variorum decretorum, in quibus expresse jubetur Eucharistia asservari pro ægrotis : quod certe non fecissent, si decretum istud adversaretur asservationi hujus Sacramenti.

Secundo loco profertur Origenes, seu Cyrill. in cap. vii. Levitic. hom. 5. ubi sic ait : « Dominus panem quem discipulis dabat non distulit, nec differri jussit in crastinum. » Respondeo : Verum est Dominum non jussisse Eucharistiam a se consecratam differri in crastinum ; sed non potest inde colligi, non debuisse unquam postea Eucharistiam conservari : multa enim Dominus per se non jussit, quæ postea per Apostolos jussit, etiam circa Sacramentum Eucharistiæ, ut Augustinus testatur in epist. 118. Neque Origenes hoc agebat, ut probaret non posse Eucharistiam conservari, sed eum docere vellet, placere Deo sacrificium laudis recens, et novum, ac spirituale, non autem vetus, usus est exemplo Domini, qui Eucharistiam a se consecratam, continuo manducari jussit ; et illo etiam testimonio Evangelii, ubi Dominus prohibet portari panem in via, et altero testimonio ex lib. Josue, ubi Gabao-nitæ reprehenduntur, quod panes veteres attulissent, ut deciperent Israelitas. Et sane non vult Origenes ostendere, non licere nunc deferre panes in via, aut uti pane veteri ; sed simpliciter utitur illis exemplis, quatenus aliquo modo propositum ipsius adjuvant.

Tertio loco profertur Isichius lib. ii. in Levit. cap. 8. ubi dicit, morem esse Ecclesiæ comburendi id, quod superest ex Sacramento Eucharistiæ. Sed ibidem est solutio. Nam Isichius addit, non prohiberi asservationem Sacramenti per unum, vel duos, vel plures dies, sed comburi debere id, quod vel ob temporis diuturnitatem, vel alia de causa per manducationem consumi nequit : id quod expresse etiam cautum est in Concilio Aurelianensi, testibus Ivone et Burckardo locis supra citatis ; statuit enim Concilium, ut species corruptæ duntaxat comburerentur, non autem id quod per manducationem absumi potest. Vide Guitmundum lib. ii. et

Algerum lib. ii. cap. 1. qui docent, tunc solere absumi species Sacramentales igni, quando aliquid accidit, unde horror sit eas manducare : ignis enim est elementorum omnium purissimum.

Quarto profertur Nicephorus lib. xvii. hist. cap. 25. ubi refertur morem fuisse in Ecclesia Græca, ut reliquiæ Eucharistiæ darentur pueris innocentibus manducandæ : quod idem antea scripserant Evagrius lib. iv. hist. cap. 35. et Gregorius Turonicus lib. i. de gloria Martyrum cap. 40. Sed et hic nulla difficultas : loquuntur ii auctores de reliquiis, quæ nimirum superabundabant. Nam (ut supra diximus) non debent nimis multæ particule Sacramenti conservari, sed quot pro ægrotorum necessitatibus requiruntur. Quare non quotidie fiebat illa reliquiarum consumptio, sed solum feria quarta, vel sexta, quando videlicet renovabatur Sacramentum in pyxide. Et eadem responsio adhibenda est ad Concilium II Matisconense can. 6. ibi enim statuit, ut feria quarta, et sexta advocentur innocentes parvuli, et indicto eis jejunio, detur ipsis si quid ex Sacramenti particulis consumendum est.

Quinto profertur Humbertus in lib. contra Nicetam, qui reprehendit morem Græcorum, qui in Quadragesima, ut supra diximus, ex Concilio Trullano, utuntur præsanctificatis quotidie, excepto Sabbato, et Dominica. Verum Humbertus non reprehendit Sacramenti asservationem, sed quod Græci sacrificium Missæ ex illis præsanctificatis celebrarent : sacrificium enim vere fieri nequit, nisi panis consecretur, et consumatur.

Sexto profertur Gabriel Biel, qui lect. 36. in canonem Missæ sic ait : « Postquam corpus suum consecravit, non sistebat in consecratione. Neque dedit discipulis, ut ipsum honorifice conservarent, sed dedit in sui usum, dicens : Accipite, et manducate. » Respondeo : Hoc vere est impudenter tractare scripta Catholicorum auctorum, et velle per fas et nefas hæreticos facere eos, qui semper hæresibus fortissime fas restiterunt. Gabriel enim in isto ipso opere fortissime defendit sacrificium, et adorationem Eucharistiæ, et transubstantiationem, et alia id genus : ad quæ refellenda adversarii excogitarunt istam sententiam de præsentia Christi solum in usu cœnæ. Præterea exstant tres sermones ejusdem Gabrielis habiti in festo corporis Domini, in quo agitur cele-

berrima illa gestatio corporis Domini, in publica supplicatione. In loco autem citato Gabriel disputat de primario fructu, et usu Eucharistiæ, ac docet, multo amplius prodesse Eucharistiam, dum reipsa manducatur, quam dum in pyxide conservatur. Id quod verissimum est, et probatur a Gabriele ex verbis Domini, in quibus non fit mentio asservationis honorificæ, sed solius manducationis: inde enim manifeste colligitur, primarium fructum non consistere in asservatione, sed in manducatione.

Denique antiquissimus ille usus mittendi Eucharistiam Episcopis peregrinis in signum pacis, et Communionis, cujus meminit Irenæus apud Eusebium lib. v. histor. cap. 24. aperte indicat, Eucharistiæ usum non fuisse solam manducationem: nulla enim necessitas erat, qua cogeret Episcopos illos, vel in itinere communicare Dominico corpori, vel mox atque in urbem venissent.

Ad tertiam partem responsionis, nego fuisse unquam in Ecclesia Catholica abrogatam consuetudinem asservandi Eucharistiam. Concilium autem Toletanum I. can. 14. et Cæsaraugustanum can. 3. non prohibent asservari in Ecclesia Eucharistiam, sed jubent fidelibus communicantibus, ut in Ecclesia communicent, et non secum asportent venerabile Sacramentum, ut aliquando fiebat. Ratio autem hujus prohibitionis redditur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 20. ne videlicet abutantur aliqui tanto Sacramento ad veneficia, et alia hujusmodi scelera. Ex quo sequitur prohibitionem istam nihil facere contra sententiam nostram, sed eam potius mirifice confirmare. Nam si extra usum cœnæ non esset Sacramentum, neque corpus Domini, posset permitti cuicumque panis ille sanctificatus: neque enim periculum esset ullius sacrilegii, si extra usum Cœnæ nihil esset, nisi merus panis. Concilia igitur, quæ tam severe propter pericula sacrilegiorum prohibent Sacramenti asportationem, manifeste indicant etiam extra usum cœnæ verissimum permanere, tum corpus Domini, tum etiam Sacramentum.

Ad quartam partem responsionis brevissime respondeo, falsum esse, apud veteres non fuisse alium Sacramenti usum, quam ad manducandum: id quod patet ex testimoniis supra allatis. Nam Gorgonia soror Nazianzeni, ipso Nazianzeno teste in oratione de obitu Gorgoniæ, Sacramento Eucharistiæ

usa est ad inpetrandam a Deo corporalem sanitatem, Christi corpus in Sacramento adorando, invocando, oculis applicando. Satyrus, Ambrosii frater, eodem teste Ambrosio in oratione de obitu Satyri, eodem Sacramento ad collum appenso, usus est ad naufragium evitandum. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta mystagogica, monet communicantes, ut post communionem digito tangant labia sanctificata contactu corporis, et sanguinis Domini, et deinde eodem digito sanctificent per contactum oculos frontem, et alia membra. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. scribit a suis Presbyteris oblatum fuisse Deo sacrificium Dominici corporis ad curandum domum quamdam a dæmonum vexatione.

Deinde, falsum est etiam, quod Kemnitius dicit, apud nos non servari Eucharistiam ad manducationem, sed ad alios fines alienos ab institutione: nam, ut supra diximus, primarius finis servandi Eucharistiam semper fuit, et est, manducatio: servatur enim potissimum ob viaticum infirmorum. Interim autem dum non consumitur, nihil prohibet sumere ex eo alias utilitates, ut Patres fecerunt.

Denique quidquid de hoc sit, tota ista quarta pars responsionis extra propositum adducta est. Nam ad quæstionem quam tractamus, utrum extra usum manducationis, Eucharistia sit Sacramentum, et corpus Domini, impertinens est, in quem usum hoc Sacramentum conservetur. Quidquid enim sit de isto usu, evidenter probatur ex consensu veterum, Sacramentum permanere extra usum cœnæ, quandoquidem illud conservabant.

## CAPUT VI.

### *Explicatur quid proprie sit Sacramentum Eucharistiæ.*

Errore sectariorum confutato, nunc breviter explicabimus, quid sit Sacramentum Eucharistiæ. Est autem observandum, primo, Sacramentum tribus modis accipi posse. Primo, amplissimo vocabulo Sacramenti accepto pro omni signo rei sacræ. Secundo, paulo strictius pro signo rei sacræ sanctificantis animam. Tertio, proprie et strictissi-

me pro signo non solum significante, sed efficiente etiam animæ sanctitatem : quomodo vox Sacramenti non convenit nisi Sacramentis novæ legis proprie dictis.

Secundo observandum est, in Sacramento Eucharistiæ multa considerari posse, nimirum consecrationem, sumptionem, species panis, et vini, corpus, et sanguinem Christi : et denique ipsam Eucharistiam considerari posse, vel ut Sacramentum religionis, vel ut alimentum spirituale, vel ut pignus amoris divini, vel ut victimam, et sacrificium novæ legis. His autem fundamentis positis, res tota paucis propositionibus explicabitur.

Prima propositio : « Consecratio Eucharistiæ Sacramentum dici potest primo modo, non autem secundo vel tertio. » Nam signum est rei sacræ, nimirum corporis Domini, non tamen est signum, neque causa gratiæ sanctificantis animam.

Secunda propositio : « Sumptio Eucharistiæ Sacramentum dici potest secundo modo, non autem tertio. » Nam significat quidem illa externa manducatio internam manducationem, et refectionem, sed non est causa internæ illius refectionis : causa enim internæ refectionis, sive gratiæ interioris nos reficientis, non potest esse actio nostra, sed esse debet actio Dei per ministrum Ecclesiasticum. Itaque illa sumptio concurrit, ut conditio sine qua non applicaretur nobis, neque in nos ageret divinum hoc alimentum ; non autem ut causa proprie dicta.

Tertia propositio : « Solæ species panis et vini, non habent integram Sacramenti rationem. » Probatur : nam species illæ significant quidem cibum spirituales, sed non sunt ipsæ cibus spiritualis ; et proinde non reficiunt, nec sustentant animam, atque ideo non sunt causa gratiæ. Dominus enim Joan. vii. non de speciebus, sed carne, et sanguine dixit : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Deinde, Sacramentum Eucharistiæ excellit omnibus Sacramentis, et adoratur cultu patriæ, juxta illud hymni Ecclesiastici : « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui. » Atque species illæ neque excellunt aliis Sacramentis, imo sunt inferiores omnibus, cum sint pura accidentia, neque adorari possunt.

Denique SS. Patres ita loquuntur de hoc Sacramento, ut aperte indicent, se per hoc Sacramentum non intelligere solas species. Irenæus lib. 4. cap. 34. dicit, Eucharistiam

constare ex re terrena et cœlesti. Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis, et remis. cap. 24. dicit, Sacramentum Eucharistiæ recte lingua punica dici vitam, quia est panis vivus qui de cœlo descendit.

Quarta propositio : « Corpus Domini, et sanguis sine ordine ad species, non habet rationem Sacramenti. » Probatur : nam Sacramentum est signum externum, ac sensibile ; non est autem ejusmodi corpus Domini, et sanguis sine ordine ad species.

Quinta propositio : « Etsi tam species panis et vini, quam corpus, et sanguis Domini ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ pertineant ; ratio tamen Sacramenti magis convenit speciebus, ut continent corpus, quam corporis Christi, ut est sub speciebus. »

Hujus conclusionis intelligendæ gratia, observandum est, hoc interesse inter Sacramenta cætera, et Eucharistiam, quod alia constant ex elemento externo, et virtute divina illi impressa, ut possint esse signa, et causæ. Eucharistia constat ex elemento, seu speciebus externis, et corpore et sanguine Domini quæ sunt loco impressæ illius virtutis ; et hinc apparet singularis hujus Sacramenti excellentia, quod pro virtute eaque transeunte, quæ est in cæteris, hic est permanenter Christus ipse, qui est ipsa virtus, et potentia Dei. Hinc igitur habemus illa omnia esse de essentia : sed de modo loquendi dicimus Sacramentum Eucharistiæ debere potius dici species, ut continent corpus Domini, quam corpus, ut est sub speciebus. Nam ita loquitur Concilium Tridentinum ses. XIII. cap. 3. dicit enim hoc esse commune Eucharistiæ cum aliis Sacramentis, ut sit symbolum externum, et visibilis forma invisibilis gratiæ. At certe visibilem esse formam magis convenit speciebus, quam corpori Christi. Deinde in aliis Sacramentis licet concurrant signum externum, et virtus operativa, tamen nemo unquam dixit, Sacramentum esse virtutem operativam, ut est in signo, sed e contrario signum, ut est operativum ; et ratio est, quia in definitione Sacramenti signum est tanquam genus, virtus operativa, ut differentia : in instrumentis etiam naturalibus, nemo dicit gladium esse vim scindendi in ferro existentem, sed esse ferrum habens scindendi virtutem. Ita igitur Sacramentum Eucharistiæ sunt species corpus Domini continentes, non corpus Domini sub speciebus, si proprie loqui velimus.

Sexta propositio : « Ratio sacrificii, nec-

non pignoris, et alimenti divini, magis convenit corpori Domini, ut est sub speciebus, quam speciebus, ut continent corpus Domini. » Ratio perspicua est : Nam quod offertur Deo Patri, non sunt species panis, sed id quod in cruce fuerat oblatum : et similiter pignus amoris, et alimentum non in significatione, sed in re ipsa consistunt.

## CAPUT VII.

*De materia Eucharistiæ, sitne azymo pane, an fermentato Sacramentum conficiendum.*

Sequitur nunc, ut materiam Sacramenti hujus explicemus : de qua satis constat inter nos, et adversarios, panem triticeum, et vinum ex vite ad materiam assumendum esse, sed duæ restant controversiæ. Una circa panem ; altera circa vinum.

Prior controversia est, utrum panis azymus, an fermentatus esse debeat : quæ sane controversia, circa annum Domini 1053. est exorta, ut Leo Papa IX. testatur in epist. ad Michaëlem Episcopum Constantinopolitanum, cap. 5. Tunc enim primum Græci reprehendere cœperunt Latinos, quod azymum panem in Sacramento Eucharistiæ assumerent, unde etiam azymitas nos vocare ausi sunt ; in qua sententia ad hanc usque diem perseverant. Siquidem in censura, quam nuper edidit Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha ad Confessionem Lutheranorum cap. 10. quod est de cœna Domini, affirmat Christum fermentatum panem consecrasse, nec posse in azymo hoc Sacramentum confici, quod azymus non sit verus panis, quodque azyma ad Judaismi figuras pertineant.

Hæretici autem Lutherani, et Zwingliani non disputant de necessitate fermenti (quippe res etiam longe graviore pro adiaphoris habent) tamen, et verbis, et factis Græcorum consuetudinem Latinorum consuetudini anteponunt, atque fermentatum panem aptiorem esse censent ad Sacramentum conficiendum, quam azymum. Nam in primis Illyricus cum suis collegis centur. xi. cap. 8. describit schisma Græcorum et Latinorum propter quæstionem de azymo, sed ita describit, ut satis aperte victoriam Græcis tribuat. Deinde Joannes Calvinus lib. iv. Institut. cap. 17. §. 43. tria dicit. Primo, non multum referre azymone, an fermentato utamur. Secundo,

addit ex historiis constare, usque ad tempora Alexandri Papæ totam Ecclesiam pane fermentato usam. Tertio, dicit Alexandrum Papam instituisse, ut in azymo Sacramentum conficeretur, idque eum fecisse, non alia ratione, nisi ut novo illo spectaculo populum in admirationem traheret ; ubi satis aperte usum azymorum reprehendit. Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis Concilii Tridentini sess. xxii. cap. 7. Calvino assentitur, perinde esse uti azymo, vel fermentato, sicut perinde est uti vino albo, vel rubro. Denique Calvinistæ, fermentato pane utuntur Græcorum more, quod certe non facerent, nisi morem illum meliorem esse judicarent.

Quia vero præcipuum fundamentum, tum Latinorum, tum Græcorum est factum Christi (neque enim dubitari potest, quin illud sit melius, et faciendum, quod Christus fecit) ideo ista quæstio ab alia pendet, utrum Dominus Sacramentum instituerit primo die azymorum, quando fermentum inveniri non poterat in omnibus finibus Israel, an vero ante eum diem. Si enim Dominus Sacramentum instituit in primo die azymorum, certum erit, azymo pane usum fuisse in ejusmodi institutione. Nam Exod. xii. et xiii. præcipitur sub pœna mortis, ne fermentatus panis inveniatur in domibus, aut in ullo alio loco filiorum Israel. Si alio tempore instituit, res non erit omnino certa.

S. Thomas in iv. dist. 11. quæst. 2. art. 5. quæst. 3. scribit, quocumque tempore Christus Sacramentum instituerit, semper posse convinci in azymo Sacramentum institutum fuisse. Nam ante Sacramenti institutionem Pascha manducavit, ut omnia Evangelia testantur : Pascha autem sine azymis manducari non poterat, ut patet ex cap. xii. Exodi.

Et quidem S. Thomas recte judicavit, ab immolatione Paschæ incipere usum azymorum, sed tamen Græci nonnulli ex doctioribus contra sentiunt potuisse anteverti immolationem Paschæ, licet usus azymorum in reliquo victu non anteverteretur. Itaque Euthymius in comment. cap. xxvi. Matth. et post eum Nicephorus lib. i. hist. cap. 28. dicunt, Christum comedisse suum Pascha legale ante primum diem azymorum, et ideo manducasse quidem agnum Paschalem eo ritu, quem lex præscribat, id est, cum azymis, et cæteris rebus necessariis : tamen ea cœna legali finita, dimissis azymis rediisse ad panem communem, quo vesci licebat.



quia nondum advenerant dies azymorum, et proinde in pane communi, id est, fermentato Sacramentum instituisse. Duo enim præcepta distincta de azymo inveniuntur. Unum, ut agnus Paschalis, cum azymis comedatur. Alterum, ut septem diebus sola azyma edantur in quovis convivio. Dominus igitur ex Græcorum sententia servavit primum præceptum, quia ad illud obligabatur, cum agnum manducare vellet: secundum non servavit, quia nondum venerat tempus, quo illud obligare inciperet. Quare necessario quæstio ista disputanda est de tempore, quo Christus Sacramentum instituit, ut nullum omnino Græcis effugium relinquatur.

Sunt igitur de præsentia quæstione sententiæ quatuor. Prima est Græcorum, qui affirmant Dominum manducasse suum Pascha, et Sacramentum instituisse die 13. seu luna 13. mensis primi: sequenti autem die post Christi mortem ad occasum solis, incepisse tempus paschale Judæorum, et fermenti abjectionem. Ita docent Euthymius, et Nicephorus supra citati.

Est enim observandum apud Hebræos menses omnes numerari a novilunio, et idem esse apud eos primam lunam, secundam lunam, etc. et primum diem mensis, secundum diem mensis etc. Porro secundum legem Exodi XII. die 14. primi mensis, id est, die 14. a novilunio, post solis occasum, incipiebant dies azymorum, et durabant septem diebus, id est, usque ad diem 21. inclusive. Qui omnes dies erant Paschales, et azymorum dies vocabantur, tamen primus, et ultimus, id est, 15 et 21. soli erant solemnes, et festivi, ita ut non liceret in eis opera servilia facere, ut patet Levitic. XXIII. Dicunt ergo Græci feria 5. in Cœna Domini fuisse diem 13. mensis apud Hebræos; et proinde nondum incepisse tempus azymorum: feria autem 6. in qua Dominus mortuus est, dicunt fuisse profanum, non festivum sed illo ipso die post occasum solis cœpisse tempus azymorum, quia ille erat dies 14. et postea die Sabbati fuisse 15. diem, et solemnissimum.

Secunda sententia est Ruperti in commentario Levitic. cap. XXIII. et Matth. cap. XXVI. ubi docet Hebræos, ex quadam traditione Patrum suorum, nunquam solitos fuisse celebrare duos dies festos continuos, et ideo quando festum azymorum occurrebat feria sexta, ex illa traditione differri solitum in

Sabbatum sequens, sic tamen, ut celebratio Paschæ nunquam mutaretur. Ex quo colligit eo anno, quo Dominus mortuus est, die Jovis fuisse quidem 14. lunam, contra Græcorum opinionem, et ille ipso die ad vesperam, tum Dominum, tum Hebræos comedisse suum Pascha; diem autem Veneris non fuisse festum azymorum, sed diem profanum, ut etiam Græci volunt; sed profanum fuisse, quia secundum prædictam traditionem dilatum fuerit illud festum in diem Sabbati.

Hæc sententia Ruperti non solum falsa mihi videtur, sed etiam non respondet ad potissimum Græcorum fundamentum. Nam si dies azymorum incipiebant die Sabbati; ergo die Jovis ad vesperam post agnum paschalem manducatum cum pane azymo licebat ex sententia Græcorum, redire ad fermentatum, et illo uti toto sequenti die: non ergo convinci potest Sacramentum in azymo pane institutum secundum Ruperti sententiam, nisi prius ostendatur cum immolatione agni quodocumque illa fieret, cœpisse usum azymorum per septem dies continuandum.

Tertia sententia est Pauli Burgensis in additione ad Lyranum in commentario cap. XXVI. Matth. quem auctorem multi recentiores sequuntur. Et in iis est Calvinus, qui in illud Matthæi XXVI: *Scitis quia post biduum etc.* (1), ita hanc sententiam defendit, ut dicat nullo cavillo posse eludi ejus argumenta. Hæc sententia non differt a sententia Ruperti, nisi in eo, quod Rupertus dicebat ex traditione majorum differri festum azymorum aliquando in diem sequentem, celebrationem autem Paschæ nunquam mutari. Burgensis autem dicit utrumque differri, et inde colligit eo anno, quo Dominus mortuus est, Hebræos manducasse suum Pascha die Veneris ad vesperam, Christum autem die Jovis ad vesperam.

Cæterum hæc etiam sententia non probatur. Sciendum est enim mutationem illam dierum apud Hebræos ex traditione Patrum, quæ a multis annis viguit, et modo viget, non sic esse intelligendam, quasi dies 15. lunæ, seu mensis aliquando occurrat die Veneris, et ipsi tunc transferant festum in diem 16. id est, in Sabbatum: id enim falsum est, et absurdissimum. Sed qui Calendariis præsumunt apud Hebræos, ita accom-

(1) Matth. XXVI, 2.

modant novilunia, præsertim initio anni, ut nunquam accidat diem primum, et consequenter diem 15. primi mensis esse feria 2. vel 4. vel 6. et hoc est quod ipsi **לא ברך פסח** vulgo dicunt, id est, non contingit Pascha die 2, 4 et 6. Neque videtur mala ista consuetudo: neque pugnat aperte cum lege præcipiente festum azymorum celebrari die 15. secundum calculum astronomicum, paucissimis notum, sed secundum computum communem et vulgarem Kalendariorum totius populi: secundum computum autem vulgarem communium Kalendariorum, semper illud servatur, ut festum azymorum agatur die 15. mensis. Neque absimilis est apud nos consuetudo, qui pro termino Paschali habemus lunam 14. post æquinoctium vernum, et tamen in æquinoctio, et in ipsa luna 14. inveniendis non observamus motum verum solis et lunæ, sed observamus dies in Kalendario notatos, qui non raro nonnihil discrepant a vero motu: sed aliter fieri non potest, si certa aliqua regula tenenda est. Imo ante correctionem Kalendarii Gregorii XIII. jussu factam, distabat dies æquinoctii in Kalendario positus ab æquinoctio vero totis decem diebus, et novilunia in Kalendario notata distabant quinque diebus a veris noviluniis, et tamen melius erat Kalendarium illud quamvis incorrectum sequi, quam nullam habere communem regulam festorum inveniendorum. Ex quo sequitur, quod si tempore Christi fuisset tale Kalendarium, quale modo Hebræi habent, non fuisset licitum, nec liberum ulli aliter festos dies celebrare, nec etiam prætextu errantis Kalendarii: alioqui debuisset quisque sibi suum Kalendarium fabricare, et suo modo numerare dies mensium, quod intolerabile fuisset, et aperte malum et illicitum.

Quare posita hac sententia, necessario dicendum esset Christum manducasse agnum paschalem die 13. mensis, ut dicunt Græci, idque fecisse, non ut mutaret ordinem festorum, sed ut quoquo modo (licet extra tempus) manducaret agnum paschalem, quia sequenti die erat moriturus, et non poterat cum cæteris agnum comedere: proinde non tenebatur ad usum azymorum (nisi in comestione agni paschalis) quia nondum venerant dies azymorum, et idcirco potuisse in fermentato Sacramentum instituere. Vides

igitur ex hac sententia fundamentum Ecclesiæ Latinæ funditus tolli.

Quarta sententia est communis Theologorum in 4. dist. II. Christum Sacramentum instituisse illo ipso tempore, quo secundum legem, et secundum Hebræorum (qui tunc vivebant) consuetudinem abjiciebatur fermentum ex toto Israele, ita ut non licuerit ullo modo eo uti, qui erat dies mensis primi 14. illo enim die ad vesperam inchoabantur azymorum, et sequens dies 15. erat dies solemnus azymorum. Quæ sententia verissima est, et sola Græcos evidenter convincit: quocirca breviter probanda est, et simul omnes aliæ refellendæ.

## CAPUT VIII.

*Probatur Christum instituisse Sacramentum 14. die mensis secundum legem, et secundum morem Hebræorum.*

Igitur probatur ex textu omnium quatuor Evangelistarum. Matthæus cap. xxvi. sic ait: *Prima die azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marcus cap. xiv. *Prima autem die azymorum, quando Pascha immolabant.* Lucas cap. xxii. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha* (1). Hæc loca refellunt tres superiores sententias.

Ac primus Græcorum error manifeste refellitur: nusquam enim in tota Scriptura dies primus azymorum dicitur dies 13. mensis, sed solum 14. vel 15. ut patet ex libro Exod. cap. xii. et xiii. et Levit. cap. xxiii. ex Num. cap. xviii.

Respondent Græci aliqui, referente S. Thoma in iv. dist. xi. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. tres Evangelistas errasse, et a Joanne correctos fuisse. At hæc ingens blasphemia est. Et deinde si Evangelistæ inter se non convenissent, quod tamen fieri nequit, cur potius uni crederemus, quam tribus?

Euthymius et alii modestiores respondent, Evangelistas loqui de die azymorum, non qui jam aderat, sed qui proximus erat: id enim volunt significare illud Lucæ: *Venit*

(1) Matth. XXVI, 17; Marc. XIV, 12; Luc. XXII, 7.

*dies azymorum*, id est, imminet, seu propinquat. Refellitur hæc expositio. Primo, quia si ita esset, Christus prævaricatus esset legem, et potuisset juste accusari, et certe Hebræi si hoc illi objicere potuissent, non tantum laborassent in quærendis falsis testibus.

Respondet Euthymius legem non prohibuisse anticipari, sed solum postponi diem Paschæ. Sed qui præscribit, ut aliquid certo die fiat, simul præscribit, ut non fiat ante, neque post. Præscripsit autem lex, et sæpissime repetivit, ut die 14. ad vesperam fieret Pascha; non ergo licuit id facere die 13. alioqui etiam licuisset die 10. vel etiam 1. Adde, quod lex permisit Pascha celebrari post unum mensem, modo servaretur idem dies 14. ut patet ex cap. ix. Numeri. Anticipati posse diem, aut mensem Paschæ, nullo neque præcepto, neque exemplo probari potest.

Dicent fortasse quod ait Joannes Hentenius in præfatione Euthymii, et alii qui sequuntur Burgensem, Christum agisse suum Pascha ita secreto, ut nemo sciverit præter Apostolos, et patremfamilias, in cujus domo Pascha fiebat; atque ita non fuisse periculum, ut accusaretur. At numquid Judas proditor, qui cœnæ interfuit, et mox a cœna cucurrit ad principes sacerdotum, non potuisset id Judæis indicare? Verum igitur est, quod ait Chrysostomus homil. 85. in Matthæum, Christum usque ad mortem servasse legem Mosis, et Pascha suo tempore legitime celebrasse. Neque juvat Euthymium quod Lucas dixerit: *Venit dies*. Nam refellitur hæc falsa expositio ex Matthæo et Marco, qui non dicunt, Venit dies azymorum; sed aiunt, primo die azymorum Apostolos Christo dixisse: *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?*

Accedit quod omnes ferme Patres, et maxime Græci dicunt, Christum 14. die Pascha celebrasse, Origenes tract. 35. in Matth. ubi aperte dicit, luna 14. Christum fuisse captum. Chrysostomus homil. 83. in Matt. dicit, Christum comedisse illo die, quem lex præcipiebat. Idem habet etiam Theophylactus, Theophilus Alexandrinus apud Bedam libro de ratione temporum, cap. 57 et 59. et Theodoretus quæst. 21. in Exod. et ex Latinis Tertullianus lib. contra Judæos, Cyprianus in sermone de cœna Domini, Am-

brosius in epist. 83. Hieronymus in cap. 26. Matth. Augustinus in epistol. 86. ad Casulanum, et Beda lib. de temporum ratione, cap. 61.

Præter hoc argumentum ex tribus Evangelistis, et tot Patrum sententiis, habemus aliud argumentum ex Joanne, quem Græci se profitentur sequi. Nam S. Joannes, affirmat diem passionis Christi, id est, sextam feriam fuisse illo anno solemnem, ac festam, ex quo necessario sequitur, ut die præcedente agnum comederint. Joan. XIII. *Ante diem festum sciens Jesus quia venit hora, etc.*(1). Hoc dixit Christus pridie passionis; ergo dies passionis, erat dies festus. Sed quia possent Græci tergiversari, ut faciunt, ac dicere loqui eum de festo futuro die Sabbati, non de festo immediate consequente eam ipsam noctem feriæ quintæ, in qua Dominus loquebatur; additur ibidem, quod cum Judæ Dominus dixisset: *Quod facis, fac citius*; ille exivit continuo, cum jam nox esset: et Apostoli putarunt, dictum illi esse, ut emeret, quæ necessaria erant ad diem festum. At quomodo suspicari poterant tanta festinatione opus esse in parandis ad festum necessariis, si adhuc supererat totus dies sequens ante festi solemnitatem?

Præterea Joan. XVIII. Hebræi dicunt Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam* (2); quod significat non licuisse id eis ob festum, quod tunc agebatur, ut exponunt Chrysostomus homil. 82. in Joann. et homil. 86. in Matth. Cyrillus lib. XII. in Joan. cap. 6. Augustinus tract. 114. in Joan. Beda in cap. XVIII. Joan. et alii. Nam alioqui licuisse eis alio tempore blasphemos occidere, patet ex Actor. VII. ubi Stephanum in Concilio judicatum publice lapidarunt; et Actor. 24. conqueruntur apud Felicem Præsidem Syriæ, quod volentibus Paulum secundum suam legem interficere, tribunus Lysias violenter eum eripuerit de manibus ipsorum.

Quod autem Jansenius dicit, et quidam alii, potuisse Hebræos occidere reos mortis secundum legem suam, sed non potuisse crucifigere, nimis improbabile est. Nam nec Hebræi solliciti erant præcipue de cruce, sed de morte Christi in genere, unde, eundem aliquando præcipitare, aliquando lapidare voluerunt: nec est ulla ratio, cur eis licuerit occidere, et tamen non licuerit crucifigere.

Adde, quod illa verba subjuncta (*ut sermo*

(1) Joan. XIII, 1. — (2) Joan. XVIII, 31.

*Jesu impleteretur*) non quadrant nisi in nostram expositionem; nam Dominus prædixerat se a Gentilibus crucifigendum; quæ vera et mirabilis prophetia fuit, si Hebræis etiam occidere licebat. Nam si eis id non licebat, facile erat prædicere se non occidendum, nisi a Gentilibus, et illo supplicio. quod erat apud Gentiles frequentissimum.

Denique Joan. XIII. Pilatus ait : *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum* (1). Hinc ergo apparet, jam tunc agi cœpisse dies paschales: et clarius Matth. XXVII. vocatur idem dies solemnus, et Marci XV. et Luc. XXIII. vocatur aperte dies festus.

Accedunt ad hæc testimonia Patrum, qui dicunt Christum occisum fuisse ipso die solemnus Hebræorum. Vide Tertullianum in lib. contra Judæos, Origenem homil. 23. in Numer. Clementem Romanum lib. v. constitut. cap. 14. alias 16. Epiphanium hæresi 70. Theophilum Alexandrinum in epist. ad Theodosium apud Bedam de ratione temporum, cap. 57. Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 13. Chrysostomum homil. 86. in Matth. Augustinum tract. 10. in Joan. Socratem lib. v. hist. cap. 21. Leonem sermone 7. de Paschate. Bedam in cap. XVIII. Joannem Anselmum in cap. XXVI. Matth. et Victorem Antiochenum nuper versum ex Græco in cap. XIV. ubi dicit Hebræos libenter diem festum, qui occurrebat illo anno feria sexta, fuisse translaturus in alium diem, si per legem id eis licuisset.

Jam secunda opinio, quæ Rupertus erat, ex iisdem Scripturæ testimoniis confutatur. Nam si die Jovis, in quo Dominus Sacramentum instituit, erat primus dies azymorum, ut Evangelistæ tres disertis verbis affirmant, necessario sequitur, ut festum azymorum fuerit illo anno die Veneris, non die Sabbati.

Est enim observandum aliter dies festos, aliter dies naturales apud Hebræos considerari. Nam dies festi incipiunt ab occasu solis, et desinunt in occasum solis, ut patet Levit. XXIII. proinde festus dies azymorum continetur nocte sequente diem 14. et die toto artificiali 15. Dies autem naturalis, et ordinarius incipit ab ortu solis, et desinit in ortu solis, proinde continet diem et noctem artificialem, non autem noctem et diem artificialem. Id patet ex principio Geneseos:

illud enim : *Factum est vespere, et mane dies primus*, ut exponunt Ambrosius et Basilius, et alii in eum locum, significat ex die artificiali, qui terminatur in vespere, et ex nocte sequente, quæ terminatur in mane, factum esse primum diem. Ex quo facile conciliari possunt verba trium prædictorum Evangelistarum, qui vocant primum diem azymorum diem 14. mensis, cum verbis Mosis in Exodo, Levitico et Numeris, qui semper primum diem azymorum vocat diem 15. mensis. Nam cum dies primus azymorum quatenus festivus, ut diximus, continueatur posteriore parte diei 14. et priori parte die 15. accipiendo dies modo ordinario, seu naturali, potest dies azymorum ut festivus, per intellectionis figuram vocari tam 14. ut Evangelistæ faciunt, quam 15. ut Moses facit.

Ex his autem refellitur opinio Rupertus, Nam si dies 14. ut Evangelistæ dicunt, erat primus azymorum, nimirum ex parte, necesse est, ut etiam 15. dies esset primus azymorum pro alia parte. Ergo non potuit transferri in diem 16. ut ipse vult: nisi forte velit (quod est absurdissimum) mediam partem solum illius diei solemnus translata fuisse.

Adde præterea rationem cur debeat fieri illa translatio, quam Rupertus reddit, esse prorsus vanam. Affirmat enim ipse transferri diem primum azymorum in Sabbatum, quando occurrit feria sexta, ne sint duo festa continua, nimirum primus azymorum, et Sabbatum: et non advertit, in idem incommodum se incidere ex ista translatione. Nam dies septimus azymorum est æque solemnus ac primus, ut patet Levit. XXIII. Si autem dies primus ponatur in Sabbato, ut ipse vult, tunc septimus ponetur feria sexta, atque ita erunt duo dies festi continui, septimus azymorum, et dies Sabbati.

Denique contra Rupertus sententiam pugnant omnia testimonia Scripturæ, et Patrum, qui dicunt, diem mortis Christi fuisse festum, et solemnem illo anno apud Hebræos.

Resta sententia Burgensis refellenda ex iisdem Evangelii locis, et quidem facile refellitur. Nam cum dicunt Evangelistæ primo die azymorum Christum comedisse Pascha, vel loquuntur de primo die azymorum secundum ordinariam consuetudinem, et Kalendaria Synagogæ, vel non. Si detur primum,

(1) Joan. XVIII. 39.

tum refutata manet Burgensis opinio; nec enim verum erit, quod ipse ait, alio die Christum, alio die populum Hebræorum Pascha comedisse. Si autem detur secundum repugnabit Marcus, qui ait: *Prima die azymorum, quando Pascha immolabant*; id enim significat Hebræos eo die Pascha immolare.

Sed respondent qui Burgensem sequuntur, illud (*immolabant*) vel referendum esse ad morem legitimum, ut sensus sit, quando Pascha secundum legem immolari debebat, vel etiam ad aliquos paucos perfectiores, qui reipsa immolabant in die legitimo, non curantes Pharisæorum traditionem.

At neutrum horum recte dici potest. Primo, quia etiam si facta esset illa mutatio, debuissent omnes etiam optimi viri illam mutationem sequi. Nam ut supra ostendi, non erat contra legem Dei, sed erat accommodatio quædam Kalendarii prudenter facta: unde merito ut schismatici, et ut inobedientes synagogæ puniri potuissent, qui secus fecissent.

Secundo, falsum est tempore Christi fuisse illam traditionem in usu, ut numquam festum azymorum celebraretur die 2, 4, vel 6, est enim traditio illa multo recentior. Atque hoc est, quod decepit plurimos scriptores modernos, alioqui eruditissimos: crediderunt enim omnes Burgensi tanquam in sua arte perito: nam et ipse Rabius Hebræorum fuerat. Esse autem falsum, traditionem illam tempore Christi in usu fuisse, probo. In primis Rabbi Abenezra in commentario Levitici, cap. xxiii. disertis verbis affirmat hanc traditionem non solum non fuisse ab initio secundi templi, ut multi fabulantur, sed nec fuisse eo tempore, quo fiebat Thalmud. Nam et in Misna, et in Thalmud, ut ipse dicit, invenitur Pascha in כּוּר, id est die 2, 4, et 6, constat autem Thalmud confectum fuisse aliquot annorum centuriis post passionem Christi.

Præterea S. Epiphanius, qui etiam Hebræus fuerat, et optime noverat linguam, et ritus Hebræorum, hæresi 30. Ebionitarum, et hæresi 51. Alogorum, dicit festum azymorum apud Hebræos incidere in quamlibet diem hebdomadæ, etiam in 2, 3, et 4. Neque dici potest, Epiphanium loqui de festo azymorum secundum legem, et non secundum consuetudinem, quæ erat tempore suo, aut tempore Christi. Nam loquitur de consuetudine, quæ erat tempore Christi: explicat enim illud Luc. vi: *Factum est in Sabbato*

*secundo primo, et Apostoli ibant per sata, et vellebant spicas etc.* ac dicit, Sabbatum secundo primum, non vocari septimam diem, quæ est Sabbatum naturale, sed festum azymorum, in quo dies erant solennes, et Sabbata vocabantur, nimirum primus dies azymorum, qui dicitur Sabbatum primum, et 7. dies azymorum, qui dicitur Sabbatum secundum, seu secundo primum, qui est æqualis primo, ut apud nos dies octavus in festis quæ habent octavam, quia est sollemnis sicut primus, vocari posset dies festus secundo primus. Dicit igitur Epiphanius, diem illum, in quo Apostoli vellebant spicas, non fuisse Sabbatum naturale, sed alium diem hebdomadæ, nimirum 2, 3, et 4, aut quemvis alium, in quem forte inciderat illo anno 7. dies azymorum.

Præterea est aliud argumentum omnino convincens, quod hoc syllogismo comprehendendi potest. Ecclesiæ Asiaticæ initio nascentis fidei celebrabant Pascha eodem die, quo Hebræi sui temporis. Eadem Ecclesiæ celebrabant Pascha luna 14. primi mensis, quacumque die hebdomadæ luna illa incidisset, idque sine nullo dierum discrimine, vel exceptione; ergo etiam Hebræi illius temporis Pascha celebrabant quolibet hebdomadæ die sine ulla exceptione. Ergo festum azymorum incidere poterat in diem 2, 4, et 6, et proinde nondum cœperat eo tempore illa traditio Judaica, neque adhuc fuerat auditum illud פּמַה כּוּר לָא, igitur tempore Christi non fuit illa traditio. Propositio hujus argumenti certissima est, habetur enim expresse in epistola Nicæni Concilii, quam refert Theodoretus lib. histor. i. cap. 9. et in epistola Constantini ex eodem Concilio ad Ecclesias missa, quæ exstat apud Eusebium lib. de vita Constantini, cap. 17. Idem fatetur Polyerates apud Eusebium lib. v. histor. cap. 23. Tertullianus in lib. de Synodis Arimini et Selenciæ, Epiphanius hæresi 50. Tessarescedecaltarum, et 70. quæ est Andianorum, ubi sæpius repetit, Asianos illos celebrasse Pascha quando Judæi celebrabant, ita ut non computarent ipsi dies, et menses, sed tantum observarent tempus, quo Judæi sui temporis, azyma incipiebant. Denique idem habet Augustinus lib. de hæresibus, cap. 29. Assumptio ejusdem argumenti non minus est certa. Nam Eusebius lib. v. hist. cap. 22. dicit Asianos Pascha celebrare solitos quolibet die hebdomadæ. Augustinus libro de hæresibus, cap. 29. addit, quolibet septem

dierum. Philastrius in lib. de hæresibus, cap. de hæresi de festo Paschæ, adhuc expressius dicit, eos Pascha celebrare etiam die 2. vel 4. vel 6. quibus diebus non fuisset celebratum, si esset vera Burgensis opinio.

Præterea est argumentum huic non dissimile. Epiphanius hæc. 70. Audianorum, Theophilus in epist. ad Theodosium apud Bedam de ratione temporum, cap. 57. Ambrosius epistola 83, ad Episcopos Æmiliæ, et Beda de ratione temporum, cap. 59. ponunt aliud discrimen inter Pascha Christianorum et Judæorum, ac Judaizantium, quod Pascha Christianorum non solum non fit luna 14. si illa venerit extra Dominicam, sed neque si venerit in Dominica. Quando enim id accidit, ut luna 14. venerit in Dominica, tunc exspectamus sequentem Dominicam, et Pascha celebramus luna 21. At Judæi, et Judaizantes, in ipsa 14. luna celebrabant, etiam si esset Dominica; quare aliquando fiebat ( ut notat Beda ) ut per integram hebdomadam distarent Paschata, et Christiani eo die inciperent, quo Judæi finiebant. Ex hac autem observatione manifeste sequitur, Pascha Judæorum tempore illorum Patrum aliquando incidisse in Dominicam diem, et diem festum azymorum in diem lunæ, ac per hoc nondum cœpisse traditionem illam Judaicam, quæ cavet, ne die Lunæ, Mercurii, et Veneris festum azymorum celebrare liceat.

Adde his omnia testimonia Scripturæ, et Patrum supra citata, quibus probavimus in die Passionis Domini fuisse Hebræis diem festum, ac solemnem: inde enim necessario sequitur, ut eodem die tum Christus, tum Hebræi Pascha celebraverint.

## CAPUT IX.

*Solvuntur argumenta Græcorum, et aliorum, qui quocumque modo eis favent.*

Restat nunc, ut argumenta Græcorum, et eorum qui eis favent, breviter diluamus. Argumenta ducunt primum ex Scripturis, Deinde ex Patribus. Postremo ex ratione.

Primum testimonium Scripturæ, Matth. xxvi. *Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo* (1). Respondeo

Fuit illa quorundam sententia in eo Concilio, sed non obtinuit: prævaluit enim eorum sententia, qui judicarunt non esse negligendam occasionem Christum necandi quocumque tempore.

Secundum testimonium Marci xv. Joseph mercatus est sindonem, et Luc. xxiii. mulieres paraverunt aromata. Ibidem Judæi egerunt causam criminalem contra Christum, et eum comprehenderunt, examinerunt, etc. Quæ sane in die festo licita non erant: nam Levit. xxvi. in festo azymorum prohibentur omnia opera servilia. Respondeo: In festo prohibentur opera servilia, sed non opera pietatis et charitatis, et maxime necessaria. Sepelire autem mortuos, opus charitatis est, non opus servile; et proinde etiam aromata parare, sindonem emere ad corpus sepeliendum, non potuit esse prohibitum, præsertim cum opus illud differri non posset, imminente jam Sabbato. In Sabbato enim major quies præcipiebatur, quam in ullo alio festo. Unde in Sabbato neque ignis accendi poterat, neque cibi præparari: quæ licita erant in aliis festis, etiam in Paschate, ut patet cap. xii. Exodi. Quod autem attinet ad Judæos, qui causam criminalem egerunt, non erant illi tam delicatæ conscientiæ, ut putarent id fieri non posse: satis existimabant se detulisse honoris diei festo, quod non suis manibus Christum lapidarunt.

Tertium testimonium Joan. xiii: *Ante diem festum Paschæ* (2). Respondeo: Loquitur de die artificiali, ut supra diximus. Etsi enim in illa nocte, in qua Dominus loquebatur, festum Paschæ inciperet, tamen dies festus erat is, qui sequebatur eam noctem, non qui præcesserat: quemadmodum et nos solemus in vespera Sabbati sancti dicere: *Cras erit festum Paschæ*; licet jam cœperit festum celebrari in officio Ecclesiastico.

Quartum testimonium Joan. xviii: *Ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* (3). Respondeo: Omissis aliis solutionibus, pascha vocatur eo loco non agnus paschalis, qui solum 14. die ad vesperam immolabatur, sed victimæ paschales, quæ ex ovibus, et bobus quotidie in diebus Paschæ immolabantur. Deuteron. xvi. *Immolabis Pascha Domino Deo de ovibus, et bobus in loco, quem elegerit Dominus.* II Paralipom. xxxv. *Dederunt sacerdotibus ad faciendum Pascha pecora duo millia et*

(1) Matth. XXVI, 5. — (2) Joan. XIII, 1. — (3) Joan. XVIII, 28.

*boves sexcentos* (1). Josephus lib. III. antiquit. c. 13. referens id quod habetur Num. XXVIII. de immolatione duorum vitulorum, arietis, et hirci, et septem agnorum, quæ fiebat singulis diebus Paschæ: dicit vitulos, arietem, et agnos holocausta fuisse, sed hircum fuisse sacrificium pro peccato, et ex eo quotidie parari solitum epulum sacerdotibus. Illa igitur victima paschalis, quæ edenda a sacerdotibus erat, est illud Pascha, de quo loquitur S. Joannes, cum ait: *Ipsi, nimirum Pontifices, non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* (2). Nam non licuisse Sacerdotibus, nisi purificatis, edere sacrificia, patet Levit. XXII.

Quintum testimonium Joan. XIX. *Erat autem Parasceve Paschæ hora quasi sexta*. Respondeo: Parasceve non erat apud Hebræos, nisi propter Sabbatum: siquidem ante Sabbatum necessaria erat Parasceve, id est, præparatio ciborum, quia in Sabbato cibi parari non poterant. Quare Joan. XIX. sic legimus: *Propter Parasceven Judæorum, ut non remaneret in eruee corpora Sabbato: erat enim magnus dies ille Sabbati* (3). Ubi vides, Parasceven fuisse non ad Pascha, sed ad Sabbatum, quod illo anno celebrius erat, et magnum Sabbatum dicebatur, quia incidebat intra hebdomadam paschalem, quæ tota solemnis erat, licet primus, et ultimus dies solemniore essent. Hinc etiam Marcus cap. XV. ita illud idem expressit: *Erat Parasceve, quod est ante Sabbatum*, et Lucas cap. XXIII. inquit, *Erat autem Parasceve, et Sabbatum illucescebat*. Illud igitur Parasceve Paschæ non significat Parasceven ad Pascha, sed Parasceven in Paschate occurrentem: quomodo si nos diceremus, Erat feria 6. Paschæ.

Ultimo, proferebant olim Græci teste Anselmo illud Amos IV: *Sacrificate de fermentato laudem*, vel ut vertit Aquila: *Sacrificate de fermentato Eueharistiam*. Respondeo: Testimonium hoc, testimonium est imperitiæ, vel impudentiæ Græcorum. Nam propheta illa dicit irridendo, et reprehendendo Hebræos, qui pro Deo idola colebant, et pro azymis fermentum offerebant. Sic enim præcedit: *Venite ad Bethel, et impie agite: ad Galgalam, et multiplicare prævaricationem etc.* (4). Vide Hieronymum, et Rupertum in hunc locum prophetæ. Atque hæc sunt quæ ex Scripturis proferre solent.

Jam ex Patribus nonnulli proferuntur, quorum testimonia breviter explicanda sunt. Primo S. Irenæus lib. IV. cap. 23. dicit, Mosen Deuteronom. XVI. prædixisse Christi passionem, quoad locum, cum ait, immolandum esse agnum paschalem in loco, quem elegerit Dominus, id est, in Hierusalem; quoad diem, cum nominavit diem Paschæ; et quoad horam, cum dixit ad vesperam esse immolandum. Ex his nonnullis colligunt, Christum occisum esse secundum Irenæi sententiam luna 14. quando agnus immolari solebat, et proinde cœnam Domini celebratam luna 13.

Respondeo: Quæ dicit Irenæus verissima sunt, sed nihil faciunt pro adversariis: nam Christus occisus est in Hierusalem: item in die Paschæ, quamvis luna 15. non 14. Nam (ut supra diximus) primus dies Paschæ incipiebat in vespera diei 14. et durabat usque ad vesperam diei 15. Denique occisus est ad vesperam, quia obiit hora nona, quæ est hora vespertina. Adde, quod Irenæus per vesperam, non tam intellexit vesperam diei, quam vesperam mundi: dicit enim per vesperam, non significasse Mosem temporum extremitatem; ad quem modum exposuerunt illud, *ad vesperam*, etiam Cyprianus lib. II. epist. 3. et Ambrosius epist. 3.

Secundo objicitur Tertullianus, qui in lib. *contra Judæos* sic ait: «Hoc enim et Moyses initio primi mensis novorum facturos vos prophetavit, cum omne vulgus filiorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum.» Ubi loquitur de Christi passione, ac dicit, prædictum fuisse, ut Christus occideretur illo tempore quo agnus immolabatur: constat autem agnum immolari solitum luna 14. ad vesperam.

Respondeo: Significat Tertullianus illa ipsa die, qua agnus immolabatur, Christum immolandum, et hoc impletum est: non (ut supra diximus) dies prima Paschæ extendebatur usque ad vesperam feriæ sextæ. Non autem significat eadem hora præcise fuisse immolandum Christum, qua agnus immolabatur; id enim fieri non poterat. Nam agnus immolabatur post occasum Solis, et Christus immolandus erat in meridie. Et præterea si die Veneris ad vesperam fuisset agnus immolandus, ut adversarii tunc non fuisset Christus occisus in Paschate: nam ipse occi-

(1) Deut. XVI, 2; II. Paral. XXXV, 8. — (2) Joan. XVIII, 28. — (3) Joan. XIV, 21; Joan. XIX, 14. — (4) Amos. IV, 4

sus fuit ante occasum solis; Pascha autem incipiebat post occasum solis. Denique occisionem Christi non peractam, nisi die 15. apertissime ibidem Tertullianus docet, cum ait, fuisse diem illum Hebræis festivum; et de illo exponit verba Amos 8. *Occidet sol in meridie, et convertam diem festum vestrum in luctum etc.* (1).

Tertio objicitur Epiphanius, qui hæresi 50. sic ait: « Oportebat Christum in decima quarta die immolari secundum legem. » Quod si dies passionis Christi fuit 14. certe sequitur (ut Græci volunt) diem cœnæ Domini fuisse 13.

Respondeo: Loquitur Epiphanius de immolatione Christi non in se, sed in typo et figura, ac si clarius dixisset, oportuisse agnum, qui figura Christi erat, immolari luna 14. ad vesperam. Nam ideirco addidit, « secundum legem »; reprehendit enim eo loco Epiphanius Quartadecimanos judaizantes, ac dicit, eos multum detrimenti accipere ex eo, quod celebrant Paschâ decima quarta die cum Judæis, et non potius die Dominico cum Christianis; et rationem reddit, quia immolatio Christi, typica nimirum, quæ fiebat secundum legem die 14. significabat Synagogam lumen suum amissuram Christo veniente. Nam dies 14. est ultima incrementi ipsius lune; peracta autem die 14. incipit luna lumen deficere, nimirum in die 15. Itaque Judæi cum agnum immolabant luna 14. ad vesperam, obscurationem suam prophetabant: ejus obscurationis participes fiunt quotquot eos in Paschæ celebratione imitari maluit, quam Ecclesiam Christi. Hæc est eo loco sententia Epiphani, ejus auctoris apertissima testimonia pro nobis supra retulimus.

Quarto objiciunt Chrysostomum homil. 82. in Joan. ubi duo dicit. Primum est, Christum comedissee summ Pascha pridie, quam illud comederint Judæi. Alterum, Christum prævenisse unum diem in cœna manducanda, ut reservaret mortem suam Paraseeve, quando etiam olim fuit Pascha. Ex quibus colligitur secundum Chrysostomum diem Paraseeves, in quo Dominus necatus fuit, fuisse lunam 14. in qua Pascha secundum legem celebrari debuit. Similia omnino scribit Theophylactus in can. 18. Joan.

Respondeo: Hic locus Chrysostomi et Theophylacti explicandus est per alium co-

rumdem auctorum. Nam Chrysostomus homil. 85. in Matthæum, et Theophylactus in cap. xxvi. Matth. scribunt, Principes sacerdotum tota nocte occupatos fuisse in negotio mortis Christi procurandæ, et ideo non potuisse cum cæteris debito tempore pascha manducare, nimirum in nocte feriæ quintæ, sed distulisse cœnam illam agni Paschalis in sequentem diem. Ubi etiam addunt ii auctores in hac re prævaricatos esse legem Dei Principes illos sacerdotum, quod Pascha non egerint tempore debito, et hoc modo exponunt locum illum: *Ipsi non introierunt, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*, Joan. xviii. Hinc ergo intelligendum est in testimonio nobis objecto, cum Chrysostomus et Theophylactus dicunt, Christum comedissee Pascha pridie, quam illud ipsi comederint, non significare, Pridie, quam populus Judæorum, sed solum pridie quam sacerdotes illi, qui in nece Christi tota nocte occupari fuerant. Itaque Dominus manducavit illa nocte, quæ omnes alii communiter manducabant.

Deinde quod Chrysostomus et Theophylactus addunt, Christum prævenisse unum diem, ut servaret mortem suam in Paraseeven, quando etiam olim Pascha fuerat, duobus modis exponi potest. Primum, ut illud (*quando etiam olim Pascha fuerat*) non referatur ad Paraseeven, sed ad præcedentem diem; ut sensus sit: Christus prævenit uno die Principes Judæorum in Pascha edendo, ut cædem suam servaret in Paraseeven. Ipse enim Pascha manducavit pridie Paraseeves, id est, luna 14. quando etiam olim Pascha fuit: et secundum hanc expositionem nulla remanet difficultas.

Secundo dici potest illud (*quando etiam olim*) referri ad Paraseeven: sed Chrysostomum non loqui de Pascha, ut Pascha significat immolationem agni, ut false Græci existimant, sed ut significat festum Paschæ. Quare hic est eorum verborum sensus: Christus in manducando agno paschali prævenit uno die principes illos sacerdotum, et proinde manducavit die Jovis, qui fuit 14. lune, ut servaret mortem suam in ipsum Paschæ festum, id est, in diem 15. lune quando etiam olim Pascha, id est, Paschæ festum erat. Quod autem hic sit verus sensus, et non velit Chrysostomus dicere, feria illa sexta fuisse diem 14. et tempus legitimum

(1) Amos. VIII, 9.



immolationis agni paschalis, ex duobus manifeste colligitur. Primum, quia si ita esset, Pontifices illi non fuissent prævaricati legem, dum distulerunt manducationem agni in feriam sextam. At Chrysostomus disertis verbis prævaricatos illos fuisse docet. Deinde, quia idem Chrysostomus homil. 86. et 87. in Matth. affirmat, ipsum diem occisionis Christi fuisse festivum, et solemnem Hebræis.

Quinto objicitur Augustinus, et cum eo venerabilis Beda. Nam Augustinus lib. III. de consensu Evangelistarum, cap. 13. refert quosdam dixisse, Pascha Judæorum eo anno, quo Christus mortuus est, incepisse in sequenti Sabbato; et ideo sextam illam feriam dictam esse Paraseeven Paschæ. Sed cum id Augustinus non approbet, sed simpliciter referat, non est multum de ea re laborandum. Approbat quidem Augustinus, quod illi iidem dixerant, præparationem ad Christi immolationem cœpisse ab hora nona noctis; et proinde horam tertiam dici fuisse horam sextam Paraseeves, Paschæ Christianorum, id est, Christi mortis: et hoc idem repetit tract. 117. in Joan. et idem habet Beda in cap. XIX. Joannis. Priorem autem illam sententiam de Pascha Judæorum inchoante die Sabbati; nusquam approbat Augustinus, vel Beda, vel alius bonus auctor ex veteribus.

Rursus objici solet, quod dicunt, Augustinus tractat. 120. in Joan. et Beda in cap. XIX. Joan. acceleratam fuisse Domini sepulturam propter Paraseeven Judæorum, quia illa nocte cœnam puram comesturi erant. Sed nulla hic difficultas est: non enim cœna pura significat agni paschalis manducationem, sed cœnam quamdam solemnem, quam Judæi sumunt in vespera feriæ sextæ, ad initium videlicet Sabbathi. Unde ab ea cœna, ipsa etiam feria sexta dicebatur ab eis cœna pura ut patet ex Irenæo lib. I. cap. 10. et lib. V. cap. 23. et ex Beda in cap. XXIII. Luc.

Sexto objici potest Anselmus, qui in capite XXVII. Matth. dicit, se certa ratione comperisse Christum luna 14. esse occisum, et luna 13. præter ordinem divinæ legis celebrasse suum Pascha. Sed dubium esse non potest, quin totus iste locus ab aliquo Græcorum fautore fuerit insertus in lib. S. Anselmi, et quidem parum prudenter. Nam Anselmus apertissime contrarium docet in comment.

cap. XXVI. in illa verba: *Prima autem die azymorum* (1); ubi dicit, Christum 14. die comedis agnum, et 15. die fuisse crucifixum.

Septimo objiciebant Græci can. II. VI Synodi, in quo cavetur, ne clerici, aut laici comedant azyma Judæorum. Respondeo: prohibetur eo canone commercium cum Judæis, præcipue circa ritus religionis. Itaque noluerunt Patres, ne Christiani celebrarent cum Hebræis dies azymorum, aut alios ejusmodi ritus.

Octavo objiciunt Joannes Heutenius præfationes in Euthymium, et Cornelius Jansenius in comment. Matth. cap. XXVI. testimonium historici cujusdam antiqui, qui Hebraice scripsit librum סדר עולם seder olam, in quo asseritur, traditionem illam Hebræorum, ne festum Pascha celebretur feria 2, 4, aut, 6. initium habuisse statim a templo reparato post reditum a captivitate. Babyl. ex quo sequitur, Christi tempore jam usu receptam fuisse illam traditionem.

Respondeo: In libro *seder olam*, tam majore, quam minore, quem nuper Latinum fecit Gilbertus Genebrardus, non invenitur ea traditio. Deinde etiamsi ibi inveniretur, cum auctor ille vix ante quingentos annos scripserit, et multa alia falsa tradiderit, nihil mirum esset, si etiam in hoc mentitus esset. Certe falsum esse, Christi tempore eam traditionem in usu fuisse, supra evidentissime demonstravimus etiam testimonio Rabbi Abenezræ.

Ultimo objicit Calvinus loco citato testimonia historiarum, quæ dicunt, ab Alexandro Papa institutum esse, ut ex pane azymo Eucharistia conficeretur, cum ante Alexandrum omnis Ecclesia fermentato uti consuevisset. Itaque mos Græcorum fuit in primitiva Ecclesia, et Apostolicus censendus, ac merito retinendus videtur.

Respondeo: Recte fecit Calvinus, quod nullius historici nomen adscripsit: nullus enim id tradit, quod ipse dicit; nec verisimile est ullo modo. Nam loqui non potest Calvinus de Alexandro II. aut III. aut aliis posterioribus: isti enim fuerunt omnes post Leonem IX. qui acerrime defendit sententiam Latinæ Ecclesiæ de Eucharistia in azymis conficienda. Loquitur igitur de Alexandro I. qui sedit circa annum Domini 110. Ac ut omittam, a nemine scriptum esse, quod hic Alexander azyma instituerit, non est pro-

(1) Matth. XXVI, 17.

babile primis illis annis, in quibus Ecclesiæ in plurimis judaizabant, et factum Domini adeo recens erat, ut aliqua Ecclesia fermentato uti maluerit quam azymis. Adde, quod Leo IX. in epist. ad Michaellem cap. 5. dicit, Romanam Ecclesiam a Petro, non ab Alexandro, ut Calvinus mentitur, didicisse qualiter divina mysteria celebrari debeant : et per 1020. annos a Passione Domini retinuisse eundem morem ; et cap. 24. dicit, sanctos Martyres primitiæ Ecclesiæ nostris azymis saginatos. Atque hæc de testimoniis.

Restant argumenta ex ratione. Et quidem Græci triplici ratione potissimum utebantur, quæ sunt apud Anselmum in libro de azymo, et verbosissime referuntur a Centuriatoribus Magdeburgensibus, ex libris Michaelis Episcopi Constantinopolitani, et Nicetæ Cent. XI. cap. 8. et apud Euthymium in cap. XVI. Matth. et nuper etiam repetitæ sunt ab Hieremia Episcopo Constantinopolitano in censura ad Confessionem Augustanam, cap. 10.

Prima ratio est ejusmodi : « Dominus cum Eucharistiam instituit, panem accepit. At azymum non est panis. Panis enim Græce dicitur ἄζυμος a verbo ἀίρω, quod est attollo : non autem attollitur farina, seu conspersio, nisi per fermentum. »

Respondeo : Hoc argumentum, vel nihil probat, vel pro nobis facit contra Græcos : num in Scriptura nomen panis commune est ad azymum, et fermentatum. Et quia de fermentato nemo dubitat ; probatur de azymo ex illo Lucæ ult. : *Accepit panem benedixit, etc.* Et infra : *Quomodo cognoverunt illum in fractione panis* (1). Illum enim fuisse panem azymum, certum est, quia id factum est, quod Lucas narrat, tertia die azymorum, vel secunda die secundum Græcos ; quibus diebus non inveniebatur apud Hebræos nisi azymus : panis præterea Levitic. VII. dicuntur panes cum fermento, et panes absque fermento. Denique Theodoretus, Græcus auctor, in cap. X. Danielis notat inscitiam eos qui panem azymum, panem vocari posse negant.

Hoc ergo fundamento posito, colligimus Matt. XXVI. illa verba : *Accepit panem, benedixit, etc.* de Azymo exponi posse, sed etiam oportere, cum jam ostenderit id factum primo die azymorum. Vel igitur panis azymus differt specie a fermentato, vel non.

Si differt, ut Græci volunt ; ergo non potest Eucharistia confici in fermentato : non enim confici potest in alia specie, quam in ea, quam Dominus instituit. Si non differt, ut vere Latini affirmant ; ergo potest confici, tum in azymo, tum in fermentato ; in azymo quidem quia Dominus sic fecit ; in fermentato autem, quia non differt specie ab azymo. Itaque vides argumentum, si quid valet, contra Græcos valere. Sed revera nihil valet, cum non differat essentialiter azymus, et fermentatus.

Porro illa etymologia vocis ἄζυμος ab elevando, aut ab accidentali conditione sumpta est, ut in aliis multis factum videmus : aut non dicitur ἄζυμος, quia elevetur per fermentum, sed potius, quia elevet naturam humanam nutriendo et augendo corpora nostra, qui effectus communis est pani azymo cum fermentato.

Sed hinc nascitur argumentum Calvinii, loco supra notato. Nam si accidentaria differentia est inter azymum, et fermentatum, qualis est etiam inter vinum album et rubrum, non oporteret in Sacramento Eucharistiæ majori cura quærere panem azymum, quam quærimus vinum album ; sed esset omnibus permittendum, ut libere uterentur quovis pane, ut libere utuntur quovis vino.

Respondeo : Multum interest inter differentiam azymi et fermentati, et differentiam albi et rubri vini. Nam in primis constat Dominum usum esse azymo : non autem constat utrum vino albo, an rubri usus sit ; et idcirco constanter retinemus azymum propter Domini exemplum ; de vino non sumus solliciti, quia non habemus simile exemplum. Deinde differentia azymi, et fermentati Deus sæpe usus est ad varia mysteria significanda, ut patet ex toto Levitico, ubi fere semper præscribuntur panes azymi, ob significationem puritatis et sinceritatis ; nusquam autem Deus usus est differentia vini albi, aut rubri ad aliquid significandum : ideo Ecclesia ob significationem retinet azymum, vinum autem indifferenter adhibet seu album sit, seu rubrum.

Secunda ratio Græcorum est, quia azyma sunt propria Judæorum ; ergo consecrare Eucharistiam in azymo pane, est judaizare.

Respondeo : Non est judaizare, uti iisdem rebus, quibus utebantur Judæi ; sed uti eo-

(1) Luc. XXIV. 30 34.

dem ritu, et ad eundem finem. Itaque uti azymis cum agno paschali, et ad significandam Christi puritatem, et sinceritatem futuram, et ipsius passionem et mortem, est plane judaizare, et illicitum : at uti azymis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, et ad significandam Christi puritatem et sinceritatem, quæ fuit, et est ; non est judaizare, sed implere Judaismi figuras. Alioquin non deberemus uti aqua in Baptisma, quia illa utebantur etiam Judæi in suis purificationibus : et denique Christus ipse nos judaizare docuisset, si hoc esset judaizare. Adde, quod Judæi in rebus sacris, non tantum utebantur azymis, sed etiam fermentato, ut patet Levitic. vii. ubi jubentur offerri panes, absque fermento ; et paulo post in alio sacrificio jubentur offerri cum fermento, et Levitic. xiii. jubetur Phase fieri cum azymis, et ibidem præcipitur in festo hebdomadarum, id est, festo Pentecostes, sacrificium ex simila fermentata. Quare si uti azymis non licet, ne judaizemus, eadem de causa nec fermento uti licebit.

Tertia ratio : « Immolatio agni paschalis figura fuit Passionis Christi. Sed agnus immolatur die 14 ; ergo et Dominus pati debuit die 14 ; ergo cœnam instituit die 13. »

Respondeo : Agnus paschalis, ut supra diximus, cum explicarem figuras Eucharistiæ, figura fuit Christi, ut in Sacramento nobis apponendus erat manducandus, et ideo illa immolatio potius significabat immolationem Christi mysticam, quæ fit in Sacrificio Missæ, quam immolationem cruentam, quæ in cruce peracta est : nam ideo ritus agni paschalis potius tradit modum manducandi, quam immolandi. Quia tamen agni immolatio erat etiam figura passionis Domini, debuit, eodem die passio peragi, quo agnus immolabatur. Et sic factum est : nam illa vespera diei 14. in qua agnus immolabatur, ad diem sequentem pertinebat, ut dies ille festivus erat. Itaque institutio Eucharistiæ, quæ principaliter figurata fuerat per agnum paschalem, peracta est eodem die, et eadem hora, qua agnus secundum legem immolabatur : Christi autem passio, quæ minus principaliter per eandem immolationem figurata fuerat, eodem die, licet non eadem hora, peracta fuit.

Quarta ratio addi posset, non parum difficilis. Nam secundum legem dies Pentecostes celebratur die quinquagesimo a secundo die azymorum, ut patet Levitic. xxiii. Sed

eo anno, quo Dominus mortuus est, dies Pentecostes fuit in Dominica die, ut ex traditione Ecclesiæ patet ; ergo etiam secundus dies azymorum fuit in Dominica die. Nam si numerentur dies quinquaginta a secundo azymorum inclusive, ut lex præcipit, necessario fiet, ut in eodem die hebdomadæ occurrat Pentecostes, in quo occurrit dies secundus azymorum. At si dies Dominica fuit secundus azymorum : ergo dies Sabbati fuit ante diem azymorum, et multo magis dies cœnæ Domini ; atque ita vera esse videtur Græcorum sententia.

Respondeo : De hoc argumento fuse tractavi in iii. lib. *de Ecclesia triumphante*, prope extremo. Summa responsionis est, dies Pentecostes numerandos esse a primo die profano post festum primæ diei azymorum : et ideo si secundus dies azymorum fit profanus, ut plerumque accidit, ab eo numerari debere dies Pentecostes. Si autem forte sit dies festus, ut si occurrat in Sabbato dies secundus azymorum, tunc a tertio die azymorum numerandos esse dies Pentecostes. Quia igitur eo anno, quo Dominus mortuus est, secundus azymorum fuit Sabbatum, propterea illo anno a tertio die azymorum qui fuit die Dominico, qui apud Judæos profanus est, numerari cœperunt dies Pentecostes ; et inde factum est, ut in diem Dominicum incideret illo anno Pentecostes.

Atque hæc de tota ista disputatione dicta sint, in qua negare non possum, quin multum me juverit egregium opus Doctoris Marcelli Francolini de horis canonicis, in quo fusissime quæstionem istam pertractat cap. 51. et seqq. Illud autem omnino miratus sum, quemadmodum in eandem solutionem inciderimus, circa difficultatem de tempore Pentecostes, nam neque ego librum ejus videram, cum scriberem de Festis in 3. libro de Ecclesia triumphante, neque ipse scripta mea viderat, cum librum suum conscriberet, ut idem mihi postea confirmavit.

## CAPUT X.

### *De vino temperando aqua in sacro calice.*

Altera controversia de materia Eucharistiæ, est de mixtione vini et aquæ. Ac primum referendæ erunt sententiæ aliorum, seu potius errores. Deinde confirmanda ve-

ritas. Ac demum confutanda argumenta, et mendacia adversariorum.

Quod ad primum attinet, non defuerunt olim, qui prætextu sobrietatis solam aquam in calice offerendam dicerent : ut Ebionitæ apud Epiphanum, hæresi 30. Et Tatiani apud eundem, hæresi 46. Aquarii apud Augustinum lib. de hæresibus, cap. 64. Sed ea opinio continuo a Patribus explosa fuit, quod satis constaret, Dominum non aquam solam, sed vinum etiam in sacro calice ponendum esse docuisse. Vide Cyprianum lib. II. epist. 3. ad Cæcilium, et Chrysostomum homil. 83. in Matth. qui ex instituto disputant contra eam sententiam.

Ubi etiam non est omittenda impudentissima calumnia Magdeburgensium, qui Censur. III. cap. 6 et 7, affirmant, errorem istum de sola aqua in calice offerenda, ab Episcopis Romanis excogitatum esse, et a Cypriano refutatam in epistola ad Cornelium Romanum Pontificem; quod quidem sine ullo fundamento ex sola mentiendi libidine Centuriatores affirmant. Nam epist. Cypriani non est ad Cornelium, ut ipsi mentiuntur, sed ad Cæcilium, nec in ea ulla mentio fit Episcoporum Romanorum.

Non defuerunt rursus, qui solum vinum offerendum censerent : ii fuerunt Armeni, ut Patres Trullani Concilii affirmant, can. 32. Causam autem, cur Armeni in eam sententiam descenderint, refert Nicephorus lib. XVIII. histor. cap. 53. ubi scribit Armenos non miscere aquam vino in sacrificio, ne significare videantur unionem duarum naturarum in Christo, quam ipsi non credunt. Ejusdem erroris accusantur Græci a Guidone Carmelita in catalogo hæreticorum, et ab Innocentio III. lib. IV. de officio Missæ, cap. 32. Sed contrarium tamen colligimus ex ipsorum scriptis, tum veterum, tum recentiorum, ut infra ostendemus. Quare credibile est, Innocentium, et fortasse etiam Guidonem per Græcos intellexisse quosvis Orientales, non autem eos, qui proprie Græci dicuntur.

Lutherani et Calvinistæ Armenos imitantur: nam absque aqua vino utuntur. Lutherus in primo scripto contra Regem Angliæ, anno 1522. edito, fatuos et stolidos vocat eos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare; et ibidem sic addit : « Meo sensu melius, et tutius foret, aquam non miscere vino, cum sit merum figmentum humanum, et sinistram, imo pessimam habeat significationem. » Et in formula Missæ, seu com-

munionis pro Ecclesia Wirtembergensi anno 1523. edita : « Nondum constitui, inquit, mecum, miscendane esset aqua vino, quamquam huc inclino, ut merum vinum paretur absque aquæ mixtura. » Martinus Kemnitius in 2. par. Examini Concilii Trident. sess. XXII. cap. 7. et can. 9. docet, rem esse omnino indifferentem, aquæ mixtionem in calice; et multis conatur ostendere non esse certum, quid Dominus fecerit, id est, an vino aquam admiscuerit; et præterea non esse id necessarium, nec posse præcipi ab Ecclesia: et tandem addit Ecclesias Lutheranorum reipsa, et factis ostendere voluisse hanc libertatem. Tilmannus Heshusius in lib. de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 17. tres errores Pontificiis adscribit. Unum, quod dicant aquam miscendam vino in calice. Alterum, quod doceant sine peccato mortali non posse omitti aquam. Tertium, quod velint Apostolicam esse traditionem, misceri debere aquam viuo.

Calvinistæ longius progrediuntur. Nam Petrus Richerus Calvinista (referente Nicolao Villagagnonio libro I. contra articulos quosdam Calvinianos, cap. 73.) affirmat esse hæreticos, blasphemos, sacrilegos, falsarios, qui vino cœnæ aquam admiscunt; quod ad puritatem Evangelii adjiciant sua commenta: et a Calvino se hæc omnia didicisse fatetur. Quare non est mirum, si Calvinus, nec in Institutione, nec in Catechismo, nec in formulæ Sacramentorum ministrandorum ullam aquæ mentionem facit in mysterio cœnæ Domini.

Porro Ecclesia Catholica semper credidit ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti. Utrum autem sine aqua Sacramentum consistere possit, non est adeo certum; communis tamen opinio in partem affirmativam propendet. Quare falso Kemnitius Catholicis in commune tribuit, quod asserant, aquam in Eucharistia esse de necessitate Sacramenti, cum paucissimi id affirmant. Probatur Ecclesie sententia. Primum ex facto Christi. Dominus vinum aqua mixtum consecravit; igitur et nos ita facere debemus.

Antecedens hujus argumenti Kemnitius fatetur esse probabile, sed non certum, et ideo incertam conclusionem ex eo colligi contendit. Deinde etiamsi certum esset antecedens, infirmam esse vult consecutionem. Nam Dominus si aquam admiscuit, id fecit

pro more illius regionis; in Oriente enim vinum est fortius, quam in his partibus, et ideo ordinarie solet in illis locis aqua temperari. At si in hac regione nostra, vel in partibus frigidioribus Dominus fuisset, cum Sacramentum instituit, pro more patriæ aquam non miscuisset.

Cæterum multum in utroque errat Kemnitius. Antecedens enim illud non minus certum est, quam quod Dominus vinum consecraverit, non siceram, aut aquam solam: quod sane nemo negat esse certissimum. Nam ex Evangelio, et ex Paulo expresse non habetur, nisi calicem sanguinis Apostolis propinatum, vini nulla mentio est, cum agitur de calice Eucharistico. Legantur omnia loca Matth. xxvi. Marci xiv. Luc. xxii. Joan. vi. 1. ad Corinth. x. et xi. non inveniatur mentio vini, nisi in illis verbis: *Amen dico vobis, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Dei* (1), quæ habentur in tribus locis citatis Evangeliorum. Sed ea verba, ut lib. i. cap. 11. fuse docuimus, non pertinent ad calicem Eucharistiæ, sed ad calicem qui datus fuit post agni Paschalis manducationem, ut ex Luca manifeste colligitur. Neque obstat, quod aliqui patres ea verba de calice Eucharistiæ exposuerint: nam alii, qui magis ex professo rem tractarunt, contrarium docuerunt, ut tunc ostendimus: non possumus autem ex Patrum sententiis aliquid certi colligere, quando inter se non conveniunt. Atque id potissimum locum habet in sententia Kemnitii, qui (ut supra vidimus in controversia de transubstantiatione) non vult argumenta efficacia posse duci a Scripturis, quæ variis modis exponuntur. Quid ergo in calice fuerit ante consecrationem, an vinum purum, an vinum aqua mixtum, an sicera, an aqua sola, ex sola Scriptura expresse non habetur, sed necessario recurrendum est ad traditionem eorum, qui ab Apostolis, et eorum discipulis hæc mysteria didicerunt. Traditio autem habet, fuisse vinum aqua mixtum; ergo ita certo credendum est, aut nihil certi de materia calicis habemus.

S. Jacobus in sua Liturgia (cujus Liturgiæ mentionem facit Concilium Trullanum, can. 32. ante annos nongentos) ita habet: « Similiter postquam cœnavit, accipiens calicem, et permiscens ex aqua, et vino, et benedicens dedit etc. » S. Clemens lib. viii. Consti-

tut. Apostol. cap. 17. refert Dominum in cœna vinum aqua miscuisse, antequam illud consecraret. S. Irenæus lih. 4. cap. 37. « Dominus, inquit, temperamentum calicis sui sanguinem confirmavit. » S. Cyprianus lih. ii. epist. 3. « Admonitos, inquit, nos scias, ut in calice Domini offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis prior fecit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur. » S. Basilius in sua Liturgia dicit Christum acceptum calicem miscuisse, et postea dixisse: *Hic est calix etc.* Theodoretus Dialog. i. ait Christum suum sanguinem fecisse id, quod in calice commixtum erat. Eusebius Emisenus in serm. 3. de Paschate, qui est de corpore Domini, dicit Christum ipsum exemplo suo nos docuisse, ut calicem ex vino aqua mixto consecraremus. Denique Concilium III. Carthaginiense, can. 24. (in quo etiam Augustinus interfuit) sic ait: « Ut in Sacramento corporis, et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis et vinum aqua mixtum. » Hæc testimonia certum argumentum faciunt, tum quia gravissimorum, et antiquissimorum auctorum sunt, tum quia nullus Patrum contrarium scripsit.

Quod autem Kemnitius ait de consuetudine Orientalium, non multum facit ad rem. Nam si illa esset potissima causa, cur Dominus calicem miscuisset, certe Patres variorum locorum numquam tanto consensu, et absolute dixissent, miscendam vino aquam in calice.

Habemus autem testimonia Patrum omnium regionum. Ac primum ex Syria habemus testimonia citata S. Jacobi et Theodoretii: uterque enim in Syria Episcopus fuit. Et præterea ex recentioribus idem docet Samona Episcopus Gazæ in disputatione cum Achmet Saraceno, quæ exstat in iv. tom. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ex Italia habemus Justinum martyrem: is enim Romæ scripsit Apologias suas, et de Romanæ Ecclesiæ consuetudine loquitur in ii Apolog. prope finem, cum dicit offerri poculum vino et aqua temperatum. Habemus item Alexandrum I. in epist. i. ubi omnino jubet, ut nec vinum, nec sola aqua, sed utrumque simul offeratur. Habemus quoque Julium I. apud Gratianum de consecrat.

(1) Matth. XXVI, 29; Marc. XIV, 25; Luc. XXII, 18.

dist. 2. Habemus præterea Ambrosium, qui in ea parte Italiæ scripsit, ubi certe vina non sunt adeo fortia, et tamen lib. iv. de Sacrament. cap. 4. et lib. v. cap. 1. vinum et aquam in calice ponenda esse affirmat.

Ex Africa habemus loca citata S. Cypriani, et Concilii Carthaginensis : et potest addi testimonium Augustini tract. 120. in Joan.

Ex Gallia habemus S. Irenæum, Episcopum Lugdunensem, qui lib. v. cap. 1. « Quando, inquit, mixtus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis et corporis Domini. » Eusebius quoque Emissenus, cujus locum ante citavimus, in Gallia scripsit : fuit enim is auctor, ut alias diximus, Abbas Monasterii Lirinensis. Adde etiam Bernardum epist. 69.

Ex Hispania habemus S. Isidorum lib. i. de offic. divinis, cap. 18. ubi satis copiose de hac re agit.

Ex Lusitania habemus Concilium Bracaraense III. can. 1. ubi idem habetur.

Ex Anglia habemus Bedam in comment. cap. 14. Marci, in illa verba : *Hic est calix sanguinis mei.* Item Anselmum Episcopum Cantuariensem in cap. xxvi. Matth. ubi ipsa Bedæ verba transcripsit.

Ex Germania habemus Amalarium Trevirensem lib. III. de officiis Ecclesiast. cap. 49. Rabanum lib. i. de Institut. Clericorum, cap. 31. Item Triburiense Concilium ante annos 700. in media Germania celebratum, nimirum prope Moguntiam, can. 19. asserit a Papa Alexandro I. traditum, quod et ipse a Patribus suis, id est, ab Apostolis acceperat, ut in calice vinum aqua misceretur, et postea Concilium ita subjungit : « Cujus rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, et confirmamus, ne ullus sine commixtione vini, et aquæ mysteria sacra perficiat. »

Denique ex Græcia habemus præter Basilium supra citatum testimonium Gregorii Nysseni in sermone Catechetico, cap. 37. Joannis Chrysostomi in sua Liturgia. Item Procli Episcopi Constantinopolitani, qui paulo junior Chrysostomo fuit, in tractatu de traditione divinæ Liturgiæ. Item Synodi Trullanæ, can. 32. et in capitulis Græcarum Synodorum a Martino Bracarense collectis, cap. 53. et præterea S. Joannis Damasceni lib. iv. de fide, cap. 14. Theophylacti in cap. xix. Joannis, ubi reprehendit Armenos hunc morem non servantes ; et S. Germani Episcopi Constantinopolitani in theoria rerum

Ecclesiasticarum. Floruit autem S. Germanus eodem tempore, quo Damascenus circa annum Domini 700. Præterea exstant testimonia etiam recentiorum Græcorum, ut Nicolai Methonensis Episcopi in lib. sive oratione de Eucharistia, Nicolai Cabasilæ, in lib. de sacrificio altaris, cap. 8. Marci Ephesii in libro de verbis consecrationis, Nicephori lib. xviii. hist. cap. 53. Ex quibus testimoniis apparet, falso imponi Græcis hunc errorem, quod solo vino utantur in sacrificio altaris.

Adde, quod Concilium Florentinum, in quo Græci et Latini aderant, in instruct. Armenorum, jubet Armenis, ut deinceps in calice vinum aqua temperent, quoniam omnes aliæ Ecclesiæ Latinorum, et Græcorum ita semper fecerunt.

Denique refelli potest Kemnitii vanitas ex rationibus, quas Patres reddunt hujus mixtionis vini, et aquæ : nullus enim somniavit unquam, necdum protulit, causam illam, quod in Oriente vina sint fortia. Rationes igitur, quas Patres afferunt, sex sunt. Prima et potissima, quia Dominus ita fecit. Hanc reddunt plurimi Patres, et Concilia recentiora, Florentinum et Tridentinum.

Secunda ratio est, quia de latere Domini exivit sanguis, et aqua, Joan. xix. Nos enim in calice repræsentamus Christi sanguinem, ut effusum, sicut in pane consecrato repræsentamus Christi corpus, ut mortuum. Quare Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinth. : « Quid est, inquit, in calice ? quod ex latere fluxit, » et Augustinus lib. III. de Trinit. c. 11. dicit, de latere Domini percusso, illum fluxisse liquorem, qui est in calice. Quibus verbis significatur in calice esse verum Domini sanguinem, quoad substantiam, et esse eo modo, quo ex latere fluxit, id est, effusum, quoad repræsentationem. Quia igitur in calice repræsentamus id quod ex latere fluxit ; et quod ex latere fluxit, fuit sanguis, et aqua ; ideo non solo vino, sed etiam aqua rem illam repræsentamus. Atque hanc rationem attingunt Alexander Papa, Ambrosius, Chrysostomus, Eusebius, Germanus, Rabanus, et alii.

Tertia ratio est, quia in mysterio Eucharistiæ significatur unio Christi cum Ecclesia : id autem aptissime fit, cum admiscetur aqua vino. Vinum enim Christum, aquæ populos significant : ut etiam idem significatur ex admixtione farinæ cum aqua in pane conficiendo. Hanc rationem habent Cyprianus,

Julius Papa, Eusebius, Isidorus, Rabanus, et Concilia Bracarense, et Triburiense citata. Quare ea ratio, licet a Lutheranis rideatur, magnos auctores, et plurimos habet.

Quarta ratio est, quia calix Eucharistiae non solum figuratus fuit in Testamento veteri per vinum, quo utebantur Hebræi in variis sacrificiis, et in vino, quod cum pane protulit Melchisedech Genes. xiv. sed etiam in aqua, quæ fluxit ex petra, ut B. Paulus docet I Corinth. x. Atque hanc rationem attingunt Ambrosius et Eusebius locis notatis.

Quinta ratio est, quia Eucharistia est cibus, ac potus spiritualis, et proinde dari debuit sub specie cibi, et potus corporalis. Porro corporalis potus maxime conveniens naturæ humanæ est vinum aqua admixtum, ut docet Gregorius Nyssenus in oratione Catechetica apud Euthymium, tit. 21. Panopliæ: et ante eum Clemens Alexandrinus lib. II. Pædagogii, cap. 2.

Sexta ratio esse potest, quam ponit Nicephorus lib. xviii. cap. 53. ad significandam duarum naturarum in Christo conjunctionem.

## CAPUT XI.

### *Solvuntur argumenta adversariorum.*

Superest nunc, ut ad nugas Lutheri et Kemnitii respondeamus. Prima objectio Lutheri, et Kemnitii loco cit. est hujusmodi: « Vini cum aqua permixtio pessimam habet significationem, nam Isai. I. dicitur: Vinum tuum mixtum est aqua: quod significat, teste Hieronymo in eum locum Scripturæ, et verbi Dei sinceritatem corruptam fuisse a Pharisæis per admixtionem humanarum traditionum. »

Respondeo: In Scripturis una, et eadem res alio, et alio modo considerata, nunc bonam, nunc malam habet significationem. Leo propter fortitudinem Christum significat, Genes. XLIX. *Catulus leonis Juda*, et Apocal. v. *Vicit leo de tribu Juda*. Idem leo propter crudelitatem diabolum significat, Psalm. xc. *Conculcabis leonem et draconem*. I. Petr. v. *Tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (1). Sic igitur mixtio vini cum aqua,

si sumatur similitudo ab iis, qui vinum vendunt, significat fraudem, et corruptionem: decipitur enim qui pro vino mero emit vinum mixtum aqua. Et de hac re agitur Isaia I. ubi Hieronymus legit: *Caupones tui miscent vino aquam*. Si autem sumatur similitudo ab iis, qui bibunt, habet optimam significationem illa mixtio: nam sobrietatem, et temperantiam significat. Unde Proverb. ix. *Bibite vinum, quod miscui vobis* (2). Quoniam igitur in calice vinum miscetur aqua, non ad vendendum, sed ad bibendum, optime fit, et optimam habet significationem.

Secundum argumentum Lutheri, et Kemnitii est contra rationem illam de sanguine, et aqua, quæ profluxerunt ex latere Christi. « Ea ratio non probat, miscendam aquam in calice: Et tamen adducitur a Catholicis, tanquam unum ex præcipuis fundamentis; igitur non solide probant Catholici suam sententiam. » Propositionem probant adversarii. Primo, quia non fuit aqua illa mixta cum sanguine, sed seorsim per se fluxit: nam alioqui quomodo discerni potuisset? non ergo pertinet ad istam mixtionem aquæ cum vino. Secundo, illa effusio sanguinis et aquæ significabat duo Sacramenta diversa, nimirum Baptismum, et Eucharistiam, ut Augustinus tract. 120. in Joan. et alii Patres dicunt: non igitur illa aqua ad Eucharistiam pertinet. Tertio, ex figuris, et mysticis sensibus non sumitur solidum argumentum.

Respondeo: Primaria ratio, et verum, et solidum fundamentum nostræ sententiæ est Christi exemplum, et Ecclesiæ universæ consuetudo; reliquæ rationes afferuntur ad confirmandum, et declarandum id, quod jam credidimus esse faciendum. Sed tamen argumenta adversariorum nihil concludunt.

Ad primum dico: Licet sanguis et aqua impermixta fuerint dum fluerent, tamen si in vas aliquod recepta fuissent, non nisi permixta in illo vase existerent. Nos autem repræsentamus in calice id totum, quod ex latere fluxit, non autem modum, quo fluxit; et ideo vinum aqua mixtum in calice ponimus.

Ad secundum: Aliud est repræsentari, et significari; aliud repræsentare, et significare: hæc enim sunt diversa, nec se invicem impediunt. Nos igitur non dicimus, sanguinem et aquam significasse mixtionem vini, et aquæ in calice; sed e contrario significari,

(1) Genes, XLIX, 9; Apoc. V, 5; Psalm. XC, 13; I Petr. V, 8. — (2) Prov. IX, 5.

et representari per hanc mixtionem calicis, quidquid tandem significaverit illa effusio sanguinis et aquæ. Quare Augustinus et Theophylactus, qui dicunt, sanguinem et aquam significare duo Sacramenta, iidem affirmant, inde colligi, miscendam esse aquam in calice Eucharistiæ.

Ad tertium dico : Nullam hic esse figuram, aut mysticum sensum : nam (ut diximus) non attendimus, quid illa significaverint ; sed ea nos repræsentamus, quæ revera facta sunt.

Tertium argumentum eorundem, est contra aliam rationem nostram de unione Ecclesiæ cum Christo. Nam primo, non commemoramus in Eucharistia unionem Christi cum Ecclesia, sed Passionem Christi tantummodo ; ergo frustra quæritur illa significatio. Secundo, non unimur Christo, nisi post sanguinis ejus effusionem ; illa enim effusio causa fuit nostræ unionis : non ergo recte ante effusionem ; imo ante consecrationem sanguinis Domini miscetur aqua vino ad significandam unionem. Tertio, solus Christi sanguis nos redemit sine permixtione cum nostro : non igitur in calice, in quo Christi Passio, et nostra redemptio repræsentatur, oporteret aquam miscere, ne videamur velle conjungere nostra opera cum Christi laboribus, quasi illi non suffecissent. Et hoc loco more suo Kemnitius calumniatur Ecclesiam Catholicam, quasi hoc præcipue intendat in ista mixtione aquæ, ut non solus Christus, sed etiam populus Deo Patri sistatur, cum sacrificium offertur.

Respondeo : Frustra conantur adversarii eam rationem concutere, quam tot sancti Patres plurimi fecerunt. Ad primam probationem dico, falsum esse non commemorari in Sacramento Eucharistiæ unionem Ecclesiæ cum Christo : nam Paulus aperte dicit, I ad Corinth. x. : *Unus panis, et unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus* (1). Itaque principaliter quidem commemoratur in eo Sacramento Christi Passio : sed commemoratur etiam secundo effectus illius Passionis, qui fuit, ut omnes unum corpus cum Christo efficeremur.

Ad secundam, non ponitur aqua in calice ante consecrationem, ut tunc significet unionem populi cum Christo, sed ut significet suo tempore, nimirum facta consecratione. Nam testimonio, et consensu adversario-

rum, et maxime Lutheri in sermone de Eucharistia, et Kemnitii in 2. par. Examini Concilii Tridentini sess. XIII. cap. 4. panis consecratus factus est ex multis granis, ut inde significetur unio fidelium, qui de illo uno pane participant : et tamen panis fit ex multis granis ante consecrationem, et non significat illam unionem nisi post consecrationem.

Ad tertiam, signa ad placitum, interpretanda sunt juxta mentem imponentis. Aqua igitur, quæ in calice ponitur, varia significat id variis actionibus. Nam quatenus offertur cum vino ante consecrationem, non significat populum, sed repræsentat aquam illam, quæ ex latere Domini fluxit cum sanguine : quatenus autem aqua unitur cum vino, et illi incorporatur, significat unionem populi cum Christo, quæ consecuta est ipsius Passionem.

Adde, quod oblatio præcipua, quæ fit in Missa, non est vini, neque aquæ, neque re ipsa, neque in signo (illa enim oblatio panis, et vini cum aqua, quæ fit ante consecrationem, non est proprie sacrificium Missæ, sed tantum oblatio rei consecrandæ, et proinde præparatio sacrificii) sed est oblatio veri corporis, et veri sanguinis Domini. Id enim offertur, quod re ipsa est in calice, non autem quidquid est ibi significative : re ipsa autem non est in calice populus, sed solus Christi sanguis, non tamen a corpore separatus, et anima, et divinitate. Licet igitur aqua significet populum, non tamen offertur, vel ipsa, vel populus Deo Patri in redemptionem nostram, sed sola Christi Passio. Ac ut intelligant adversarii, se sine causa rejicere aquam ex Sacramento ; cogitent eandem rationem esse de pane mixto ex aqua, et farina, quæ est de calice mixto ex aqua, et vino. Nam Cyprianus, cujus est ista ratio lib. II. epist. 3. dicit, idem significari per farinam, et aquam in pane, quod per vinum, et aquam in calice. Si igitur aquam rejiciunt ex calice, ne populus cum Christo offerri Deo Patri videatur, rejiciant etiam aquam ex pane, ne idem incommodum consequatur. Vel si apud eos nulla fit oblatio, nullum sacrificium, sed sola communio corporis, et sanguinis Domini, non timeant illud incommodum significationis, quod nullum est, ubi nulla oblatio est.

Præter hæc argumenta Kemnitius sex obs-

(1) I Cor. X, 40.



jectiones alias profert contra Concilium Tridentinum in materia mixtionis aquæ cum vino, quæ non tam Concilium premunt, quam ipsum Kemnitium. Primo, accusat Concilium quod tam acriter pugnet pro aqua in calice, cum interim totum calicem contra Dei mandatum populo abstulerit. Sed de hac re infra disputandum erit : interea id solum observamus, defuisse adversario, quod de re proposita diceret, et idcirco ad alia digressionem fecisse.

Secundo, accusat Concilium, quod falso insimulet Lutheranos, qui asserant, mixtionem aquæ pugnare cum Christi institutione. At Concilium non nominat Lutheranos, sed generatim damnat eos, qui id asserunt : non defuisse autem qui id assererent, supra ostendi ex Nicolao Villagagnonio.

Tertio, accusat Concilium, quod propter rem indifferentem, qualis est mixtio aquæ cum vino, anathematizet eos, qui contrarium sentiunt. At Concilium non anathematizat (ut patet ex can. 9.) nisi eos, qui negant eam mixtionem fieri debere tamquam pugnantem cum institutione Christi, non est autem res indifferens, sed dogma necessarium, et ad fidem pertinens, quod Ecclesia nihil doceat pugnantem cum Christi institutione. Deinde, licet ponere aquam in calice, ex se fortasse sit res indifferens, quia sine illa Sacramentum constare posset; tamen posteaquam expresse imperatum, vel a Deo immediate, vel per Concilia et Ecclesiam, ut id fiat, non est res indifferens, sed necessaria.

Quarto, accusat Concilium, et totam Ecclesiam, quod istam mixtionem aquæ faciant cum opinione falsa, quasi id esset necessarium et præceptum, cum sit res libera. At jam diximus, non esse liberum, quod per Ecclesiam expresse præcipitur. Deus enim non reliquit liberum obedire, vel non obedire Ecclesiæ, sed plane jussit, cum ait Luc. x. *Qui vos audit, me audit* (1).

Quinto, accusat Ecclesiam, quod existimet non posse esse calicem Domini, nisi aqua adsit, et hanc vocat falsam opinionem necessario taxandam. At opinio illa, quod attinet ad modum loquendi, S. Cypriani est lib. II. epist. 3. Quod ad rem attinet, non est Ecclesiæ Catholicæ, fortasse etiam nec S. Cypriani : nam, ut supra diximus, major pars Theologorum docet, non esse aquam de necessitate Sacramenti.

Ultimo, accusat Ecclesiam, quod tribuat mixtioni aquæ cum vino id, quod erat tribuendum communioni, nimirum unire fideles cum Christo. At Kemnitius nimis crassus fuit, si intelligere non potuit unionem populi cum Christo fieri per mixtionem aquæ cum vino, non re ipsa, sed solum quoad significationem. Sed de his hactenus.

## CAPUT XII.

### *Quibus verbis fiat consecratio Eucharistiæ.*

De forma, quæ est altera causa Sacramenti Eucharistiæ, quinque sunt controversiæ, sed ex iis, aliis in locis explicatæ sunt quatuor. Prima controversia est, utrum aliqua verba necessario requirantur ad Eucharistiam conficiendam. Secunda, utrum ea verba debeant esse consecratoria, an concionalia, id est, utrum dici debeant ad populum instruendum, an potius ad materiam consecrandam. Tertia, utrum certa quædam, et determinata verba esse debeant. Ac tres istæ satis accurate explicatæ sunt in lib. de Sacramento in genere, cap. 19, 20 et 21. Quarta est, quænam sint illa verba, sive utrum illa sola verba : Hoc est enim corpus meum, Hic est enim calix etc. pertineant ad formam in Sacramento Eucharistiæ. Atque ista sola quæstio hoc loco explicanda est : ex cujus explicatione manebunt etiam aliæ tres explicatæ, ut notum est. Si enim illa sola verba constituent formam Sacramenti, certe sequitur, verba aliqua requiri, quod petebatur in prima quæstione : et verba illa esse consecratoria, non concionalia, quod secunda quæstio postulabat ; et verba esse certa, et determinata, de quo erat quæstio tertia. Quinta quæstio esse posset de sensu illorum verborum : sed de hac re fusissime egimus primo libro de Eucharistia, ubi singulas voces diligenter excussimus.

Est igitur quæstio hoc loco tractanda, utrum illa sola verba : Hoc est enim corpus meum, et, Hic est enim calix sanguinis, etc. ad formam Sacramenti hujus pertineant. Et quidem Ecclesia catholica magno consensu docet, illa sola verba ad formam pertinere. Ita enim habemus in Concilio Florentino in instructione Armenorum, et in Catechismo

(1) Luc. X, 16.

Concilii Tridentini: et idem docent Theologi cum Magistro sententiarum lib. iv. dist. 8. et Jureconsulti apud Gratianum distinct. 2. de consecratione; et super caput, Cum Marthæ, extra. de celebratione Missarum. Et si enim Theologi disputent, nec inter se omnino conveniant, utrum singulæ voces, quæ habentur in forma consecrationis calicis in Latinis Missalibus, sint de essentia formæ tamen omnes conveniunt, omnes illas voces esse de integritate formæ, ita ut sine peccato nulla earum omitti possit, et consensus in hac re sufficit, ut habeamus aliquid certi in consecratione, et confectione tanti Sacramenti.

Habemus autem contra hanc veritatem magnum numerum adversariorum. Græci recentiores contendunt, non solis istis verbis, sed quibusdam aliis precibus confici Sacramentum. Ita ex professo docent, Marcus Episcopus Ephesinus in lib. de verbis consecrationis, et Nicolaus Cabasila in explicatione Liturgiæ cap. 29 et 30. ubi conatur Latinos convincere ex ipsa etiam Latina Liturgia, qua nos omnes utimur. Eandem sententiam breviter indicat Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura ad Augustanam Confessionem cap. 40.

Hæretici hujus temporis nihil adhuc certi statuere potuerunt, cum inter se valde dissentiant, et in hoc solo conveniant, ut non integre admittant Ecclesiæ Catholicæ sententiam: referam igitur breviter opiniones. Prima eorum est, qui verba omnino rejiciunt ab hujus Sacramenti confectione: quam sententiam referunt Kemnitius in 2. par. Exam. Concilii Tridentini. sess. XIII. cap. 4 et Joachimus Westphalus in lib. qui inscribitur: Recta fides de Cœna. Videtur ea sententia Martinum Bucerum habere auctorem: is enim in cap. xxvi. Matth. aperte scribit, non esse necessarium, ut recitentur verba, quod nulla Scriptura id doceat; Dominus enim jussit panem frangere, et manducare, sed non jussit dici super panem: Hoc est corpus meum.

Secunda sententia est aliorum, qui verba quidem recitari volunt, sed per modum concionis, seu lectionis ad instruendam fidem, non ad elementum consecrandum. Ita Calvinus docet lib. iv. Institut. cap. 17. § 39. Dominus enim non alloquebatur panem, sed Apostolos, cum ait: Accipite, etc. manducate. Hoc est corpus meum et Quocirca in formula Sacramentorum ministrandorum

præscribit Calvinus lectionem ex cap. II. prioris ad Corinth. et concionem ministri, et paucas quasdam præfatiunculas. Hanc sententiam Lutherani passim rejiciunt ac præsertim Kemnitius loco notato, licet eam ex Luthero hausisse Sacramentarii videantur. Lutherus enim in lib. de Captivitate. Babyl. cap. de Baptismo, aperte scripsit, parum referre quibus verbis Sacramentum conficiatur, modo adsit fides accipientis: Sacramenta enim consistere in promissione, quæ non accipitur nisi fide.

Tertia est aliorum sententia, qui, quoad modum loquendi, proxime accedunt ad veritatem, tamen re ipsa parum dissentiant a Calvino, et multum dissentiant ab Ecclesia. Hi dicunt, verba certa requiri ad consecrationem, quæ non historice tantum, sive ad instruendum, sed etiam ad consecrandum adhibeantur. Hæc est Kemnitii sententia loco citato, quæ in quatuor, ut ipse eam exponit, differt a sententia Catholicorum. Primo existimat ipse, ad essentiam formæ pertinere omnia verba, quæ Dominus in institutione locutus est, nimirum: Accipite et manducate etc. et inde Catholicos reprehendit, quod formam consecrationis valde mutilaverint. In quo tamen, vel fallitur, vel mentitur; nos enim in Missa etiam illa verba dicimus: Accipite et manducate etc. licet ea distinguamus a verbis, quæ sunt de essentia formæ. Quare non mutilamus verba Domini sed tantum indicamus, quæ in eis verbis ad essentiam formæ pertineant.

Secundo dicit, sola Christi verba debere pronuntiari; ex quo arguit Catholicos, quod quædam addiderint, ut ex canone Missæ perspicuum est. Sed in hoc etiam fallitur, aut mentitur. Nam verba omnia quæ dicimus, Christi sunt, licet non ex eodem loco habeantur, ut infra ostendemus; et præterea verba illa, quæ adduntur, ut *enim*, in forma consecrationis corporis, et, *mysterium fidei*, in forma consecrationis sanguinis, non putamus ad essentiam formæ pertinere.

Tertio affirmat, verba consecrationis pronuntiari quidem a ministro, sed non pendere ullo modo a personæ ipsius qualitate, ut consecratione, vel intentione. Et hinc distinguit suam sententiam a sententia Catholicorum, quod nimirum ipse dicat, consecrationem fieri a Deo per os ministri; Catholici autem existiment consecrationem esse opus hominis, et ideo considerent an sacerdos sit consecratus, et an intentionem habeat etc. Sed

in hoc tertio valde Kemnitijs aperte fallitur. Catholici enim non negant, consecrationem esse opus Dei per ministrum, sed dicunt Deum non uti ministerio humano in hac re, quomodo uteretur ministerio picæ, aut asinæ Balaam, sed uti ministerio hominis, ut homo est, quomodo utuntur Principes ministerio legatorum, aut iudicum; et proinde non posse quemlibet esse ministrum, sed eum solum, qui Deo ad hoc ordinatus est. De qua re disputavimus fuse in libris de Sacramentis in genere.

Quarto dicit, verba Sacramentalia non debere recitari mere historice, ut nimirum Calvinistæ faciunt; nec etiam ita ut magicum quid sonare videantur, ut videlicet Catholici faciunt, sed ita ut Deo operante efficacia sint ad faciendum, ut panis sit, et dicatur corpus Christi, et vinum sit, et dicatur sanguis, quod ex natura sua illis non conveniebat. Est autem hoc loco diligenter notandum verba Kemnitii aliud sonare, aliud significare. Nam dedita opera obscure loquitur, quia facile non poterat a Calvinismo recedere, quin in sententiam Catholicorum veniret; neque contra, a sententia Catholica recedere, quin in Calvinismum laberetur. Revera autem in Calvinismum labitur, licet in modo loquendi ab eo alienissimus videatur.

Cum igitur dicit, ac sæpius repetit, per verba Sacramentalia panem fieri corpus, et vinum fieri sanguinem, non idem affirmat quod similibus verbis Catholici solent. Nam nos Catholici dicimus verba Sacramentalia ex divina institutione esse vera instrumenta consecrationis, ita ut vim habeant tanquam instrumenta Dei, convertendi panem in corpus Domini, et vinum in sanguinem Domini, et hoc illi impie et blasphemè magiam, et incantationem vocant; ipse autem vult verba esse efficacia, ut instrumenta Dei, non ad faciendam conversionem panis in carnem, sed ad significandam præsentiam corporis Christi cum pane. Nam quod hoc solum tribuat verbis Sacramentalibus, perspicuum est primo, quia ipsi non credunt mutari panem in corpus Domini; ergo non tribuunt verbis efficaciam veram mutandi panem in corpus Domini; secundo, sentiunt ipsi (ut supra ostendimus) corpus Christi esse ubique; ergo verbà non faciunt, ut corpus Christi insipiat esse præsens. Tertio, Joannes Brentius, a quo in hac re non dissentit Kemnitijs, aperte docet, verba consecrationis non facere, sed annuntiare solum præ-

sentiam corporis Christi. Nam in libro contra Henricum Bullingerum, qui inscribitur Recognitio, illo argumento probat oportere Lutheranos credere Ubiquitatem corporis Domini, quia alioqui non possent probare præsentiam corporis Domini, nisi per efficaciam consecrationis papisticæ; atque ita cogentur fateri, verba Domini non solum annuntiare præsentiam corporis Domini, sed etiam facere. Quarto, si Kemnitijs veram efficaciam mutandi substantiam panis tribueret verbis Sacramentalibus, sine dubio non objiceret nobis magicam incantationem, nisi etiam sibi eam communem esse vellet. Quinto denique, ipse ibidem Kemnitijs cum explicat quomodo per verba illa panis fiat corpus Christi, nihil aliud dicit, nisi nos certos reddi per ea verba, distribui in cœna Domini verum corpus, et sanguinem Christi: ergo ex ejus sententia per verba panis fit corpus, quia significatur, et annuntiatur præsentia corporis Domini, ut alii clarius dixerunt.

Hinc habemus, Kemnitium verbis quidem admittere verba Domini esse consecratoria, reipsa autem non agnoscere ullam veram consecrationem, sed solam instructionem fidei: quæ sententia refutata est in libris de Sacramentis in genere. Nos igitur hoc loco probare conabimur, contra Græcos, et alios sive schismaticos, sive hæreticos, verba Domini: *Hoc est enim corpus meum, et Hic est enim calix sanguinis etc.* et necessario requiri, et sola sufficere ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum: proinde reliqua, quæ in Liturgiæ actione pronuntiantur, sive sint lectiones, sive preces, utiliter quidem adhiberi ad præparandos animos ad tam magnum mysterium, non tamen in eis vim ullam inesse ad Sacramentum conficiendum.

### CAPUT XIII.

*Solis Domini verbis fieri consecrationem.*

Primum igitur id probatur exemplo Domini, et Apostolorum. Nam ut Evangelistæ referunt Matthæus cap. xxvi. Marcus xiv. et Lucas xxii. et Paulus I Corinth. ii. Dominus cum Sacramentum hoc instituit, et primus confecit, non solum non jussit legi epistolam ad Corinthios, quæ nondum exstabat, sed nec ullam aliam lectionem, neque ullam habuit concionem. Pari ratione Apostoli ante-

quam scriberentur Evangelia et epistolæ, nihil legebant, nisi forte Psalmos, vel, ut S. Gregorius scribit lib. 7. epist. 63. solam orationem Dominicam ad consecrationem addebant. Neque B. Paulus 1 Corinth. II. jubet, ut illud caput, aut aliud ejusmodi deinceps legatur. Præterea Dominus verba illa : *Hoc est corpus meum*, et *Hic est calix sanguinis*, non historice, recitavit, sed significative, ut notum est. Calvinistæ igitur, qui illa verba historice recitant, et tanquam essentiam Sacramenti, lectionem et concionem adhibent, non sequuntur Domini institutionem, sed capitis sui somnia, et figmenta.

Ex eodem Domini exemplo, et Græci refelli possunt. Dominus enim nec dixit, nec dici jussit illas præces : « Fiat hic panis corpus Christi, et hoc vinum sanguis Christi ; » sine quibus non existimant ipsi Sacramentum rite confici posse. Nam si ea Dominus dixisset aut dici jussisset, id haberemus in Scriptura, vel in traditione. In Scriptura non habemus, solum enim Evangelistæ referunt, Dominum egisse gratias Patri, et panem benedixisse, ac dixisse : *Accipite, manducate, Hoc est corpus meum etc.* Quibus verbis Dominus gratias egerit, non constat. Nec possunt Græci illa sua verba : « Fiat hic panis corpus Christi tui etc. » includere in illis verbis Evangelii ; *Gratias agens*, non enim ista verba sunt gratiarum actionis, sed petitionis cujusdam. Benedictio autem, aut illis verbis facta est : *Hoc est corpus meum*, et *Hic est sanguis meus*, ut Catechismus Romanus, et Theologi communis docent : aut certe in Evangelio non habetur, quibus verbis, Dominus benedixerit : nullus etiam veterum tradidit Dominum usum fuisse illis verbis : « Fiat hic panis corpus Christi etc. » Ergo neque ex Scriptura, neque ex traditione probari potest, Græcos id facere quod Dominus fecit, aut fieri jussit.

Neque obstat, quod in Liturgia S. Jacobi, et aliorum Patrum habeantur illa verba : « Fiat hic panis corpus Christi tui. » Nam non omnia, quæ in Liturgia habentur, deprompta sunt ex Domini exemplo, aut præcepto ; constat enim multa esse addita ab aliis. Itaque probare deberent Græci aliquo testimonio, quod tamen non possunt, verba illa ex Domini verbis, aut factis manasse.

Jam vero ex eodem loco probemus, formam Latinæ Catholicæ Ecclesiæ ex Christi exemplo, et præcepto rectissime defendi. Ac primum, quod Dominus dixerit ea verba, quæ nos dicimus, dum Eucharistiam conse-

cramus, Evangelistæ, et Paulus Apostolus disertis verbis testantur. Sed probandum est, quod Dominus illis verbis consecraverit, et quod jusserit ea a nobis dici, et tandem, quod illis verbis a nobis prolatis continuo fiat consecratio.

Quod attinet ad Christi exemplum, sententia communis non solum Theologorum recentiorum, sed etiam veterum Patrum est, Christum consecrasset illis verbis : *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*. Ita enim docent Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Ambrosius, et alii ; quæ Patrum testimonia paulo infra afferemus. Præterea sunt urgentissimæ rationes. Nam si Dominus alio modo consecrasset, alio nos consecrare vellet, non dixisset : *Hoc facite*. Deinde sacerdos in persona Christi consecrat ; et ideo non dicit, Hoc est corpus Christi, sed : *Hoc est corpus meum*, et nihil est aliud nostra consecratio, quam repetitio illius primæ, quæ a Christo facta est, ut Chrysostomus scribit homil. 83. in Matthæum. At quomodo in persona Christi id facimus, et quomodo ista est illius primæ repetitio, si Christus sola voluntate, nos verbis consecramus ? Denique conveniunt omnes, Dominum instituisse Sacramentum Eucharistiæ, cum ipse primus Eucharistiam consecravit ; ergo oportuit eum non solum consecrare, sed etiam consecrare ritu Sacramentali, et illo ipso ritu, quo deinceps nos uti debebamus. At consecrare sola voluntate, non est consecrare ritu Sacramentali, sed est miraculo quodam extraordinario effectum producere Sacramentalis consecrationis, sive Sacramentali consecratione, quemadmodum cum idem Dominus Magdalenam absolvit sola potestate, non censetur Sacramentum instituisse, quia id non fecit ritu Sacramentali.

Quod illa verba ex Domini præcepto a nobis dici debeant, quidquid dicat Bucerus, patet ex illis verbis, *Hoc facite* ; illud enim jubet, ut totam actionem Christi imitemur. Christus autem non benedixit, et fregit panem sine ulla prolatione verborum, sed dicendo : *Hoc est corpus meum*. Neque obstat, quod non dixerit, Pronuntiate hæc verba : satis enim est, quod jusserit nos imitari ipsius actionem, præsertim cum accedat universæ Ecclesiæ perpetua consuetudo, quæ nunquam ista verba frequentasset in actione Missæ, nisi intellexisset hoc esse a Domino præceptum. Et est simile de Baptismo. Nam nusquam dixit Dominus, Baptizate dicentes,

Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et tamen non solum Ecclesia, sed etiam Lutherani, et Calvinistæ utuntur istis verbis in Baptismo, ac sentiunt ita Dominum præcepisse.

Quod autem post illa verba recitata, statim adsit corpus Domini, et sanguis, et proinde vi illorum fiat consecratio, probatur: quia alioqui verba essent falsa: si differretur præsentia corporis Domini, usque ad aliorum verborum recitationem, ut Græci volunt; non enim Dominus dixit, Hoc erit, sed: *Hoc est corpus meum*. Unde etiam supra in disputatione de transubstantiatione ostendimus, illa verba Domini non posse defendi ut vera, nisi per illa fiat transmutatio panis, et vini in corpus, et sanguinem Domini. Idem patet ex consuetudine Ecclesiæ, quæ est, ut mox prolatis illis verbis Domini, Eucharistia demonstretur populo, et adoretur: quod certe nullo modo fieri deberet, si nondum esset facta consecratio. Adde ultimo, morem esse Græcorum, ut Bessarion Cardinalis Græcus refert, in libro de verbis consecrationis, ut verba Domini: *Hoc est corpus meum*, et *Hic est sanguis, etc.* alta voce proferantur, et populus ut atque respondeat, *Amen*. Et rursus, ut verbis illis prolatis continuo a Diacono demonstrentur populo oblata: qui duo ritus aperte declarant, etiam apud Græcos consecrari panem, et vinum per sola verba Dominica, licet contrarium sentiant aliqui ipsorum Doctores. Nam, *Amen*, est particula confirmantis; quomodo autem Græci populum docent, ut respondeat *Amen* ad illa verba: *Hoc est corpus meum*: si non vere est corpus Domini, sed merus panis, dum dicitur *Amen*? et cur, quæso, Diaconus ostendit oblata post illa verba immediate, si revera nondum facta est transmutatio?

Secundo, probatur hæc veritas ex traditione Ecclesiæ, et Patrum. Ac primum contra Lutheranos, et Calvinistas, quod verba consecrationis Eucharistiæ dicantur ad panem benedicendum et mutandum, non ad populum instruendum, perspicuum est ex omnibus Liturgiis etiam antiquissimis, ut Clementis, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, et Romana, quæ S. Petri esse censetur, et omnibus omnino, quæ usquam exstant. Nam in omnibus verba Domini: *Hoc est corpus meum*, et *Hic est sanguis*, recitantur seorsim, et non solum in lectione epistolæ ad Corinthios, ut Calvinistæ faciunt: et recitantur certo ritu, et admixtis precibus ante, et post.

ut plane appareat fieri Sacramentum, non concionem. Quare ritus cœnæ Calvinistarum non solum est novus, sed plane inauditus in antiqua Ecclesia.

Deinde, sancti Patres dicunt corpus Domini fieri mystica prece, aut invocatione divini nominis, aut solemni benedictione, aut gratiarum actione, aut certa consecratione: quæ omnia evidenter ostendunt; verba illa non dici ad instruendum populum, sed ad panem ipsum sacrandum. Justinus Apolog. II. dicit, prece fieri Eucharistiam. Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 4. dicit mystica prece. Idem Cyprianus lib. I. epistolæ ult. Cyrillus Catech. 3. et 4. mystag. et Eusebius Emisenus serm. 5. de Paschate dicunt invocatione summi nominis fieri Eucharistiam. Cyrillus Alexandrinus lib. XI. in Joan. cap. 24. et alii passim, dicunt benedictione fieri, imo ipse Apostolus I. Corinth. X.: *Calix benedictionis, cui benedicimus*. Irenæus lib. IV. cap. 57. « Quomodo, inquit, constabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ sunt, esse corpus Domini sui etc. » Ubi vides gratiarum actione fieri corpus Domini. Denique Augustinus lib. XX. contra Faustum, cap. 13. « Panis noster, inquit, et calix certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur: et quod non ita fit, alimentum est refectionis, non Sacramentum religionis. » Quare si ab Augustino quis quæreret quid de cœna Calvini sentiret, responderet, alimentum esse refectionis, non Sacramentum religionis.

Atque hæc pauca contra Lutheranos sufficiant: nunc contra Græcos afferamus testimonia Patrum Græcorum et Latinorum. Justinus in secunda Apologia prope finem dicit, panem fieri corpus Domini per preces verbi Dei. Quæ sint autem illæ preces, ipse paulo post exponit, cum dicit, haberi in Evangeliiis, et esse illa verba, quæ Dominus dixit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; Irenæus lib. V. cap. 1. dicit, mixtum calicem, et panem percipere verbum Dei, et tunc fieri Eucharistiam. Non est autem aliud verbum Dei in consecratione Eucharistiæ, nisi: *Hoc est corpus etc.* nam illa verba, quæ Græci addunt, non sunt verba Dei, sed preces ab hominibus excogitate.

Tertullianus lib. IV. in Marcionem disertis verbis ait, Christum acceptum panem corpus suum fecisse, dicendo: *Hoc est corpus meum*. Cyprianus non minus perspicue in serm. de cœna Domini, et Christum his verbis consecrasset, et nos iisdem consecrare debere

affirmat: « Hoc est, inquit, corpus meum. Manducaverant, et biberant de eodem pane, secundum formam visibilem: sed ante verba illa, cibus ille communis tantum nutriendo corpori commodus erat, et vitæ corporalis subsidium ministrabat. Sed ex quo a Domino dictum est, Hoc facite in meam commemorationem, hæc est caro mea, et hic est sanguis meus: quotiescumque his verbis, et hac fide actum est, panis iste substantialis, et calix benedictione solemniter saeratus, ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum, et holocaustum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates existens. » Hæc ille.

Gregorius Nyssenus in orat. Catechetica apud Euthymium in Panoplia titul. 21: « Panis, inquit, statim per verbum in corpus mutatur, ut dictum est a Verbo, Hoc est corpus meum. » Et supra dixerat, panem verbo Dei sanctificatum, mutari in corpus Domini: non est autem verbum Dei, oratio illa Græcorum. Ambrosius lib. iv. de Sacram. cap. 4. « Cum, inquit, venit, ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. » Et cap. 5. explicat quæ sint verba Domini, quibus hoc Sacramentum conficitur, et recitat illa: *Hoc est corpus meum etc.* et in lib. de initiandis mysteriis cap. 9. « Ipse clamat Dominus Jesus: Hoc est corpus meum, ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecrationem, corpus Christi est. »

Chrysostomus hom. 2. in II ad Timoth. « Quemadmodum, inquit, verba quæ locutus est Christus, eadem sint quæ sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita et oblatio eadem est; eadem quoque Baptismi ratio est. » Hæc ille. Ubi illud est observandum Chrysostomum probare voluisse, nihil minus habere Eucharistiam quæ conficitur a malo sacerdote, ab ea, quæ conficitur a bono, etiamsi ille sit B. Petrus, aut Christus ipse. Id autem probat, quia semper Eucharistia efficitur virtute eorundem Christi verborum; certum autem est Christum non dixisse verba illa, quibus Græci utuntur: « Fiat hic panis corpus Christi tui etc. » Quare ex sententia Chrysostomi falsa est Græcorum recentiorum sententia. Idem Chrysostomus in serm. de prodicione Judæ: « Hoc est, ait, corpus meum. Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dixit, Crescite et multiplicamini, et replete terram, se-

mel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita et vox illa semel dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernam diem, et usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. »

Ad hunc locum respondere conati sunt Nicolaus Cabasilas, et post eum Marcus Ephesinus. Dicunt autem sententiam Chrysostomi esse, verbo Domini consecrari panem, sed cooperante prece sacerdotis: sicut etiam illis verbis: *Crescite et multiplicamini*, producuntur animantia, sed non sine cooperatione naturalium causarum.

Hanc solutionem multis verbis refellit Besarion in suo lib. de verbis consecrationis. Summa est, discrimen inter illa verba: *Crescite et multiplicamini*; et ista: *Hoc est corpus meum*, ex ipso Chrysostomo sumi debere. Ipse enim dicit, illa verba: *Crescite et multiplicamini*, esse efficacia operante natura, quia nimirum Deus per illa verba nihil immediate produxit, sed tantum tribuit naturæ fecunditatem, et instituit, ut quodcumque tales causæ existerent, talis etiam sequeretur effectus. Ista autem verba: *Hoc est corpus meum*, non dicit Chrysostomus, esse efficacia operante humana prece: sed simpliciter dicit, Christum per illa operari. Sicut enim in prima cœnæ institutione, Christus per illa verba sua sine ullius humanæ precis cooperatione corpus suum ex pane fecit: ita etiam nunc per illa eadem verba idem opus facit. Sed de Chrysostomo hætenus.

Augustinus serm. 28. de verbis Domini: « Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur in altari, panis dicitur; ubi verba Christi deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus appellatur. » Et apud Gratianum de consecrat. dist. 2. ean. Utrum, dicit Augustinus eandem esse Eucharistiam a bono et malo consecratam, quia non merito precantis, sed verbo efficitur Creatoris. Eusebius Emisenus sermon. 5. de Paschate. « Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis, et sanguinis sui, verbo suo secreta potestate convertit, ita dicens: Accipite et edite, Hoc est corpus meum: et sanctificatione repetita, Accipite et bibite, Hic est sanguis meus. » Isichius lib. vi. in Levit. cap. 22. Per ejus virtutem, et prolatum ab eo verbum, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis sensum excedunt. Joannes Damascenus lib. iv. cap. 14. de fide: « Dixit, inquit, Dominus. Hoc

est corpus meum, et, hoc facite in meam commemorationem: et omnipotenti ejus præcepto efficitur donec veniat.» Paschasius lib. de corpore Domini, cap. 12. « Virtute Spiritus sancti per verbum Christi, fit sanguis Domini. »

Denique idem habent Alcuinus lib. de divin. offic. cap. de Missa; Amalarius lib. III. de offic. Ecclesiast. cap. 24. Andelmannus in epist. ad Berengarium, et omnes Latini scriptores posteriores.

Atque hæc quidem sunt testimonia contra Græcos, quibus addi possunt rationes. Prima est hujusmodi. Eadem ratio est Baptismi et Eucharistiæ, ut Chrysostomus docet in 2. hom. in II. epist. ad Timoth. et Augustinus apud Gratianum distinct. 2. de consecr. can. Utrum. At in Baptismo id, quod Sacramentum facit, non sunt humanæ preces quæ præcedunt, vel sequuntur infusionem aquæ; sed illa verba Domini: « Baptizo te, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » sive ut Græci dicunt: « Baptizetur talis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, » quæ dicuntur dum infunditur aqua, ut omnes fatentur, et inde manifeste colligitur, quia si quis solis illis verbis baptizetur, « Ego te baptizo etc. » nulla adjuncta prece, censeatur ab omnibus baptizatus, nec vel ab ipsis Græcis rebaptizaretur. Ergo in Eucharistia id, quod Sacramentum facit, non sunt preces humanæ, sed verbum Domini: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis etc.* alioqui unum Sacramentum verbo Domini conficeretur, aliud autem verbis hominum.

Secunda ratio est. Sacramenti confectio debet esse certissima, sive a bono, sive a malo ministro fiat; ergo non debet pendere ab humana prece, nisi constet de pacto absoluto, et promissione facta ejusmodi precibus a Deo. Nam sine ejusmodi pacto preces humanæ non necessario sunt impetratoriæ, præsertim si a malo ministro fiant: non autem constat tale aliquod pactum factum esse a Deo de exaudienda oratione illa Græcorum.

Neque valet responsio Cabasilæ, qui dicit Sacramentalium precum effectum esse certissimum, quia Deus promisit se exauditurum: et ponit exemplum de extrema Unctione, quæ est Sacramentum, et tamen ejus forma sunt preces sacerdotis. Hoc, inquam, non valet, nam in extrema Unctione habemus promissionem Dei expressam in sacris litteris Jacobi ult. et eodem modo sentiendum

est de aliis formis Sacramentorum, sive habeant formam precum, sive non, modo constet ex verbo Dei, aut ex testimonio Ecclesiæ, talia verba esse formam Sacramenti. Græci autem non possunt ostendere ex verbo Dei, neque ullo testimonio Ecclesiæ illas suas preces esse formam Sacramenti, aut illis annexam esse divinam promissionem. Et confirmatur ex doctrina S. Augustini. Nam lib. VI. contra Donatistas, cap. 23. cum objecissent quidam, precibus hæreticorum non posse aquam sanctificari, et ideo Baptismum ab hæreticis datum non esse ratum: respondit Augustinus, quidquid sit de precibus illis, quæ simul cum verbis Evangelicis in Baptismo dici solent, Deum adesse verbis Evangelicis, quibus jussit Baptismum dari, et ideo si illa verba recte pronuntientur, Baptismum ratum esse: etiamsi preces adjunctæ, non solum ab hæretico dicantur, sed etiam fortasse hæreticæ sint; quia nimirum promissio divina alligata est verbis Evangelicis, non humanis precibus.

Tertia ratio est. Quia fatentur Græci, Christum consecrasset Eucharistiam verbis illis: *Hoc est corpus meum*, sine aliis precibus: id enim præter antiquos, quorum testimonia citavimus, ipse etiam Cabasilas fatetur in explanatione Liturgiæ, cap. 30. et Latini etiam fere omnes. Tametsi enim Innocentius III. lib. IV. de mysteriis Missæ, cap. 6. opinatus sit Christum nullis verbis consecrasset: id tamen communiter refelli solet; et ipse idem Innocentius in epistolis decretalibus cap. Cum Marthæ, de celebratione Missarum, admittit Dominum consecrasset illis verbis, quæ in Evangelio habentur. Igitur videtur evidenter sequi, etiam nos solis illis verbis consecrare; nam Dominus ait: *Hoc facite*, nimirum quod ego feci.

Quarta ratio. Omnium consensu, sacerdos consecrat in persona Christi, sive quod idem est, Christus consecrat per os sacerdotis: ut sæpe Chrysostomus dicit, et habetur etiam in Concilio Florentino in instructione Armenorum. At illa sola verba: *Hoc est corpus meum, etc.* dicuntur a Christo per os sacerdotis; illa enim alia: « Fac panem istum pretiosum corpus Christi tui, » non dicuntur in persona Christi, sed plane in persona ministri, ut minister est a Christo distinctus, ut patet. Consecratio igitur non fit aliis verbis, quam illis, quæ a Christo initio prolata sunt.

Quinta ratio. Si esset vera Græcorum sententia simul fierent corpus, et sanguis Do-

mini; nam ipsi una oratione utramque speciem consecrant; at Dominus seorsim, et diversis verbis consecravit, primo corpus, deinde sanguinem, ut ex Evangeliiis apertissime constat.

#### CAPUT XIV.

*Solvuntur objectiones Græcorum et Latinorum contra formam consecrationis Eucharistiæ.*

Nunc ad argumenta ipsorum veniamus. Ac primum Græci argumentum petunt ex Liturgia S. Clementis, quæ habetur lib. VIII. constitut. Apostol. cap. 12. alias 17. S. Jacobi, S. Basilii, et S. Chrysostomi, in qua post verba Domini recitata: *Accipite, manducate, hoc est corpus meum, etc.* habetur illa oratio: « Fac Domine, panem istum corpus Christi tui etc. » non enim panem appellarent sancti isti Patres, neque peterent mutari in corpus Domini, si id jam esset factum per verba Domini antea recitata.

Respondeo: Tres solutiones dari possunt ad hæc loca. Prima est, fortasse mutatum esse ordinem istarum Liturgiarum, et hanc orationem: « Fac panem istum etc. » debere collocari ante verba Domini, non post ea. Ita sensisse aliquos testatur Bessarion in suo lib. de verbis consecrationis; et conjectura non levis esse potest hujus mutationis, quod in Liturgia Romana habeatur similis oratio ante verba Domini. Sic enim nos dicimus: « Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus, et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui pridie quam pateretur etc. » quo ordine ista omnia recitat etiam Ambrosius lib. IV. de Sacramentis, cap. 5. Non est autem verisimile, Ambrosium et Basilium, qui coætanei fuerunt, tam diverso ordine Liturgiam celebrare consuevisse.

Secunda solutio est, quam attingit Bessarion loco citato, oratione illa Græcorum non peti, ut verba sonare videntur, mutationem panis in corpus Domini, quippe quæ jam facta est; sed peti confirmationem, et stabilitatem rei jam factæ, non quod sacerdos timeat,

ne evanescat munus jam consecratum, sed ut ostendat desiderium suum, et amorem erga præsentiam Dominici corporis. Similis locutio est Marc. 5. ubi mulieri, quæ sanata jam fuerat per contactum fimbriæ Domini, Christus ait: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace, et esto sana a plaga tua.* Ubi illud: *Esto sana*, non significat, Volo ut saneris; jam enim sana erat: sed idem est, ac si dixisset, Placet quod sanata sis: ratum habeo, quod factum est. Similis locutio est Luc VII. ubi primum dicitur de Magdalena: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* et postea tamen Dominus eidem dicit: *Remittuntur tibi peccata tua* (1); quasi tunc primum dimitterentur, cum tamen antea jam remissa fuissent.

Tertia solutio, eaque omnium solidissima est, per ea verba non peti absolute, ut panis fiat corpus Domini, sed ut nobis fiat, id est, ut panis ille consecratus, qui revera jam est in se corpus Domini, fiat per effectum nutritionis spiritualis etiam nobis corpus Domini: *Qui enim indigne manducant*, ut Paulus ait I. Corinth. XI. *judicium sibi manducant* (2). Hanc esse veram intelligentiam illarum precum, probari potest multis modis. Primo, quia in Liturgia Clementis et Basilii, non dicitur: « Fac panem istum corpus Christi, » sed « Ostende panem ipsum corpus Christi etc. » Neque dubium est, quin Jacobi, et Chrysostomi Liturgiæ, quæ habent (*Fac*) idem significare voluerint: porro *Ostende panem esse corpus Domini* significat, Ostende per effectum salutarem in mentibus nostris, istum panem sanctificatum, non esse panem vulgarem sed celestem.

Secundo idem patet ex similibus precibus, sed clarioribus, quæ habentur in Liturgia Latina. Nam ante consecrationem (ut supra notavimus) dicit: « Fiat nobis corpus, et sanguis: » non autem fiat simpliciter; et post consecrationem iterum petimus idem per illa verba: « Jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum etc. » ubi id solum petimus, ut sacrificium nobis sit utile.

Tertio denique idem patet ex confessione multorum Græcorum, qui in ultima sess. Concilii Florentini interrogati a summo Pontifice Eugenio, cur post consecrationem Eucharistiæ dicerent illas preces, quibus videtur peti consecratio, responderunt se nihil

(1) Luc. VII, 47 et 48. — (2) I Corinth. XI, 29.



dubitare, quin consecratio fieret per verba Christi; illas autem preces addi, ut peteretur a Deo nobis utilitas ex tanto sacrificio, eo modo, quo Latini idem petunt per illam orationem : « Jube hæc perferri. »

Duæ aliæ solutiones ad idem argumentum sunt apud Bessarionem; sed eæ minus solidæ esse videntur.

Secundum argumentum sumunt ex testimonio S. Dionysii Arcopagitæ, qui in lib. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. post illa verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, ponit consecrationem Eucharistiæ. At verba Domini : *Hoc est corpus meum*, dicuntur ante illa : *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo ex Dionysii testimonio, consecratio non fit per verba Domini : *Hoc est corpus meum*.

Respondeo : Dionysius non explicat quibus verbis fiat consecratio, neque quid ante illa verba : *Hoc facite*, dictum fuerit; neque etiam quid post illa : quare incertum est, quid sibi Dionysius velit. Probabile autem est, in Liturgia, qua utebatur Dionysius, bis fuisse illa verba : *Hoc facite*, semel in oratione quadam, quæ se excusat Sacerdos, quod audeat tantum munus aggredi; quia Dominus ipse id jussit dicens : *Hoc facite*, et hujus orationis meminit eo loco Dionysius; et rursus postea in loco proprio peracta consecratione, ut in omnibus Liturgiis habentur.

Tertium argumentum sumunt ex Joanne Damasceno, qui lib. iv. cap. 14. dicit Basilium in Liturgia vocare panem Eucharistiæ, antitypa corporis Domini ante consecrationem, non autem post consecrationem : et idem habet Epiphanius ille, qui in VII. Synodo, actio. 6. disputat pro Catholicis contra Iconomachos. Apud Basilium autem habetur illa vox : ἀντίτυπα post verba Domini : *Hoc est corpus meum*, non autem post illam orationem, qua Græci recentiores existimant fieri consecrationem; ergo existimarunt Damascenus, et Epiphanius, consecrationem non fieri per verba Domini, sed per illam orationem, quæ post verba Domini recitatur.

Respondeo : Aliqui suspicantur tempore Damasceni, et Epiphanii, Liturgiam Græcam alium ordinem habuisse, quam modo habeat, et illa verba, ubi panis Eucharistiæ vocatur antitypum corporis Domini, et rogatur Deus, ut illum efficiat corpus Domini, fuisse posita ante recitationem illorum verborum Domini : *Hoc est corpus meum etc.* et ideo recte dixisse Damascenum et Epiphanium, panem vocari a Basilio antitypum ante consecrationem,

non postea. Sed hæc solutio non videtur habere locum. Nam S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui fuit Damasceni, et Epiphanii æqualis; in theoria rerum Ecclesiasticæ. exponens Liturgiam, quæ suo tempore erat in usu, aperte indicat habuisse eam Liturgiam illum ipsum ordinem, quem modo habet : quare si mutatio facta est, ut supra diximus : improbable non esse, certe facta est ante tempora Damasceni.

Alia igitur solutio dari potest, juxta ea, quæ diximus in 2. solutione ad primum argumentum Græcorum. Nam quemadmodum diximus verba illa : « Fac panem istum corpus Christi tui, » sonare quidem mutationem panis in corpus tamquam futuram : tamen revera non significare nisi confirmationem rei factæ, ut ibi explicuimus; sic etiam dicendum est, vocem (antitypa) ex sententia Damasceni, et Epiphanii usurpatam esse a Basilio eo loco, quia loquebatur de pane, ac si nondum consecratus esset, licet revera esset consecratus, et non esset amplius antitypum, sed ipsa veritas. Quod igitur Damascenus, et Epiphanius dicunt, antitypa vocari ante consecrationem, referendum est ad modum loquendi, non ad ipsam realem consecrationem : nam etiamsi tunc facta esset consecratio, tamen quoad modum loquendi significabatur ut futura.

Quartum argumentum est Nicolai Cabasilæ, qui contendit ex nostra Missa probari posse, consecrationem fieri post verba Domini. Dicit enim illa verba : « Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, etc. » significare panem transferri per manus Christi, qui est magni consilii Angelus, in sublime altare, id est, ut sit corpus Domini, etc.

Respondemus, hanc esse depravationem, non expositionem canonis nostri : nullus enim unquam ita exposuit, sed omnes intelligunt, orari illis precibus, ut sacrificium, quod visibiliter offertur manibus Sacerdotis, offeratur in cælo invisibiliter per manus Christi, et sit Deo acceptum ministerium, et devotio nostra.

Quintum argumentum est; Patres passim scribunt Eucharistiam precibus, et invocatione Dei consecrari, ut patet ex testimoniis citatis contra Lutheranos. Sed illa verba : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis*, non habent formam precum, neque invocationis; ergo non consecratur illis verbis Eucharistia, sed prece consequente, ut Græci volunt.

Respondeo duplici de causa Patres consecrationem vocant preces, vel invocationes, vel etiam gratiarum actionem, aut benedictionem : Una causa est, quia per consecrationem interdum accipiunt totam Liturgiam, vel certe totam actionem, quam nos canonem vocamus ; et quia in ea actione sunt preces, gratiarum actiones, benedictiones, invocationes, etc., ideo Patres nunc ab una parte, nunc ab alia totam actionem denominant. Quando autem indicare volunt, quorum verborum virtute fiat consecratio, tunc separant verba Domini Evangelica ab aliis verbis precum, et invocationum, quæ adhibentur in Missa, ut patet ex Ambrosio lib. iv. de Sacramento, cap. 4. et ex Augustino lib. vi. contra Donatistas, cap. 23. et alibi. Altera causa est, quia ipsa etiam verba Domini : *Hoc est corpus meum*, et omnium aliorum Sacramentorum formæ, ut proferuntur a Sacerdote cum intentione Sacramentum faciendi, continent implicite invocationem divinæ virtutis, quæ est causa primaria effectus Sacramentalis : intendit enim Sacerdos per illa verba ut instrumenta Dei, consecrationem efficere.

Sextum argumentum pro Græcis. Possunt verba duobus modis dici, aut narrative, ac recitative, aut significative. Ut exempli causa, cum ex Evangelio recitamus, dixisse Judæos de Christo : *Hic blasphematur*, illa verba (hic blasphematur) a Judæis dicebantur significative, id enim significare volebant, Christum esse blasphemum : a nobis autem non dicuntur significative, sed tantum narrative, non enim significare volumus Christum blasphemum, sed Judæos hoc dixisse. Hac distinctione posita, est hoc argumentum. Verba illa : *Hoc est corpus meum*, vel dicuntur a Sacerdotibus recitative, vel significative. Sed neutro modo possunt esse forma sacramenti ; igitur non sunt ista verba forma Sacramenti. Probatur assumptio. Nam si verba ista dicerentur recitative. Primo, sequeretur per illud, *Hoc*, demonstrari panem qui fuit in manibus Christi, non istum, qui est in manibus Sacerdotis, ac proinde non consecraretur panis, qui consecrandus proponitur in altari. Secundo, sequeretur non posse consecrari quidquam his verbis. Nam verba consecrant, dum faciunt, quod significant ; ista autem nihil significant, cum dicantur materialiter tantum, et non significative. Si autem dicerentur significative, primo illud : *Hoc est corpus meum*, demonstraret corpus Sacerdotis, non Christi : ac dicere oporteret, *Hoc est corpus Christi*.

Secundo, omnia verba præcedentia clamant non dici significative, seu recitative, cum legamus : « Accipit panem in sanctas ac venerabiles manus, etc. » Et infra : « Benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, etc. »

Respondeo, verba illa dici utroque modo, et recitative, et significative ; in cujus rei gratiam notanda sunt tria. Primum est, in actione Liturgiæ, Sacerdotem aliquando agere personam suam, aliquando personam Christi. Nam quando confitetur peccata sua, quando orat, quando laudat Christum, agit sine dubio personam suam, non Christi ; quando dicit : *Hoc est corpus meum*, agit personam Christi. Quare vestes illæ sacræ partim significant Christi passionem, cujus personam Sacerdos agit, partim etiam virtutes Sacerdoti necessarias.

Secundum est, in hac actione longe aliter Sacerdotem agere personam Christi, quam in aliis Sacramentis. Nam in aliis agit quidem, ut Christi minister, tamen loquitur in persona sua, ut cum dicit : Ego te baptizo, ego te absolvo ; quomodo etiam prætor, licet sit minister regis, tamen in persona sua propria loquitur, cum sententiam dicit pro tribunali. At in consecratione Eucharistiæ, Sacerdos non solum agit, ut minister Christi, sed induit omnino Christi personam, et loquitur, ac si ipse esset Christus ; quomodo Exod. iii. Angelus dicit : *Ego sum Deus Patris tui*. Et aliquando legati regum referentes personam principum suorum, admittunt honores, qui regibus ipsis debentur.

Tertium est, Sacerdotem in actione Liturgiæ, usque ad illa verba : « Qui pridie quam pateretur », agere personam suam, non Christi, ut patet ; quia eousque orat, vel laudat : ab illis autem verbis, usque ad finem consecrationis, agere personam suam et Christi, et ideo recitative simul, et significative verba pronuntiare ; intendit enim recitare, quid Christus egerit, et dixerit, et simul omnia imitari in persona Christi, ac si Christus per ipsius ministerium iterum omnia faceret, et diceret, sicut reuera invisibiliter ita fit. Et hinc est, quod cum dicit « Accipit panem », ipse simul accipit panem, et cum ait : « Elevatis oculis in cælum », et ipse elevat oculos in cælum, et cum ait : « Benedixit », et ipse benedicit, et cum ait : *Hoc est corpus meum*, intendit, quod sicut Christus de pane illo, quem olim

accepit, dixit : *Hoc est corpus meum*, et dicendo fecit, ut esset : ita etiam de pane isto, qui nunc accipitur, idem Christus per os Sacerdotis dicat : *Hoc est corpus meum*, et dicendo efficiat. Quare longe alia ratione dicuntur ista verba in canone Missæ, quam recitentur ab eodem Sacerdote in epistola B. Pauli in festo corporis Domini, vel in Evangelio in die Palmarum : in canone enim dicuntur significative ; alias autem solum narrative, et historice. Atque hinc solvuntur omnia argumenta : nam priora probabant non dici solum recitative, posteriora probabant, non dici solum significative.

Septimum argumentum est Calvinii, loco supra citato. Dominus cum ait : *Accipite et manducate, Hoc est corpus meum*, non alloquebatur panem, sed Apostolos : ergo verba illa non referuntur ad panem consecrandum, sed ad fidem instruendam. Addit, virtute verborum, transmutari panem, speciem esse magicæ incantationis.

Sed ad hoc ultimum sæpe jam respondimus : Et sane intolerabilis blasphemia est vocare magiam id, quod Christi verbis ex ipsius Christi instituto fieri dicimus : et si hæc magia esset, multo magis magia dici deberet, cum Dominus luto et sputo cæcum sanavit. Sed his omissis, ad primum respondeo, verba Domini dicta esse ad Apostolos, sed de pane, et super panem, et proinde circa panem efficacia fuisse, non circa Apostolos. Simile est Luc. VII ; Dominus dixit ad Simonem de Magdalena : *Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Hæc verba dicuntur ad Simonem, et tamen efficacia fuerunt circa Magdalenam, quæ tunc liberata est a peccatis. Et Joan. IV. cum Dominus ait Regulo : *Vade, filius tuus vivit* (1), verba dicuntur ad Regulum, sed in filium ejus, non in ipsum Regulum efficacia fuerunt.

Octavum argumentum Buceri : Nusquam scriptum est debere Sacerdotes dicere : *Hoc est corpus meum* ; ergo sufficit panem benedicere, et frangere.

Respondeo, jam supra ostendimus, Dominum præcepisse, ut illa verba diceretur, cum ait : *Hoc facite*.

Nonum argumentum Kemnitii, et aliorum Lutheranorum. Oportet nihil addere, vel detrabere verbis Domini. At Catholici multa addunt et detrahunt : nam addiderunt ad

verba calicis multa : item detraxerunt : *Accipite, et manducate, et : Quod pro vobis tradetur*.

Respondeo, ac dico duo. Primo, verba quæ simpliciter necessaria sunt ad consecrationem, esse illa tantum : *Hoc est corpus meum*. Et : *Hic est sanguis meus*, vel, *Hic est calix sanguinis mei*, reliqua omnia, etsi dici debeant juxta Canonem ab Ecclesia institutum, et sine peccato omitti non possint, tamen non esse ita necessaria, ut sine illis consecratio non possit fieri. Probatur hoc dupliciter. Primo, quia hæc pauca verba sufficienter exprimunt effectum consecrationis. Neque est opus, ut exprimant actionem ministri, ut in aliis Sacramentis fit : nam alia Sacramenta in actione consistunt ; hoc autem in re permanente. Secundo, quia hæc habentur in omnibus Liturgiis, et apud Matthæum, Marcum, Lucam, et Paulum ; reliqua autem variantur. Non est autem dubitandum, quin forma Sacramenti hujus sufficienter expressa sit a quolibet Evangelista : alioqui enim sequeretur non habuisse veram Eucharistiam eos, qui non habuerunt nisi unum Evangelium.

Quod si quis dicat, Evangelistas non voluisse tradere integras formas Sacramentorum, sed solum historiam brevem passionis Domini, formas autem haberi ex traditione : urgebimus argumentum ex Liturgiis. Certum enim est in Liturgiis poni integras formas, et simul certum est verum Sacramentum habuisse eos, qui utebantur Liturgia S. Clementis, S. Jacobi, S. Basilii, S. Ambrosii, S. Chrysostomi, et tamen istæ omnes Liturgiæ variant, et nulla est, quæ habeat illa omnia verba, quæ habentur in nostra Romana Liturgia. Nam illa verba : « Novi, et æterni Testamenti, » et, « Mysterium fidei, » in nulla inveniuntur præterquam in nostra. Hinc ergo Kemnitio respondemus, si quid additum, aut detractum est in forma Sacramenti, id non pertinere ad essentiam ejusmodi formæ.

Secundo respondeo, non sine ratione, et exemplo detractum esse, vel additum quidquid in nostra forma additum est, vel detractum. Quod sic ostendo. Primo, calumniantur detracta esse illa : *Accipite et manducate*. Respondeo, illa non esse detracta ; nam pronuntiantur a nobis : separari autem a partibus formæ essentialis, quia illa verba

(1) Luc. VII, 47 ; Joan. IV, 50.

significant præceptum datum de usu Sacramenti, non autem pertinent ad panem sanctificandum; quare etiamsi absolute omitterentur, tamen Sacramentum fieret. Simile est in illis verbis Luc. vii: *Dico tibi, remittuntur ei peccata multa*, in quibus verbis, illud (*Dico tibi*) non facit quidquam ad effectum remissionis peccatorum. Sic etiam Joan. viii: *Vade, filius tuus vivit*, illud (*Vade*) nihil operatur in sanitate pueri illius. Adde, quod Luc. xxii, omittuntur illa verba: *Accipite, et manducate*. Et I Cor. xi. omittuntur illa: *Accipite, et bibite*; quare etiamsi apud nos omnino omitterentur, reprehendi minime possemus.

Secundo, calumniantur detracta illa verba ex consecratione panis: *Quod pro vobis traditur, vel, frangitur*. Respondeo, illa verba non haberi apud Matthæum, et Marcum: nec apud Justinum Apol. ii. Cyrillum Cateches. 4. mystag. et Eusebium Emissennu hom. 5. de Paschate, cum tamen ii omnes referant formam consecrationis. Et sicut hos auctores reprehendere non possumus, ita nec nostram Missam reprehendere ullus deberet: præsertim cum antiquior sit Liturgia nostra, si a S. Petro prodiit, ut S. Thomas docet, 3. part. quæst. lxxviii. art. 2. ad 5. et ante eum, Leo IX. epist. ad Michaëlem cap. 5. quam Evangelium Lucæ, et epist. Pauli, qui addiderunt illa verba: *Quod pro vobis frangitur*.

Tertio, addita calumniantur illa: « Elevatis oculis in cælum ad te Deum etc. » quæ non habentur in ullo Evangelio, nec apud Paulum. Respondeo, illa verba haberi in Liturgia sancti Jacobi, et S. Clementis lib. viii. const. cap. 17. et apud Ambros. lib. iv. de Sacramentis, cap. 5. Omnes enim legunt: « Suspexit in cælum. » Et præterea, ut argumentatur Innocentius III, cap. Cum Marthæ de celebratione missarum, semper Dominus consueverat oculos in cælum tollere, cum Patri gratias ageret, ut patet Matth. xiv. Marci vi. Luc. ix. Joan. xi. Quare dubium esse non potest, quin etiam in hac ultima gratiarum actione oculos in cælum levaverit.

Quarto, calumniantur particulam (*enim*) additam ad formam consecrationis panis; et similiter ea verba: *Ex eo omnes*; cum dicitur: *Manducate ex eo omnes*. Non enim ista habentur in Scripturis. Respondeo, illas

omnes particulas haberi in forma calicis, Matth. xvi. *Bibite*, inquit, *ex eo omnes, hic est enim sanguis*, etc. Ex quo intelligimus illas particulas subintelligi in consecratione panis: eadem enim ratio est utriusque formæ. Quid autem absurdi est, si exprimatursi perspicue id, quod alioqui subintelligendum esset? Unde Ambrosius etiam lib. iv. de Sacramentis cap. 5. illa omnia exprimit, ut in nostra Liturgia exprimuntur.

Quinto, calumniantur addita illa in forma consecrationis calicis: « Novi, et æterni Testamenti, » et: « *Mysterium fidei* »: Nam in Evangelio non habetur, nisi (*novi Testamenti*). Respondeo, istas particulas a S. Petro ex traditione haberi; proinde reprehendi non posse: præterea verissimas esse, et ex Scripturis colligi. Nam Testamentum Christi æternum esse ad distinctionem Testamenti veteris, quod fuit temporale, patet ex illo Psalm. cix: *Tu es Sacerdos in æternum* (1). Et ex Paulo ex professo hoc probante in epist. ad Hebræos cap. vii. Item mysterium fidei recte vocari calicem sanguinis Domini, dubium esse non potest, cum nulla in re alia magis, et frequentius exercenda sit fides reclamantibus omnibus sensibus, quam in hac.

## CAPUT XV.

### *Mendacia Kemnitii de forma Sacramenti Eucharistiæ.*

Præter objectiones notanda sunt etiam aliquot mendacia Kemnitii in hac disputatione de forma consecrationis Eucharistiæ in 2. part. Examinis Trid. Concilii sess. xiii. cap. 1. Primum est pag. 336. 337: Catholicos multum inter se disputare, quæ sint verba, quibus Eucharistia consecranda est: et Concilium Tridentinum noluisse determinare, quæ sint illa verba, cum a multis id ab eo petatum esset. Sed mendacia esse ista crassissima, patet ex omnibus Missalibus, ubi litteris magnis et sæpe rubeis adscribuntur verba consecrationis, ut nemo illa ignorare possit. Nec ullus id a Concilio petiit, neque Concilium id tractavit, quia sciebat rem esse notissimam, et jam antea sufficienter explicatam in Concilio Florentino.

(1) Psal. CIX, 4.

Non ignoro Scotum in iv. sent. dist. 8. qu. 2. art. 2. quæstionem movisse, an solis illis verbis: *Hoc est corpus meum*, consecratio perficiatur. Sed idem Scotus affirmat, illa sola ad formæ essentiam pertinere: neque negat omnia, et sola illa recitanda esse in mysterio Eucharistiæ, quæ in Missalibus præscribuntur.

Secundum est eadem pag. 336. ubi dicit, quosdam Theologos docuisse quatuor tantum verba esse de substantia formæ in consecratione panis, nimirum illa: *Hoc est corpus meum*; sed S. Thomam existimasse alia quædam esse necessaria. At mentitur in caput suum: nam S. Thomas 3. par. quæst. lxxviii. art. 2. de forma consecrationis panis in nulla re dissentit ab aliis.

Tertium est pag. 337. ubi dicit, Colonienses in suo Antididagmate, et Lindanum publice scribere, panem et vinum per sola Christi verba non consecrari; nisi addantur reliquæ præces Canonis Papistici. Hoc etiam esse mendacium patet ex ipsis auctoribus. Nam in Antididagmate, tit. An sine prece canonica Ecclesiæ consecretur Sacramentum: et in Panoplia Lindani lib. iv. cap. 41. solum docetur eos non vere consecrare, qui verba Domini solum recitant in lectione epistolæ ad Corinthios, quod est verissimum, neque a Kemnitio negari solet.

Quartum est ibidem, ubi dicit, apud Catholicos dubitari, an ad consecrationem Eucharistiæ sit necessarium altare sacrum, sacræ vestes, sacer minister, et reliqua Papalis Missæ panoplia. Sed Catholici, nunquam de his rebus dubitarunt. Omnes enim docent ad essentiam consecrationis non requiri, nisi materiam, formam, et ministrum: reliqua adhibenda quidem esse, neque sine peccato omitti posse: tamen ad essentiam non pertinere.

Quintum est pag. 339. ubi Canonem Missæ ex corrupto, et integro, imo ex multis corruptis consarcinatum mentitur. Sed debuisset, vel unum verbulum notare, quod corruptionem aliquam redoleret.

Sextum est pag. 340. ubi dicit, Lindanum Basilio tribuere Eucharistiæ consecrationem fieri verbis, non scriptis. At Lindanus hoc non dicit, ut ex loco notato patet: sed solum ait veteres Patres non fuisse contentos verbis consecrationis, quando sacra faciebant, sed addidisse alia non scripta. Id quod vere exstat apud Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 27.

Septimum est pag. 346. ubi dicit, Catholicos existimare per sola verba institutionis non posse fieri consecrationem, nisi adhibeantur ea, quæ addita sunt in Canone Missæ. Sed et hoc merum mendacium est. Catholici enim requirunt quidem universum Canonem, ut rite, et sine peccato consecratio fiat; fatentur tamen veram esse consecrationem, quæ solis verbis institutionis fieret.

Octavum pag. 347. ubi dicit, Proelum quemdam fingere Apostolos intra diem Ascensionis, et Pentecostes composuisse Canonem, ut esset forma consecrationis. At S. Proelus unus est ex antiquis et Orthodoxis Patribus; quippe qui paulo post Chrysostomum, Episcopus fuit Constantinopolitanus. Ejus exstat libellus de traditione divinæ Liturgiæ, in quo non dicit Apostolos Canonem composuisse ante diem Pentecostes, ut Kemnitius mentitur, quod nec ullo modo verissime est: sed dicit eos post Ascensionem Domini, antequam dividerentur in varias regiones, totos se ad orationem colligere solitos, et maxime ad sacrificium celebrandum, semper in memoriam habentes illud: *Hoc est corpus meum*.

Ultimum est ibidem, ubi dicit, Catholicos tribuere consecrationem non solum recitationi verborum, sed variis sacrificuli gestibus, expansioni manuum, elevationi, inclinationi cervicis, conversioni corporis, libri transpositioni. Sed hæc sunt meræ nugæ, nemo enim Catholicorum in his ponit essentiam consecrationis; etsi cæremonias ipsas merito omnes venerentur.

## CAPUT XVI.

### *De ministro Sacramenti Eucharistiæ.*

Explicatis causis intrinsicis, Sacramenti hujus materia videlicet et forma: sequitur ut de extrinsecis, efficiente, et fine, sive effectu disputemus. Ac de efficiente quidem primaria causa, nulla controversia est: constat enim Christum esse, qui et Sacramentum hoc instituit, et primus confecit, et nunc etiam per ministros suos quotidie conficit. De causa secundaria, id est, de ministro, multa disputata sunt in libro de sacramentis in genere, ut, an requiratur fides in ministro, an bonitas, an intentio, et alia id genus, quæ sunt communia ministris omnium Sacramen-

torum : tractatum quoque fuit, an ministri Sacramentorum quilibet Christiani sint, an solum ii, qui certo ritu ad hoc ministerium consecrati sunt. Quare hoc loco id solum tractandum est in particulari, num ad Eucharistiæ consecrationem, requiratur certa ministrorum ordinatio, an vero non requiratur.

Et quidem Joannes Wiclefus in dubium hoc revocavit teste Thoma Waldensi tom. II. de Sacramentis cap. 7. et 28. Videbatur illi valde mirum, si posset malus Sacerdos consecrare Eucharistiam, et id non posset laicus bonus : non tamen omnino rem definire voluit.

At Lutherus audacior apertissime rem definivit : siquidem Lutheri sententia manifestissima est, quemlibet Christianum ex Baptismo potestatem habere Eucharistiam consecrandi, licet officium sumere nemo debeat, nisi legitime vocatus, excepto casu necessitatis. Id habet Lutherus in lib. *de Babylonica captiv.* cap. de Ordine ; in lib. de instituendis ministris ad senatum Pragensem ; in lib. de Missa abroganda ; in lib. de notis Ecclesiæ, et alibi. Quare Lutherus ordinationem ministrorum solum necessariam putat ob disciplinam et ordinem Ecclesiæ : esset enim nimia confusio, si quilibet Sacramenta conficere vellet : non autem, quod Sacramentum non esset verum, si ab aliquo non ordinato conficeretur. Imo in li. de Missa privata, et unctione Sacerdotum, edito anno 1534. eo usque progressus est, ut diceret, Sacramentum verum futurum, etiamsi a Diabolo conficeretur.

Ab hac sententia Sacramentarii aperte recesserunt. Etsi enim initio Zwinglius Lutherum sequeretur, ut patet ex lib. de vera, et falsa religione cap. de aliis Sacramentis, Calvinus tamen non solum Eucharistiam, sed etiam Baptismum irritum esse docet, si ab alio, quam a publico ministro conficiatur, ut patet ex lib. IX. Inst. cap. 1. §. 22. et cap. 3. §. 10. et cap. 15. §. 22. et in antidoto Concilii sess. VII. canon. 10. et idem habet Henricus Bullingerus decade 5. serm. 8. et 9. Quare nihil hoc loco cum Sacramentariis negotii nobis erit.

Porro Martinus Kemnitijs, et alii recentiores Lutherani timide Lutherum sequuntur. Nam etsi idem sentiunt, quod ipse sensit, tamen istam quæstionem, ut plurimum dissimulare solent. Nam ab una parte vident argumenta Catholicorum evidentissima, quæ

sine summa impudentia negari nequeunt ; ab altera parte non possunt ad Catholicos accedere, quin deserant non solum suum Prophetam Lutherum, sed etiam duo principia doctrinæ Lutheranæ ab omnibus receptissima : ob quæ valde mirandum est, Sacramentarios dissentire in hac re a Lutheranis.

Principia communia hæc sunt. Primum, Sacramenta non operari, nisi excitando fidem ; ex quo principio (in quo omnes omnino conveniunt) evidenter sequitur Sacramentum non pendere ab ulla ministri qualitate. Verba enim Sacramentalia, et signa fidem excitare possunt a quocumque exhibeantur : idem enim verba significant, et significando movent animum audientis, sive dicantur ab ordinato, sive a non ordinato ; imo sive ab homine, sive a dæmone, sive etiam a psittaco vel corvo.

Unde Kemnitijs in 2. par. Exam. Concilii sess. XIII. cap. 1. in fine Catholicos reprehendit, quod Eucharistiæ consecrationem pendere velint non a sola verborum recitatione, sed etiam a consecratione, sive ordinatione personæ recitantis.

Secundum principium est, per ordinationem ministrorum non imprimi ullum characterem, neque dari ullam novam spiritualem potestatem, sed solum usum seu officium. Unde tam apud Lutheranos, quam apud Calvinistas potest unus et idem hodie esse minister, cras non minister, sive hodie clericus, cras laicus : dimisso enim officio, nulla est inter eos clericorum alaicis distinctio.

Ex hoc etiam principio manifeste sequitur non requiri ullam electionem, vel ordinationem ministrorum, ut verum Sacramentum Eucharistiæ conficiatur ; sed tantum ut ordo, et disciplina servetur. Quare Lutherani omnes, nisi doctrinam suam destruere ipsi velint, coguntur Lutheri sententiam sequi de potestate consecrandæ Eucharistiæ omnibus Christianis communi.

At Catholica Christi Ecclesia longe aliam ab Apostolis doctrinam accepit, et in hanc usque diem servat : semper enim in Ecclesia pro indubitato habitum est, ita necessariam esse ordinationem sacerdotalem ad Eucharistiam conficiendam, ut sine ea nullo modo confici possit.

Hæc autem veritas probatur, primum ex verbo Dei. Nam illud Christi, *Hoc facite*, Lucæ XXII. non est dictum, nisi Apostolis, qui eo mandato ordinati sunt primi sacerdo-

tes novi Testamenti. Id autem probatur hoc modo : Illud, *Hoc facite*, non significat solum Manducate, et bibite quod convenit omnibus Christianis, sed significat, Consecrate, sumite, et aliis distribuite, ut me facere videritis. Ista autem tria non possunt convenire omnibus ; ergo illud mandatum non est datum omnibus, sed solum quibusdam, qui ideo dicuntur sacerdotes ; ergo cæteri nullo modo possunt Eucharistiam consecrare, et si id tentayerint, nihil facient. Nam Sacramenta conficiuntur in persona Christi : quare cui Christus id non commisit, is nihil facere potest.

Probatur major propositio. Primo, ex ipso textu Lucæ. Lucas enim, qui solus inter Evangelistas habet illa verba : *Hoc facite*, non dixerat antea, Accipite, manducate, etc. sed solum dixerat : *Accipit panem, benedixit, et dedit, dicens : Hoc est corpus meum.* Ergo non retulit Lucas illud, *Hoc facite*, ad actionem solam manducandi, cum ejus ne meminerit quidem ; sed retulit ad actionem benedicendi, et distribuendi, quas expresserat, et simul ad actionem manducandi, quia Dominus etiam manducavit, ut est communis sententia, licet in Evangelio non exprimat. Secundo, quia nulla est ratio, cur illud, *Hoc facite*, non debeat referri ad omnia, quæ Dominus fecit. Tertio, quia nisi ad omnia referretur, non haberemus mandatum divinum in verbo Dei expressum de consecranda Eucharistia : et proinde non posset ab adversariis consecrari. Ipsi enim contendunt, non debere fieri nisi id, quod est expresse in divinis litteris mandatum. Denique adversarii fatentur illud : *Hoc facite*, referri ad omnes tres actiones, quas Christus fecit, videlicet benedicendi, distribuendi, et sumendi. Lutherus ita docet in lib. de instituendis ministris ad Pragenses, Confessio Augustana, cap. de Missa. Calvinus lib. iv. Inst. cap. 13. §. 20. et Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 534. initio disputationis de Communionem sub utraque specie.

Dicit aliquis : Videtur B. Paulus I. Corinth. xi. restringere illud : *Hoc facite*, ad actionem manducandi, et bibendi ; ait enim : *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem* (1), ac si dicat, quotiescumque bibetis, bibite in memoriam passionis meæ. Respondeo, non restringit Apostolus, sed exemplum ponit in actione una ;

quod etiam facere potuisset de aliis duabus ; quare vera sunt verba Pauli, sed non pugnant cum verbis Lucæ magis universalibus.

Probatur nunc minor propositio. Primo, si illud mandatum daretur omnibus, tenerentur omnes consecrare, et distribuere : id autem non solum esset absurdissimum, sed etiam est contra consuetudinem omnium tum Catholicorum, tum hæreticorum. Secundo, quia ita semper intellexit hoc mandatum universa Ecclesia, ut ex testimoniis, quæ jam afferemus, perspicuum erit. Neque obstat, quod S. Thomas 3. part. q. LXXXI. art. 11. colligit ex hoc loco esse de jure divino, ut omnes aliquando sumant Eucharistiam ; ubi videtur intellexisse illud : *Hoc facite*, dictum esse omnibus. Nam S. Thomas non vult colligi immediate, sed mediate. Quia enim Dominus jubet Apostolis, ut consecrent, sumant, et distribuant ; consequenter jubet aliis, ut accipiant de manu sacerdotum distribuendum. Quibus enim tenerentur sacerdotes distribuere, si nulli tenerentur accipere ? Simile est illud Joan. ult. *Pasce oves meas*, ubi mandatur Petro, ut pascat gregem, et consequenter mandatur gregi, ut pastori obediat. Quare idem S. Thomas 3. part. q. LXXXII. art. 1. docet, per illud : *Hoc facite*, institutos fuisse a Domino sacerdotes.

Probatur igitur secundo eadem veritas ex traditione, et consensu totius Ecclesiæ. Ac primum habemus quatuor generalia Concilia, Nicænum I. can. 14. Lateranense sub Innocentio III, can. 4. Florentinum in Instruet. Armen. et Tridentinum sess. xxii. cap. 1. et sess. xxiii. cap. 1. et 4.

Præterea sanctos Patres. Nam Dionysius Areopagita cap. 5. Ecclesiast. hierarchiæ part. 1. « Nec ipse, inquit, Sacerdos erit, nisi pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus. » Ignatius in epist. ad Trallianos, dicit, esse infideli deteriorem eum, qui audet aliquid facere circa altaris ministerium, nisi fuerit episcopus, aut presbyter. Clemens lib. ii. Apostolicam constit. cap. 31. « Omnis laicus sine sacerdote aliquid attentans, frustra facit. » Et loquitur aperte de sacrificii oblatione. Et lib. viii. cap. ult. dicit, Christum solis Apostolis dixisse : *Hoc facite*. Tertullianus in lib. de præscriptionibus irridet Marcionistas, quod apud eos aliqui hodie

(1) I Cor. XI, 25.

sint clerici, cras, laici, et quod laicis sacerdotalia munia committantur. Quæ sententia apertissime etiam Lutheranos nostros confutat. Nam apud eos ministri qui sunt, volente magistratu, fiunt laici, imo semper sunt laici. Neque enim veras habent ordinationes, sed solum injungitur eis officium prædicandi, et Sacramenta ministrandi sine vera ordinatione: et hoc est (ut Tertullianus dicit) laicis sacerdotalia munia committere.

Cyprianus lib. i. epist. 2. et 9. et lib. iii. epistol. 15. non solum docet; non posse Eucharistiam conficere nisi sacerdotes: sed etiam inde colligebat, non esse apud hæreticos veram Eucharistiam, cum non sit apud eos verum sacerdotium. Athanasius in 2. Apologia contra Arianos refert epistolam Synodi Alexandrinæ, in qua Patres probant quemdam Hirschirum Arianum non potuisse sacro calice uti, nec sacra celebrare, quod non esset ordinatus a vero Episcopo. Basilius lib. ii. de Baptismo cap. 8. ex professo docet, esse quidem omnes Christianos sacerdotes, largo quodam modo: quia omnes offerre debent spirituales hostias operum bonorum: at proprie non esse nisi eos, qui ad hoc ordinati sunt etc. Epiphanius hæres. 79. Collyridianorum, docet solos Apostolos a Christo ordinatos ministros Eucharistiæ; et deinde ab Apostolis alios episcopos, et presbyteros: cæteris autem laicis, et maxime fœminis, adeo hoc non licuisse unquam, ut ne ipsi quidem B. Virgini fuerit concessum. Chrysostomus non raro scribit, ob hanc unam eximiam potestatem consecrandæ Eucharistiæ, Angelos a sacerdotibus superari. Vide lib. iii. et vi. de sacerdotio, et hom. 51. et 83. in Matth. et homil. 60. ad populum Antiochenum. Hieronymus frequenter hoc asserit, non posse nisi episcopos, et presbyteros Eucharistiam conficere. In lib. contra Luciferianos docet, Hilarium quemdam, quia solum diaconus erat, non potuisse Eucharistiam consecrare, neque clericos ordinare: et in epistola 1. ad Heliodorum, et 85. ad Evagrium, illo potissimo argumento diaconorum quorundam superbiam comprimit, et presbyteris longe inferiores esse demonstrat, quod non habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, quam presbyteri habent.

De Ambrosio scribit Theoderetus lib. v. histor. cap. 17. dixisse eum Theodosio: « Purpura Imperatores facit, non sacerdotes. » Et in lib. de dignitate sacerdotali cap.

2. anteponit idem Ambrosius sacerdotalem potestatem regiæ. Quod etiam facit Nazianzenus in oratione ad populum timore perculsum, et Chrysostomus hom. 4. in cap. vi. Isaïæ. Quod etiam reipsa docuit S. Martinus cum in convivio Imperatoris anteposuit presbyterum suum Imperatori, ut in ejus vita scribit Sulpitius. At si sacerdotalis potestas communis esset omnibus Christianis, ut adversarii dicunt, cum regia non sit omnibus communis, multo inferiores essent regibus sacerdotes. Vide etiam Paulinum epistol. 4. ad Amandum, Isichium lib. ii. in Levit. cap. 8. Denique Augustinum lib. xx. de Civitat. Dei cap. 10. ubi distinguit sacerdotes spirituales, et improprie dictos ab episcopis, et presbyteris, qui proprie dicuntur sacerdotes.

His accedit, quod nullum proferri potest exemplum antiquitatis, quo probetur in aliquo casu diaconum, aut laicum consecrasse Eucharistiam: sicut exempla non pauca proferuntur, quibus ostenditur in certis casibus diaconos, imo et laicos baptizasse. Constat enim ex cap. 8. Actor. Philippum diaconum baptizasse: ex Rufino lib. I. hist. cap. 14. constat ratum fuisse baptismum, quem Athanasius laicus, et puer contulerat. At de Eucharistia nullum tale exemplum proferri potest: sed contra in summis etiam necessitatibus constat Catholicos caruisse potius Eucharistia, quam ut eam non sacerdos conficere auderet. Scribit Theoderetus lib. iv. hist. cap. 12. cum Valens Imperator Arianus omnes sacerdotes passim e suis sedibus exturbaret, zelo Dei motum Eusebium Episcopum Samosatenum, militari habitu peragrare illa omnia loca, et clam ordinasse in variis locis presbyteros, et diaconos, ut populi Sacramentis non carerent. Augustinus in epist. 180. ad Honoratum scribit tempore belli non debere deseri plebes a clericis, etiamsi periculum vitæ imminet: ne desint, qui Sacramenta ministrent, sine quibus non evitatur mors æterna. Scribit quoque Epiphanius in epist. ad Joannem Hierosolymitanum, se necessitate compulsus ordinasse presbyterum quemdam in Monasterio S. Hieronymi, quod duo presbyteri, qui in eo Monasterio erant, ob nimiam humilitatem Eucharistiam conficere non auderent. Ex quibus exemplis manifeste colligitur falsum esse, quod Lutherus docet, posse in certis casibus quoscumque homines consecrare Eucharistiam.



His adde antiquissimos Ecclesiæ ritus. Nam primo, imperabatur omnibus altaris ministris perpetua continentia, idque ex Apostolorum doctrina, ut habet Concilium II. Carthaginiense, can. 2.

Secundo prohibebantur laici tangere, vel servare sacra vasa, ubi conficitur Eucharistia : ut præter alia testimonia, patet ex epistola Synodi Alexandrinæ in Apolog. 2. Athanasii contra Arianos, ubi probant calicem quemdam non fuisse sacrum, quia servabatur in domo laici hominis. Et Nazianzenus in oratione contra Arianos, et de seipso, mysterii vasa populo ad tangendum prohibita esse dicit.

## CAPUT XVII.

### *De effectu Eucharistiæ. et de præparatione ad Communionem : sententiæ hæreticorum.*

Quæstio de effectu Eucharistiæ adeo conjuncta est cum quæstione de præparatione ad Communionem, præsertim ex sententia adversariorum, ut nullo modo separari queant. Nos igitur primum fideliter referemus quid adversarii de utraque quæstione sentiant. Deinde explicabimus, et probabimus veritatem. Tertio solvemus eorum objectiones. Quarto addemus aliquid de præparatione minus principali.

Quod igitur ad primum attinet, Lutherus novorum paradoxorum in perniciem multorum millium animarum seminator, tria docuit. Primo effectum primum Sacramenti Eucharistiæ esse remissionem mortalium peccatorum. Secundo, non requiri ad dignam præparationem Communionis, ut quis non sit sibi conscius peccati mortalis, imo quo plurimum, et majorum sibi conscius est, eo esse aptiorem ad Eucharistiam. Tertio, ad præparationem Eucharistiæ non requiri, ut quis per confessionem, et pœnitentiam a peccatis justificetur, sed satis esse fidem, qua certo credat sibi in eo Sacramento omnia peccata esse remittenda.

Hanc esse Lutheri sententiam patet ex multis ejus testimoniis. In concione de digna præparatione ad Sacramentum Eucharistiæ, habita anno 1518 : « Optima, inquit, dispositio est, non nisi ea, qua pessime es dispositus, et e contrario, tunc pessime es dispositus,

quando optime es dispositus. » Et probat, quia Christus etiam in hoc Sacramento non venit vocare justos, sed peccatores : et ibidem suadet pœnitentiam non agere ante Communionem, sed postea. Ibidem dicit esse perniciosum errorem, si quis accedat nixus ea fiducia, quod sit confessus, et quod non sit sibi conscius peccati, et quod orationes, et alia præmiserit. Hos enim omnes dicit, in judicium accipere corpus Domini, quia his præparationibus non fiunt puri, sed magis polluuntur; fiunt autem puri per fidem, quam dicit esse solam, et summam dispositionem. Similia habet in concione de confessione et Eucharistia, habita anno 1519. ubi dicit, illum esse aptissimum ad Communionem, qui in fœda crimina prolapsus est, quæ male afficiunt animum. In lib. *de Captivitate Babylonica* cap. de Eucharistia, edito anno 1520 : « Concludimus, inquit, ex omnibus hiis, quibusnam Missa parata sit, et qui digne communicent, nempe soli illi, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, et erroneas habent conscientias. Nam verbum divinæ promissionis hujus Sacramenti, cum exhibeat remissionem peccatorum, secure accedit, quicumque peccatorum suorum vexatur, sive morsu, sive titillatione. »

Est autem hic obiter notandum, intra paucas lineas apertissimam contradictionem inveniri in verbis Lutheri : nam paulo infra, id est, in ultimis verbis illius capituli, sic habet : « Fides sola est pax conscientiæ, infidelitas sola turbatio conscientiæ. » Hæc ille. Et tamen ibidem in medio sententiarum allegatarum, hortatur Christianos, ut cum fide indubitata accedant. Quæ sane nullo modo cohærent. Nam si illi soli digne accedunt, qui habent turbatam conscientiam et sola infidelitas turbatio conscientiæ est; ergo soli illi digne accedunt, qui carent fide; qui enim fidem habent, pacatam (ut ipse dicit) conscientiam habent, non perturbatam. Viderit ergo ipse, quomodo et cum fide, et cum infidelitate, cum pacata, et cum turbata conscientia accedendum sit.

In lib. de abroganda Missa, edito anno 1521. docet furorem esse præparatoriis confessionibus, et orationibus se mundos reddere ante Communionem, cum non debeant accedere, nisi qui egent remissione peccatorum. In tractatu de Communionem populi, edito anno 1523. docet non debere admitti ad Communionem, nisi eos, qui dicunt se accedere, quia vexantur conscientia peccati

mortalis. Quo testimonio Lutherus B. Virginem, et omnes Apostolos post acceptum Spiritum sanctum excommunicavit : neque enim isti dicere poterant, se vexari conscientia peccati mortalis. In sermone de Eucharistia, habito anno 1526. dicit illum esse aptissimum ad communicandum qui ante, et retro est peccatis contaminatissimus : et sine peccatis mortalibus nullum debere accedere. Denique similia habet in lib. contra articulos Lovanienses, edito anno 1545. paulo ante vitæ ipsius finem. Atque hæc de Lutheris sententia.

Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, sess. XIII. cap. 2. et 7. admittit, et propugnat pro viribus primum Lutheri pronuntiatum, effectum primum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum mortalium. Alia duo non solum non aperte affirmat, sed potius contrarium, saltem quoad modum loquendi docet. Vult enim requiri ad dignam præparationem Eucharistiæ pœnitentiam, et propositum non peccandi : et addit etiam apud suos in more positum esse, ut prius examinentur, et absolvantur, qui accessuri sunt ad Communionem. Quod habetur quoque in Confessione Augustana cap. de Confessione, et cap. de Missa, ubi dicunt, neminem se admittere ad Communionem, nisi antea discussum, et absolutum.

Sed (ut mox videbimus) doctrina ista Kemnitii ipsa secum pugnat : nec enim ullo modo ista cohærere possunt, ut Eucharistia accipiatur ad remissionem mortalium peccatorum, et tamen nemo accedere permittatur nisi prius a peccatis fuerit absolutus.

Addit Kemnitius, se non negare alios esse etiam effectus Eucharistiæ, ut quod animam nutriat ; roboret, et omnia Christi bona communicet : et inde queritur de Concilio Tridentino, quod can. 5. damnet Lutheranos, quasi sentiant, nullum esse alium effectum Communionis, nisi remissionem peccatorum.

Sed immerito Kemnitius conqueritur. Nam Concilium canon. 5. neque Lutheranos nominat ; et sub distinctione loquitur. Hæc enim sunt verba Concilii : « Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit. » Cum igitur Kemnitius solam priorem partem hujus canonis contra se esse fateatur, accipiat quod suum est, reliquum dimittat aliis.

Multa præterea pro more suo mendacia admiscet Kemnitius, quæ longum esset re-

ferre. Unum tantum quam brevissime anno tabo, quod est in Examine cap. 2. pag. 359. ubi dicit Catholicos ita dividere gratiam justificationis inter Missæ sacrificium, et sumptionem Eucharistiæ, ut Missæ sacrificio tribuant ex opere operato remissionem peccatorum mortalium sine ullo negotio vel periculo peccatoris, cui fit illa remissio : sumptioni Eucharistiæ tribuant solum remissionem venialium, et eam non sine magno periculo sumentis, qui nisi purus accesserit, in iudicium sumet. Atque hinc fieri dicit, ut homines apud Catholicos retrahantur a Communionem, et alliciantur ad emendas Missas.

Sed hoc impudentissimum est mendacium. Nullus enim Catholicorum unquam scripsit, sacrificium Missæ ex opere operato remittere peccata mortalia sine ullo negotio peccatoris, nec ullus in Ecclesia est usus petendi, nedum emendi missas pro remissione peccatorum. Imo multo amplius tribuimus sumptioni Eucharistiæ, quam dicimus ex opere operato conferre gratiam gratum facientem, quam sacrificio missæ, ut pro peccatore aliquo offertur, quod solum docemus impetrare peccatori aliquod speciale auxilium, quo is pausatim ad mentem redeat, et non sine ullo negotio, ut Kemnitius mentitur, sed per veram contritionem, confessionem, et satisfactionem ad remissionem peccatorum tandem perveniat.

Joannes Calvinus lib. IV. Inst. cap. 17. §. 40. 41. et 42. multa dicit, quæ videntur inter se omnino pugnare, et ob quæ non eodem modo ab omnibus accipitur Calvinus sententia. Nam. §. 40. sic ait : « Cibus hic spiritualis si in animam iuciderit malitia, nequitiaque pollutam, majore illam ruina præcipitat. » Hæc ille. Ubi videtur negare, quod Lutherani dicunt, per Eucharistiam remitti peccata mortalia, et requirere cum Catholicis, ut homo ante per pœnitentiam justificetur, quam ad Sacramentum accedat. Præterea §. 42. dicit requiri fidem, et charitatem ad dignam sumptionem Eucharistiæ, et reprehendit quosdam, quod requirant fidem, et charitatem nimis perfectam, et absolutam, cui nihil addi potest : quos dicit errare non in re, sed in modo. Itaque in his duobus locis videtur Calvinus cum Catholicis sentire. Quos autem reprehendit Calvinus, quod requirant perfectissimam fidem, et charitatem, ii non sunt Catholici, sed Anabaptistæ. Nam de Anabaptistis refert Augustinus Mar-

loratus in expositione, quam ex variis scriptoribus collegit in cap. XI. prioris ad Corinthios, eos ante Communionem protestari, se habere tantam charitatem, quantum habuit Christus in cruce pendens.

Porro idem Calvinus, §. 41. aperte Catholicos reprehendit, quod requirant ad dignam præparationem, ut homo sit in statu gratiæ : et in statu gratiæ esse definiant, purum, ac purgatum esse ab omni peccato. Et §. 42. apertissime testatur, Eucharistiam remittere peccata mortalia, et nisi peccata adsint, frustra sumi, ut Lutherus dicebat: « Meminerimus, inquit, has sacras epulas ægrotis esse pharmacum, peccatoribus solatium, pauperibus largitionem; quæ sanis, justis, et divitibus, si qui reperiri possent, nullum afferent operæ pretium. » Et infra: « Cum in vitam detur, intelligimus nos sine ipso in nobis plane mortuos esse. » Hæc ille.

Quæ duo Calvinus pronuntiata secundum veram theologiam inter se manifeste pugnant. Nam animam non esse pollutam nequitia, et habere fidem, et charitatem, quæ in primo pronuntiato Calvinus requirit, hominem sine dubio justum, vivum, et sanum constituunt: et tamen in secundo pronuntiato requirit idem Calvinus ut homo non sit justus, sed peccator; non sanus, sed ægrotus; non vivus, sed mortuus; alioqui nihil ei prodesse dicit Eucharistiam. Sed quamvis hæc inter se pugnent, secundum principia veræ Theologiæ, tamen secundum principia ipsius aliquo modo cohærent. Nam cum dicit, animam non debere esse pollutam, sed fide, et charitate præditam, significat, ut ipse se exponit, non debere habere propositum peccandi, seu perseverandi in peccato, sed desiderium potius bene vivendi, et fiduciam remissionis. Quare simul erit homo immundus, et mortuus, quia revera peccata mortalia habet; et erit tamen non immundus, quia non habet affectum, nec propositum permanendi in illis.

Jam vero Catholica Ecclesia in Concilio Tridentino, sess. XIII. cap. 2. et 7. et can. 5. et 11. duo docet. Primo, effectum Eucharistiæ præcipuum non esse remissionem peccatorum mortalium, sed nutritionem animæ, et præsertim a peccatis, et alia quæ sequuntur ex augmento gratiæ, et charitatis, quam secum affert hoc Sacramentum. Secundo docet, præparationem ad Eucharistiam non esse solam fidem, sed veram

pœnitentiam, et confessionem peccatorum si quis post Baptismum in peccata mortalia lapsus sit.

Et quia de aliis effectibus Eucharistiæ conveniunt nobiscum adversarii, ut Kemnitius fatetur, tota quæstio ad hunc articulum revocatur: Utrum Sacramentum Eucharistiæ exhibeat remissionem peccatorum mortalium, quorum homo conscientiam habet: sive (et est idem) Utrum ad digne communicandum requiratur, ut homo non habeat conscientiam peccati mortalis. Catholici enim omnes docent, Eucharistiam non remittere ejusmodi peccata, quorum homo conscientiam habet, et ideo requiri ut antea purgentur. Hæretici autem contrarium sentiunt: nec possunt aliter sentire, si sequi velint principia suæ doctrinæ. Nam illi non agnoscunt aliam justificationem, quam remissionem peccatorum: non enim volunt infundi gratiam, quæ hominem reipsa justum coram Deo, vel justiore efficiat. Volunt autem Sacramenta omnia esse instrumenta justificationis; quare coguntur dicere, Sacramenta omnia remittere peccata, eumque esse proprium illorum effectum.

## CAPUT XVIII.

*Indigne sumere Eucharistiam omnes illos, qui accedunt cum conscientia peccati mortalis.*

Esse autem verissimam Ecclesiæ Catholicæ sententiam, probatur primo ex cap. 6. Joannis. Nam in eo capite etiamsi negent adversarii, tractari de Sacramento Eucharistiæ, quod ad symbola attinet, tamen concedunt agi de spirituali manducatione, et etiam de fructu, seu effectu Eucharistiæ. Dicunt enim in eo capite tractari in genere de manducatione corporis Domini, quæ, et in Sacramento, et extra Sacramentum fieri potest: sed postea Matt. XXVI. Dominum addidisse symbola. In hoc igitur capite nusquam docetur, Eucharistiam institutam ad vitam spiritualem conservandam, et augendam, ut patet ex cap. 6. Joan. ubi nusquam dicitur: Qui manducat hunc panem, resurget a peccatis, vel vivere incipiet; sed dicitur: *Non esuriet, non morietur, vivet in æternum, in me manet et ego in eo* et similia. Quare adversarii si verum fateri velint, id quod

docent, non ideo docent, quia in verbo Dei habeatur, sed quia necessario sequitur ex doctrina Lutheri.

Secundo probatur ex illis verbis ejusdem capituli: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (1). Ex quo loco discimus propriam rationem hujus Sacramenti esse, ut sit cibus spiritualis. Quod etiam aperte clamat tum externa species panis, et vini; tum actio per quam nobis applicatur, quæ est manducatio, et potatio. At absurdissimum est cibus, et potum dare mortuis, cum inde non magis nutriri possint, quam si lapides essent.

Quare inepte argumentatur Calvinus lib. IV. Instit. cap. 17. § 42. ubi probat Eucharistiam nullum afferre emolumentum sanis, et justis; quia est cibus quidam, et sine cibo homines tabescunt, et deficiunt. Nam quod sine cibo homines tabescant, non id efficit, ut cibus non debeat dari nisi ægrotis, sed ut debeat dari sanis, ne ægrotent: sanis enim periculum imminet ægrotandi, et tabescendi; alioqui homines corporaliter sani, non deberent corporaliter manducare. Denique etiam si cibus non daretur nisi ægrotis, tamen numquam probabit Calvinus, debere dari mortuis: non igitur dari debet illis, qui sciuntur mortui esse Deo.

Tertio probatur ex figuris, et similitudinibus divinæ Scripturæ. Nam in primis Agnus paschalis, qui erat figura evidentissima Sacramenti hujus, non poterat edi, nisi ab hominibus purificatis, et mundis: et potius permittebat Deus, ut aliqui differrent in alterum mensem manducationem Agni paschalis, quam ut non purificati manducarent, Num IX. et II. Paralip. xxx. Deinde panes propositionis, qui etiam erant figura Eucharistiæ, non nisi a mundis edi poterant, ut patet I Reg. XXI. Denique quicumque aliqua immunditia pollutus edebat de carne sacrificiorum, peribat anima ejus de populo suo. Levit. XXII.

Deinde in Testamento novo Joan. XIII. Dominus lavat pedes discipulorum, antequam eis Sacramentum edendum porrigat et Matth. XXII, severissime punitur, qui ad convivium regium sine veste nuptiali intrare præsumpsit. Denique Lucæ XV, filius prodigus, prius patri reconciliatur, et vestimentis, et annulo ornatur, et tum demum ad vitulum saginatum edendum admittitur.

Quarto probatur ex cap. X. prioris ad Co-

rinthios, ubi dicitur: *Unus panis, et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus* (2). Hinc enim intelligimus hoc Sacramentum non prodesse nisi membris unitis cum capite et aliis membris, et de eodem spiritu viventibus, ut declarat Augustinus tract. 26. in Joan. et hoc idem testatur externum symbolum panis, et vini, quæ fiunt ex multis granis, vel uvis in unam rem cocuntibus. At qui sunt in peccato mortali, ii non sunt membra viva Christi, et Ecclesiæ, neque vivunt de Spiritu Christi; ergo nihil eis Sacramentum prodest; imo nocet potius, quia mentiuntur eo signo, se esse id, quod non sunt.

Quinto probatur ex verbis S. Pauli I. Corinth. XI. *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat. Qui enim manducat, et bibit indigne, judicium sibi manducat, et bibit* (3). Hunc locum adversarii mire depravant, omnia enim referunt ad probationem, dum fidem habeamus.

Petrus Martyr in commentar. illius loci, facit tres gradus indigne accidentium. Primum eorum, qui plane sunt ἄθεοι, et nihil credunt. Secundum eorum qui habent fidem historicam, sed nihil curant de pœnitentia, et proposito emendandæ vitæ: atque hos omnes, qui carent vera fide justificante, in judicium æternæ mortis sumere Sacramentum. Tertium eorum, qui sunt ornati vera fide, et tamen remissis, et negligentius vivunt; et hos dicit utiliter accipere, non in judicium temporalis castigationis, de quibus idem Apostolus dicit: *Dum judicamur autem a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur* (4). Pari ratione Kemnitius et alii, omnia exponunt de fide, seu fiducia erga promissiones.

Sed longe aberrant a scopo B. Pauli. Si quidem Apostolus non reprehendit Corinthios quod nihil crederent, aut quod tantum historicam fidem haberent, aut quod non satis fiderent promissis Dei, aut denique quod non haberent propositum vitæ mutandæ: nihil horum in toto illo capite inveniri poterit. Sed reprehendit Corinthios, quod quidam ex eis ditiores afferent in Ecclesiam sumptuosam cœnam, quam sumerent post Communionem mysteriorum et eam seorsim ab aliis, maxime pauperibus, absumerent: in quo multis modis peccabant. Nam et Christi corpus injuria afficiebant, dum cum illo miscerent alios

(1) Joan. VI, 57. — (2) I Cor. X, 17. — (3) I Cor. XI, 28. — (4) I Cor. XI, 32.

cibos, ut notat Augustinus epistol. 118. cap. III. et proximum offendebant, et Ecclesiam ipsam scandalizabant, dum ipsi laute convivarentur, pauperibus videntibus, et esurientibus: et denique peccabant intemperantiæ, et crapulæ vitio. Id patet ex verbis Apostolis qui hæc sola vitia reprehendit: *Alius, inquit, esurit, aliusebrius est; et, Numquid domos non habetis ad manducandum, et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent?* Et in fine concludit: *Itaque, fratres mei, cum convenitis, invicem expectate; si quis esurit, domi manducet, ut non in iudicium decidatis.* Cum ergo B. Paulus peccata quædam circa mores reprehenderit in Corinthios, cum addit: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo edat* (1), nihil aliud monere censendus est, nisi ut quisque videat, an habeat conscientiam ejusmodi, vel aliorum peccatorum: quoniam cum conscientia peccati accedit, iudicium sibi manducat, et bibit.

Deinde probatur hoc idem ex traditione, et consensu Patrum. Ac primum in Græcis Liturgiis clamat diaconus: « Sancta sanctis. » Quibus verbis non arcentur soli Catechumeni ut perperam exponit Kemnitus in 2. par. Exam. pag. 506. sess. XIII. cap. 7. sed omnes peccatores, ut recte exponit Chrysostomus hom. 61. ad populum Antiochenum. Justinus in Apolog. 2. prope finem: « Porro, inquit, alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, et lavaero propter remissionem peccatorum, et regenerationem abluto, et ita ut Christus tradidit, viventi. » Cyprianus lib. III. epistol. 14. reprehendens quosdam qui mittebant ad Eucharistiam peccatores nondum absolutos: « Nondum, inquit, pœnitentia acta, nondum exomologesi, nondum manu eis ab episcopo, et clero imposita, Eucharistia illis datur, cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne; reus erit corporis, et sanguinis Domini. » Similia habet in Epistol. 15. et 16. et in toto lib. de lapsis, ubi et verbis et exemplis ostendit, quam perniciosum sit ad Eucharistiam accedere cum conscientia peccati lethalis. Basilius ex professo de hac re agit lib. II. de Baptismo cap. 3. cujus capituli titulus est: « An tutum sit, si quis non repurgatus ab omni inquinamento carnis, et spiritus edat corpus Domini. » Ambrosius lib. VI. in Luc. cap.

37. exponens. cap. 9. « Ubique, inquit, mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur: postea alimonia mensæ cœlestis exuberet. » Et lib. VII. cap. 66. in comment. cap. 15. Lucæ, exponens parabolam de filio prodigo affirmat non debere ullum ad Eucharistiam accedere, nisi signaculum justitiæ custodierit, vel receperit.

Deinde etiam facto idem probavit, cum Theodosium Imperatorem non admisit post cædem quamdam factam Thessaloniciæ, ad Communionem, nisi publica pœnitentia peracta, et peccato plane purgato. Cujus rei meminit ipse in epist. 28. ad Theodosium ubi hortatur illum ad pœnitentiam; et in ovatione de obitu ejus, ubi ejus pœnitentiam laudat. Scribit etiam totam historiam Theodoretus, lib. V. cap. 17 et Sozomenus lib. VII. cap. 24. et Paulinus in vita B. Ambrosii.

Hieronymus in comment. cap. I. ad Titum ex figura panis propositionis, probat summam puritatem requiri in his, qui ad Eucharistiam accedunt. Chrysostomus nihil sæpius repetit, quam puros, et purgatos esse debere, qui ad Eucharistiam accedunt, idque multis et argumentis, et exemplis probat: homil. 30. in Genes. homil. 83. in Matth. homil. 45. in Joan. hom. 24. in priorem ad Corinth. homil. 3. in epist. ad Ephesios, in quo ultimo loco fusissime undique desumptis argumentis probat purissimam animam esse debere, quæ ad Sacramentum hoc accedat: « Cum tali, inquit, puritate accede semper, sine hac ne præsumas unquam. Regem utique non audeas osculari, siquidem os tuum olet graviter, et Regem cœlorum impudens oscularis, anima tua vitii olente etc. » Augustinus tract. 26. in Joan. « Innocentiam, inquit, ad altare portate. »

Denique vide Leonem serm. 2. de Resurrectione, Cyrillum lib. IV. in Joan. cap. 17. Isichium lib. VII. in Levit. cap. 16. Gregorium lib. II. cap. I. in lib. I. Regum, et Bernardum in serm. de cœna Domini.

Postremo accedant etiam rationes. Prima ratio. Sacramentum Eucharistiæ diversum est a Sacramento Baptismi, et a Sacramentis cæteris; ergo finem proximum, sive effectum proprium habere debet diversum a fine, et effectum aliorum Sacramentorum. Sed alia Sacramenta habent pro fine, seu effectum remissionem peccatorum; igitur

(1) I Corinth. , XI, 21, 28.

Eucharistia alium finem, seu effectum proprium habere debet, quam remissionem peccatorum.

Et quidem apud Lutheranos illos, qui tria Sacramenta admittunt, Baptismum, Eucharistiam, et absolutionem, argumentum nostrum evidenter concludit. Nam Baptismus habet pro fine proximo remissionem originalis peccati, et aliorum, quæ cum illo adjuncta inveniuntur, unde regeneratio proprie vocatur, et ablutio. Absolutio habet pro fine proximo remissionem peccatorum commissorum post Baptismum: quare Eucharistia, si Sacramentum est, et ab illis duobus diversum, alium finem debet habere, quam remissionem peccatorum. Apud Calvinistas autem, et alios Lutheranos, qui non agnoscunt nisi duo Sacramenta, idem argumentum paulo aliter fieri potest. Nam ipsi loco Sacramenti Absolutionis Baptismum substituunt; dicunt enim Baptismum sufficere ad peccata delenda usque ad finem vitæ: per memoriam enim Baptismi semel accepti, omnia peccata deleri putant. Quod si ita est, quorsum opus fuit Sacramentum Eucharistiæ instituere ad peccata delenda?

Secunda ratio sumitur ex consuetudine Ecclesiæ antiquissima, Eucharistiam dandi neophytis immediate post Baptismum, ut patet tam ex Ambrosio, in lib. de iis, qui initiantur mysteriis, et ex catechesibus mystagogicis Cyrilli Hierosolymitani; tum ex ipso usu Ecclesiæ, qui adhuc viget. Si enim per Baptismum homines ita abluuntur ab omnibus peccatis, ut sancti, et immaculati dici possint, juxta illud Apostoli, I Corinth. VI: *Abluti estis, justificati estis, sanctificati estis* (1), certe Eucharistia immediate superveniens post Baptismum, non invenit peccata, quæ tollat; non igitur est effectus ejus primarius remittere peccata.

Tertia ratio. Semper in Ecclesia consuetudo fuit arcendi a Communionem Catechumenos, energumenos, et pœnitentes, id est, eos, qui pœnitentiam agunt, sed nondum absoluti, et reconciliati sunt. Id patet tum ex Chrysostomo homil. 60 et 61. ad populum; tum ex usu Ecclesiæ; tum ex antiquis Conciliis, ut Ancyrano can. 4. 5. 6. et 7. Nicæno I, can. 11, et 12. Elibertino in singulis fere canonibus, et aliis multis: pleni enim sunt tomii Conciliorum, ejusmodi decretis. At si Eucharistia nihil est aliud nisi pharmacum

ægrotorum, et solatium peccatorum (ut Calvinus dicit) et si ejus effectus primarius est (ut Lutherus, et Kemnitius volunt) remittere peccata; quare Catechumeni, et pœnitentes isto pharmaco fraudantur? quare non datur eis dum ægrotant, sed solum, quando per Baptismum, vel reconciliationem sanatisunt.

Nec respondere possunt, Catechumenos, et pœnitentes non esse idoneos ad Communionem, quod careant fide, vel proposito mutandæ vitæ, vel etiam pœnitentia, quæ sola adversarii requirunt. Nam multi Catechumeni, et multi pœnitentes ista omnia habent: et non admittuntur ad communionem, nisi prius per Baptismum Catechumeni, et pœnitentes per absolutionem a peccatis solvantur. Effectus igitur Eucharistiæ non est tollere peccata mortalia, et vera præparatio ad Eucharistiam, est a peccatis plane absolutum, et purgatum esse.

Quarta ratio sumitur ex doctrina, et consuetudine adversariorum. Nam omnes fatentur ante Communionem requiri fidem; et aliqui eorum requirunt etiam pœnitentiam, et aliqui quoque absolutionem, ut supra ostendimus. At fides etiam sola justificat, apud Lutheranos; et multo magis pœnitentia, quia tunc annuntiatur remissio peccatorum ex verbo Dei, et fide apprehenditur. Quid igitur faciet Eucharistia? certe peccata invenit sublata et purgata.

Ad hoc argumentum respondere conatur Kemnitius, sed quo magis se expedire nititur, eo se magis impedit, et involvit. Tres solutiones adhibet. Prima est in Exam. cap. 2. pag. 361. ubi dicit remissionem peccatorum non esse in anima, sicut colorem in subiecto, ita ut hæreat immobiliter, et ideo opus esse perpetuo, et quotidiano exercitio fidei; imo nullum esse momentum, quo non oporteat per fidem apprehendere Christum, et remissionem peccatorum, si eam retinere volumus. Quare licet per fidem, et pœnitentiam acquiratur remissio peccatorum, tamen per fidem in usu Sacramenti acquiri etiam remissionem peccatorum.

Hæc solutio ineptissima est. Nam vel vult Kemnitius remissionem peccatorum, non durare nisi quandiu actus fidei durat: vel vult aliquantulum quidem permanere et hærrere, sed non diu. Si dicat primum, ut revera indicant ejus verba, nihil unquam dictum fuit absurdus. Nam tunc sequeretur, eos,

(1) I Cor VI, 11.

qui desinunt actu credere, sine ulla sua culpa iterum recidere in omnia sua peccata : et qui dormiunt, semper esse peccatores ; et qui moriuntur sine usu, rationis, quod plerisque contingit, non posse ullo modo salvari. Deinde esto ita sit, quid opus est Eucharistia? nonne facilius actu fidei repetito retinebitur remissio peccatorum? Si vero dicat hærere aliquandiu, sed non longo tempore remissionem peccatorum, tunc argumentum nostrum manet in suo robore. Nam poterit contingere, ut post actum fidei, et acceptam per eum justificationem, continuo sumatur Eucharistiæ, permanente adhuc remissione peccatorum accepta ; non igitur tunc Eucharistia peccata remittet.

Secunda solutio habetur ibidem; dicit enim Kemnitiuſ in tentationibus sæpe angimur, ac dubitare, an sibi peccata remittantur : et quia promissio verbi Dei loquitur in genere, non in particulari isti, aut illi, ideo additur Sacramentum Eucharistiæ, quæ in particulari applicat promissionem, et eo modo fidem justificantem excitat.

Hæc solutio pejor est, quam superior. Nam in primis si quid valeret, solum probaret Eucharistiam remittere peccata iis, qui ex sola promissione verbi Dei non potuerunt fidem concipere : aliis autem qui fidem ex promissione verbi Dei concipiunt, nihil prodesset. Deinde, si Eucharistia non requiritur, nisi ad applicandam in particulari promissionem, plane supervacanea est. Nam applicatio illa fit ante Communionem per absolutionem, quam Kemnitiuſ dicit laudabiliter servari in sua ecclesia : et præterea potest fieri facilius per memoriam Baptismi. Denique, aut fidem habent homines ante communionem, vel non habent. Si habent, ergo sunt justificati a peccatis omnibus ; si non habent ergo indigne accedunt, quia sine præparatione necessaria accedunt. Quare quidquid dicatur, Eucharistia aut peccata non invenit quæ remittat : aut si invenit, ea non tollit, sed auget, cum indigne sumatur.

Tertia solutio habetur in Examine, cap. vii. pag. 499. Dicit enim Eucharistiam dari in testificationem, et obſignationem remissionis peccatorum, ut certiores efficiamur gratiæ jam acceptæ.

Sed hæc solutio est testificatio victoriæ Catholicorum. Nam si Eucharistia solum obſignat remissionem peccatorum jam acce-

ptam ; ergo non illam exhibet, sed præsupponit ; ergo non licet cum peccati conscientia ad Sacramentum accedere.

## CAPUT XIX.

### *Solvuntur objectiones adversariorum.*

Nunc argumenta adversariorum dissolvenda sunt. Ac primum Lutherus illo argumento utitur, quod Christus dixerit : *Non veni vocare justos, sed peccatores* (1) : et quod dum hic in terris viveret, sese tangendum omnibus exhibuerit etiam peccatoribus.

Respondeo : Christus cum primum ad se vocat, peccatores vocat : nulli enim sine ipso justus esse possunt. At quos ad se vocavit, et per fidem, et pœnitentiam, ac Baptismum justificavit, et regeneravit, ac filios suos, seu potius membra sua fecit, tum demum illos cibo corporis sui alit. Itaque cum Dominus dicit se peccatores vocare, loquitur de prima vocatione ad fidem, et pœnitentiam ; non de invitatione ad Eucharistiam. Quod autem idem Dominus se tangi passus fuerit a peccatoribus, dum hic viveret, id faciebat, quia versabatur cum hominibus more humano, loquendo, audiendo, tractando, et ea conversatio utilis peccatoribus esse poterat. At in Eucharistia Dominus non ita existit ut videatur, loquatur, et doceat more humano, sed existit per modum cibi, et cibi utilis solum mentibus bene dispositis : quare peccatoribus nullum commodum afferret. Adde, quod si argumentum hoc aliquid concluderet, efficeret etiam dandam esse Eucharistiam ethnicis, et hæreticis, et pueris ; nam Dominus etiam cum talibus versabatur, et ab eis tangi se permittebat.

Aliud argumentum proponit Calvinus lib. iv. Institut. cap. xvii. §. 42. Si ab omni peccato purgatum esse oportet, qui accessurus est ad communionem Eucharistiæ, quotquot in terris unquam fuerunt, aut sunt homines ab hoc Sacramento arcebuntur. Respondeo : Non sequitur.

Probat ille hoc modo. Nam si hoc agitur, ut nostram a nobis dignitatem petamus, actum de nobis est. Respondeo : Non hoc agitur, ut a nobis dignitas nostra petatur, sed a gratia Dei per Jesum Christum Domi-

(1) Matth. IX, 13.

num nostrum : ipse enim reliquit in Ecclesia potestatem reconciliandi peccatores per veram pœnitentiam.

Sed contra objicit Calvinus : Etiam si quis contritione, confessione, et satisfactione peccata sua expiare conetur, tamen nunquam certus erit, se esse sine peccato ; ergo si non nisi puri, et purgati accedere possunt, nemo andere debet accedere.

Respondeo : Non requirit Deus, ut qui accedit ad Sacramentum, certus sit se non habere peccata, sed solum ut faciat, quod Apostolus jubet 1 Corinth. II. nimirum, ut probet seipsum, et faciat, quod in se est ut peccatum purgetur. Illi enim digne accedunt qui moraliter faciunt, quod in se est ; non quidem dignitate æqualitatis, vel etiam meriti, quasi mereantur tantum donum, ut Kemnitius mentitur nos dicere ; cum potius fateamur in ipso accessu ad Communionem nostram indignitatem, dicentes cum pio illo Centurione : *Domine non sum dignus, etc.* sed dignitate illa, quam Deus a nostra imbecillitate exigit, quæ potius est non indignitas quam dignitas. Illi autem indigne accedunt, non qui habent peccata, sed qui habent affectum vel conscientiam peccati nondum expiati. Quare heatus Thomas 3. par. qu. LXXIX. art. 3. docet eum, qui forte habet peccatum mortale, sed non habet affectum, neque conscientiam, quia post diligens examen non ei occurrit, et si occurreret, sine dubio daret operam, ut per Sacramentum expiretur : et dolorem habet omnium peccatorum suorum, licet non sit is dolor perfecta contritio, cum, inquam, dicit S. Thomas non indigne, nec inutiliter accedere, imo plane utiliter. Quia etsi hoc Sacramentum non sit institutum ad peccata mortalia remittenda, tamen gratiam confert gratum facientem, et consequenter delet etiam peccata mortalia, si quæ inveniatur in eo, qui non indigne accedit : gratia enim cum peccato simul manere nullo modo potest.

Tertium argumentum Kemnitii est in Examine 2 cap. Filius Dei Eucharistiam vocat Testamentum novum, Luc. XXII. Sed in novo Testamento includitur pactum de remissione peccatorum, ut patet ex Hieremia, cap. XXXI. Et confirmatur argumentum, quia in ipsa institutione Sacramenti fit aperta mentio remissionis peccatorum, dum dicitur : *Hic est sanguis qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (1).

(1) Matth. XVII, 28.

Respondeo : Testamentum novum accipitur variis modis. Primo pro voluntate testatoris, et hoc modo Eucharistia non dicitur Testamentum. Secundo pro hæreditate, seu bonis a testatore legatis, et hoc etiam modo Eucharistia non est Testamentum. Tertio pro instrumento publico, quod simul sit, et signum voluntatis testatoris, et causa instrumentalis applicandæ hæreditatis : et hoc modo fatemur Sacramenta, et maxime Eucharistiam dici posse Testamentum novum. Et quidem si Eucharistia dicatur Testamentum novum, quia est signum voluntatis testatoris, nulla est difficultas. Nam Eucharistia, quia est signum, et representatio mortis Christi, est etiam signum voluntatis testatoris et omnium bonorum nobis promissorum, atque adeo etiam remissionis peccatorum. Neque ullus nostrum negat in Eucharistia contineri, remissionem peccatorum quatenus per eam representatur effusio sanguinis Domini, per quam omnia peccata remittuntur. Et hinc solvitur confirmatio argumenti Kemnitiani. Nam illa verba, quæ dicuntur in institutione : *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, non significant, bibi sanguinem in remissionem peccatorum, sed effusum fuisse in remissionem peccatorum, et hoc per Eucharistiam representari. Si autem dicatur Eucharistia Testamentum, ut causa instrumentalis applicandæ hæreditatis, tum respondemus esse quidem Eucharistiam etiam hoc modo Testamentum sed applicari per eam hæreditatem alio modo, quam per alia Sacramenta, et ideo applicari per Christi merita, et gratiam Dei, quæ est hæreditas, non proprie ad peccata remittenda, sed ad animam nutriendam, et præservandam a peccatis. Id quod patet ex ipsa ratione Sacramentorum. Nam in Baptismo applicantur Christi merita per modum lavaera, ad abluendas maculas ; in Sacramento Pœnitentiæ applicantur per modum emplastri, vel pharmaci ad curanda vulnera : in Eucharistia autem applicantur per modum cibi, et potus ad reficiendum, et nutriendum et præservandum a morbis.

Posset etiam dici, Eucharistiam applicare hæreditatem etiam quantum ad remissionem peccatorum, sed tum solum, cum ea est necessaria, nimirum, cum ii qui non indigne accedunt, habent aliqua peccata mortalia, quorum tamen conscientiam non habent.

Quartum argumentum ejusdem Kemnitii,



ibidem ; in omnibus Liturgiis habentur preces, quibus oratur Deus, ut faciat Sacramentum nobis esse in remissionem peccatorum.

Respondeo : Multis de causis oratur, ut Sacramenti perceptio sit in remissionem peccatorum. Primo, quia prodest ad delenda peccata mortalia, quorum non habemus conscientiam, ut supra diximus. Secundo, quia prodest ad tollendam pœnam, quæ remanet luenda etiam post culpam dimissam : unde etiam pro peccatis defunctorum oramus in Missa. Tertio, quia prodest ad delenda peccata venialia, et quotidiana, quæ charitatem et vitam animæ non extinguunt.

Sed contra hoc est argumentum quintum ejusdem Kemnitii in Examine tum. 2. cap. tum etiam 7. Si Eucharistia delet peccata venialia, cur non etiam mortalia delere potest ? num est tam exigua virtus sanguinis Domini in hoc Sacramento, ut delere non possit peccata, nisi venialia ? Deinde si potest homo accedere cum peccato veniali ad Sacramentum, cur non etiam cum mortali ?

Respondeo : Non negamus tantam esse virtutem sanctissimæ Eucharistiæ, ut peccata mortalia delere possit : nam cum gratiam conferat, eo ipso peccata delere potest, quæcumque invenerit, quæ cum gratia pugnent, et aliquando etiam id facit. Sed dicimus ex propria ratione Sacramenti, non ordinari ad peccata mortalia tollenda, sed ad vitam spiritualem conservandam ; quia cibus est, non lavacrum, vel emplastrum : et ex eadem ratione convenit ei peccata venialia tollere. Nam peccata venialia debilitant quodammodo spiritum, et languorem quemdam animi, ac lassitudinem inducunt : cibus autem id proprium habet, ut vires reficiat, et lætitiâ, atque alacritatem afferat. Quare B. Ambrosius lib. v. de Sacramentis cap. 4. dicit, Sacramentum hoc dici panem quotidianum, quia medicina est contra peccata quotidiana. Ex eadem ratione intelligimus, cur liceat accedere cum peccatis venialibus, et non cum mortalibus, quia nimirum homines debiles comedere solent, mortui non solent : et peccata mortalia occidunt animam, venialia non occidunt, licet, ut dixi, aliquo modo debilitent. Quare beatus Augustinus tract. 26 in Joan. : « Innocentiam, inquit, ad altare portate, peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. »

Dicet aliquis : Si mortuis cibus non prodest, ut ratio evidenter docet ; non igitur Eucharistia, quæ cibus quidam est, proderit

iis, qui sunt in peccato mortali, licet conscientiam ejus non habeant. Non enim magis prodest cibus iis, qui mortui esse nesciuntur, si vere mortui sint, quam iis, qui et sunt, et sciuntur esse mortui.

Respondeo : Eucharistia ejusmodi cibus est, ut non solum nutriat viventes, sed etiam vim habeat mortuos excitandi, ut ex eo patet quod gratiam gratum facientem confert, ut sæpe diximus. Nec tamen ideo ad eam accedere debent, qui habent conscientiam peccati mortalis, quia tales indigne accedunt, et accedendo peccant, et proinde non prodest, sed etiam nocet : indigne autem accedunt, quia contra ordinem a Deo præscriptum accedunt. Deus enim instituit hoc Sacramentum per modum cibi, ut non nisi a viventibus, et amicis, et filiis sumeretur : et pro remissione peccatorum mortalium alia remedia instituit.

## CAPUT XX.

*Proponitur quæstio, et sententia adversariorum de Communionem sub una, vel utraque specie.*

Explicatis iis, quæ ad naturam, et causas Sacramenti hujus pertinebant, sequitur nunc ut de usu disputemus. Usus autem primarius est ipsa communicatio, seu participatio Eucharistiæ : de qua una est controversia principalis : Utrum videlicet necessario participanda sit Eucharistia sub utraque specie, an satis sit sub altera. Est autem hæc quæstio diligenter explicanda, quia hæretici nihil sapius, nec aliquid magis invidiosum obijciunt, cum apud suos Romanam Ecclesiam accusant, quam quod contra expressum Dei madatum privaverit populum usu calicis.

Erunt partes sex hujus controversiæ. In prima referemus hæreticorum sententias, et qui de hoc argumento fuse scripserint. In secunda tractabimus, utrum totus Christus sit in quavis duarum specierum : nam hæc est prima radix, cur necessaria videri possit utraque species. In tertia tractabimus, an tota ratio Sacramenti in una specie reperiat. In quarta, an omnis fructus, qui ex utraque specie habetur, haberi possit etiam ex altera tantum. In quinta tractabimus, utrum divino præcepto aliquo præcipiatur sumptio

utriusque speciei. In sexta tractabimus, utrum Ecclesia justis de causis prohibuerit laicis usum calicis.

Quantum ad primum, controversia de Communionem sub utraque specie, exorta est Pragæ in Bohemia circa annum Domini 1442. auctoribus duobus Germanis, Petro Dresdensi, et Jacobello Misnensi. Nam ut scribit Æneas Sylvius in historia Bohemorum cap. 35, Petrus ille Dresdensis cum incidisset in illa verba Domini: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1), Joan. VI. miratus est cur contra tam apertum præceptum Domini, laici omnes fraudarentur usu calicis. Itaque monuit Jacobellum, qui tum Pragæ concionator erat, atque illum impulit, ut pro concione populum instrueret non posse eos salvari, nisi de calice Domini biberent. Placuit vehementer hic articulus omnibus hæreticis, ut Æneas testatur, quod se invenisse tandem aliquando viderent expressum locum Evangelii contra usum, et doctrinam Romanæ Ecclesiæ.

Successerunt deinde hoc nostro sæculo hæretici Lutherani, qui licet non existiment Joan. VI. tractari de Sacramento Eucharistiæ, et ideo nec magni faciant fundamentum Hussitarum pro Communionem utriusque speciei; tamen in sententia cum illis fere conveniant, et aliunde argumenta non pauca coacervant.

Ac primum Lutherus varia scripsit de hoc articulo, ut patet ex Septicipite Joannis Cochæi cap. 23. et ex tabula Gasparis Querhameri, ubi notantur 36. contradictiones de hoc uno articulo; sed tres sunt præcipuæ ejus mutationes, ex quibus apparet quomodo semper in pejus proceret. Nam initio suæ Apostasiæ scripsit declarationem quamdam in sermonem de Eucharistia a se habitum; ubi sic loquitur: « Non dixi, inquit, neque consului, nec est intentio mea, ut unus, aut aliquot Epi copi propria auctoritate incipiant alicui utramque speciem porrigere, nisi ita institueretur, ac præciperetur in aliquo generali Concilio. » Deinde paulo post in Assert. art. 16. ita mutat illam sententiam: « Consuetum mihi videtur nunc, ut non modo per Concilium, sed per quamque diœcesim quilibet Episcopus etiam invito Papa, Christum secutus in Evangelio, rursus utramque speciem laicis daret. » Sed postremo in formula Missæ

ita scripsit: « Si quod Concilium statueret, aut permetteret utramque speciem, nos nequaquam utraque uti vellemus, sed in despectum Concilii, ejusque statuti aut una, aut neutra, et minime utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate, aut statuto Concilii utraque uterentur. »

Similem progressum facit, quod attinet ad ipsos communicantes laicos. Nam in sermone citato de Eucharistia aperte dicit, non esse necesse dari utramque speciem laicis. Postea tamen in l. b. de captiv. Babyl. cap. 1. fuse probat, jure divino compelli sacerdotes, ut dent laicis utramque speciem, si ipsi eam velint; tamen addit liberum esse laicis unam, vel utramque, vel etiam neutram sumere. Sed in Assert. art. 16. dicit eos, qui non possunt impetrare utramque speciem, si omitant saltem eam desiderare, impios esse, et Christum ab eis negari: et in libro de Saxonica visitatione, damnat plane Communionem sub una specie.

Joannes Brentius in Apologia pro Confessione Wirtembergensi in 2. par. secundæ pericopes, prolixè disputat pro usu necessario utriusque speciei; et idem facit Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ: sed fusissime omnium, quos viderim, Martinus Kemnitius in 2. par. Concilii Tridentini sess. XXI. et Hermannus Hamelmannus in lib. de Communionem sub utraque specie: et ex Sacramentariis Calvinus lib. IV. Instit. cap. 17. §. 47. 48. 49. et 50. et in Antidoto articulorum Parisiensium art. 7.

Ex Catholicis multi copiose, et docte scripserunt: et in iis Ruardus Tapper in explicatione articuli 15. Lovaniensium, Albertus Pighius in controversiis Ratisponensibus controversia 7. Joannes Eckius in homiliis de Sacramentis. Cardinalis Hosius in Dialogo de Communionem sub utraque specie. Joannes Roffensis in refutatione art. 16. Lutheri. Æneas Sylvius in epist. 130. Thomas Cajetanus in 3. par. sancti Thomæ quæst. LXXX. Dominicus a Soto in IV. sentent. dist. 12. quæst. unica art. 12. Censura Coloniensium contra errores Monhemii art. 27. cui adjungi debet, qui eam censuram contra Kemnitium eloquentissime propugnavit, Dieghus Payva in lib. VII qui est de cœna Domini. Joannes a Lovanio in lib. de Communionem sub utraque specie, ubi præcipue refellit librum cujusdam consultoris, qui sine nomi-

(1) Joan. VI. 54.

ne auctoris librum edidit de hac re, sed postea cognitum est, auctorem illum fuisse Georgium Cassandrum. Jodocus Tiletanus in Apologia pro Concilio Tridentino. Scripserunt etiam nuper Claudius Sainctes in ultima repetitione de Eucharistia: et Wilhelmus Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 39. et sequentibus, usque ad finem libri.

## CAPUT XXI.

### *Totum esse Christum sub utraque specie.*

Ut igitur ad primam quæstionem veniamus, Sacramentarii aperte rident concomitantiam corporis Domini cum sanguine in calice, et concomitantiam sanguinis cum corpore in pane, seu panis specie. Vide Calvinum lib. iv. Institut. cap. 17. 18. 33. et 47. ubi oppugnat istam concomitantiam: et Petrum Martyrem in lib. de cœna Domini *contra Gardinerum* in defensione objecti 36. Neque mirum est, si Sacramentarii concomitantiam non admittant, cum corpus, et sanguinem tantum in signo, non autem re ipsa in Sacramento Eucharistiæ esse velint: signum enim corporis sine ulla Christi injuria, vel læsione solum corpus significat, et signum sanguinis solum sanguinem.

Lutherus varie admodum de hac re loquitur. Nam in Assertione art. 16. fatetur aperte totum Christum accipi sub qualibet specie: in informatione autem ad quam am amicum de Communionem sub utraque, ridet concomitantiam. In libro ad Waldenses de Eucharistia, dissimulat quæstionem tanquam minus necessariam; dicit enim quosdam se torquere inanibus quæstionibus, quomodo anima Christi, et divinitas sit in Sacramento.

Lutherani autem tripliciter sunt divisi. Quidam cum Sacramentariis audacter concomitantiam negant, cum tamen verum corpus, et sanguinem in Eucharistia adesse contendunt. In iis est Tilmannus Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum tit. 17. errore 4. et 18. numerat enim inter errores, quod totum Christum sub utraque specie contineri dicamus. Hermannus quoque Hamelmannus in libro de Communionem sub utraque specie, dicit concomitantiam esse diabolicum inventum. Illyricus in libro contra Sacramentarios parte 2. argumento 23. et par. 3. in solutione tertiæ objectionis,

aperte negat totum Christum esse sub qualibet specie.

Alii contra, cum Catholicis fatentur totum plane Christum sumi sub qualibet specie, ut Joannes Brentius in Confessione Wirtembergensi artic. de Eucharistia, et Kemnitius in fine disputationis de utraque specie; et idem coguntur docere omnes, qui defendunt Ubiquitatem. Si enim Christus totus ubique est, certe totus in pane, et totus in calice erit.

Alii denique prudentiores quæstionem istam dissimulant, ut sæpius Lutherus fecit, et in iis est Philippus Melanchthon in Apologia art. 10. Confessionis Augustanæ. Nam cum Catholici petiissent explicari, an totum Christum sub qualibet specie Confessio Augustana ponat: Philippus nihil ad hoc expresse, et in forma respondere noluit; sed in fine tantum illius Apologiæ dixit, se loqui de corpore vivo.

Cæterum veritas est, eaque necessario credenda, totum plane Christum in specie panis, et totum in specie vini contineri: ita enim expresse definiunt tria generalia Concilia, Constantiense sess. xiii. Florentinum in instruct. Armenorum, et Tridentinum sess. xiii. cap. 3. et sess. xxi. cap. 3. Ac non esse istam veritatem inventum Scholasticorum, ut hæretici mentiuntur, probatur primo ex verbo Dei, secundo ex consensu Patrum.

Sed antequam fundamenta solida proferamus, breviter refellenda est opinio quorundam. Sunt enim qui existimant, ex verbis Cœnæ Domini: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, colligi, sub specie panis esse integrum Christum. Dicunt enim voce corporis, eo loco significari corpus vivum, et proinde corpus cum anima, et sanguine. Significari autem corpus vivum probant, quia Dominus loquitur de corpore, quod habebat, cum illa diceret; tunc autem vivum corpus habebat non mortuum. Et præterea, quia loquitur de corpore, quod tradendum erat, nimirum ad mortem; ergo de corpore morituro, et proinde tunc vivo loquebatur.

Sed hæc sententia repugnat Concilio Tridentino sess. xiii. cap. 3. ubi Concilium docet, vi verborum non esse in specie panis, nisi corpus: animam autem et divinitatem, et sanguinem, per concomitantiam. Quod etiam docet S. Thomas in 3. part. quæst. lxxvi. art. 1. ad primum, et Catechismus Concilii Tridentini: quamvis concomitantia

animæ sumatur ex vi naturalis unionis, concomitantia autem divinitatis, ex vi unionis hypostaticæ. At si in verbis Domini, vox (*corpus*) significaret corpus vivum; vi verborum esset ibi corpus cum anima, et sanguine. Deinde repugnat mysterio Eucharistiæ. Eucharistia enim est representatio mortis Domini; et proinde sub specie panis representatur corpus a sanguine separatum, et sub specie vini sanguis separatus a corpore: ergo quod est sub specie panis, vi sacramentalium verborum, non est nisi corpus.

Neque argumenta illa concludunt. Nam etiamsi Dominus vivus esset cum dicebat: *Hoc est corpus meum*, et proinde loqueretur de corpore, quod tunc vivum erat, tamen per vocem (*corpus*) non significabat nisi corpus, id est, illam partem naturæ humanæ, quæ cum anima componit hominem; illa enim pars corpus Domini erat, et quando vivebat, et quando mortua erat.

Hæc ergo opinione dimissa, solida fundamenta ex verbo Dei sunt tria. Primum est apud Joannem in epist. 1. cap. IV.: *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus* (1). Nam et si loquebatur Joannes contra hæresim Ebionis, qui solvebat Jesum, quia negabat esse Deum, et hominem: tamen sententia generalis est, et omnes illos damnat, qui quoquo modo solvunt hypostaticam unionem Dei, et hominis, vel naturalem animæ, et carnis. Quare S. Patres ex hoc testimonio varios hæreticos confutare solent, ut patet ex Irenæo lib. III. cap. 18. Augustino tract. 6. in epist. Joannis, et Leone, epist. 10. Qui autem concomitantiam negant, apertissime solvunt Jesum, cum ponant alicubi corpus sine anima, et sanguine, et deitate.

Alterum fundamentum Joan. VI. habetur. Nam illud caput ad sacramentum Eucharistiæ pertinere probatum est in I libro de Eucharistia Dominus igitur Joan. VI.: *Qui manducat me, inquit, vivet propter me*. At non manducatur Dominus, nisi specie panis; ergo in specie panis, non est solum corpus, sed totus Christus; neque enim de solo corpore diceret: *Qui manducat me*. Ibidem: *Ego sum panis vivus, qui de celo descendi*. Et infra: *Hic est panis, qui de celo descendit* (2).

Tertium fundamentum pendet ex tribus principiis fidei, quæ evidententer habentur in

verbo Dei. Primum est, corpus Domini vere, et realiter esse in Eucharistia, propter illud testimonium Matth. XXVI.: *Hoc est corpus meum*. De quo principio convenimus cum Lutheranis.

Secundum est, Christum post resurrectionem vivere, nec ullo modo amplius moriturum, juxta illud Rom. VI.: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (3). Ex hoc secundo principio manifeste colligitur, in specie panis non esse corpus Christi sine anima, et sanguine. Nam si exanimatum, et exsangue esset, mortuum esset: at Christus jam non moritur. Neque multum refert, utrum possit Deus de potentia absoluta efficere, ut solum corpus Christi sine anima in specie panis existat, et proinde simul in cælo sit vivus, in terra sit mortuus: nam non disputamus, quid Deus absolute posset facere si vellet, sed quid sit facturus, et quid reipsa faciat. Ille autem non facit, nec est facturus in æternum, ut Christi corpus alicubi reperiretur mortuum: id quod seimus, quia revelavit Spiritus ejus per manum Pauli loco notato.

Tertium principium est, Christum esse unam personam divinam in duabus naturis subsistentem, juxta illud Joan.: I. *Verbum caro factum est*. Ex hoc autem principio manifeste colligitur, corpus Christi, ubicumque sit, non habere aliam, quam divinam subsistentiam Christi: et quia subsistentia idem est re eum divina essentia, nec ullo modo ab ea reparari potest, inde efficitur, ut ubi est corpus Christi, ubi sit etiam divinitas Christi. Habemus igitur ex principiis fidei, et ex verbo Dei manifeste probari, in specie panis cum corpore Christi esse etiam animam, et sanguinem, et divinitatem, et similiter in ealiæ.

Accedat nunc Patrum consensus. S. Andreas (ut in vita ejus scribunt presbyteri Achaia, quam authenticam esse in II. lib. probavimus) aperte dicit, in altari agnum immaeulatum offerri, et immolari, et a populo manducari, et tamen vivum, et integrum permanere. Origenes in diversa loca Evangelii hom. 6. meminit ejus ritus, quo dicimus communicaturi: *Domine non sum dignus*. Cyprianus lib. IV. epist. 6. dicit eos, qui corpus Domini sumunt, in ipso Dominum suum amplecti. Nicæna Synodus in cano-

(1) I Joan. IV, 3. — (2) Joan. VI, 58, 41, 51, 59. — (3) Rom. VI, 9.

ne citato in II. libro, quem canonem omnes etiam hæretici admittunt, dicunt, in sacra mensa situm esse agnum Dei, qui tollit peccata mundi. Neque responderi potest ipsum agnum esse in altari, sed partim in pane, partim in vino. Nam qui ita sentiunt, non ponunt revera integrum agnum; non enim ponunt animam, sed corpus tantum, et sanguinem: corpus autem, et sanguis sine anima non efficiunt agnum Dei, id est, Christum.

Hilarius lib. VIII. de Trinitate, scribit, et sæpius repetit, per manducationem Eucharistiæ fieri, ut ipse Filius Dei in nobis sit. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 4. mystagogica dicit, nos esse Christiferos, quando communicavimus, quia Christum ipsum in nobis habemus. 5. mystagogica dicit sub specie panis summum regem sumi, et ideo maxima reverentia sumendum, et cavendum ne in terram cadat. Ambrosius lib. de initiandis mysteriis cap. 9. dicit Christum in Sacramento illo esse, quia ibi corpus est Christi: colligit enim recte totum esse Christum, ubi pars est una, a qua cæteræ divelli nequeunt. Basilius in Liturgia alloquitur Christum in Eucharistia latentem: « Qui supra, inquit, cum Patre sedes, et hic invisibiliter nobiscum es ». Hieronymus in epist. ad Hedibianam quæst. 2. : « Ipse, inquit, conviva, et convivium, ipse comedens, et qui comeditur », et in Apologia pro libris in Jovinianum, reprehendens illos, qui post actum conjugalem non audebant in Ecclesia sumere Eucharistiam, et tamen domi sumebant: « An, inquit, alius in publico, alius in domo Christi est? » Joannes Chrysostomus hom. 83. in Matthæum: « Ipsum, inquit, vides, ipsum tangis, ipsum comedis »; et homil. 24. in priorem ad Corinth. : « Non regium puerum, inquit, sed ipsum unigenitum Dei Filium accipis, etc. » et lib. VI de sacerdotio dicit, in illa hora communem omnium Dominum manibus tractari. Augustinus lib. III. de Trinit. cap. 10. dicit, infantes, cum sacram hostiam vident, nescire quomodo facta sit illa species, tamen recte credere Dominum in illa specie oculis apparuisse mortalium, et tract. 11. in Joan. de Catechumenis, quia non communicant, dicit eos credere in Jesum, sed Jesum non se credere ipsis, et in Psalm. XXXIII. dicit, Christum seipsum portasse manibus suis, quando dicebat: *Hoc est corpus meum*. Cyrillus Alexandrinus lib. V. in Joan. cap. 13. docet per sacram Eucharistiam

Christum in nobis manere, et habitare non solum per affectum, sed etiam reipsa.

Denique communis est Christianorum sensus, ut in Eucharistia sub specie panis se accipere credant non aliquod cadaver, sed ipsum vivum atque integrum Christum. Apud hæreticos autem, qui concomitantiam negant, non solum sumitur cadaver ipsorum opinione, sed etiam ipsi eorum ministri quoties Cœnam faciunt, toties Christum reipsa occidunt, vel certe occidere se credunt: quæ sane absurdissima sunt.

Accedit etiam ratio Scholasticorum. Nam quæcumque aliqua sunt, et manent inter se conjuncta, nisi novum miraculum fiat, non potest unum alicubi esse, ubi non sit etiam alterum, manente illa conjunctione. Sed corpus Domini, anima, sanguis, et divinitas inter se conjuncta sunt, nec potest jam solvi illa conjunctio; ergo ubi est corpus, ibi sunt reliqua, et similiter ubi est sanguis, ibi sunt reliqua.

Dices: Ista ratio non videtur solida: nam inde probaretur, ubicumque est divinitas, ibi etiam esse Christi corpus, et sanguinem, quæ est hæresis Ubiquistarum. Respondeo: Regula illa debet intelligi sano modo. Quæ enim adæquate uniuntur, ita ut unum non pateat latius, quam alterum, in iis regula est simpliciter vera. Si vero unum latius pateat, tunc ubicumque est minus, ibi est etiam majus, non e contrario. Ut causa exempli, quia gemma et annulus, sol et cœlum, anima et oculus non adæquate uniuntur, inde est, quod ubicumque est gemma, ibi est annulus; et ubi est sol, ibi est cœlum solis, ubi est oculus, ibi est anima; non contra. Quoniam igitur divinitas longe superat humanitatem, ubicumque est humanitas Christi, ibi est cum ea etiam divinitas; non autem ubicumque est divinitas, ibi est humanitas.

Accedant miracula a Deo ostensa: nam ut credamus in specie panis esse corpus cum sanguine, non semel ex fractione panis, copiosus sanguis manavit. Exempla exstant in commentario Surii anni 1510. et 1556. Item apud Vincentium in speculo historiali lib. xxx. cap. 24. et apud Alexandrum Alensem 4. par. quæst. 53. memb. 1. et in nova editione quæst. 11. memb. 2. art. 4. §. 3.

Adde, quod argumenta hæreticorum levissima sunt. Calvinus lib. IV. Institut. cap. 17. §. 18. « Quod obtundunt, inquit, per concomitantiam in corpore esse sanguinem, et in sanguine vicissim corpus, nimis sane fri-

volum est; cum symbola, quibus includuntur, ita distincta sint ».

Respondeo : Nimis sane frivola consequentia est, Symbola sunt distincta ; ergo et res ipsæ sunt disjunctæ atque ab invicem separatae. Solum enim sequitur diversa esse, quæ symbolis illis significantur; duobus enim signis duo significata respondent : non tamen sequitur res illas significatas a se invicem distare, et unam esse sine alia.

Idem Calvinus §. 35. : « Primum, inquit, si sua illa, quam obtinent, concomitantia ipsis negetur, quid facient? quis sanus, et sobrius Christi corpus Christum esse sibi persuadeat? »

Respondeo : Si negetur concomitantia, negandæ erunt Scripturæ, et principia fidei certissima, et Patrum omnium consensus. Neque sumus tam stulti, ut dicamus per concomitantiam fieri, ut corpus Christi sit Christus, sed ut corpus Christi nusquam sit absque anima, et sanguine suo; et ideo ubi corpus Christi est, ibi totum Christum esse.

Idem denique §. 74. : « Dominus panem ostendens corpus suum esse dicit, calicem dum res endit, sanguinem vocat; humanæ rationis, auctoritas contra reclamatur, panem esse sanguinem, vinum esse corpus; ac si Dominus nulla causa corpus suum a sanguine, et verbis, et signis distinxisset : et unquam fando auditum esset, corpus Christi, aut sanguinem Deum, et hominem appellari. Sane si designare se totum voluisset dicere poterat, Ego sum; non autem, Hoc est corpus meum. »

Respondeo : Nemo nostrum dicit, panem esse sanguinem, et vinum esse corpus, sed sub specie panis esse corpus cum suo sanguine, et sub specie vini esse sanguinem in suo corpore. Porro Dominus non sine causa distinxit verbis, et signis corpus, et sanguinem, quia ita oportebat passionem, et mortem ejus repræsentari. Sed non ideo corpus, et sanguis reipsa ab invicem divulsa sunt, quia verbis, et signis distincta sunt : alioqui non posset pingi in unâ tabella caput alicujus, et in alia pedes, nisi reipsa caput a pedibus divelleretur. Etsi autem fando non est auditum, corpus Domini esse Deum, et hominem; quod neque nos dicimus : tamen qui sub specie illa panis latet, esse Deum, et hominem, omnes Patres dicunt, quos supra citavimus. Denique non dixit Dominus, Ego sum; sed, *Hoc est corpus*, quia id solum exprimere voluit, quod eo signo repræsentatur.

Nam alioqui Joan. vi. satis aperte dixit : *Qui manducat me, vivet propter me.*

Hermannus Hamelmannus præter Calvini argumenta, quæ ipse etiam repetit, argumentatur ex illis rhythmis sancti Thomæ : « Dogma datur Christianis, quod in carnem transit panis, et vinum in sanguinem. » Nullum autem datur dogma, quod in panem transit corpus, et sanguis. Et rursus profert illud : « Caro cibus, sanguis potus, manet tamen Christus totus sub utraque specie ». Si enim sub utraque totus; non ergo sub altera tantum.

Respondeo : Hæc sunt testimonia verbi Dei, quæ se habere jactant contra dogmata Catholicæ Ecclesiæ, nisi enim S. Thomas rhythmum illum scripsisset, non haberet Hermannus ullum argumentum, quo reprobaret inventum diabolicum (ut ipse vocat) concomitantiam. Sed nimis stupidus est, si existimat rhythmum S. Thomæ pugnare cum doctrina ejusdem, et omnium Catholicorum. Dico igitur, nullum esse dogma, quod corpus, et sanguis in panem transeant : neque etiam rhythmus habet : In panem transit corpus, sed : « In corpus transit panis ». Vere enim (ut sanctus Thomas dicit) panis in carnem, et vinum in sanguinem transit : non panis in carnem, et sanguinem, neque vinum in sanguinem, et carnem : tamen quod non est sub specie panis ex vi conversionis, est ex vi concomitantiam naturalis; et quod non est sub specie vini ex vi conversionis, est ex vi similiter concomitantiam.

Quod autem nugatur Hermannus, totum Christum esse sub utraque specie, non autem sub altera tantum; ex mera vel imperitia, vel impudentia nascitur. Dum enim sanctus Thomas dicit, totum Christum esse sub utraque, intelligit sub utraque disjunctim, et seorsum : nam alioqui non poneret particulam adversativam (tamen) sed conjunctivam (et). Et præterea caro, et sanguis non faciunt Christum totum, nisi addantur anima, et divinitas : non ergo significat sanctus Thomas (ut Hermannus somniat) totum Christum esse in Eucharistia, quia in pane est caro, et sanguis in vino.

Habemus ergo principale fundamentum eorum qui Communionem utriusque speciei necessariam esse judicant, prorsus inutile, et plane putridum esse. Unde Concilium Constantiense sess. XIII. et Basileense sess. xxx. cum definiunt alteram speciem satis esse, hoc argumento utuntur, quia totus

Christus in altera, sicut in utraque sumitur. Nunc ad alterum fundamentum de ratione Sacramenti accedamus.

## CAPUT XXII.

*Totam Sacramenti rationem in vini specie inveniri.*

Quæritur igitur secundo, num in una specie tota Sacramenti ratio inveniatur. Hinc enim valde in Catholicos hæretici invehuntur, quod Sacramentum Domini mutilent, et sic mutilatum, et imperfectum laicis porrigant. Nam vel panis, et calix sunt duo Sacramenta, vel unum. Si duo; ergo populum integro Sacramento fraudant, qui calicem ei negant. Si unum; ergo diminuatam Sacramentum laicis datur. Et confirmatur argumentum. Nam Eucharistia est convivium spirituale: ad convivium autem non sufficit cibus, sed requiritur etiam potus; quare populum parum civiliter tractant, qui ad sacras epulas eum invitant, et solum cibum sine potu illi tribuunt.

Ut quæstio ista facile, et perspicue explicetur, revocandum est ad memoriam, Eucharistiam tribus modis considerari posse. Primo, ut sacrificium. Secundo, ut pignus divini amoris. Tertio, ut Sacramentum. De singulis breviter explicabimus, utrum in una tantum specie salvari possint, tametsi præcipua nostra quæstio de Sacramento sit.

Sit igitur prima propositio: « Eucharistia, ut est pignus amoris, potest optime in quavis specie conservari ». Nam Eucharistia est pignus, quatenus significat, et exhibet Christum præsentem: id autem quælibet species facit. Unde etiam Ecclesia Catholica unam tantum speciem exhibet spectandam, extra sacrificium, et in processione circumfert.

Secunda propositio: « In una specie non habetur perfecte, et integre sacrificii ratio, sed utraque necessaria est ». Nam Eucharistia, ut sacrificium, significat Christi passionem: est enim quædam imitatio sacrificii in cruce peracti. Sola autem species panis non repræsentat exacte Christum, ut mortuum, nisi ab altera parte conspiciatur sanguis, ut effusus. Et similiter sola species vini non repræsentat sufficienter Christum, ut immolatum; non enim solus sanguis est victima.

Præterea in sacrificio Missæ debet esse reipsa quod fuit in typo in sacrificio Melchisedech, cum sit Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. cix. Melchisedech autem obtulit panem et vinum, Genes. xiv. Denique sacrificium proprie ordinatur ad remissionem peccatorum; unde dicitur propitiatorium: sine sanguinis autem effusione, non ut remissio, Heb. ix. Necesse igitur fuit, ut perspicue repræsentaretur sanguinis effusio.

Idem colligitur ex Ecclesiæ consuetudine, quæ nunquam passa in ullo casu est sacrificium offerri sine utraque specie, si utraque species haberi possit. Nam in Concilio Tolet. VII, can. 2. statuitur, ut si Sacerdos post inchoatum sacrificium, id est, post consecratam unam speciem (ut com uniter exponitur illud decretum) adeo ægrotare incipiat, ut prosequi nequeat, alius Sacerdos succedat, et perficiat sacrificium. Et S. Thomas 3. par. quest. lxxxiii. artic. 6. addit, si Sacerdos post consecratam unam speciem, recordetur se non esse jejunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, aut alio vinculo impeditum, doleat corde cum proposito faciendi postea, quod debet, et nullo modo imperfectum sacrificium relinquat. Itaque duarum specierum necessitas, quod non advertunt adversarii, potissimum ad sacrificium pertinet.

Tertia propositio: « In qualibet specie invenitur tota essentia, ac ratio Sacramenti: ita ut hostia consecrata, ut conservatur in templis, et ut a laicis sumitur, sine specie vini, absolute, vere, et proprie dici debeat Sacramentum Eucharistiæ, non Sacramentum mutilatum, aut dimidiatum ». Quæ sententia habetur expresse in Concilio Trident. sess. xxi. cap. 3. ubi definitur, sub una specie non solum totum Christum sumi, sed etiam verum Sacramentum.

Probat jam hæc sententia. Nam in quolibet Sacramento requiritur significatio, et causalitas. est enim Sacramentum signum, et causa gratiæ. Hæc autem reperiuntur in qualibet specie, id est, tam in specie panis, quam in specie vini seorsim sumptis. Siquidem significatio Eucharistiæ, ut Sacramentum, duplex est, juxta duplicem ejus effectum. Prior est significatio internæ refectionis. Posterior est significatio unionis fidelium inter se, et cum Christo. De prioribus dicitur Joan. vi.: *Caro mea vere est cibus etc.* De posteriore I Corinth. x.: *Unus panis, et unum*

*corpus multi sumus, qui de uno pane participamus* (1).

Utraque autem significatio in qualibet specie reperitur. Nam in specie panis significatur sufficienter refectio animæ, etiamsi non adderetur species vini, et similiter in specie vini, etiamsi non adderetur species panis. Nam etiamsi species panis non significet refectionem spiritualem, nisi per modum cibi; et species vini non significet eandem refectionem, nisi per modum potus: tamen ut aliquid dici possit absolute, et vere Sacramentum, satis est, si significet refectionem aliquam spiritualem, et eandem revera efficiat. Quocirca duo illa signa, species videlicet panis, et species vini, non tam essentielles, quam integrales partes hujus Sacramenti esse videntur: ex quo sequitur, ut Eucharistia sub una specie sit verum, et integrum Sacramentum essentialiter, licet etiam pars Sacramenti dici possit, si partes materiales symboli externi considerentur. Dixi autem (ex parte symboli externi), nam ex parte rei significatæ, id est, ex parte refectionis spiritualis, nihil deest ulli speciei: siquidem in spirituali refectione non distinguuntur cibus, et potus, sed una, et eadem res, et nutrit, quod est cibi officium, et refrigerat, sive irrigat, et inebriat mentem, quod est officium potus. Itaque in divinis literis justitia, et sapientia, et similia dicuntur esuriri, et sitiiri ut cibus, et potus Matth. v: *Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Vides eandem justitiam, et cibum esse, et potum. Et Eccles. xxiv.: *Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitiunt* (2). Et Cyprianus sermone de cœna Domini disertis verbis dicit, ad eandem rationem pertinere cibum, et potum spiritualem: et similia docet Augustinus in illud Psalm. ciii: *Panis cor hominis confirmet*. Quare Joan. vi. licet dicat Dominus: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, tamen ibidem ait: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum; et qui manducat me, vivet propter me* (3).

Jam quod attinet ad aliam significationem, manifestum est in specie panis etiam sola, optime significari unionem fidelium cum Christo, et inter se. Nam panis quatenus constat ex multis granis in unum redactis, significat unionem fidelium; quatenus

constat ex farina et aqua, significat unionem Christi cum Ecclesia, ut Cyprianus testatur lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium. Quocirca beatus Paulus cum dixisset: *Unum corpus sumus qui de uno pane participamus*, non putavit esse addendum: et de uno calice bibimus; quia nimirum intelligebat ex sola panis specie sufficienter significari hanc unionem. Idem dici potest de specie vini. Vinum enim, quod ex multis uvis confluat, unionem fidelium inter se designat; quod autem in sacro calice aqua vino admisceatur, eodem Cypriano teste, unionem Christi cum Ecclesia repræsentat. Quod ergo ad hanc significationem attinet, nihil desiderari potest in qualibet specie ad verum et integrum Sacramentum.

Jam vero quantum ad causalitatem, seu efficientiam, eadem reperitur in qualibet specie Sacramenti hujus: nam tota efficientia nascitur ex ipso Christo, qui sub illis speciebus continetur, ut supra diximus, cum de natura Sacramenti Eucharistiæ disputarem. Christus autem idem et totus est tam sub specie panis, quam sub specie vini, ut capite superiore demonstratum est: quare eadem efficientia est in specie panis, quæ in specie vini; et eadem in singulis, quæ in utrisque simul sumptis.

Huc accedit, quod quælibet species habet propriam materiam, propriam formam, et quod est amplius, propria quadam actione, et consecratione conficitur, nec ullo modo, ut Sacramentum sit, una species pendet ab alia. Nam Dominus prius sub specie panis Sacramentum confecit, et manducandum dedit, ac deinde manducatione absoluta, sub specie vini Sacramentum confecit, et bibendum tradidit. Et Ecclesia Catholica, non sine causa post speciem panis consecratam, Sacramentum populo adorandum exhibet antequam sub specie vini consecrare aggrediatur.

Accedit etiam communis fidelium consensus: nemo enim hostiam consecratam vident, dicit esse partem Sacramenti, aut Sacramentum mutilum, sed Sacramentum simpliciter omnes appellant.

Accedunt denique typi et figuræ Testamenti veteris. Quæ enim figuræ erant Eucharistiæ, ut Sacramentum est, in sola specie manducabili consistebant, vel in sola specie

(1) Joan. VI, 56; I Cor. X, 17. — (2) Matth. V, 6; Eccl. XXIV, 29. — (3) Psal. CIII, 15; Joan. VI, 56, 59 et 58.



potus ; ut patet de pane propositionis, de agno paschali, et de manna, quæ sine potu data sunt : et in aqua de petra scaturiente, quæ sine cibo aliquo mystico data est. Nam etiamsi Apostolus conjugat, I Corinth. x., cibum spiritualem, id est, manna, et potum spiritualem, id est, aquam de petra : tamen illæ duæ figuræ sunt distinctæ, et diversis temporibus datæ. Manna enim datum est in deserto Synai, Exod. xvi, et postea aqua in Raphidim, Exod. xvii. Quare Dominus Joan. vi. ubi comparat manna cum Sacramento Eucharistiæ, nullam mentionem facit aquæ ; et ibidem Dominus in signum ejusdem rei multiplicavit panes insigni miraculo, vinum vel aquam non multiplicavit.

Quarta propositio : « Duæ species Sacramenti cum simul sumuntur, non sunt duo Sacramenta, sed unum ». Nota duas species Sacramenti duobus modis posse sumi. Primo, simul ut jam sumuntur a Sacerdotibus, in Missa. Secundo, non simul, sed temporibus diversis, ut si quis hodie solam speciem panis sumeret, alio die solam speciem vini. Et siquidem sumantur secundo modo, id est, temporibus diversis ; tunc sine dubio sunt duo Sacramenta numero distincta. Nam quælibet per se est integrum Sacramentum, ut superiore propositione ostendimus : et sunt ibi duæ diversæ refectioes, non secus ac si quis sub specie panis duobus diversis temporibus communicaret. At si sumantur simul, ut Sacerdotes faciunt, tunc non sunt duo Sacramenta, sed unum, quia ad unam refectioem ordinantur, et unam rem significant, et unum effectum producunt. Simile quid cernimus in conviviis corporalibus : si quis enim tria, vel quatuor, vel plura fercula eodem tempore ponat in mensa, illa omnia unum convivium facient : si vero duo tantum ponantur hodie, et cras reliqua, jam erunt duo convivia. Similiter in Baptismo, si quis eodem tempore ter mergatur, unus erit Baptismus : si autem diversis temporibus cum trina repetitione formæ, tria essent Baptismata. Et in Sacramento altaris, si quis uno tempore sumat duas, vel plures particulas, unum Sacramentum accipit ; si autem diversis temporibus, plura Sacramenta erunt. Licet enim quælibet particula integrum Sacramentum contineat, tamen cum adjungitur alteri, non multiplicantur Sacramenta, sed solum augentur, quod est materiale in symbolo.

Ex his ad argumentum adversariorum ini-

tio factum respondemus, populo dari integrum Sacramentum, non mutilum, vel dimidiatum ; siquidem in qualibet specie seorsim invenitur veri atque integri Sacramenti ratio.

Dices, si est integrum quod accipit laicus ; ergo sunt duo integra Sacramenta, quæ accipiuntur a Sacerdote. Respondeo : negatur consequentia. Nam duæ species simul sumptæ non faciunt duo Sacramenta ; sicut nec duæ particule consecratæ simul junctæ, vel duo calices sanguinis in eodem altari existentes, nec tres mersiones sunt tria Baptismata.

Ad confirmationem respondeo, populo datur cibus spiritualis, qui est integra, et totalis refectio, et virtualiter continet cibum et potum, ut supra ostendimus. Neque obstat, quod a Sacerdotibus in ipso sacrificio distincte sumatur Eucharistia per modum cibi, et per modum potus : id enim fit potissimum ob sacrificii non ob Sacramenti integritatem. Neque inde aliquid populus perdit ; nam id ipsum, quod sumit Sacerdos sub duplici symbolo, sumit populus sub uno : quemadmodum si uni alicui darentur in una schedula 100 aurei a mercatore accipiendi, altari darentur totidem aurei, sed in schedulis duabus.

## CAPUT XXIII.

*Non majorem utilitatem sumi ex Communionem sub utraque specie, quam sub una.*

Sequitur quæstio tertia de fructu, qui ex Communionem percipitur. Nam postquam totum Christum, et integrum Sacramentum in una specie sumi demonstravimus : id unum superest, ut videamus utrum aliquis fructus iis depereat, qui sub altera tantum specie Eucharistiam sumunt. Et quoniam de fructu Sacramentorum longe aliter disputant hæretici nostri temporis, atque Catholici faciunt, juxta utrorumque sententiam de Eucharistiæ fructu differemus.

Ac ut a sententia hæreticorum incipiamus, statuo hanc propositionem primam : « Ejus fructus, quem Lutherani omnes in Sacramentis quærunt, non minus percipiunt, qui sub una specie communicant, quam qui sub

duabus ». Probatur. Nam fructus quem Lutherani in Sacramentis quærunt, est excitatio fidei, vel confirmatio : dicunt enim Sacramenta non aliter prodesse, quam significatione sua, tamquam visibili verbo repræsentando promissiones Dei. Quam eorum sententiam copiose declaravimus, et confutavimus in lib. II. de Sacramentis in genere, in disputatione de effectu Sacramentorum. Istæ autem fructus melius obtinetur videndo Eucharistiam in mensa, quam eam manducando. Nam dum manducatur, continuo perit significatio, at dum cernitur, et attente cogitatur, semper repræsentat, et significat promissiones Dei, etiamsi per integrum annum quis eam cernere vellet. Præterea significatio melius apprehenditur per oculos, quam per gustandi sensum, cum sit ille longe spiritualior, et aptior ad intelligentiam adjuvandam. Nihil ergo fructus perit communicantibus sub una, quia licet unam tantum ore sumant, tamen oculis utramque sumunt non minus, quam Sacerdotes, et possunt, si volunt, ex illo aspectu significationem percipere.

Sit jam secunda propositio de fructu Sacramenti secundum Catholicos : « Ex qualibet specie percipitur tantum ejus fructus, quem Catholici in Sacramento quærunt, quantum necessarium est ad salutem ». Habetur hæc propositio in Concilio Tridentino sess. XXI. can. 3. ubi Concilium directe damnat hæreticorum sententiam de necessitate utriusque speciei. Nam fructus quem Catholici in Sacramento quærunt, est gratia Dei animæ infusa per quam conservatur vita animæ, ut per ciborum nutritionem conservantur corpora : sed quælibet species confert gratiam, ut supra demonstravimus, cum sit verum Sacramentum, et quilibet gradus gratiæ sufficit ad implenda mandata, imo ad pellenda etiam omnia peccata. Et confirmatur ex Joan. VI. ubi Dominus pollicetur vitam sumenti unam speciem : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum* (1).

Tertia propositio : « Licet plus gratiæ, et fructus ex utraque specie, quam ex una tantum caperetur, non propterea opus esset, vel expediret, ut omnes utramque speciem sumerent ». Probatur. Nam ex duobus malis semper est eligendum minus malum : est autem minus malum ut homines a'iqui careant aliquo bono non necessario quam ut Sacra-

mentum Dei evidenti periculo irreverentiæ exponatur. Exponeretur autem evidenti periculo si communiter populo daretur Eucharistia sub specie vini ; moraliter enim fieri non posset, quin sæpius effunderetur sanguis Domini. Et confirmatur hæc ratio ab exemplis similibus. Certe Sacerdotium gratiam confert, nec tamen expedit omnibus fieri Sacerdotes. Parvulis Eucharistia gratiam conferret, et tamen quia ea non indigent necessario, nec sine irreverentia eis dare posset, non eis datur, neque a Catholicis, neque ab hæreticis.

Præterea plus gratiæ recipi potest ex frequenti Communione sub una specie, quam ex rara sub utraque : non igitur est necessaria Communio sub utraque, cum facili negotio compensari possit damnum, si quod sit. Nam si communicant jam singulis mensibus sub utraque ; communicent decimoquinto, aut octavo quoque die sub una, et sine dubio multo amplius lucrabuntur.

Denique, posita veritate secundæ conclusionis, quæ certissima est, magis lucratur qui (ut Ecclesiæ obediat) communicat sub una, quam qui sub duabus, sine illo ingenti obedientiæ fructu.

Sit ultima propositio : « Nihil spiritualis fructus capitur ex duabus speciebus, quod non capiatur ex una ». Hæc propositio non est adeo certa, ut superior : de hac enim varie sentiunt Theologi, neque Concilium eam aperte definire videtur. Est tamen nostra sententia, atque assertio communis, et probabilissima, adeo ut simpliciter asseri, et ex pulpito in concione ad populum proponi possit. Nam in primis Concilium Tridentinum licet non apertissime hoc definierit, tamen satis indicat sess. 21. canon. 3. cum dicit, sub una specie sumi integrum Christum omnium gratiarum fontem : significat enim his verbis sub una specie sumi omnem gratiam, quæ ex Eucharistia sumi potest. In Concilio etiam Basileensi ea conditione concessus fuit calix Bohemis, ut Ruardus testatur, ut crederent non plus fructus sumi ex duabus speciebus, quam ex una.

Præterea, est hæc sententia communis Theologorum, tum veterum, ut S. Thomæ opusc. 58. cap. 29. in fine. et 3. par. quæst. LXXX. art. ult. S. Bonaventuræ, et Ricardi in IV. dist. 11. tum et am recentiorum, ut Gabriëlis lect. 84. in canonem Missæ, Joan.

(1) Joan. VI, 59.

Roffensis, Cajetani, Domin. a Soto, Ruardi, Joan. a Lovanio, et aliorum.

Unus est ex veteribus, qui contrarium sensit, Alexander Aletius in iv. par. summæ quæst. 53. memb. 1. Ex recentioribus autem Gaspar Cassalius in II. lib. de Cœna et Calice capite 25. rem in dubium revocat. Et quamvis Ruardus videatur interdum in contrariam sententiam propendere, id facit, ut aliquo modo conciliet Alexandrum cum sententia communi: alioqui enim plurimis in locis apertissime docet, nihil omnino plus utilitatis recipi ex duabus speciebus, quam ex una, quæ loca diligenter notavit Joannes a Lovanio.

Probatur igitur propositio nostra. Si sumptio utriusque speciei plus gratiæ, aut fructus spiritualis confert, quam sumptio unius, id necessario oriretur vel ex symbolo continente vel ex re contenta. Ex symbolo id nasci non potest, quia symbolum non operatur, nisi per virtutem sibi impressam; in Eucharistia autem loco virtutis impressæ est ipse Christus, sive corpus ejus et sanguis: non igitur ex symbolo oritur major gratia.

Dices: Licet symbolum operetur per virtutem impressam, tamen id operatur, quod significat: ergo quando symbolum cumulatus, et plenius significat, effectum etiam pleniorum, et majorem operatur. At duæ species cumulatus, et plenius significant, quam una.

Respondeo: Symbolum efficit quod significat, sed id non efficit per significationem, sed per vim operativam: significatio enim non operatur nisi in mente, excitando affectum aliquem dum apprehenditur. Id ergo symbolum, quod significat cumulatus, et plenius, si significet plenius, id est, aliquid plenius, et melius; tunc sine dubio operatur etiam effectum pleniorum, quia virtus operativa proportionatur significationi. Si autem significet plenius, id est, distinctius, et clarior, rem eandem non efficit meliorem, vel majorem effectum: alioqui moneta melius impressa plus valeret, quam alia; et litteræ, quibus diplomata continentur, quo accuratius scriptæ essent, eo majori essent auctoritatis. Et ut exemplis propriis utamur, Baptismus trina mersione collatus magis justificaret: et hostia sacra cum imagine crucifixi impressa in exteriori superficie magis reficeret. Talis autem significatio est duarum specierum, quia nimirum exactius, et clarior significat Christum esse alimen-

tum animorum, non tamen aliquid significat, quod ab altera specie, licet paulo obscurius, non significetur.

Omisso igitur symbolo ad rem contentam veniamus. Si ex re contenta major illa gratia oritur, id fit, vel quia res contentæ in utraque specie sunt revera duæ, et diversæ, et quælibet operatur aliquid in animam suscipientis; et hoc dici non potest, cum unus et idem Christus in utraque specie sit: vel quia una res quidem et eadem in utraque specie continetur, sed ea bis sumitur, cum sumitur utraque species, semel autem tantum sumitur, cum una species sumitur. At neque hoc dici potest. Nam non augetur gratia vel fructus, quando bis sumitur eodem tempore, quia sumitur per modum unius refectionis; alioqui qui duas tresve particulas sumeret unam post alteram, in eadem participatione mysterii majorem gratiam acciperet, quam qui unam tantum: nam in singulis particulis Christus est. Et pari ratione cum Sacerdos non uno haustu, sed duobus, aut tribus sumit sanguinem Domini, plus gratiæ acciperet, quam qui uno haustu totum ebibit; quæ sane absurdissima sunt omnium consensu.

Sed argumenta quædam, quæ contra obijciuntur, dissolvenda sunt. Primo, Calvinus objicit lib. iv. Institut. cap. 17. § 47. fraudari populum magna fidei confirmatione: nam multo clarius nobis significant duæ species, quam una, Christum esse cibum, et potum animarum nostrarum.

Respondeo, jam supra docui fructum ex utraque specie a populo capi posse, etiamsi utraque species non manducetur; nam videndo symbola melius percipit homo eorum significationem, quam comedendo. Præterea sententia ista Calvini, et Lutheranorum, quod Sacramentorum fructus consistat in confirmanda fide, absurdissima est, et proinde argumentum, quo probare volunt utriusque speciei necessitatem, falso nititur fundamento. Nam si fructus Sacramentorum in eo consisteret, ut apprehensa significatione moveretur animus, homines rudes nihil fere utilitatis ex Sacramentis perciperent; infantes autem ex Baptismo nihil omnino lucrarentur; et denique quo quis esset ingeniosior, eo majorem fructum perciperet; atque ita Sacramentorum effectus magis penderet ex natura, quam ex gratia. Sed de hac re satis multa diximus in lib. de Sacramentis in genere.

Secundo, objicit Georgius Cassander apud Joannem a Lovanio (nam librum ipsum Georgii non vidi) sancti Patres tribuunt peculiarem effectum sanguini Domini, qui ex calice sumitur. Sic enim Ambrosius loquitur lib. v. de Sacramentis, cap. 3. : « Quotiescumque bibis, remissionem accipis peccatorum, et inebriaris spiritu ». Et Cyprianus lib. i. epist. 2. : « Quomodo docemus, aut provocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturi, Christi sanguinem denegamus? »

Respondeo : Sancti Patres non tribuunt peculiarem effectum sanguini Domini, ut distinguitur contra corpus ejusdem Domini, sed simpliciter tribuunt effectum quemdam sanguini Domini, quia vere illi convenit, sed non negant eundem convenire etiam corpori Domini, quemadmodum sæpe multa tribuuntur Deo Patri, vel Filio, et tamen non negantur ea de Spiritu sancto, licet non exprimatur tunc Spiritus sanctus. Hoc autem esse verum patet, quia iidem auctores in aliis locis eosdem effectus tribuunt corpori Domini. Ambrosius enim qui lib. v. cap. 3. tribuit sanguini remissionem peccatorum, idem lib. iv. cap. 5. sic ait : « Qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum ». Et Cyprianus in illa ipsa epistola, ubi dicit, Martyres futuros confirmari, atque arnari debere potu sanguinis Domini ; ibidem dicit muniri debere protectione corporis Domini. Ipse quoque Apostolus cum de fructu passionis Domini loquitur, nunc tribuit omnia corpori, nunc sanguini, ut patet Coloss. 1. : *Pacificans, inquit, per sanguinem crucis ejus. Et infra : Reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem* (1). Adde quod Patres non tribuunt illum effectum speciebus vini, sed ipsi Dominico sanguini : sanguinem autem accipiunt, qui sub una specie communicant, licet vini speciem non accipiant.

Tertio, objicit idem argumenta quædam Ruardi, qui ea proposuit, non ut probaret sententiam adversariorum, sed ut rei difficultatem ostenderet. Sit igitur hoc argumentum tertium. Alius est effectus cibi, alius potus ; cibus enim famem sedat, potus sitim extinguit. Sed Eucharistia sub specie panis est cibus, sub specie vini est potus : igitur Eucharistia sub utraque specie plures effectus producit quam sub una.

Respondeo, alius est effectus cibi, qui solum est cibus ; et alius potus, qui solum est potus. At non alius effectus est cibi, et potus, quando uterque continet utrumque, qualis est in rebus corporalibus lac, quo infantes nutriuntur : est enim ille potus cibalis, qui et sitim, et famem sedat : et panis vino, vel aqua maceratus, qui est cibus quidem, sed potum continens. Talis igitur est cibus, et potus animarum, ut supra demonstravimus : una enim, et eadem res, sive detur sub specie panis, sive sub specie vini, sive utriusque, et famem, et sitim animæ sedat. Nec ulla differentia cerni potest, nisi in symbolis externis, quibus per quamdam similitudinem effectus et proprietates alimenti spiritualis explicantur.

Quartum argumentum. Eucharistia sub specie panis, Sacramentum est ; ergo gratiam confert. Vel igitur superaddita sumptio calicis gratiam auget, vel non auget. Si primum, ergo major fructus capitur ex duplici specie, quam ex una. Si secundum, ergo verum Sacramentum non confert gratiam ; ergo frustra sumitur a Sacerdotibus.

Respondeo : Idem argumentum fieri posset de duabus particulis consecrati panis, et de duobus haustibus vini consecrati, ut supra diximus : ex quo perspicuum est, hoc argumentum de duplici specie non concludere. Dico igitur sumptionem Eucharistiæ sub specie panis gratiam conferre, sed eam gratiam in sumptionem utriusque speciei, ut in unam causam esse referendam, quandoquidem ad unam refectionem utraque species confert. Quocirca Eucharistia sub specie vini, quæ paulo post sumitur, non novam aliquam gratiam tribuit, nisi forte majori aliquo ardore spiritus percipiatur.

Posset etiam dici, Eucharistiam sub specie panis non conferre gratiam, nisi tota sumptione Eucharistiæ absoluta. Et quia cum sequitur utraque species, non censetur absoluta sumptio, nisi cum sumpta est utraque species ; ideo Eucharistiam sub specie panis conferre quidem gratiam, sed non ante sumptionem alterius speciei. Tunc autem utramque simul gratiam conferre, sed eandem quam sola contulisset una species, si sola sumpta fuisset ; sicut etiam in Baptismo, cum adhibetur trina mersio, non datur gratia, nisi ubi omnes tres absolvuntur, cum tamen post primam detur cum adhibetur una sola.

(1) Coloss. I, 20 et 22.

Neque ideo frustra, aut inutiliter sumitur a Sacerdotibus utraque species: non enim est inutile id quod aliquid facit, licet etiam sine eo id fieri potuisset. Id quod manifeste patet in miraculis Domini. Dominus enim aliquando sola voluntate operabatur miracula, ut cum aquam in vinum convertit: aliquando voluntate et verbo, ut cum Lazarum excitavit; aliquando voluntate, verbo, et contactu, ut cum excitavit puellam mortuam; aliquando voluntate, verbo, contactu, et alio instrumento, ut sputo, ut cum cæcum illuminavit, et alibi surdum, et mutum curavit. In his omnibus nihil erat inutile, et superfluum, quia omnia operabantur, et tamen non erant omnia necessaria, neque majorem effectum producebant omnia simul, quam unum, aut duo, tantum. Non enim melius revixit puella, quam Lazarus, etiamsi illam, et voce appellavit, et manu apprehendit, Lazarum autem solum veeavit. Præterea sacerdotes, non solum non inutiliter sumunt utramque speciem, quia utraque species, ut dici, operatur, sed etiam quia ea sumptio, licet non sit necessaria ex parte sumentis, est tamen necessaria ex parte Sacramenti. Nam quia Sacramentum sub duplici specie institutum est, utraque species necessario ab aliquibus sumenda est; sed non necessario ab omnibus. Sed maxime omnium, ut supra diximus, necessaria est utriusque speciei sumptio ob sacrificii perfectionem.

Quintum argumentum est. Eucharistia sub specie vini instrumentum est conferendæ gratiæ, distinctum ab Eucharistia sub specie panis; ergo diversam, ac distinctam gratiam operatur. Consequentia notissima est. Nam idem Deus per diversa Sacramenta diversam gratiam confert; quia utitur instrumentis diversis. Antecedens probatur; nam in Eucharistia sub specie panis instrumentum conferendæ gratiæ est solum corpus Domini, non autem sanguis, aut anima; in Eucharistia autem sub specie vini instrumentum est solum sanguis Domini, non autem corpus, aut anima. Id quod si forte negetur, ita probabitur: in specie panis solum corpus Domini est vi consecrationis, reliqua per concomitantiam, et plane per accidens, quod ad Sacramentum pertinet; ergo solum corpus Domini est instrumentum conferendæ gratiæ in Eucharistia sub specie panis. Illud enim solum est instrumentum, quod per se ad Sacramentum pertinet; anima autem et

sanguis, licet non per accidens, sed per se convenient humani corpori viventi, tamen corpori, ut est in specie panis, non nisi per accidens. Nam si triduo mortis Domini Eucharistiam Apostolus aliquis consecrasset, ea certe solum corpus sine anima, et sanguine habuisset, et tamen ejusdem virtutis fuisset, atque modo est.

Respondeo, corpus et sanguinem Domini etiam præcise sumpta non esse duo instrumenta formaliter, sed unum. Instrumenta enim formaliter differunt per diversam virtutem operativam: eadem enim virtus operativa est tam in corpore, quam in sanguine, sicut eadem erat in verbis, et in tactu, vel etiam in luto, et sputo, cum Dominus illuminabat cæcos. Et ideo, idem effectus sequebatur ex verbis, et tactu, et ex verbis, tactu, et luto. Esse autem eandem virtutem in corpore, et sanguine ex eo patet, quod Scriptura tribuit utrique eodem effectus, Coloss. 1. et alibi; et utrumque omnem suam vim habet ex conjunctione ad divinitatem. Corpus enim ideo operatur, quia est corpus Filii Dei. Falsum enim est, quod in argumento assumitur, divinitatem per accidens esse in Sacramento. Nam etiamsi panis non convertitur in divinitatem, sed in solum corpus, et ideo divinitas est ibi per concomitantiam, tamen convertitur in corpus non quodcumque, sed Filii Dei: dixit enim Dominus: *Hoc est corpus meum*. Quare vi verborum est in specie panis corpus non quodlibet, sed Filii Dei, et proinde corpus subsistens divina Verbi subsistentia, et consequenter unitum divinitati. Unde Cyrillus lib. iv. in Joannem. cap. 23. dicit, corpus Christi (de Eucharistia loquens) vivificare, quia non est corpus cujusvis hominis, sed vitæ auctoris, et in quo habitat divinitatis plenitudo.

## CAPUT XXIV.

*Non pugnare cum divinis litteris, seu cum Christi mandato Communionem sub una specie, probatur variis rationibus.*

Quarta jam sequitur quæstio: Utrum divino mandato præcipiatur omnibus Communio sub utraque specie. Jam enim ostendimus ex natura rei nullam esse talem obligationem, ideoque quærendum superest,

utrum saltem præcepto divino positivo ejusmodi obligatio in Ecclesia sit. Quamvis autem Lutherus permissionem potius divinam, quam legem cogentem in pluribus locis agnoscat, ut supra citavimus : tamen Joan. Calvinus lib. iv. Institut. cap. 17. § 47 : « Edietum, inquit, æterni Dei est, ut omnes bibant ». Et Kemnitius initio disputationis de utraque specie, omnino contendit mandato Domini teneri omnes ad utramque speciem sumendam.

Porro in hac quæstione adversariorum est probare, nostrum respondere : nos enim negamus, illi asserunt ; probare autem illi incumbit, qui affirmat, non ei, qui negat. Ut tamen accuratior, ac plenior disputatio sit, primum afferemus varias rationes, quibus omnino credibile fiat, nullum præceptum a Christo datum de utraque sumenda specie. Deinde respondebimus ad omnia argumenta, quæ illi proferunt.

Quod igitur ad primum attinet. Prima ratio sumitur ex figuris. Pleræque figuræ Eucharistiæ manducationem sub una specie significant. Non est igitur ullo modo probabile, Christum imperatorum fuisse sumptionem utriusque speciei : figuratum enim figuræ respondere debet. Unde Evangelistæ passim, cum describunt actâ Christi, addunt (ut *Scriptura impleretur*). Joan. xix, notat S. Joannes ideo Deum non permisisse ut frangerentur erura Domino crucifixo, quia præcesserat illa figura agni paschalis, cujus ossa confringi non poterant. Et Apostolus I Corinth. x : *Omnia, inquit, contingebant illis in figura* (1).

Prima figura fuit ligni vitæ in medio paradisi Genes. ii. et iii. quod Sacramenti Eucharistiæ figuram fuisse docet Pasesius lib. de corpore Domini, cap. 7. Constat autem nullum fuisse potum illi arbori adjunctum. Secunda fuit agni paschalis, Exod. xii. quæ notissima est.

Neque obstat Kemnitii responsio, qui vult utriusque speciei figuram præcessisse in agno paschali, quia et caro manducabatur, et sanguis in postibus aspergebatur ; asperisionem autem sanguinis potum calicis significasse probat ex Gregorio homil. 22. Hæc, inquam, responsio non valet. Nam Gregorius ponit duas explicationes. Unam minus probabilem et particularem, quod per sanguinem in postibus aspersum significetur po-

tus sanguinis Domini. Nec tamen dicit potum sanguinis sub specie vini ; de quo nos agimus, sed potum sanguinis absolute, ut pro Eucharistia accipitur : non enim distinguit eo loco Gregorius duas species. Deinde ponit alteram communem, quod per sanguinem in postibus significetur signum crucis in fronte, ut exponit etiam Augustinus lib. xii. contra Faustum, cap. 30. Hieronymus in cap. lxxvi. Isaiaë, Cyprianus in tractatu contra Demetrianum, et Isidorus in cap. xii. Exod. Et hæc sine dubio est vera : sanguis enim ille non potest referri ad potum, cum nec biberetur, nec daretur hominibus, et prius linirentur ex eo postes, quam agnus manducaretur.

Tertia figura est manna, Exod. xvi. Quarta, panes propositionis, Exod. xxv. in quibus nullus admiscebatur potus. Quinta denique erat participatio sacrificiorum. Nam etiamsi in sacrificiis esset caro, et sanguis, et etiam libamina multa, ut patet ex eodem cap. xxv. Exod. tamen sola caro manducabatur, sanguis et libamina effundebantur Deo. Unde I Corinth. x. inquit Apostolus : *Qui manducant hostias, participes sunt altaris* ; neque addidit quidquam de potu, quia non consueverant Hebræi habere vinum libaminum.

Dices, ex ista figura colligitur non debere Sacerdotes bibere calicem Domini in altari, quandoquidem nec Sacerdotes Testamenti veteris bibebant libamina Deo oblata, sed solum victimas comedebant.

Respondeo : Quod Sacerdotes nunc faciunt, dum manducant, et bibunt sub specie panis et vini, corpus et sanguinem Domini, non respondet manducationi victimarum, sed consumptioni per ignem. Est enim Eucharistia aliquo modo holocaustum ; aliquo modo hostia pacifica, aliquo modo hostia pro peccato. Et quia in holocausto omnia consumebantur, et victimæ, et libamina, ideo etiam nunc a Sacerdote, cujus est consumere holocaustum, omnia sumuntur. A populo autem, qui solum participat de sacrificio, satis est manducari carnes agni immaculati.

Dices secundo : Etiamsi in istis figuris commendetur Communio sub specie cibi tantum, sunt tamen aliæ, in quibus commendatur sub utraque. Ut Genes. xiv. ubi Melchisedech, obtulit panem, et vinum, et utrumque dedit sumendum Abraham, et iis, qui eum sequebantur, et I Corinth. x. ubi

(1) I Cor. X, 11.

dicuntur Hebræi manducasse cibum spirituale, et bibisse potum spirituale: quem locum Kemnitius magni facit.

Respondeo, non contendimus nos pro necessitate unius speciei, sicut adversarii pro necessitate duarum, et ideo contra nos non est, si aliquæ figuræ pro duabus speciebus inveniuntur, sed plane contra adversarios facit, si inveniuntur aliquæ, ut revera inveniuntur plurimæ, pro una specie. Deinde non constat, an Melchisedech dederit panem, et vinum comedendum Abrahæ, an solum Deo obtulerit. Scriptura enim id aperte non dicit. Quod enim Deo obtulerit, patet ex sequentibus verbis: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, quod autem dederit manducandum, ex nullo verbo colligitur. De potu autem spirituali, id est, de aqua ex petra jam supra diximus, figuram illam favere uni speciei. Aqua enim cum data est populo in signum spiritualis potus, sola data est sine ullius cibi spiritualis adjunctione: quomodo etiam sanguis, et aqua, quæ ex latere Domini fluxerunt, duo Sacramenta significant, Baptismum, et Eucharistiam, teste Augustino, et Theophylacto in cap. XIX. Joan. ubi sub una tantum specie Eucharistia designatur, ut intelligamus unam sufficere.

Secunda ratio sumitur ex doctrina, et exemplo Christi. Dominus enim cum Joan. VI. de fructu Eucharistiæ loquitur, non semel, sed quater unam speciem sufficere docet ad salutem: *Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex eo manducet, non moriatur* (1). Non ergo fieri potest, ut idem Dominus mandaverit utramque speciem sumendam, tamquam necessariam ad salutem. Esse autem hoc caput Joan. de Sacramento intelligendum, supra ostendimus in prima controversia de Eucharistia.

Rursus exemplo suo Dominus idem comprobavit. Primum Joan. VI. ubi multiplicavit panes, et inde saturavit turbam, remanentibus duodecim cophinis: nec ullum potum multiplicavit, neque dedit. Deinde Lucæ cap. XXIV. cum in Emmaus in cœna cum duobus discipulis accepit panem, benedixit, fregit, dedit eis, etc.

De hoc loco duæ sunt Catholicorum sententiæ. Prima est Joan. a Lovanio, et aliorum,

qui contendunt Sacramentum Eucharistiæ datum fuisse a Christo duobus discipulis, et adducunt in hanc sententiam Augustinum lib. III. de consensu Evangel. cap. 25. Auctorem operis imperfecti in Matth. homil. 17. Bedam, et Theophylactum in eum locum Lucæ. Hieronymum in Epitaphio Paulæ, et Isichium lib. II. in Leviticum, cap. 9.

Alia sententia est Cornelii Jansenii in expositione hujus loci, qui docet, panem a Domino benedictum in Emmaus, non fuisse quidem Eucharistiæ, voluisse Dominum hoc exemplo demonstrare fructum, et utilitatem Eucharistiæ in una specie: quare ex hoc loco non minus probari usum unius speciei, quam ex multiplicatione panum, Joan. VI. Id autem probat, tum ex Augustino, Beda, et Theophylacto locis citatis, qui hoc tantam docere videri possunt, nempe fuisse in illa panis benedictione mysterium quoddam, quo significaretur utilitas Eucharistiæ, quomodo etiam loquitur Innocentius III. lib. VI. de myst. Missæ, cap. 7. et 9. tum etiam ex ipso textu, nam fuisse hic aliquod mysterium, patet partim ex benedictione, quam non legitur Dominus adhibuisse, nisi ad aliquid mirabile operandum; partim ex effectu, nam per illum panem illuminati sunt.

Quamcumque autem sententiam ex his duabus amplectamur; ostendit hoc exemplum Christi, eam esse utilitatem Eucharistiæ in una specie, ut minime sit existimandum, fuisse imperatum omnibus illius usum in specie utraque.

Sed occurrit hoc loco Philippus Melancthon in Apologia Confessionis Augustanæ, in articulo de utraque specie, ubi fatetur hoc exemplum ad Eucharistiam pertinere, sed dicit, non colligi ex eo usum unius speciei, quoniam in fractione panis per figuram intellectionis significatur totum Sacramentum cum utraque specie. At facile id refelli potest; historia enim Evangelica ita conjungit distributionem panis benedicti cum Domini recessu, ut nullum reïnquat locum benedicendo, vel distribuendo calici. Sic enim loquitur: *Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit; et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum; et cognoverunt eum, et ipse evanuit ex oculis eorum* (2).

Instat Kemnitius, et probat ex Augustino tract. 2. in epist. Joannis, Christum dedisse

(1) Joan. VI, 58, 59, 52, 50. — (2) Luc. XXIV, 30 et 31.

duobus discipulis utramque speciem. Sic enim Augustinus loquitur : « Et vere, qui non sibi iudicium manducat, et bibit, in fractione panis Christum agnoscit ». At argumentum est nimis longe petatum. Non enim Augustinus dicit, Christum dedisse utramque speciem, sed dicit in fractione panis Christum agnoscere, ut illis discipulis contigit in Emmaus; sed addit hunc fructum eos tantum consequi, qui nunc indigne sumunt, et allegat verba Pauli, seu alludit ad illa, ubi legimus, I. Cor. xi. eos, qui indigne manducant, et bibunt, iudicium sibi manducare, et bibere; quod verissimum est, sive una species, sive utraque sumatur indigne.

Denique addit Kemnitiu, Christum non addidisse : *Hoc facite*, cum panem benedictum in Emmaus dedit : ergo non tenemur eum in hoc imitari, si unam tantum speciem dedit. Sed neque nos dicimus teneri; sed tantum probamus hoc exemplo licere, et utile esse communicare sub una.

Tertia ratio sumitur ex doctrina, et usu Apostolorum. Nam Actor. ii. ita describitur communicatio Eucharistiæ : *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus* (1). Quo loco negari non potest, quin agatur de Eucharistia; tum quod jungatur fractio panis cum doctrina, et oratione, tum etiam quod vituperatio potius quam laus fuisset de fidelibus commemorare, perseverantes eos fuisse in prandiis, et cœnis corporalibus. Denique id fatetur Lutherus in sermone de Eucharistia, et Calvinus lib. iv. Instit. cap. 17 § 35.

Neque Kemnitiu negat ita hunc locum a veteribus explicatum; sed respondet per fractionem panis intelligi etiam calicem, per figuram videlicet intellectionis, qua ex parte significamus totum. Id vero probat, quia Apostoli alioqui sub una specie consecrassent, quod ne Catholici quidem admitterent. At hæc ejus ratio nihil concludit. Non enim Lucas describit, quid Apostoli, sed quid populi facerent, dum dicit, eos perseverantes fuisse in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et oratione. Apostoli igitur in utraque specie Eucharistiam consecrabant, sed populis in una specie ministrabant.

Quod etiam ex eo confirmatur, quia plurimi in Hierusalem Christiani erant, qui in

illis initiis servabant legalia Moysis, Apostolis permittentibus, ut patet ex cap. xxi. Actorum; et ex iis nonnulli usque ad certum tempus Nazaræi erant, non bibentes vinum, nec radentes capita, usque ad finem dierum voti sui. Hos autem neque credibile est contra votum suum bibisse de calice Domini; neque probabile est abstinuisse omnino a Communionem, cum Lucas dicat, omnes perseverantes fuisse, in doctrina, et communicatione fractionis panis. Quare probabilissima conjectura est, ideo Lucam solum meminisse fractionis panis, quod ab ea sola specie nulli abstinerent. Unde etiam beatus Paulus I. Corinth. x. non sine causa de calice dicit : *Calix benedictionis, cui benedicimus*; de pane autem : *Panis quem frangimus*. Calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. Unde etiam paulo infra dicit : *Unus panis, et unum corpus sumus, qui de uno pane participamus* (2).

Et miranda est sane Kemnitiu sapientia, qui cum ubique vulgatam editionem contemnat, hoc loco eam diligenter defendit. Scribit enim in sua disputatione pag. 600. in vulgata editione, quam Tridentinum Concilium nullo prætextu rejici posse decrevit, haberi I Cor. x. : *Unus panis, et unum corpus sumus, qui de uno pane, et de uno calice participamus*. Sed Concilium Tridentinum non statuit recipiendam esse quamlibet lectionem vulgatæ editionis, sed eam, quam constet esse lectionem vulgatæ editionis, alioqui non jussisset idem Concilium vulgatam editionem quam emendatissime imprimi. Porro illud (*et ex uno calice*) non habetur in Bibliis correctioribus vulgatæ editionis, sed solum in paucis quibusdam minus emendatis; in Græcis autem nullis habetur.

Quarta ratio sumitur ex testimonio veteris Ecclesiæ, quæ cum vera Ecclesia fuerit, sine dubio contra expressum Christi mandatum nihil egisset. Tribus autem modis vetus Ecclesia testatur Communionem sub una specie esse licitam. Primo, quia nunquam eam reprehendit, aut damnavit, cum tamen non ignoraret eam saltem apud aliquos in usu fuisse. Nam (ut alia interim omittam) Manichæi nunquam communicabant, nisi sub specie panis, ut Leo I. testatur serm. 4. de Quadragesima : arbitrabantur enim illi vinum esse fel draconis. Et præterea negabant Christi veram mortem : et ideo nec vinum;

(1) Act. II, 42. — (2) I Cor. X, 16 et 17.



nec sub specie vini sanguinem Domini unquam sumebant. Et tamen nec Epiphanius, nec Augustinus, nec alii, qui de erroribus Manichæorum scripserunt, notarunt errorem illum, quod contra Domini mandatum sub una tantum specie Eucharistiam sumerent.

Deinde, testimonium Ecclesiæ veteris haberi potest ex duobus illustribus exemplis hæreticarum fraudum. Scribit Sozomenus lib. VIII. Histor. cap. v et Nicephorus lib. XIII. cap. VII. Femineam quandam hæreticam Macedonianam, cum vellet tegere suam hæresim, et se Catholicam simulare; accepisse in manibus Chrysostomo sacris operante, panem Eucharistiæ, tanquam paulo post illum manducaturam; sed clam dedisse illum ancillæ, et ab ea sumpsisse panem profanum, quem ex domo afferri iusserat, ut illum palam comederet loco Eucharistiæ: sed eum panem continuo in lapidem esse conversum. Ex hoc facto intelligimus, morem fuisse, ut acciperent, qui vellent, Eucharistiam sub una tantum specie. Nam si omnes coacti fuissent bibere de calice Domini, mulier illa nullo modo simulare potuisset: non enim pro calice Domini aliquid aliud sumere potuisset; siquidem calix non dabatur in manus, sed manu Diaconi admovebatur ori communicantium.

Alterum exemplum est apud Leonem serm. 4. de Quadragesima, ubi S. Leo dicit, Manichæos, ut hæresim suam tegerent, panem Eucharistiæ sumere solitos esse cum Catholicis, non tamen calicem bibere. Si autem Romæ non fuisset, libera Communio sub utraque specie, sed omnes semper sumere debuissent sub utraque, non potuissent ullo modo Manichæi latere, qui sanguinem Domini nunquam sumebant. Unde sanctus Leo non jubet observari eos, qui aliquando sumebant, aliquando non sumebant, sed qui nunquam omnino sumebant sanguinem: illud enim eo tempore pro signo Manichæismi haberi potuit. Tertio, ex variis ritibus, ex quibus aperte colligitur usus unius speciei: non enim vetus Ecclesia, quæ adversariorum testimonio vera Ecclesia erat, contra Dei mandatum tam aperte pugnasset. Sunt autem hi ritus, asservatio Sacramenti, communicatio domestica, communicatio infantiun, communicatio ægrotorum, communitio laica, communitio ex præsanctificatis.

Ac primum asservari solitum Sacramentum Eucharistiæ fuisse, supra probavimus multis Patrum et Conciliorum testimoniis.

Quod autem solum sub una specie asservarent, et proinde sub una specie sumerent, patet, quia aliquando ad longissimum tempus asservabant. Meminit enim Sophronius in Prælo spirituali. c. 79. aliquando per annum integrum servatum fuisse; imo Græci ad hunc diem servant per integrum annum. Non autem posset vinum in parva quantitate tamdiu conservari, quin acresceret, et corrumperetur. Præterea qui meminerunt asservationis, ut Cyprianus in serm. de lapsis, et Ambrosius in orat. de obitu Satyri, et Sophronius jam citatus, solius speciei panis meminerunt, quam involutam orario, vel linteo dicunt.

Kennitius contra hunc ritum objicit, quod Gregorius Nazianzenus dicat, Gorgoniam reservasse symbola corporis, et sanguinis; et quod Ambrosius dum de Satyro loquitur, meminerit haustionis, et fusionis in viscera, quæ ad potum potius, quam ad cibum pertinent.

Sed facile est illa refellere. Nam Gregorius sub disjunctione loquitur, ac dicit, Gorgoniam recondidisse quidpiam signorum corporis, aut sanguinis Domini; et loqui eum de specie panis, non vini, satis colligitur ex communi usu illius temporis. Quod autem de Ambrosio Kennitius dicit, est omnino ridiculum. Nam Ambrosius loquitur de haustu, et transfusione ad viscera illius speciei, quam involutam in orario Satyrus habebat. Quis autem ambigat, quid illud fuerit? Neque vox hauriendi, vel transfundendi, ita ad potum pertinet, ut non etiam ad cibum referri possit, quando aliquid integrum sumitur. Ambrosius autem eo modo loquendi utitur, quia loquebatur de re signata, potius quam de signo: res autem signata integra hauritur.

Secundus ritus erat Ecclesiæ antiquæ, ut Eucharistiam domum deferrent, et ibi tempore opportuno sumerent, quod certissimum est ex Tertulliano lib. II. ad uxorem, Clemente Alexandrino lib. I. Stromatum non præcul ab initio, Cypriano serm. de lapsis, Basilio in epist. ad Caesariam Patritiam, Hieronymo in Apologia pro libris in Jovinianum, et ex aliis. Domi autem sub una tantum specie Christianos communicare solitos perspicuum est, tum ex eo, quod sola species panis dabatur in manus fidelium, sanguis autem dabatur ex calice bibendus, ut Cyrillus demonstrat Catbech. 5. mystagog. tum etiam quia non erant in domibus laicorum ulli calices sacri, seu vasa, quibus contineri posset sanguis Domini, ut clarissime patet ex Apologia secunda Athanasii contra Arianos.

Hoc loco fatetur Kemnitiſius in domibus privatis uſum fuiſſe unius tantum ſpeciei : ſed dicit, illos eoſdem qui domi ſumebant ſub ſpecie panis, in Eccleſia prius ſumpſiſſe ſub ſpecie vini; et proinde ſub utraque ſpecie per intervalla temporum. Deinde addit ſe non diſputare de eo, quod fiebat in privatis domibus, ſed de eo, quod fiebat in publica Cœnæ adminiſtratione.

Sed hæc ſolutio cum ipſo ſuo auctore pugnat. Nam ſi in Eccleſia in publica Cœnæ adminiſtratione ſumebant panis ſpeciem, ſed eam ſervabant deferendam in domum, et alio tempore manducandam, ſolam autem ſpeciem vini, quam deferre non poterant, in Eccleſiâ bibebant : ergo in Eccleſia non communicabant, niſi ſub una ſpecie, nimirum vini. Non enim communicare eſt ſumere in manibus Eucharistiã, ſed manducare, et bibere.

Eſt præterea advertendum, hauſtum ſanguinis in Eccleſia, et manducationem corporis Domini in privatis ædibus, non potuiſſe haberi pro una Communione, ſed neceſſario fatendum eſſe fuiſſe diverſas Communiones, et utramque ſub altera tantum ſpecie, neutram ſub utraque. Nam diverſis diebus ſumebantur illæ ſpecies, non autem eodem die: ideo enim domum deferrebant, ut poſſent ſequentibus diebus communicare, etiamſi templum non adirent. Unde Hieronymus in Apologia pro libris contra Jovinianum ſcribit, illis diebus conſueviſſe quosdam domi corpus Domini ſumere, quibus ob actum conjugalem patratum non audebant ingredi Eccleſiam.

Neque obſtat, quod illa conſuetudo deferendæ Eucharistiæ in privatas ædes, fuerit poſtea abrogata : abrogata enim fuit ob irreverentiam, qua tantum Sacramentum afficiebatur, non autem quod Communio ſub una ſpecie non ſit licita.

Tertius ritus erat, communicatio infantium. Communicabant enim veteres aliquando infantem, ſed ſub una tantum ſpecie, nimirum inſtillando in os eorum aliquid ſanguinis Domini, ut patet tum ex Cypriano in ſerm. de lapsis, tum ex manifeſta ratione, quia non poſſunt infantem cibum aliquem ſolidum ſumere.

Quartus erat, communicatio ægrotorum, quæ ut plurimum fiebat ſub una tantum ſpecie. Scribit Eusebius lib. vi. hiſt. cap. 36 ex epist. Dionysii Alexandrini, præſbyterum deſiſſe puero particulam Eucharistiæ deferen-

dam Serapioni ſeni ægrotato, ac juiſſiſſe, ut eam prius madefaceret, quam ſeni porrigeret. Cum enim ſervarent longo tempore Eucharistiã pro ægrotis, neceſſario fiebat, ut dureſceret ſpecies illa panis, ita ut non facile deglutiri poſſet, præſertim a valde debilitatis. Paulinus in vita S. Ambrosii ſcribit, eum paulo ante mortem ab Honorato Episcopo Vercellensi, ſub una ſpecie Eucharistiã accepisse : dicit enim, corpore Domini ſumpto, ubi illud deglutiverat, continuo animam Deo reddidiſſe. Amphilochius in vita S. Baſilii ſcribit, eum in morte Eucharistiã accepisse in ſola ſpecie panis, quam longo tempore aſſervaverat. Denique Amalarius de offic. Eccles. lib. iii. cap. 35. et Micrologus de rebus Eccleſiaſt. caput 17. teſtantur, ex antiqua conſuetudine in Miſſa tres partes hoſtiæ conſecratæ fieri ſolere, ut una cum ſanguine miſceretur, altera ſumeretur a Sacerdote ante ſanguinis ſumptionem, tertia ſervaretur pro ægrotis, quæ viaticum morientium dicebatur.

Quintus ritus erat, uſus Communionis laicæ, quæ in pœnam gravis alicujus delicti olim dabatur clericis, ablata eis communionem clericali. Eſt autem hujus Communionis laicæ crebra mentio in decretis antiquiſſimorum Pontificum et Conciliorum. Vide Felicem III, qui ſedit ante annos mille, et centum, epist. 1. cap. 2. et Siricium Papam Felice III antiquiorem annis circiter centum, in epist. 1. cap. 11. Concilium præterea Elibertinum ante Siricii tempora celebratum, canon. 76. et Sardicenſe, cap. 2. et Agathenſe, cap. 2. 5. et 50.

Sed hoc argumentum rident Philippus, et Kemnitiſius, ac mirantur inſcitiam, vel impudentiam Papistarum. Philippus in Apologia Confess. Auguſt. dicit Communionem laicam dictam eſſe Communionem laicorum, non quod eſſet ſub una ſpecie tantum, ſed quod eſſet eorum, qui non conſecrabant : et hanc fuiſſe pœnam olim Sacerdotibus infligi ſolitam, ut privati miniſterio conſecrandi Eucharistiã, contenti eſſent ſola manducatione.

At ſi res ita ſe haberet, ut Philippus dicit, hæc pœna non fuiſſet inflicta Diaconiſ, aliisque inferioribus Clericis, ad quorum miniſterium nunquam ſpectavit Eucharistiã conſecrare, ſed ſolum Præſbyteris, et Episcopis. Decreta autem ſupra citata fere omnia de Diaconi� loquuntur, et aliis Clericis inferioribus. Falfa eſt igitur Philippi interpretatio.

Kemnitiſius loco ſupra notato pag. 667. et

668 dicit, Communionem laicam fuisse, quam sumebant Clerici inter laicos, id est, in loco templi inferiore, et post clericos; ita ut Communio laica distinguatur a clericali solum tempore, et loco, quod videlicet Clerici prius, laici posterius; Clerici intra sacrarium, laici extra eum locum communicarent.

Sed neque hæc est vera expositio. Nam Felix Papa III loco citato, jubet ob delicta quædam, Clericis, non dari, nisi in morte Communionem laicam. Et Concilium Sardicense, cap. 2. ne in morte quidem laicam Communionem dari permittit ob crimina quædam graviora. In morte autem cum detur Communio soli ægroto, idque in privato cubiculo, nulla distinctio notari potest loci, aut temporis inter Clericos, et laicos. Laica igitur Communio dicitur ea, quæ laicis permittebatur tangenda, et etiam deferenda si vellent. Sola autem species panis dabatur in manus: ex calice autem bibebant, qui volebant, in Ecclesia, sed non licebat laicis calicem tangere, nedum secum deferre. Vide Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 5. mystagog. extrema, ubi describit modum communicandi. Eadem Communicatio dicitur etiam peregrina in Concilio Agathensi, cap. 2. et 5. ex eo fortasse, quod olim mitteretur peregrinis adventantibus, in signum communionis, et pacis. Pœna igitur inflicta Clericis, erat, quod communicantibus aliis Clericis sub utraque specie, ipsi prohibentur a calice Domini, et cogerentur unam tantum speciem sumere.

Sextus ritus erat, Communio præsanctificatorum, cujus usus apud Græcos erat in tota Quadragesima, excepto die Dominico, et Sabato; in Latina Ecclesia iste usus fuit, et adhuc manet feria 6. hebdomadæ sanctæ. Nam eo die non fit consecratio, et ipse etiam Sacerdos in publica actione communicat sub una specie. Hujus consuetudinis, quod ad Græcos attinet, meminit Laodicenum Concilium can. 49. et Concilium Trullanum can. 52. Quod attinet ad Latinos, meminit Innocentius I, in epist. 1. cap. 4. liber Sacramentorum S. Gregorii in officio Parasceves, Ordo Romanus antiquus in officio ejusdem diei, Rabanus lib. II. de Institut. Clericorum, cap. 37. et Micrologus in lib. de Ecclesiasticis observationibus, cap. 19.

Quod in Parasceve Communio fiat solum sub specie panis, patet ex ordine Romano citato; ibi enim non solum habetur, in Parasceve non confici Sacramenta, sed etiam

communicari Sacerdotem, et populum sub specie panis tantum absque sanguine Domini: sanguinem etiam totum consumi jubet feria 5. et solum corpus Domini conservari pro Communionem sequentis diei, quo Sacramenta non conficiuntur. Ex quo intelligimus in publico etiam cœtu Ecclesiæ usum fuisse unius speciei, idque ab annis plus mille.

Quinta ratio sumi potest ex consensu, et testimonio Ecclesiæ posterioris. Nam constat ab annis plus octingentis fuisse usum in quibusdam Ecclesiis Communionis sub una specie, etiam in publico cœtu fidelium, et extra diem Parasceves. Et simul constat Græcos nunquam hoc Latinis objecisse tamquam errorem, cum tamen alia multa objecerint, in quibus a nobis dissidebant. Ex quo intelligimus totam Ecclesiam tum Latinam, tum Græcam hunc usum ut licitum approbasse.

Fuisse autem hunc usum longo tempore in Ecclesiis quibusdam, testantur Concilia, Constantiense, sess. XIII. et Basileense, sess. XXX.

Deinde S. Thom. qui floruit ante annos 300, 3. par. quæst. LXXX. art. 12. dicit eas Ecclesias recte facere, quæ non communicant populum nisi sub una specie.

S. Bernardus qui ante annos 400 vixit, in Monasterio suo sub una specie Communionem præbebat, ut aperte colligitur ex lib. I. cap. 11. vitæ ipsius. Scribit enim Gulielmus Abbas S. Bernardi æqualis, in celebri quadam solemnitate S. Bernardo Eucharistiam ministrante, accessisse inter alios Monachum quemdam, quem ob certam culpam, idem sanctus vir accedere prohibuerat: verum, quia res occulta erat, datam illi etiam Eucharistiam, sed divino miraculo non potuisse Monachum illum Eucharistiam deglutire. Finitis autem solemnibus accessisse Monachum ad Abbatem, et aperto ore ostendisse, quid pateretur: et tum demum confessum, et absolutum, Sacramenta Domini liberrime ad viscera trajecisse. Ex hoc exemplo manifeste apparet, solam speciem panis a sancto Bernardo dari solitam; nam speciem vini tandem in ore servare ille non potuisset.

Cardinalis Hosius in Dialogo de utraque specie ex historiis, et monumentis Polonicæ Ecclesiæ scribit, non posse colligi, fuisse unquam in Polonia usum utriusque speciei in communionem populari: et inde suspicatur non sine causa Ecclesiam illam ab ipsa prima sua fundatione, id est, ab annis plus minus quingentis, recepisse usum unius speciei.

Beda qui ante annos 800 floruit, non ob-

scire indicat in Anglia ab initio prædicationis discipulorum S. Gregorii Papæ cœpisse usum publicum unius speciei. Sic enim scribit lib. II. histor. cap. 5. de Regis ejusdam Christiani defuncti paganis filiis : « Cum, inquit, viderent Pontificem celebratis Missarum solemnibus Eucharistiam populo dare, dicebant ; quare non et nobis porrigis panem nitidum, quem et patri nostro dabas, et populo adhuc in Ecclesia dare non desistis? » Hæc illi, qui cum sæpius id repeterent, nunquam tamen ullam vini mentionem fecerunt.

Ordo Romanus, qui ut minimum ante annos octingentos editus fuit, cum ab Alcuino Caroli Magni præceptore, qui anno 800 florebat, citetur, apertissime indicat in Romana Ecclesia publicum usum fuisse unius tantum speciei. Nam in capite de ordine celebrandi Missam, significat in parvo calice sanguinem Domini consecrari solitum : deinde pro Communione populi ex eo parvo calice effundi modicum sanguinis Domini in magnum calicem vino, et aqua plenum, atque ex eo magno calice consuevisse populum bibere post corpus Domini sumptum. Et quia calix unus, quantumvis magnus, non sufficere poterat tantæ multitudini, verisimile est (quamvis ibi id non legatur) sæpius eundem calicem vino fuisse repletum. Porro calix ille magnus dicebatur calix sanguinis, quia consecratus erat contactu sanguinis Domini, non quod revera esset sanguis Domini : non enim ex contactu illo mutari potuit vinum in sanguinem.

Est autem conjectura valde magna etiam in aliis Ecclesiis, ubi dicebatur populus de calice bibere, non alium morem fuisse, quam Romæ. Nam intelligi plane non potest, quo pacto in Ecclesiis valde numerosis potuerit dari Communione toti populo ex calice veri sanguinis Domini. Neque enim unquam fuit usus consecrandi simul multos calices, ut patet ex epistola Gregorii III ad Bonifacium Episcopum Moguntinum, ubi reprehendit quosdam, qui contra morem Ecclesiæ plures calices in altari simul habebant. Neque fuit usus unquam consecrandi vinum in altari in calice aliquo vastissimo, qui tantum vini caperet, quantum populo universo sufficiat. Debit enim calix non adeo magnus esse, ut posset a Sacerdote elevari, et a Diacono huc, et illuc deferri. Neque inveniuntur ulli calices tam magni, cum tamen multi in multis Ecclesiis antiquissimi inveniuntur ; ergo necesse fuit ut idem calix sæpius repleretur inter ipsam Cœ-

næ actionem, ut modo facimus in distribuendo vino ad ablationem. Certum autem est non potuisse in eadem actione repeti sæpius consecrationem : vinum igitur, non sanguis Domini populis dabatur. Adversarii quidem non laborant in hac re. Cum enim existiment nullam requiri consecrationem, sed hoc ipso corporis, et sanguinis Domini symbola esse panem, et vinum, quod in mensa ponuntur, et distribuuntur : facile possunt sæpius pocula replere, et hoc ipso Sacramenta juxta sumum errorem conficere, sed veritas Catholica longe aliter se habet, ut ostendimus.

Sexta ratio sumi potest, ab incommodis, quæ sequerentur ex necessitate utriusque speciei : ex quo colligitur Christum sapientissimum omnium legislatorum nunquam fuisse ejusmodi præceptum positurum.

Primum incommodum est, impossibilitas implendi legem istam in iis locis, ubi sit populus valde numerosus, et unus tantum sacerdos, ut sæpe accidit in frequentissimis pagis : de qua re paulo ante diximus.

Secundum incommodum est, irreverentia sanctissimi Sacramenti. Semper enim Ecclesia diligentissime cavet, ne mica aliqua consecrati panis in terram caderet, ut supra probavimus ex Tertulliano, Origene, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino, et aliis : major est autem irreverentia in effusione sanguinis, qui rursus colligi nequit, quam in casu panis, qui iterum colligi potest. Quare Joannes Chrysostomus in epist. ad Innocentium, inter maxima mala numerat, quod ex quodam militari tumultu intra Ecclesiam facto, sanguis Domini in militum vestimenta effunderetur. Fieri autem non potest, ut sanguis Domini ministretur tantis populorum turbis, quantæ in Paschate ad Communionem accedunt, quin sæpius effundatur ; præsertim cum multi sint senes, debiles, rustici, qui vix ad bibendum de manu alterius accommodare se norunt. In deportatione etiam ad ægrotos, facillimum esset, ut vel effunderetur, vel ex illa agitatione turbidum, et ineptum ad bibendum fieret : quod non raro accidisse testatur exempla, quæ referuntur ab Ænea Sylvio in Dialogo de Communione sub utraque specie, et in Actis inter legatos Basilienses, et legatos Bohemorum in Egra oppido Germaniæ, ubi communi consensu convenerant.

Neque ad hoc incommodum satisfaciunt adversarii, cum dicunt, Christum ista omnia prævidisse, et tamen non propterea deter-

ritum ab institutione Eucharistiæ sub duplici specie ; et Ecclesiam veterem ista eadem expertam esse, et tamen, iis non obstantibus, ministrasse Communionem sub utraque specie. Nam Christus instituit quidem sub duplici specie, sed non iussit dari omnibus sub duplici. Ecclesia autem vetus ministrabat sub duplici specie, quando Christiani erant pauci, et præterea non omnes accipiebant utramque speciem, ut supra ostendimus. Crescente autem multitudine magis, et magis, apparuit incommodum, et sic paulatim desiit usus sub utraque, ut paulo post dicemus.

Tertium incommodum est, quod multi abhorrent a vino, et vel natura abstemii sunt, vel educatione, ut in calidis regionibus. Assuefiunt enim pueri, et puellæ etiam nobiles aquæ potui, unde multi postea etiam in matura ætate non possunt absque nausea vinum gustare. Quid ergo isti facturi sunt? abstinerebunt a Communionem perpetuo? ad id non licet per divinas leges.

Joannes Brentius hoc incommodo adductus in Apologia pro Confessione Wirtembergensi in 2. par. secundæ pericopes, admittit abstemios posse sub una specie communicare, non obstante jure divino utramque speciem præcipiente. At ubi legit ipse a divino mandato generaliter posito excipi debere abstemios vel si Ecclesia Brentii jus habet interpretandi jus divinum, ac declarandi in eo mandato non comprehendi abstemios, cur Ecclesia Catholica jus non habeat interpretandi idem jus divinum, ac declarandi in eo non comprehendi nisi sacerdotes sacrificantes?

Quartum incommodum est, penuria vini. Siquidem in multis regionibus vinum non crescit, et quod aliunde affertur, partim summo pretio emitur, partim non diu conservatur: ex quo oporteret plurimos, aut nunquam, aut rarissime communicare, si non posset fieri Communionem sub una specie. Certe in Japonia, adeo nulla est copia vini, ut vix ad sacra facienda commode haberi possit. Et scribit Volaterranus lib. vii Geographiæ, ab Innocentio VIII, concessum Norwegiis, ut sine vino sacrificarent, quod vinum in Norvegia non crescat, et aliunde importatum continuo acescat. Quod quidem Pontifex ille concessit, si tamen concessit, vel quod ejus sententiæ esset, non esse de jure divino, ut sacrificium in utraque specie

necessario confici debeat; quæ sententia suos habet patronos, ut Gabrielem lect. 84. in Canonem Missæ, et Joannem Majorem in iv. distinct. 13. quæst. 3. et alios quosdam; vel quod judicaverit, jus divinum ita interpretandum esse ut excipiat casus necessitatis. Etsi enim sacrificium est imperfectum sine utraque specie, tamen præstat imperfectum habere, quam nullum; præsertim cum duæ illæ species, partes sacrificii sint integrantes potius, quam essentielles.

Denique hæc incommodum ipsis etiam adversariis adeo visum est magnum, ut Philippus Melanchthon in lib. de usu integri Sacramenti, scripserit Ruthenos ob vini inopiam recte facturos, si pro vino uterentur τοῦ ὑδρομέλιτος, id est, aqua mellita, seu medone. Sed quis dedit Philippo auctoritatem mutandi Sacramentorum materiam?

Quanto sapientius Ecclesia Catholica non mutat Sacramentorum materias, sed incommodo illi medetur, unam speciem tantum populis ministrando; quod quidem Deo placere signis, et prodigiis aliquando demonstratum est. Scribit Alexander Alesius in iv. parte summæ Theologiæ, quæst. 11. memb. 2. art. 4. §. in nova editione, quosdam Monachos aliquando, apud quos usus erat unius speciei, cœpisse utramque speciem postulare: sed interim accidisse, ut cum sacerdos inter sacrorum solemnia hostiam frangeret, totum patenæ concavum sanguine ex ipsa hostia profluente repleretur. Quo significare voluit Deus frustra illos tumultuari pro calice sanguinis, cum omnia haberent in specie illa panis, quæ de more solebant ceipere.

## CAPUT XXV.

*Solvuntur objectiones ex Scriptura petita.*

Restat nunc, ut ad argumenta adversariorum respondeamus, quæ illi partim ex Scripturis, partim ex Patribus, partim ex ratione desumunt. Primus Scripturæ locus est Joan. vi: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (1). Quem locum soli Bohemi objiciunt: Lutherani enim, et Calvinistæ non existimant Joan. vi. de Sacramento Eucharistiæ tractari.

(1) Joan. VI, 54.

Tres solutiones a Catholicis datæ sunt. Prima est communis, quam etiam in 1. lib. attigi, dum locum Joannis exponerem; vim hujus præcepti in re, quæ sumitur, non in modo sumendi consistere. Continent enim verba illa: *Nisi manducaveritis*, non simplex præceptum, sed medium, seu remedium conservandæ vitæ per Baptismum acceptæ, et consequenter præceptum, quia tenemur conservare vitam. Unde non obligant ista verba Catechumenos, quia nondum vitam per Baptismum acceperunt, quam conservare debeant; neque infantes baptizatos, quia non egent conservatione vitæ, cum eam non possint amittere sine usu rationis. Porro remedium conservandæ vitæ non consistit in speciebus panis, et vini, neque in modo manducandi, et bibendi, sed in sumptione corporis, et sanguinis Domini: quocumque enim modo illa sumantur, modo vere sumantur, sumentem nutriunt, et reficiunt. Caro enim Domini vere est cibus, et sanguis vere est potus: ad solam igitur sumptionem illa verba obligant, non ad modum sumendi. Sumuntur autem vere tam corpus quam sanguis sub qualibet specie; igitur præcepto satisfaciunt, qui sub una specie Sacramentum percipiunt. Accedit, quod ipse Dominus quod dixerat: *Nisi manducaveritis, et biberitis*, declaravit cum diceret: *Qui manducat me, vivet propter me* (1). Idem enim est manducare carnem Christi, et bibere sanguinem ejus; et totum Christum sumere: totum autem manducando suminus, ut ipse fatetur.

Quod si adversarii omnino convincerent, quod tamen non faciunt, vim præcepti consistere in modo manducandi et bibendi, et plane sub præcepti obligationem cadere sumptionem sub talivel tali specie, adhuc nihil obtinerent; tunc enim adhibenda esset secunda solutio, quæ ejusmodi est; in Scripturis sæpenumero conjunctio, et accipitur pro disjunctiva; ut Actorum III: *Argentum et aurum non est mihi*. Est enim sensus: Argentum, vel aurum non est mihi; sive, neque argentum, neque aurum est mihi: non enim aliter recte S. Petrus docuisset, se pecuniariam eleemosynam facere non potuisse. Joan. xv: *Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent* (2). Sensus est: Si neque venissem, neque locutus fuisset: sub intelligitur enim negatio præcedens, more

Hebraicæ linguæ, quam aliquando interpretes imitantur. Hebræi enim ut plurimum simplicem conjunctionem ponunt, cum tamen subintelligant negationem præcedentem; ut Psalm. I. in Hebræo est: *Non surgunt impii in judicio, et peccatores in concilio justorum*. Sed quia subintelligitur negatio, ideo recte Latini verterunt: *Non resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum* (3). Cæterum, ut dixi, interpretes non raro imitantur phrasim Hebraicam: et hoc modo verba Domini Hebraice, vel Syriace a Domino pronuntiata, Joannes quidem Græce scripsit, sed phrasim Hebraicam servare potuit, ut hic sit sensus: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et nisi biberitis ejus sanguinem*, id est, si neque manducaveritis, neque biberitis etc. vel, si non manducaveritis, aut non biberitis. Esse autem hoc modo ista verba intelligenda, probatur ex verbis sequentibus. Nam Dominus paulo post addit: *Qui manducat me vivet propter me*. Et rursus ibidem: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Quæ sane falsa essent, si conjunctive, et non disjunctive intelligerentur illa verba: *Nisi manducaveritis, etc.*

Sed etiamsi adversarii has duas solutiones confutare possent, quod hactenus non fecerunt, et omnino convincerent, verba Domini intelligenda esse de modo manducandi, et bibendi, et conjunctim, non disjunctim: adhuc haberemus præsidium tertiæ solutionis. Multa enim præcepta sunt in Scripturis, quæ dantur universæ Ecclesiæ, sed implenda per aliquos, non per singulos: quod observandum esse monet B. Augustinus in explicatione Scripturarum, lib. III. doctrinæ Christianæ, cap. 17. Tale est illud: *Crescite, et multiplicamini*; id enim dicitur humano generi, sic tamen, ut satis sit, si per aliquos species humana propagetur, et non cogantur omnes liberis procreandis operam dare. In hunc igitur modum possunt hæc verba explicari: *Nisi manducaveritis etc.* id est, nisi sint in Ecclesia aliqui, qui hoc Sacramentum sub utraque specie sumant, non habebitis vitam in vobis. Si enim nulli tales sint, consequenter nulli erunt, qui Sacramentum conficiant, nulli qui ministrent: atque ita peribit totus fructus saluberrimi Sacramenti. Sed de hoc loco satis dictum est.

Secundus locus, qui est plane Achilles

(1) Joan. VI, 58. — (2) Act. III, 6: Joan. XV, 22. — (3) Psalm. I, 5.

Lutheri, Buceri, Philippi, Calvinii, Kemnitii, Hamelmanni, et omnium aliorum, sunt illa verba Matth. xxvi : *Bibite ex hoc omnes* ; id enim edictum esse dicit Calvinus, æterni Dei, quo omnes coguntur ad utramque speciem Sacramenti percipiendam.

Respondeo : Hæc verba dicuntur solis Apostolis, qui tum ad mensam cum Christo sedebant. Id probo hac ratione : Particula, *omnes*, non semper in Scriptura accipitur universalissime pro omnibus certi alicujus generis. Alioqui illud Pauli : *Omnes quærent quæ sua sunt*, includeret etiam sanctissimos quosque, et illud : *Omnes peccaverunt*, Christum quoque comprehenderet ; et illud : *Clamaverunt omnes, Crucifige eum*, et similia, in Apostolos Domini convenirent.

Videndum igitur est, an illud : *Bibite ex hoc omnes*, universalissime capiatur, an pro aliquo certo genere. Et quidem universalissime, id est, pro omnibus hominibus capi non potest : nam sequeretur debere Sacramentum dari Turcis, Judæis, Ethnicis ; et illi enim homines sunt. Oportet igitur pro certo genere hominum illud accipere : quæro igitur quod sit illud hominum genus. Si dixerint omnes viros, excludentur fœminæ : si omnes fideles, includentur infantes, quos tamen etiam adversarii excludunt. Dicent, esse omnes fideles adultos. Sed in primis gratis hoc dicent ; nec enim id facile probare poterunt. Deinde includentur abstemii, quos tamen ipsi plerumque excipere solent. Denique repugnat Marcus apertissime, qui sic ait cap. xiv : *Et biberunt ex hoc omnes* ; ista enim verba respondent illis : *Bibite ex hoc omnes*. Quare eodem modo accipitur, *omnes*, apud Matthæum, et apud Marcum. Apud Marcum autem non intelliguntur per *omnes* omnes fideles adulti : nec enim verum esset : *Biberunt ex hoc omnes* ; ergo nec apud Matthæum intelligi possunt omnes fideles adulti. Quod si forte dicant apud Marcum per, *omnes*, intelligi omnes fideles adultos, quia in Apostolis biberunt omnes : colligimus jam non obligari fideles ad calicem Domini bibendum, quia mandatum jam impleverunt ; jam enim biberunt, ut eis fuerat imperatum.

Restat igitur, ut mandatum solis Apostolis datum fuerit. Id quod potest etiam confirmari ex circumstantiis totius illius loci Evangelistæ Matthæi. Omnes enim clamant, hæc verba solis Apostolis dicta esse. *Cœnantibus*, inquit, *eis*. Quid est, *eis*, nisi Apostolis ? Sequitur : *Accepit Jesus panem, et benedixit, ac*

*fregit, deditque discipulis suis*. Quibus discipulis dedit, nonne illis qui cum illo cœnabant ? Sequitur : *Et ait, Accipite, et comedite, hoc est corpus meum*. Certe illis dixit : *Accipite, et comedite*, quibus dedit comedendum ; dedit autem Apostolis solis, ut jam ostendimus. Sequitur : *Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis*. Quibus illis ? iisdem, quibus dederat panem, id est, solis Apostolis. Sequitur : *Dicens, Bibite ex hoc omnes*. Quibus hoc dixit, nisi illis, quibus dedit calicem ? nam dedit dicens. Dedit autem solis Apostolis ; ergo solis Apostolis dixit. Sequitur : *Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti, tunc dicit illis : Omnes vos scandalum patiemini in me etc.* Qui dixerunt hymnum cum Christo ? qui exierunt in montem Oliveti ? qui erant omnes illi scandalum passuri in illa nocte ? nonne soli Apostoli ? Clarissime igitur patet, verba illa ad solos Apostolos pertinere.

Sed videamus nunc quid afferant adversarii, ut probent illa dici ad omnes fideles. Lutherus in lib. de captiv. Babyl. cap. de Eucharistia tribus argumentis probat, illud : *Bibite ex hoc omnes*, non ad solos Apostolos dictum esse.

Primum est, quia non sine mysterio Dominus non dixit, *Manducate ex hoc omnes* ; sicut dixit : *Bibite ex hoc omnes* ; nimirum prævidebat futuros, qui dicerent, panem omnibus datum, calicem non item. Idem argumentum habet Calvinus in antidoto articulorum Parisiensium, art. 7.

Respondeo : Negamus, Christum non dixisse : *Manducate ex hoc omnes*. Tametsi enim id Evangelistæ non scripserint, Ecclesia tamen ex Apostolica traditione edocta, in sacro Canone Missæ disertis verbis ponit, Christum dixisse : *Manducate ex hoc omnes*. Quam partem Canonis refert etiam S. Ambrosius lib. iv. de Sacram. cap. 5. et post eum Pachasius in lib. de corpore Christi, cap. 15. Sed quid si etiam certo constaret, a Christo dictum non fuisse : *Manducate ex hoc omnes*, ut ab eo dictum fuisse constat : *Bibite ex hoc omnes*, quid inde adversarii nostri lucrarentur ? omnino nihil : causa enim ejus diversitatis esset in promptu. Dominus enim panem fregit, et unicuique partem suam dedit, non autem dedit panem integrum, quem inter se dividerent, ideo non fuisset necesse dicere : *Manducate ex hoc omnes*. At calicem unum et eundem dedit, ut ex eodem biberent omnes ; dixit igitur : *Bibite*

*ex hoc omnes*, ut intelligeret primus, non totum sibi exhauriendum, sed tantum relinquendum, quod omnibus sufficeret.

Secundum argumentum. Iisdem dictum est : *Manducate*, quibus dictum est : *Bibite*. Vel igitur totum Sacramentum datum est solis presbyteris, vel simul etiam laicis. Si laicis etiam, ergo omnibus dictum est : *Manducate et bibite*. Si solis presbyteris, ergo non licet laicis dare ullam partem Sacramenti, nec eis dictum erit, *Manducate*; non enim temere dandum est, cui Christus prima institutione non dedit. De hac ratione ita gloriatur Lutherus : « Ego, inquit, fateor, ista me ratione mihi invicta superatum, nec legisse, nec audivisse, nec invenisse, quid contra dicam. »

Respondeo : Christus prima illa institutione, Apostolis solis dedit totum Sacramentum ut ante probatum est. Nec tamen valet illa Lutheri consequentia; Christus non dedit laicis, ergo non potest dari a nobis. Nam etsi non dedit, non tamen prohibuit dari : et alibi jussit etiam dari, cum ait : *Hoc facite*, de quo loco postea dicemus.

Tertium argumentum Christus dixit : *Hic est sanguis meus, qui pro vobis, et pro multis effundetur* (1). Hic clarissime vides, sanguinem dari omnibus, pro quorum peccatis fusus est. Quis autem audeat dicere pro laicis non esse fustum? ergo omnibus datur, et omnibus dicitur : *Bibite*. De hoc argumento sic Lutherus triumphat : « Hoc, inquit, maxime omnium urget, penitusque me concludit. »

Respondeo : Argumentum hoc vere concludit non pro Luthero, sed contra ipsum. Nam si sanguis Domini dandus esset omnibus, pro quibus fusus est, dandus esset omnibus omnino hominibus, etiam Turcis, Judæis, Ethnicis, et quibuscumque impiis. Sanguis enim ille pro omnibus fusus est, ut Scripturæ passim tradunt, Coloss. i., I Corinth. xv., I Joan. ii, et alibi.

Philippus in Confess. August. in artic. de utraque specie, probat illud : *Bibite ex hoc omnes*, dictum esse non solum Apostolis, sed etiam aliis, quia Ecclesia Corinthiorum a Paulo, qui a Domino edoctus fuerat, instituta utraque specie utebatur.

Respondeo : Argumentum est nimis infirmum. Ecclesia enim Corinthiorum utebatur utraque specie, quia Paulus, vel Domini

exemplo, vel aliunde ostendit, et tradidit, licitam esse Communionem sub utraque specie. Sed nec Paulus citavit illud mandatum : *Bibite ex hoc omnes*; nec nullo verbo docuit, esse necessariam omnibus Communionem sub utraque specie.

Joannes Calvinus lib. iv. Institut. cap. 17. § 48. 49. et 50. antequam solutionem nostram refellat, ita præfatur : « Alterum, inquit, effugium est, solos Apostolos in hujus Cœnæ participationem a Christo admissos, quos jam in sacrificiorum ordinem allegerat, et cooptaverat. Velim tamen mihi ad quinque postulata respondeant : quibus elabi non poterunt, quin facile cum suis mendaciis revincantur. » Hæc ille. Sed nec postulata illa quinque aliquid momenti habent ad refellendum id quod asserimus.

Primum postulatum est : « Quo oraculo revelata sit nobis ea solutio. » Respondeo : Oraculo Spiritus sancti per Scripturam Matthæi, et Marci, ut supra ostendimus.

Secundum : « Cur meliore illo sæculo ab Apostolis ad mille usque annos postea sine exceptione omnes fiebant utriusque symboli participes? Ignorabatne vetus Ecclesia, quos Christus convivas ad cœnam suam admisisset? » Respondeo : Falissimum est, quod Calvinus assumit; jam enim ostendimus in Communionem domestica, et ægrotorum, et laica clericorum, et in ipso etiam publico cœtu in templis sub una specie fuisse communicatum in antiquissima Ecclesia. Deinde si esset verum, quod ipse assumit, non propterea sequeretur verba illa : *Bibite ex hoc omnes*, dicta esse aliis, quam Apostolis. Nam Ecclesia uti potuit utraque specie, quia Dominus id non prohibuit, etiamsi non jusserit.

Tertium postulatum : « Cur de pane simpliciter dixit, ut ederent, de calice, ut omnes biberent? » Quartum : si Dominus solis Apostolis, ut sacerdotibus Sacramentum dedit, quo jure datur nunc, vel ex parte, laicis? Ad hæc responsum est Paulo ante; sunt enim hæc Lutheri argumenta, primum et secundum.

Ultimum postulatum : « An mentiebatur Paulus, cum dicebat Corinthiis se accepisse a Domino, quod illis tradiderat? Nam postea traditionem declarat, ut omnes promiscue utroque symbolo communicarent. » Respondeo : Apostolus nequaquam mentiebatur :

(1) Matth XXVI, 28.



sed plane mentitur Calvinus, dum ei tribuit, quod ipse non dicit. Non enim Paulus ita declarat traditionem Domini, ut dicat decere omnes divino mandato sub utraque specie communicare. Sed de loco Pauli infra plura dicemus; et jam aliquid diximus in solutione argumenti Philippi.

Martinus Kemnitiſius loco cit. in Exam. pag. 635. addit hoc argumentum, quod more suo verbosissime persequitur. Christus dixit: *Accipite, edite, bibite*; sed priora duo Synodus Tridentina vult ad laicos etiam pertinere; ergo et tertium illud, *Bibite*, ad laicos pertinet: nulla enim assignari potest causa diversitatis.

Respondeo: Removeantur mandacia, et argumentum per se corrueſcit. Nusquam enim Synodus Tridentina scriptum reliquit, illa verba: *Accipite, edite*, ad laicos pertinere; illud autem, *Bibite*, non pertinere. Concilium id solum docet, non teneri eos, qui Sacramentum non conficiunt, sive laici sint, sive sacerdotes, jure divino ad utramque speciem: cur autem qui conficiunt, ad utramque speciem teneantur, ratio est, quia sacrificium integrum esse, et integre consumi debet.

Hermannus Hamelmannus in lib. de utraque specie par. 2. duo argumenta profert, præter argumenta Lutheri. Primum est: Si solis Apostolis dictum esset: *Bibite ex hoc omnes*; ergo soli Episcopi communicare deberent sub utraque; illi enim soli Apostolis succedunt. Respondeo: Etiam Sacerdotes succedunt Apostolis quatenus ad illos etiam pertinet præceptum conficiendæ Eucharistiæ, quod datum fuit Apostolis per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quare Sacerdotes etiam, propter perfectionem Sacramenti, tenentur sumere utramque speciem cum conficiunt Eucharistiam.

Secundum argumentum Hamelmanni. Dominus ait. Marc. XIII: *Quod vobis dico, omnibus dico* (1); ergo illud: *Bibite ex hoc*, dictum Apostolis, omnibus dictum esse censendum est. Respondeo: Marcus non absolute, et simpliciter posuit: *Quod vobis dico, omnibus dico*, sed addidit, *Vigilate*. Id ergo omnibus dictum est, ut vigelemus, et ad iudicium præparemur, de quo in eo loco Dominus conſcionatus fuerat, et multa omnibus utilia dixerat. Alioqui si omnia quæ dicta sunt Apostolis, ad omnes pertinerent, oporteret omnes

ire per mundum universum, et prædicare Evangelium omni creaturæ, et alia id genus, quæ nemo sanæ mentis concederet. Atque hæc de primario adversariorum fundamentum.

Tertium testimonium Scripturæ est illud Lucæ: *Hoc facite*; jubet enim Dominus, ut faciant, quod ipse fecit. Ipse autem tria fecit: consecravit, sumpsit, et distribuit omnibus præsentibus utramque speciem: debent igitur Apostoli, et qui eis succedunt, non tantum consecrare et sumere, sed etiam omnibus præsentibus dare speciem utramque. Et confirmatur argumentum ex illa particula: *Similiter et calicem*. Nam ista particula (ut Kemnitiſius diligenter observari jubet pag. 533 et 535). Significat eandem esse rationem panis, et calicis; et sicut Dominus accepit, et dedit panem, et dixit: *Hoc facite*; ita quoque similiter accepisse et dedisse calicem, et dixisse, *Hoc facite*.

Respondeo: Mirabilis est providentia Dei in sanctis litteris: nam ut non haberent hæretici justam excusationem, sustulit eis omnem tergiversandi occasionem. Nam Lucas illud *Hoc facite*, posuit post datum Sacramentum sub specie panis, post datum autem calicem illud non repetivit, ut intelligeremus jusſisse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribueretur Sacramentum; sub specie autem vini non item.

Nec quidquam momenti habet illud, *similiter*, quod tantopere Kemnitiſius urget: nam non refert illud, *similiter*, nisi acceptionem; est enim sensus, similiter postquam cœnavit accepit calicem. Quod autem non referat omnia, quæ Christus fecit circa panem, ut vellet Kemnitiſius, patet, quia Christus panem non solum accepit, et benedixit, et dedit, sed etiam frægit, et fractum divisit inter accumbentes: calicem autem non fregit, nec divisit ipse discumbentibus, sed dedit integrum, ut unus alteri porrigeret. Præterea Paulus I Corinth. XI. cum habeat eandem particulam, *similiter*, non tamen habet, *dedit*, sed solum, *accepit*. Non igitur illud, *similiter* referri potest ad verbum, *dedit*. Quod autem non referat illud mandatum, *Hoc facite*, perspicuum est ex ipso contextu; sic enim legimus: *Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix, etc.* Ubi decet subintelligi verbum, cum quo bene cohæreat ille accusativus, *calicem*: tale autem verbum non est,

(1) Marc. XIII. 37.

*Hoc facite.* Quæ enim esset hæc oratio, Similiter et calicem hoc facite? Sententia ergo illa est, quam diximus: *Similiter et calicem accepit dicens, etc.*

Quartum testimonium Scripturæ est in verbis illi B. Pauli. I Corinth. XI. *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis, etc* (1). Traditio Apostolica sine dubio omnes obligat: tradidit autem Paulus omnibus utramque speciem esse sumendam. Et præterea Paulus tam post speciem panis, quam post speciem vini repetit Domini mandatum: *Hoc facite.* Et denique postea adjungit: *De pane illo edat, et de calice bibat.* In hoc argumento mire sibi placent adversarii. Lutherus in lib. de captivitate Babylon. cap. de Eucharistia: « Ultimo, inquit, stat invictus Paulus, omnium obstruens ora, etc. » Et infra: « Non dicit, inquit, permisi vobis. » Et infra: « Tradidisse est præcepisse. » Et in libro contra Angliæ Regem: « Hoc argumentum, inquit, dixit assertori Sacramentorum, Noli me tangere. »

Respondeo: In ultimis verbis nulla est difficultas; illud enim: *De pane illo edat, etc.* sequitur post ea verba: *Probet seipsum homo, et sic de pane illo, etc.* Quibus verbis non jubet Apostolus, ut fideles edant panem, vel calicem bibant absolute; sed modum præscribit, quo uti debent, si edere, et bibere velint utiliter.

Porro illa verba: *Ego tradidi vobis*, in nullo auctore significarunt unquam, Ego præcepi, seu imperavi. Et deinde, quam esset pulchra illa verborum Pauli connexio, si ita efferretur: *Ego tradidi vobis, id est, mandavi, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur?* Et illud I Corinth. xv: *Tradidi vobis, quoniam Christus mortuus est* (2), quam pulchre hoc modo interpretaremur: *Præcepi vobis, quod Christus mortuus est?* Adde, quod Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 544. non est veritus Prophetæ Germanico Luthero in faciem resistere. Scripsit enim illud *tradidi*, non significare *Præcepi*, cujus tamen contrarium, ut supra citavimus, Lutherus dixerat.

Sed tamen alio modo ex eodem verbo Kemnitius argumentatur, et ut ipse dicit, pulcherrimum conficit argumentum. Paulus enim cum ait, *tradidi*, non *præcipit*; non enim ausus fuit in usu Sacramentorum aliquid præcipere, sed tradit Christi præceptum. Et ne putemus cum tradere præceptum

solis presbyteris, qui erant Corinthi, in principio epistolæ dicit se scribere omnibus qui erant Corinthi; imo etiam omnibus aliis Christianis. Nam addidit: *Cum omnibus qui invocant Nomen Domini nostri Jesu Christi.*

Sed hæc omnia falsa, frivola, et ineptissima sunt. Nam in primis falsum est, Paulum tradidisse præceptum Christi de utraque specie sumenda. Quid enim tradiderit, explicat, cum ait: *Quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, etc.* Ubi videmus tradi historiam de institutione Sacramenti, non autem præceptum de utraque specie sumenda.

Deinde falsum est, Paulum nihil fuisse ausum præcipere circa usum tanti Sacramenti; illud enim: *Probet seipsum homo*, præceptum Pauli est, nec enim in Evangelio legitur. Et illa: *Cum convenitis invicem expectate*; et, *Qui esurit, domi manducet*, ejusdem Apostoli sunt: qui etiam plura se ordinaturum asserit, cum ait: *Cætera cum venero disponam.* Quare Augustinus epistol. 118. Apostolorum præceptum esse dicit, ut hoc Sacramentum a jejunis sumatur.

Postremo falsum est, epistolam ad Corinthios scriptam esse ad omnes fideles, ita ut omnia, quæ ibi habentur, ad omnes pertineant. Num enim ad omnes pertinet: *Auditor inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes?* et: *Alius dicit: Ego sum Pauli, ego Apollolo, ego Cephæ?* Porro illud in inscriptione: *Cum omnibus qui invocant nomen Domini*, (3) non significat scribi epistolam ad omnes, sed significat scribi ad Corinthios, quibus Apostolus precatur pacem, et gratiam cum omnibus, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi. Nec tamen negamus, quin epistola illa aliquo modo ad omnes pertineat; doctrina enim, quæ ibi traditur, communis est omnibus; sed non ideo omnia, quæ ibi dicuntur, ad omnes pertinent, ac si ad omnes scripta essent.

Jam vero illud, *Hoc facite*, quod in hac epistola bis ponitur, nihil causæ nostræ officit. Nam post panis consecrationem absolute ponitur: *Hoc facite in meam commemorationem*; post calicem autem idem repetitur sed cum conditione, *Hoc*, inquit, *facite quotiescumque bibetis.* Et certe non sine causa Spiritus sanctus modum loquendi mutavit. Non significant igitur hæc verba posteriora ut calix debeat dari, vel sumi necessario, sed

(1) I Cor. XI. — (2) I Cor. XV, 3. — (3) I Cor. V. 4; III, 4; I, 2.

modum præscribunt, ut si id fiat, fiat in memoriam Dominicæ passionis.

Quæritur a Doctoribus, quid proprie demonstret illud, *Hoc* cum Dominus ait: *Hoc facite*; an demonstret id quod Dominus egit, id est, consecrationem, et distributionem, an quod egerunt discipuli, id est, manducationem, et bibitionem, an utrumque simul. Sed ad rem nostram id non refert, quando constet illud præceptum non dari absolute, nisi de una specie.

Videtur tamen sententia Joannis a Lovanio valde probabilis, qui docet, verba Domini apud Lucam, ad omnia referri, id est, ad id, quod fecit Christus, et id, quod egerunt Apostoli, ut sensus sit: Id quod nunc agimus, ego dum consecro et porrigo, et vos dum accipitis, et comeditis, frequentate deinceps usque ad mundi consummationem. Profert enim prædictus auctor veteres Patres, qui illa verba modo referunt ad Christi actionem, ut Cyprianum epist. 3. lib. II. et Damascenum lib. IV. de fide, c. 14. modo ad actionem discipulorum, ut Basilium lib. regularum moralium, regul. 24. et Cyrillum Alexandrinum lib. XII. in Joan. c. 58. Paulum autem idem auctor docet referre potissimum illa verba ad actionem discipulorum; id quod ex verbis sequentibus colligitur. *Quotiescumque enim, inquit, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis* (1). Et præterea idem planum fieri potest ex instituto, et proposito B. Pauli. Nam Apostolus eo loco emendabat errorem Corinthiorum, Corinthi autem non errabant in consecratione, sed in sumptione, quia non debita cum reverentia sumebant: quare accommodat ea verba ad suum usum, ac docet, Christum præcepisse, ut actio cœnæ celebraretur in memoriam passionis, et ideo attente, et reverenter sumenda esse tanta mysteria.

## CAPUT XXVI.

### *Refelluntur objectiones ex Patribus.*

Multa loca ex Patribus adversarii citant; quæ duabus de causis parum, aut nihil eis prodesse possunt. Primo, quia iisdem Patribus (ut Joannes a Lovanio recte monuit) in

rebus gravioribus nihil credunt. Major pars eorum Patrum apertissime docet transubstantiationem panis in carnem vi consecrationis, quam tamen adversarii magno consensu rejiciunt, et cum citantur a nobis Patres, ipsi ad solum verbum Dei provocant, Patribus omnibus contemptis. Secundo, quia revera Patres bene intellecti nihil eorum habent, quæ ipsi illis tribuunt. Nec tamen mirandum esset, si aliquis eorum obscurius loqueretur, cum tempore ipsorum non fuerit ista quæstio introducta, sitne utraque species necessario sumenda.

Percurramus Patres, quos illi citant, ordine temporum, quo floruerunt. Ignatius in epist. ad Philadelphenses: « Unus est, inquit, panis omnibus confractus, unum poculum omnibus distributum. »

Respondeo primum: In Latinis codicibus, non habetur unus calix omnibus distributus, sed unus calix totius Ecclesiæ. Est enim communis calix, quia pro omnibus offertur Deo. Neque multum fidendum est Græcis codicibus, quos Kemnitijs magni facit: multi sunt enim in eis errores, ut quivis facile animadvertet, qui conferret eos codices Græcos, qui nunc exstant, cum testimonijs Ignatii, quæ citantur ab Athanasio in epistol. ad Epictetum, et a Theodoro in Dialogis contra Eutychianos. Adde, quod ipsi Magdeburgenses, Cent. 2. cap. 4. art. de Eucharistia, citant hunc locum Ignatii, ut nos habemus.

Secundo respondeo: Ignatium in illis verbis, etiam ut a Kemnitio citantur, facere vim in unitate calicis, non in universalitate bibentium. Docet enim unum esse calicem, non autem debere, vel etiam solere ab omnibus sumi; ut hic sit sensus: Cum in Ecclesia aliqui sumunt Eucharistiam sub specie panis, omnes illi unum panem sumunt, non multos; et cum aliqui sumunt sub specie vini, unus calix omnibus illis distribuitur, non multi. Unde ibidem ait: « Una est caro, unus est sanguis, unus panis, unum poculum, unus Christus, unum Baptisma, una Ecclesia, etc. »

Tertio denique addere possumus, ad summum quantumvis exprimantur ista verba, nihil aliud ex eis elici posse, nisi fuisse usum illo tempore, cum pauci erant, Christiani ut omnibus daretur potus calicis. Sed hoc exemplum est, non præceptum.

Secundo loco Justinum proferunt: « Ju-

(1) I Cor. XI, 26.

stinus, inquit Kemnitiuſ, vetuſtiſſimus ſcripſor, cum deſcripſiſſet Communionem ſub utraque ſpecie, mox ſubjungit, Apoſtoli in Evangeliiſ, ita ſibi Chriſtum præcepſiſſe tradiderunt. »

Reſpondeo : illa verba Juſtini, ubi commemoratur Chriſti præceptum, non pertinent ad Communionem, ſed ad conſecrationem. Nam etiãſi de Communionem aliquid dixerat Juſtinuſ antea, tamen immediate ante illa verba, quæ adverſarii citant, Juſtinuſ declarat, quid ſit, et quomodo fiat Euchariſtia, ac dicit, panem per verbum Dei prolatum in conſecratione, fieri Euchariſtiam, et non eſſe ampliuſ communem panem, ſed ipſiuſ Jeſu carnem, et ſanguinem : tum ne videatur rem tam miram ex capite ſuo finxiſſe, ſubjungit : « Apoſtoli enim in commentariis ſuiſ, quæ Evangelia dicuntur, ita præcepſiſſe ſibi Jeſum tradiderunt. » Quibuſ verbis ſignificat Apoſtoloſ tradidiſſe, ſibi a Domino præceptum, ut verbo Dei conſecrarent panem, et ea conſecratione ex pane facerent corpus ipſiuſ. Idem patet ex ſequentibuſ verbis : Juſtinuſ enim addere curavit verba illa Evangelii, quibuſ Domini præceptum continetur, atque ait : « Eum enim pane accepto, cum gratiaſ egiſſet, dixiſſe : Hoc facite in meam recordationem : hoc eſt corpus meum : et ſimiliter accepto calice dixiſſe, Hic eſt ſanguis meus », ubi nulla fit mentio Communioniſ, ſed ſolius institutioniſ.

Tertiuſ eſt Clemens Alexandrinuſ, qui lib. II. Pædagogi, cap. 2, ait : « Bibere ſanguinem Jeſu eſt participem eſſe incorruptioniſ diviniæ. » Hinc vero colligunt adverſarii, non poſſe participare incorruptionem, qui non bibit ſanguinem.

Reſpondeo primum : Non ſequitur illa negativa ex affirmativa. Non enim quia potuſ ſanguiniſ dat incorruptionem, ideo non habet incorruptionem, qui non bibit ſanguinem ; poteſt enim aliunde, nimirum ex corpore Domini, haberi eadem illa incorruptio, juxta illud Joan. VI : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* (1). Nam etiam in rebus corporalibuſ argumentum non valeret ; Vinum nutrit, ergo qui vinum non bibunt, nutriri non poſſunt. Non valet, quia non ſolum vinum, ſed multa etiam alia nutriunt.

Secundo : Sanguis Domini non dat incorruptionem, quia bibendo ſumitur, ſed quia

ſumitur. Viſ enim in ipſo ſanguine eſt, non in modo bibendi ; ſanguinem autem vere ſumunt, qui ſub una ſpecie communicant, ut ſupra diximus.

Eadem ſolutio valet ad locum Tertulliani, qui quartuſ numerari poteſt. Ex libro de reſurrectione citat Calvinuſ illud : « Caro corpore, et ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur. » Sed præter communem ſolutionem, non eſt prætereundum Tertullianum dixiſſe, noſ ſanguine veſci, non bibere ſanguinem ; veſcimur autem ſanguine, cum eum ſumimus per modum cibi ſub ſpecie panis.

Quinto proferunt Origenem homil. 16. in Numer : « Populuſ Chriſtianuſ in uſu habet ſanguinem bibere. »

Reſpondeo primo : Habet in uſu, non in præcepto. Secundo : Ut cum uſum habeat populuſ Chriſtianuſ, non necesse eſt, ut ſinguli de populo bibant, ſed ſatis eſt, ſi in Eccleſia aliqui ſint, qui id faciant : multa enim ſunt in uſu populi Chriſtiani, quæ tamen non a ſinguliſ fiunt.

Sextuſ eſt S. Cyprianuſ, ex quo tria loca producent. Primuſ eſt in epiſt. 2. lib. I. ubi dicit ſanguinem Domini dandum eſſe fidelibuſ, ut roborentur ad martyriuſ. Sed ad hunc locum reſpondimus ſupra cap. 22.

Urgent porro illa verba ejuſdem epiſtolæ : « Quomodo ad martyrii poculum idoneoſ facimus, ſi non eoſ priuſ ad bibendum in Eccleſia poculum Domini jure Communicationiſ admittimus ? » Hinc enim colligi videtur, juſ habere laicoſ ad ſanguinem Domini petendum, ac proinde juſte non poſſe eiſ denegari.

Reſpondeo : Hoc loco confirmatur potiuſ quam infirmatur ſententia noſtra. Cyprianuſ enim loquitur in ea epiſtola de lapſiſ, quibuſ ab Epiſcopiſ ablatum erat juſ Communicationiſ : ac hortatur Cornelium Papam, ut lapſiſ imminente nova perſecutione reſtituatur juſ communicandi, ſi nimirum ad poenitentiam redierint, ne inermes ad prælium pro fide inveniantur. Juſ ergo laicoruſ ad communicandum a ſacerdotibuſ datur, et a ſacerdotibuſ tollitur : et ſicut poſſunt prælati ob crimina tollere juſ communicandi, ita poſſunt ob alia juſtaſ cauſaſ diſponere, et ordinare de modo communicandi ſub una ſpecie, vel altera. Præterea ſi tempore Cypriani habuiſſent laici juſ pe-

(1) Joan. VI. 59.

tendi calicem, certe habuissent ex consuetudine illius temporis; ergo cum sit hoc tempore contraria consuetudo introducta, et lex præterea in generalibus Conciliis promulgata, non habent amplius jus illud laici, nisi forte probare possint, quod hæcenus non fecerunt, expresso Dei mandato se jus illud habere.

Secundus locus est in lib. II. epist. 3, ubi sic loquitur Cyprianus: « Quidam vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domini sanctificando, et plebi ministrando non hoc faciunt, quod Christus fecit et docuit. » Hinc colligunt Christum docuisse, ut calix plebi ministraretur. Et auget difficultatem Kemnitius; nam si illi reprehenduntur, qui loco vini aquam ministrabant, cum tamen et calicem, et verba retinerent, quanto magis reprehendendi sunt, qui totum calicem sustulerunt?

Respondeo: Non agit eo loco Cyprianus, oportet ne calicem populo præbere, an non: sed tantum, ut si ministratur, ex vino mixto, non ex aqua sola constet, et hoc dicit Dominum docuisse, ut calix Eucharistiæ ex vino mixto, non ex aqua sola constet.

Quod autem Kemnitius addit, omnino absurdissimum est, nimirum gravius, et reprehensibilius esse non dare plebi calicem, quam dare in sola aqua consecratum. Nam qui dant in sola aqua consecratum, corrumpunt Sacramentum Christi, quia mutant materiam; et populum decipiunt, cui pro sanguine Domini meram aquam tribuunt, quæ gravissima sacrilegia esse, non dubium est: et denique pugnant cum Domini præcepto, quod semper urget Cyprianus, quia Dominus jussit fieri, quod ipse fecit, dum ait: *Hoc facite*: ipse autem calicem vini mixti consecravit, non calicem aquæ. At præbere populo Eucharistiam sub una specie, nullum sacrilegium, nullam fraudem, nullius præcepti prævaricationem continet.

Et sane mirum est, adversarios tantopere urgere testimonium hujus epistolæ, cum in disputatione de sacrificio, et de miscenda aqua vino in calice, hanc epistolam contemnant: et argumenta, quæ in ea habentur præ mixtione aquæ, refutare non vereantur.

Tertius locus est in serm. de cœna Domini. ubi sic loquitur auctor: « Lex esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur. »

Respondeo primum: non dicit auctor sermonis (nec enim Cyprianus est, sed aliquis

posterior) Evangelium præcipere, ut bibatur sanguis ab omnibus, sed tantum ut bibatur. Hoc enim ipso, quod Dominus instituit Sacramentum hoc sub specie cibi et potus, jussit manducari et bibi, sed ad hoc satis est, si ab aliquibus bibatur, ut in Ecclesia sit.

Deinde Cyprianus non facit vim in bibendo, sed in sumendo sanguinem; promiscue enim loquitur de esu, vel potu sanguinis. Nam in loco citato: « Lex, inquit, prohibet esum sanguinis, Evangelium præcipit, ut bibatur. » Ubi cum opponat tanquam contraria, bibere sanguinem, et non edere sanguinem, aperte significat se pro eodem accipere esum et potum. Et in eodem sermone idem auctor paulo post dicit: « Potus et esus ad eandem pertinent rationem. » Accipiunt autem Catholici laici vere sanguinem Domini cum corpore sub specie panis: id quod iste auctor non solum fatetur, sed etiam dicit propter eam causam in sola specie panis esse cibum et potum. Sic enim ait initio sermonis: « Manducaverant, et biberant de eodem pane secundum formam visibilem etc. »

Septimo proferunt Ambrosium ex lib. de initiandis mysteriis, cap. 9: « Illis aqua fluxit e petra, tibi sanguis e Christo. » Item citat Calvinus verba Ambrosii ad Theodosium teste Theodoro lib. V. histor. cap. 18. « Qua audacia poculum sanguinis pretiosi, ore tuo participabis? » Sed hæc nihil ad rem faciunt. Fatemur enim datam aliquando utramque speciem laicis, sed negamus id jure divino mandatum.

Octavo profert Calvinus Hieronymum in cap. 2. Malach. : « Sacerdotes, qui Eucharistiam conficiunt, et sanguinem Domini populo distribuunt. » Respondeo: Nihil novi audimus.

Nono proferunt Chrysostomum homil. 18. in 2. ad Corinth. « Est autem, inquit, ubi nihil differt sacerdos a subdito, ut quando fruendum est horrendis mysteriis: similiter enim ut illa percipiamus, digni habemur. Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat, partem vero populus: verum omnibus unum corpus proponitur, et poculum unum. » Respondeo: Vinum facit in re, quæ sumitur, non in speciebus, vel in modo sumendi; alioqui falsum esset discrimen, quod ipse ponit inter novam et veterem legem. Nam si agatur de speciebus, etiam nunc partem sumit sacerdos, partem populus: nemo enim sumit integrum panem. Hoc igitur est discrimen inter veteris et novi

Testamenti sacrificium, quod illud dividebatur per partes, nec poterat ab uno sumi totum; et inde fiebat, ut alii majorem partem, alii minorem haberent; et sacerdotum ordinarie erat pars potissima. At hoc nostrum totum, et integrum daturus in gulis: nec plus habet sacerdos, quam laicus; licet symbola sint majora vel plura in Communione sacerdotum. Fuisse autem Chrysostomi ætate, et in ipsa Chrysostomi Ecclesia liberum communicare sub una specie, manifeste patet ex eo exemplo, quod supra citavimus ex Sozomeno et Nicephoro.

Decimo loco proferunt Augustinum. Ac primum citant illud lib. quæstionum in Leviticum, quæst. 57: « Ad bibendum sanguinem, omnes exhortantur qui volunt habere vitam. » Respondeo: Augustinus eodem modo loquitur de potu sanguinis, quo supra diximus locutum esse Cyprianum, seu quisquis fuit auctor in serm. de cœna Domini: non enim vim facit in modo bibendi, sed in ipsa sumptione sanguinis, qui idem efficit, sive sumatur per modum cibi, sive per modum potus. Nam idem Augustinus ibidem, sicut antea Cyprianus, opponit ut contraria, non comedere sanguinem, et bibere sanguinem: « A ejus, inquit, sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum exhortantur omnes etc. »

Secundo proferunt ex eodem Augustino illa verba in serm. de Sacramentis apud Bedam in 10 cap. prioris ad Corinth: « Simul hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus ». Respondeo: Nulla concluditur hinc necessitas sumendi sanguinis Domini per modum potus. Nam etiamsi sanguis Domini sub specie vini sit signum, et causa vitæ spiritualis, et ideo recte dicatur: « Simul bibimus, quia simul vivimus », tamen non sequitur negativa, Non simul bibimus; ergo non simul vivimus. Nam possumus simul vivere comedendo: est enim cibus Eucharistiæ eodem modo signum, et causa vitæ, quo est calix.

Tertio proferunt illud: « Nec caro sine sanguine, nec sanguis sine jure carne communicatur ». Quam sententiam ex Augustino citat Algerus lib. II. cap. 8. Respondeo: Ea sententia non Augustini, sed Paschasii est, libro de corpore Domini, cap. 19. neque nobis ulla ratione adversatur. Non enim Paschasius loquitur de speciebus Sacramenti, sed de re contenta, ac docet non posse sumi

carne exsanguem, neque sanguinem, nisi cum suo corpore: et illum non jure communicare, qui sentit unum accipi sine altero. Eodem sensu dixit idem Paschasius cap. 17. « Non recte caro Christi sine divinitate sumitur, nec divinitas sine carne præstatur. »

Undecimo proferunt Gelasium, ejus ea verba recitantur a Gratiano, ean. Comperimus, de consecrat. dist. 2. « Comperimus quod quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacri eruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius, et ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire ».

Respondeo: Duplex ad hunc locum dari solet solutio. Una est, quod loquatur Gelasius de solis sacerdotibus sacrificantibus, qui nullo modo debent unam speciem sine altera sumere, eum ipsorum sit, holocaustum consumere. Hæc solutio ex eo probabilis redditur, quod Gratianus, qui ex epist. Gelasii, quæ modo fortasse non exstat, capitulum illud desumpsit, hunc ei præfixit titulum: « Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere ».

Altera solutio est, Gelasium reprehendere illos dumtaxat, qui ex errore Manichæorum a calice abstinebant, quales erant tum ipsi Manichæi, tum Priscilianistæ. Isti enim ideo a calice abstinebant, tum quia abhorrebant a vino, tum quia existimabant Christum non habuisse verum sanguinem. Quare Gelasius non damnat eos, qui justa de causa a calice se abstinent, sed qui ex superstitione, ut verba ipsius infundant: « Quoniam, inquit, nescio qua superstitione docentur obstringi ». Isti enim magno sacrilegio Sacramentum dividebant, quia solvebant Jesum opinione sua, et ideo recte jubebantur aut integra Sacramenta, et quidem sub utraque specie sumere in signum correcti erroris, aut simpliciter a Sacramento arceri. Unde (ut supra diximus) S. Leo serm. 4. de Quadragesima, ad Manichæos detegendos jubebat observari, non eos, qui modo sub una, modo sub utraque specie communicabant; sed eos tantum, qui nunquam sub utraque communicabant. Illud enim eo tempore signum erat Manichæismi: errore autem illo sublato, ordinarie omnes sub una communicabant, ut ex ordine Romano supra ostendimus.

Duodecimo proferunt Gregorium Papam.

qui lib. iv. Dialog. cap. 58. dicit Christi sanguinem jam non in manus infidelium, sed in ore fidelium fundi : et homil. 22. in Evangel. dicit, ore corporis, et ore cordis Christi sanguinem hauriendum esse.

Decimo tertio proferunt Bedam, qui similia verba habet in homilia festi Epiphaniæ. Respondeo : Sancti isti Patres sumi dicunt Christi sanguinem ore corporis, quod nos non negamus esse faciendum ; bibi autem debere ore corporis, aut sub specie vini sumi, ipsi non dicunt.

Decimo quarto proferunt Haymonem, qui in c. x. I ad Corinth. exponens illud : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est* (1)? dicit enim calicem vocari participationem, seu communionem, quia omnes ex illo uno participant. Respondeo : Loquitur iste auctor, ut supra loqui diximus Ignatium, et Chrysostomum de unitate calicis : significat enim eos, qui sanguinem Domini sumunt, ex uno calice sumere.

Decimo quinto proferunt Theophylactum, qui sic ait in cap. xi prioris ad Corinth. : « Tremendus hic calix cunctis, pari conditione est traditus. » Respondeo : Loquitur, Theophylactus de eo tempore, quo scripta est epist. ad Corinth. edisserit enim Pauli sententiam, atque id loquitur, quod Paulus in summa, et brevissime dixerat. Paulus arguebat divites, qui in cœnis illis, quæ tunc fiebant in Ecclesia, non dignabantur communicare epulas suas lautiores cum pauperibus. Hos ergo arguit, quasi Pauli nomine Theophylactus, et inter alia hoc argumentum adducit, non debere eos abhorreere a pauperibus, quando calicem suum Christus ex æquo omnibus dederit, id est, tam pauperibus, quam divitibus. Hæc autem sententia etiamsi tunc maxime locum habuit, cum Communio sub utraque specie erat omnibus libera ; tamen etiam nunc locum habet. Nam et nunc pari conditione calix iste cunctis, id est, tam divitibus, quam pauperibus convenit : sumunt enim ex calice cuncti sacerdotes, sive divites sint, sive pauperes ; laici non sumunt, sive divites, sive pauperes sint.

Decimo sexto proferunt Paschasium, qui in lib. de corpore Christi, cap. XV. sic exponit illud : « Bibite ex hoc omnes ; Id est, inquit, tam ministri, quam reliqui credentes. » Re-

spondeo : tria sunt hic breviter observanda. Primum est, locum istum videri omnino corruptum, et pro illa voce, *Bibite*, debere esse, *Edite* ; ut Joannes a Lovanio non sine causa suspicatur. Nam hæc verba præcedunt : « Hic solus est, qui frangit hunc panem, et per manus ministrorum distribuit credentibus, dicens : Accipite, et bibite ex hoc omnes, etc. »

Secundo observandum est, non exponere Paschasium verba Domini, ut sunt apud Matthæum : *Bibite ex hoc omnes*, sed ut videntur dici a Christo, dum in Ecclesia distribuitur Sacramentum. Nam ipse ait Christum hoc dicere, cum per manus ministrorum Sacramentum distribuit credentibus : verba autem illa Domini Matth. 26. dicta sunt, cum Dominus per se, non per ministros, Sacramentum distribueret. Et præterea verba illa, ut dicta sunt in prima institutione Sacramenti, nullo modo admittunt illam explicationem, *Bibite omnes tam ministri, quam reliqui credentes* ; nulli enim tunc erant ministri a credentibus distincti in mensa Domini.

Tertio observandum est, verba Paschasii, ut jam se habent, nostræ sententiæ plurimum favere : significant enim bibendum esse Domini sanguinem, sed in specie panis, non in specie vini ; quomodo etiam Cyprianus serm. de cœna Domini dixit panem manducari et bibi. Unde Thomas Waldensis, tomo 2. de Sacrament. cap. 93. ex hoc loco Paschasii colligit sanguinem bibi posse sub specie panis.

Decimo septimo proferunt Bernardum, qui serm. 3. in ramis palmarum, dicit alimoniam corporis, et sanguinis Domini in prima cœna Domini exhibitam, ac deinceps frequentari mandatam.

Respondeo : Sub specie panis integra alimonia est corporis et sanguinis Domini, ut supra ostendimus : quare Dominus jussit frequentari istam alimoniam, sed non præcepit, an sub una, vel sub utraque specie id fieri deberet.

Decimo octavo proferunt Concilium Turonicum, quod Burchardo referente lib. v. cap. 9. decrevit, dandam esse ægrotis Eucharistiam intinctam sanguine Domini, ut presbyter vere possit dicere : « Corpus, et sanguis Domini nostri Jesu Christi. »

Respondeo : Locus hic nihil juvat adversarios : nam panem intinctum comedere,

(1) I Cor. X, 46

praesertim exsiccatum, et in pyxide diu retentum, ut in eo Concilio habetur, non est bibere, ipsi autem potum requirunt. Deinde decretum illud emendatum fuit: damnatur enim illa intinctio panis in Concilio Braecarenensi III, can. 1. et recte. Nam intinctio vel fit ut habeatur sanguis Domini, vel ut habeatur per modum potus. Si ut habeatur, frustra intingitur panis, quia in specie panis non deest sanguis cum corpore. Si ut habeatur in specie potus, frustra etiam intingitur, quia (ut dixi) non bibitur ille panis sic intinctus, sed solum editur.

Decimo nono proferunt Concilium III, Braecarense, citatum can. 1. sed ut plurimum nomine Julii Papæ, quomodo citatur istud decretum etiam a Burchardo lib. v. cap. 1. a Gratiano dist. 2. de consecrat. can. Cum omne, et a Micrologo de observationibus Ecclesiasticis, cap. 49. Proferunt igitur testimonium hujus decreti, ubi habetur non esse dandum populo panem intinctum in sanguine, quia Dominus legitur dedisse utramque speciem seorsim, id est, primo speciem, panis, postea speciem vini.

Respondeo: Concilium prohibet quidem recte illam intinctionem ex eo, quod Dominus non intinctum panem dedit, nec poterat probari illa intinctio ullo testimonio, vel exemplo Scripturarum, non tamen Concilium addit, debere dari utramque speciem. Præterea si hoc etiam Concilium diceret, responderemus Concilium loqui de eo tempore, quo libera erat Communio sub utraque specie: tunc enim iis, qui utramque speciem cupiebant, Concilium jubet dari utramque speciem, non autem panem intinctum.

Vigesimo proferunt impudentissima tria mendacia sub nomine trium generalium Conciliorum. Lutherus in disputatione contra Concilium Constantiense dicit, Concilium in hæc verba locutum in suo decreto: «Licet Christus instituerit, ut omnes communicent sub utraque, tamen hoc non obstante, nos volumus, ut omnes communicent sub una.» Ex quibus verbis habemus Concilium agnovisse, et docuisse veritatem, quod sit de jure divino Communio sub utraque, licet idem Concilium contrarium statuerit. Unde Lutherus ibidem dicit, Concilium damnasse Christi doctrinam, et ipsum Christum pro Hæresiarcha habuisse. Sed est mendacium intolerabile; nam nihil ejusmodi habet Concilium, imo contrario definit, non esse de jure divino sumere utramque spe-

ciem. Verba autem unde Lutherus mendacium fabricavit, sunt ista, in sess. 13. «Licet Christus instituerit, et dederit Sacramentum post cœnam sub utraque specie discipulis; hoc non obstante observanda est Ecclesie consuetudo, ut non sumatur nisi a jejunis.» Ubi Concilium non loquitur de utraque specie, cum ait: «Hoc non obstante;» sed tantum de tempore communicandi. Neque dicit servandum Ecclesie morem, non obstante Christi præcepto, sed non obstante Christi exemplo: ille enim dedit post cœnam ex peculiari causa, quæ modo non habet locum.

Quamvis autem hoc mendacium jam dudum in Luthero a Catholicis dedectum, et confutatum fuerit: tamen discipuli ejus semper illud urgent, ut apertissime indicent, se ex lectione, et ex pura malitia mentiri velle. Idem enim mendacium non ante multos annos repetivit Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi cap. 14. ubi expresse dicit, Concilium agnovisse Christum instituisse, ut daretur Sacramentum sub utraque. Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 570. temperat non nihil hoc mendacium, tamen ipse quoque mentitur, illud *non obstante*, quam vocat sceleratam clausulam, referri ad Communionem sub utraque specie.

Secundo idem Lutherus in lib. *de Captivitate Babil.* cap. de Eucharistia, dicit, Concilium Basilleense declarasse, licere Bohemis utramque speciem sumere contra id, quod ante statuerat Concilium Constantiense. Sed hæc est mera impostura. Concilium enim Basilleense idem docet sess. xxx. quod Constantiense sess. xiii. Neque usquam declaravit licere Bohemis Communionem sub utraque sine Ecclesie dispensatione; sed concessit eam facultatem (teste Ænea Sylvio in historia Bohemica, cap. 52.) cum ea conditione, ut crederent Communionem sub una esse licitam, et proinde non esse contra jus divinum.

Tertio incredibile impudentia Illyricus in Apologia confessionis Antuerpiensis, cap. 14. dicit, Concilium Tridentinum convictum fulgore verbi Dei, tandem agnovisse suum errorem, et permisisse Communionem sub utraque. Sed legantur sesse 21. et 22. Concilii, et mendacium evanesceat.



## CAPUT XXVII.

*Refelluntur objectiones ex ratione.*

Præter testimonia Scripturæ et Patrum, objiciunt adversarii aliquot rationes ex Scripturis depromptas, quas breviter diluemus. Prima ratio a figura. Hebræi omnes in deserto biberunt aquam de petra, dicente Paulo I Corint. x : *Et omnes eundem potum spiritua-lem biberunt.* Ergo in deserto hujus vitæ debent omnes bibere sanguinem Domini : illa enim in figura contigerunt illis.

Respondeo : Non biberunt illi aquam de petra simul cum cibo spirituali, ut supra ostendimus, sed diverso loco, et tempore : quare tam cibus ille, quam potus signum fuit Eucharistiæ sub una specie sumendæ.

Secunda ratio ab institutione. Christus instituit cœnam sub duplici specie : ergo sub duplici sumenda est, alioqui non erit cœna Domini, sed pars ejus.

Respondeo : Si proprie, et secundum Evangelium loqui velimus, cœna Domini non constat, nisi ex una specie ; nam Matth. xxvi, sic legimus : *Cœnantibus illis accepit Jesus panem, etc.* Et Luc. xxii : *Similiter et calicem postquam cœnavit.* Et I Corinth. xi : *Similiter et calicem postquam cœnavit* (1). Itaque in cœna non dedit nisi Eucharistiam sub specie panis, quæ proprie respondet cœnæ Judaicæ, et agno Paschali : post cœnam autem dedit calicem. Unde etiam Cyprianus in serm. 5. de lapsis, dicit, calicem offerri solere præsentibus post expleta solemnia, id est, finita jam Missa. Deinde etiamsi cœna ex una species continet rem utriusque speciei, tam esset integra cœna ex una specie, quam ex duabus ; sola enim differentia esset in vasis, quibus inferuntur cibi. Pertinent tamen duæ species ad sacrificii perfectionem, ut sæpe diximus, sed non est necesse, ut sæpe diximus, sed non est necesse, ut sacrificium, quoad omnia signa sumatur ab omnibus, satis enim est, si pro omnibus offeratur.

Tertia ratio ab exemplo Domini, et Apostolorum. Dominus calicem omnibus præsentibus dedit : Apostoli quoque omnibus dabant. Unde I Cor. x : *Non potestis bibere*

*calicem Domini, et calicem dæmoniorum.* Et I Cor. xii : *Omnes in uno Spiritu potati sumus.*

Respondeo : Exempla probant rem non esse illicitam jure divino, non autem esse præceptam, vel necessariam ; alioqui teneremur sumere Eucharistiam post alios cibos, et noctu, et post lotionem pedum : hæc enim omnia Dominus fecit. Locus autem ille : *Omnes in uno Spiritu potati sumus*, perperam adducitur, et sæpissime inculcatur a Kemnitio : non enim ibi agitur de potu sanguinis Domini, sed de potu Spiritus, quem haurimus in Baptismo.

Quarta ratio a Testamento. Christus proximus morti, testamentum condidit, et eo legavit omnibus filiis suis corpus, et sanguinem suum, ut patet Luc. xxii. et I. Cor. 11. Ergo testamentum corrumpunt, et injuste filios Dei fraudant paterna hæreditate, qui laicis negant sanguinem Domini.

Respondeo : Hæreditas nobis relicta, non est panis, neque vinum, sed corpus et sanguis Domini, quæ duo dantur tam sub una, quam sub duplici specie ; hoc solum interest, quod qui bibunt ex calice, accipiunt hæreditatem in duabus tabulis : qui non bibunt, accipiunt illud idem in una tabula. Sed hæc differentia nullius momenti est, quod attinet ad participandam hæreditatem.

Quinta ratio a fine hujus Sacramenti. Finis est Sacramenti hujus, ut commemoremus Christi mortem. Sed non significatur Christi mors integre per unam speciem ; ergo debent utramque sumere, qui volunt Christi mortem per hoc Sacramentum commemorare. Tenentur autem omnes mortem Domini commemorare, dum Sacramentum hoc percipiunt, teste Paulo I Cor. xi. ; ergo tenentur omnes utramque speciem sumere.

Respondeo : Dupliciter commemoratur in Sacramento Christi mors. Uno modo per præsentationem, et significationem. Altero modo per memoriam, et narrationem. Aliter enim commemoratur aliqua victoria in comœdia, ubi omnia repræsentantur ad vivum ; alio modo cum quis ejus victoriae recordatur, et aliis narrat, et inde lætatur. Priore modo commemoratio mortis Domini, non fit manducando et bibendo, sed consecrando et offerendo Deo Eucharistiam : imitatio enim mortis Domini est illa separatio corporis a sanguine in signis sensibilibus. Unde Gregorius lib. iv. Dialog. cap. 58. et alii Patres

(1) Matth. XXVI, 26 ; Luc. XXII, 20 : I Cor. XI, 25. — (2) I Cor. X, 16.

passim in immolatione constituunt repræsentationem mortis Dominicæ : atque ad hanc repræsentationem perfecte exprimentam fatemur requiri utramque speciem. Posteriore modo commemoratio fieri potest manducando, et bibendo : qui enim participant de hoc sacrificio, recordari debent cum gratiarum actione mortis Domini, quæ in eo sacrificio repræsentatur. Sed ad hoc non requiritur ut utraque species sumatur. Qui enim unam speciem sumit, jam didicit ex consecratione, et oblatione per eam repræsentari corpus ut mortuum ; atque ita illam unam sumendo, in memoriam revocare potest et debet Christi mortem. Quare Paulus I Corinth. xi. de utraque specie seorsim dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* (1).

Sexta ratio a fructu. Dixit enim Kemnitiuſ dulcissimam consolationem sumi ex calice, qua necesse est privari eos, qui sub una tantum specie communicant. Respondeo : Non dubium est, quin in potu optimi vini valde dulciter palatum et gula oblectentur : sed Catholici non quærunt in Sacramentis istam corporalem palati et gulæ consolationem. Si dicant se loqui de calice, ut invisibili, et insensibili modo sanguinem Domini continet ; nos respondemus eundem sanguinem totum in specie panis contineri, et ideo non privari laicos dulcissima consolatione spiritus, quæ ex Domini sanguine percipitur.

Septima ratio a simili. Si potes laicis tolli pars Eucharistiæ, ergo et pars Baptismi, vel Pœnitentiæ. Respondeo : Si agatur de partibus essentialibus, nulla pars Sacramenti ullius tolli potest : non est autem pars essentialis species vini, sed materialis, et integralis tantum Eucharistiæ. Si agatur de integralibus, plane tolli potest pars aliqua, etiam in aliis Sacramentis. Nam Baptismus olim fiebat per immersionem, nunc plerumque per aspersionem ; et certe multo minus abluit aspersionem, quam immersio ; imo trina mersione aliquando utebantur fideles, aliquando una duntaxat.

Octava ratio. Si potest tolli calix, ergo et panis, et ita poterunt laici privari penitus Sacramento. Respondeo : Potest tolli panis, si detur calix : utrumque autem simul tolli nequit, quia tenemur Sacramentum Eucharistiæ percipere.

Nona ratio a majori. Datur laicis remissio

peccatorum, ergo non potest eis negari signum illius remissionis : signum autem calix est. Respondeo : Argumentum contrario modo valeret. Datur signum remissionis, ergo remissio negari non potest, quia alioqui signum esset falsum. At remissio cur non potest sine signo dari ? Præterea signum remissionis proprie non est calix, sed Baptismus, et Absolutio : calix enim signum est pretii, quo peccata remissa sunt, et spiritualis potus, quo animæ nostræ reficiuntur.

Decima ratio, item a majori. Datur laicis sanguis Domini, ergo negari non debet symbolum ejus sanguinis, quod est longe vilius. Respondeo : Si habent ipsum Domini sanguinem, cur tantopere litigant pro signo ? Certe qui pecunias per schedulam promissas jam accepit, non multum laborat de schedula. Deinde negatur symbolum, quia tutius datur res illa pretiosissima sub uno, quam sub duobus symbolis. Et hæc de ratiunculis Lutheri, et sectatorum ejus : ex quibus manifeste colligitur nihil eos habere justæ causæ, cur tantopere de Ecclesia querantur ob laicis ablationem.

## CAPUT XXVIII.

*Ecclesiam justis de causis præcepisse Communionem sub una specie.*

Sequitur jam illa quæstio : Utrum juste Ecclesia præscripserit modum communicandi sub una tantum specie : quæ sane quæstio, si vera sint quæ hactenus diximus, facili negotio explicari potest. Demonstrabimus autem Ecclesiam recte id fecisse, si breviter probaverimus Ecclesiam potuisse id facere, et justissimas causas habuisse, cur id faceret.

Ac primum quidem illud ita demonstratur. Ecclesia potest ordinare, et præscribere ea, quæ ad substantiam Sacramentorum non pertinent, nec sunt jure divino ordinata. Sed ritus communicandi sub una, vel sub duabus speciebus ejusmodi est : potest igitur ab Ecclesia ordinari, et præscribi. Propositio certissima est, nam cum a Deo nulla regula data sit, aut nulla erit regula, nullus ordo, aut is ab Ecclesia statui debet. Præterea patet exemplis. Nam aliquando Ecclesia jussit baptizari homines trina mersione, quando

(1) I Cor. XI, 25.

causa id requirebat, ut patet ex can. 49. Apostolorum, et Tertulliano lib. de corona militis : et tamen eadem Ecclesia, postulante certa causa contrarium ritum, contrarium statuit, nimirum, ut tantum una mersione daretur Baptisma, ut patet ex concilio IV Toletano, cap. 5. Denique id expresse docet Augustinus in epistola 118. et probat ex illo I Corinth. XI : *Cætera cum venero , disponam* (1). Assumptio autem probatur. Nam non esse jure divino mandatum Communionem sub utraque, tota disputatione superiore probatum est : non pertinere autem ad Sacramenti substantiam, patet, quia usus rei nunquam est de essentia rei permanentis, cum sit reipsa posterior. Communio autem est usus Sacramenti, et Sacramenti, ut supra probavimus, quod est res permanens, non actio transiens ; non igitur est de essentia ejus.

Jam vero habuisse Ecclesiam legitimas causas id præscribendi, probatur. Nam primo movit Ecclesiam consuetudo jam recepta, et approbata consensu gentium, et populorum : non enim Concilium Constantiense primum instituit istum usum, sed prohibuit tolli, et abrogari.

Secundo movit Ecclesiam ad hunc usum stabiliendum, et lege firmandum, quod videret ab hæreticis, et ex errore oppugnari. Nam primus, qui cœpit oppugnare usum receptum Communionis sub una specie, fuit Petrus Dresdensis, ut initio docuimus ex Ænea Sylvio : ille autem infectus erat lepra Waldensium, et proinde erat Sacramentarius, vel ipso teste Luthero, qui librum de Eucharistia ad Waldenses scripsit. Sacramentarii autem non credunt concomitantiam sanguinis Domini cum corpore in specie panis, unde etiam ii Lutheranorum maxime urgent utramque speciem, qui cum Sacramentariis rident concomitantiam, ut Illyricus, Hamelmannus et Heshusius. Cæteri autem Lutherani, qui concomitantiam non negant, ex alio pernicioso errore petunt utramque speciem, quia nimirum existimant jure divino esse præceptam, et propterea totam Ecclesiam a longo tempore in hac re turpiter errasse, quod nullo modo fieri potest. Cum igitur Ecclesia certa fide teneret in qualibet specie totum esse Christum, et usum ejusdem Ecclesiæ non posse esse erroneum, merito ob hujus gravissimi erroris

detestationem non permisit abrogari consuetudinem unius speciei.

Tertio movit Ecclesiam uniformitas, et concordia populi Christiani in Sacramento hoc percipiendo, quod est Sacramentum pacis et unitatis. Nam si in una specie detur Communio, in toto orbe terrarum poterit esse idem usus, ut modo videmus in Ecclesia Catholica toto orbe dispersa : at si libera esset Communio, vel sub utraque specie imperaretur, non posset ullo modo servari uniformitas. Nam qui vinum non ferunt, ut abstemii, et qui vinum comparare non possunt, nisi difficulter, cogerentur, aut nunquam, aut rarissime communicare, aut unam speciem vel inviti accipere, cum interim alii sub utraque frequentissime communicarent, quæ certe magna inæqualitas esset. Ex quo etiam nonnulli recte colligunt, quod si Dominus voluisset Communionem sub utraque esse necessariam omnibus, non instituisset Sacramentum in pane et vino, sed in pane et aqua, ut esset materia facilis, et in promptu in qualibet regione. Nam alioqui possint Boreales provinciæ, et aliæ, ubi vinum non invenitur, existimare, se Christo curæ non fuisse, aut non ita, ut alias provincias, quando Sacramentum instituit.

Quarto movit, et quidem vehementer, irreverentia, et profanationes tanti Sacramenti, quæ vix evitari possent in tanta fidelium multitudine, si omnibus daretur utraque species, ut supra demonstravimus.

## CAPUT XXIX.

### *De veneratione hujus Sacramenti.*

Postrema controversia restat de veneratione sanctissimi Sacramenti ; quæ quidem brevissime disputabitur, quod magna ex parte dependeat ab his, quæ jam dicta sunt.

Quod igitur ad adorationem attinet, Sacramentarii omnes negant, Sacramentum adorandum, et idololatriam appellant ejusmodi adorationem, ut patet ex Calvino lib. IV. Instit. cap. 17. §. 35. et alibi. Neque id mirum videri debet, cum ipsi non credant Christum reipsa esse præsentem, et panem Eucharistiæ reipsa nihil esse, nisi panem ex forno. Quare Clebitius in lib. de victoria

(1) I Cor. XI, 34.

veritatis, et ruina Papatus Saxonici 3. par. arg. 9. docet ex Lutheranorum sententia, qui agnoscunt in Eucharistia verum Christi corpus, necessario sequi adorationem esse concedendam. Et ministri Tigurini in Apologia, edita anno 1545, contra ultimam Lutheri confessionem, aperte fatentur, se cum Catholicis fideliter adoratos Sacramentum, si crederent ibi esse verum Domini corpus.

Porro Lutherani distinguunt de adoratione, vel enim fit adoratio in usu cœnæ Domini, vel extra eum, ut cum defertur Eucharistia honoris gratia per plateas cum facibus, et hymnis. Et quidem extra usum, omnes fere clamant idololatriam esse illam adorationem. Unde Lutherus in lib. ad Waldenses vehementer agit contra processionem, quæ fit in festo corporis Domini.

De adoratione autem in usu, non eodem modo loquuntur omnes. Nam alii simpliciter damnant eam adorationem, etiamsi credant ibi esse corpus Domini vere, ut Lutherus in lib. de Eucharistia ad Waldenses, Philippus in iudicio suo de cœna Domini, quod edidit anno 1559, quando jam Sacramentarius magna ex parte factus erat. Item Illyricus in Confessione Antuerpiensi, et Apologia ejusdem Confessionis, cap. 14.

Alii tamen in usu cœnæ contendunt Christi corpus esse adorandum, ut idem Lutherus in formula Missæ; et in lib. de verbis: *Hoc est corpus meum*, et alibi. Bucerus in actis Colloquii Ratisponensis, Joannes Brentius in Apologia pro confessione Wirtembergensi pericope 2. Kemnitius in 2. par. Examin. Tridentini Concilii, sess. XIII. cap. 5. ubi tamen more suo insigne mendacium admiscet, nullum esse, qui dubitet an Christi corpus in cœna sit adorandum, nisi qui cum Sacramentariis aut neget, aut dubitet in cœna vere Christum esse præsentem. Sed hoc mendacium redarguit abunde Illyricus cum aliis, qui cum Sacramentarios acerrime oppugnant, negant tamen Christum in Eucharistia esse adorandum.

Tametsi autem posteriores isti auctores concedant Christum in Eucharistia esse adorandum: ut tamen a Catholicis, saltem in modo loquendi dissentiant, negant Sacramentum Eucharistiæ esse adorandum, et eo nomine Catholicos reprehendunt, quasi ἀπολατρείαν doceant, quia Sacramentum ipsum absolute dicimus adorandum. Vide

Kemnitium et Brentium, loco cit. et Tilmanum Heshusium in lib. de erroribus Pontificiorum, tit. 17. errore 21. et 22.

Sed hæc mera calumnia est. Catholici enim cum negent panem in Sacramento remanere, quomodo possent asserere ἀπολατρείαν, id est, panis adorationem? Neque ullus Catholicus est, qui doceat ipsa symbola externa per se, et proprie esse adoranda cultu patriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus Sacramentis convenit, cultu autem patriæ dicimus per se, et proprie Christum esse adorandum, et eam adorationem ad symbola etiam panis, et vini pertinere, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo, quem continent. Quemadmodum, qui Christum in terris vestitum adorabant, non ipsum solum sed etiam vestes quodam modo adorabant, neque enim jubebant eum vestibus nudari, antequam adorarent, aut animo, et cogitatione separabant a vestibus, cum adorarent: sed simpliciter Christum, ut tunc se habebat, adorabant; tametsi ratio adorandi non erant vestes, immo nec ipsa humanitas, sed sola divinitas.

De modo autem loquendi, fatemur Sacramentum, ipsum dici adorandum, ut Concilium Tridentinum loquitur: sed hoc exponitur dupliciter. Qui enim sentiunt Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse corpus Christi, ut est sub illis speciebus, concedunt etiam formaliter Sacramentum dici adorandum; qui autem docent Sacramentum Eucharistiæ formaliter esse species panis et vini, ut Christum continent, illi docent consequenter Sacramentum Eucharistiæ materialiter adorandum. Sed quicquid sit de modo loquendi, status quæstionis non est, nisi an Christus in Eucharistia sit adorandus cultu patriæ.

His præmissis, probatur Christum in Eucharistia esse adorandum hoc argumento. Deo vero debetur adoratio patriæ, Deuteron. VI. et Matth. IV: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (1). Christus autem ut est in Eucharistia, sive in usu, sive extra, est Deus verus, ut omnes fatentur; igitur adorandus est cultu patriæ.

Ad hoc argumentum respondent Lutherus Illyricus et Calvinus. Primo negando consequentiam; quia Christus adorandus quidem est, sed ubi ipse jubet se adorari, sive ubi est

(1) Deut. VI, 13; Matth. IV, 60.

ut adoretur : nimirum in cœlo. In Eucharistia autem non est ut adoretur, sed ut manducetur ; non enim ait : Accipite et adorare, Sed : *Accipite et manducate.*

Secundo respondent, Christum quidem esse in Eucharistia Christum, sed corpus Christi nec esse idem corpus Christi et Christum.

Sed ista frivola sunt. Nam in primis adoratio Dei non est alligata certo loco, ut patet Joan. iv. sed ubique Christus adorari potest et debet, quando cum eo tractare debemus : non enim convenit illi adoratio, quia in cœlo est, vel in alio loco, sed quia est Deus. Præterea non erat Christus quondam in præsepi, ut adoraretur, sed ut membra ejus requiescerent, et tamen Magi illum in præsepi adorarunt, Matth. ii. Sic etiam cum ambularet in terris, non ambulabat ut adoraretur, sed ut doceret, et tamen passim adorabatur. ut Matth. viii. ix. xiv. xv. xx. Joan. ix. et alibi. Et quando hic in terris principes aliquo proficiscuntur, non eunt ad eum finem, ut ab occurrentibus salutentur, et tamen nemo illis occurrit, quin se eis prosternat, ac reverenter salutet. Quare adversarii pluris faciunt principem externum, imo quemlibet amicum suum, quam Christum, cum solum Christum sine ullo honore excipiant, nec dignentur ei assurgere, nisi expresse id eis præcipiatur. Adde, quod licet non sit primaria ratio institutionis Sacramenti, ut Christus ibi adoretur, tamen etiam ista ratio quædam fuit, ut haberemus Christum magis præsentem, et ut præsentem honoraremus : unde Eusebius Emisenus hom. 5. de Paschate, dicit institutum esse Sacramentum hoc, ut coleretur Christus jugiter per mysterium.

Altera solutio plane est impia et Nestoriana. Nam etiamsi non esset nisi corpus Christi in Eucharistia, tamen adhuc adorari deberet ab iis, qui recipiunt mysterium incarnationis : illud enim corpus unitum esset divinitati hypostatice etiamsi ab anima, et sanguine divulgum esset, ut fuit, quando jacuit in sepulchro. Adde, quod satis probavimus supra totum Christum esse in quavis Eucharistiæ specie.

Secundo, probatur adoratio ex traditione Patrum, et quoniam loca plurima in ii. lib. adducta, et expensa sunt, hic satis erit loca ipsa annotare. Vide Dionysium de Ecclesiast. hierarch. cap. 3. par. 3. Clementem lib. ii. constit. Apostol. cap. 61. Origenem homil.

5. in diversa loca Evangelii ; Cyrillum Hierosolymitanum catech. 5. mystag. Ambrosium lib. iii de Spiritu sancto cap. 12 Eusebium Emisenum homil. 5. de Paschate ; Theodoretum in ii Dialogo ; Nazianzenum in oratione de sancta Gorgonia ; sed duos pro omnibus audiamus. S. Joannes Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochenum : « Si pura sunt vestimenta, inquit, adora et communica ». Vide eundem homil. 83. in Matth. homil. 24. in I ad Corinth. hom. 3. in epist ad Ephes. et in hom. de enceniis, et in altera de S. Philogonio. Augustinus in Psalm. xcvi : « Nemo, inquit, illam carnem manducat, nisi prius adoraverit ». Vide eundem epist. 118. cap. 3. epistol. 120. cap. 27. in Psalm. 21. conc. i.

## CAPUT XXX.

### *Solvuntur objectiones.*

Superest ut objectiones adversariorum diluamus. Primo, Lutherus in lib. ad Waldenses objicit, in Sacramentis præcipue ad verba sacramentalia attendere oportere : et inde colligit, non debere homines occupari circa adorationem, ne videlicet adorationi intenti obliviscantur verborum.

Respondeo : Nititur hoc argumentum fundamento illo putrido, quod Sacramenta sint instituta ad instruendum animum, et excitandam fidem, quod millies jam refutatum est. Deinde adoratio ex verbis oritur : inde enim movemur ad adorandum, quia audimus illud esse corpus Domini. Unde unum juvatur ex altero, tantum abest, ut unum alterum impediatur.

Secundo, objicit idem. Adoratio ex fide procedere debet ; fides autem nititur Verbo Dei. Sed verbum Dei non dicit, Christum in Eucharistia esse adorandum.

Respondeo : Verbum Dei satis monet, et præcipit, Christum adorari debere in Eucharistia, cum docet, illum vere esse Deum, et esse in Eucharistia : et alibi jubet Deum adorari.

Tertio, objicit Calvinus. Apostoli cum primum communicarent, non leguntur prostrati in terram adorasse Sacramentum.

Respondeo : Apostoli non debuerunt ma-

jorem honorem exhibere Christo in specie panis latenti, quam in forma humana visibiliter præsentem: non autem poterant semper prostrati cum Christo agere, et præsertim in cœna, quando recumbere eum eo illis necesse erat. Itaque certis vicibus illum pro ni adorabant, alias autem mente, et animo venerabantur agnoscere verum Dei Filium. Reliqua Calvinii argumenta ex Nicæna Synodo, et ex illa præfatione: « Sursum corda », et ex aliis quibusdam locis supra soluta sunt in II. lib.

Quarto, argumentantur alii. Si ideo Sacramentum Eucharistiæ adorandum est, quia ibi Christus est, igitur omnis creatura adoranda erit, quia in omni creatura Deus est.

Respondeo: Longe aliter est Christus in Eucharistia, et in aliis rebus Deus. Nam in Eucharistia unum tantum suppositum est, idque divinum; cætera omnia ad illud pertinent, et eum illo unum quid faciunt, licet non eodem modo: ideo recte totum illud simul adoratur, ut ante diximus de Christo vestito. At in aliis rebus Deus quidem est, sed non est unum suppositum cum illis; neque dici possunt unum quid Deus, et creatura, in qua est Deus.

Quinto, ista adoratio exposita est manifesto periculo idololatriæ; fieri enim potest, ut impius Sacerdos fingat se consecrare, nec tamen reipsa consecret: igitur omittenda est.

Respondeo: Si argumentum valeret, omittenda esset non solum adoratio, sed etiam Communio. Nam Communio exposita est periculo accipiendi merum panem pro corpore Christi. Sed nullum est periculum idololatriæ in eo, qui simpliciter, et bona fide Sacramentum adorat: adoratio enim ex intentione potissimum pendet. Quare sicut is, qui panem non consecratum injuria afficeret, putans consecratum esse, gravissime peccaret in Christum: sic etiam contra, qui panem eundem adorat, quod certo eredit non esse panem, sed Christum, is proprie, et formaliter Christum adorat, non panem.

Sexto, Honorius III instituit, ut Sacramentum adoraretur; et paulo post Urbanus IV addidit festum diem, et solemnem processionem: ergo totus iste ritus novus est, et ab humano ingenio exegitatus.

Respondeo: Honorius, ut ex cap. Sanc de celebratione Missarum, intelligi potest, non instituit primus Sacramenti hujus adorationem, sed monuit solum, ut præses Eccle-

sie operam darent, ne tantum Sacramentum debito honore fraudaretur. Urbanus autem IV instituit quidem primum festum corporis Domini, et solemnem illam processionem, et ejus decretum confirmavit Clemens V, eum universo Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina unica de reliquiis et veneratione Sanctorum; sed ea institutio nullo modo reprehendi potest. Nam aut reprehendenda esset, quia nova, et sine Dei mandato, vel quia sine justa causa introducta. Novitas non potest reprehendi: omnia enim festa aliquando fuerunt nova, nec ulla inveniuntur in Testamento novo ab ipso Christo instituta, vel imperata. Exstant etiam exempla legis veteris. Nam festum fortium a Mardocheo, et Esther sine ullo Dei mandato, institutum fuit, et ab omni Synagoga receptum ut patet Esther ix. Festum item victoriæ Judith, institutum fuit ab Hebræis sine ullo Dei præcepto, Jud. xvi. Denique festum Eneeniorum, institutum a Machabæis, I Machab. iv, ipse etiam Dominus celebrare de more Judæorum voluit, Joan x., ut intelligeremus licere Ecclesiæ nova festa introducere.

Fuisse autem optimas rationes ejus festi introducendi, patet ex Clementina supra citata; sed duæ videntur præcipuæ. Prima est, ut populus Christianus Deo gratias ageret, ob tantum et tam singulare beneficium nobis impensum; quæ ratio est omnium festorum, tum in veteri Testamento, tum in novo institutorum. Quare nisi quis neget, in hoc Sacramento singulare beneficium a Deo nobis præstitum, aut certe non putet, Deo pro beneficiis gratias esse agendas, non video qua ratione possit hoc festum reprehendere.

Altera causa est, ut populus instruatur eirea mysteria fidei nostræ, et eorum assidue recordetur, ac præsertim, quando ea mysteria ab hæreticis oppugnantur: facilius enim rudiores discunt, et retinent mysteria incarnationis Domini, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, et similia, ex celebratione festorum, quæ singulis annis recurrunt, quam ex libris, vel concionibus. Pari ratione melius discunt rudiores in Eucharistiæ Sacramento vere esse Christum præsentem, et proinde falsam esse hereticorum doctrinam ex publica adoratione totius Ecclesiæ, et honore illo eximio, qui huic Sacramento exhibetur, quam ex multis concionibus. Quare si hoc festum nondum institutum esset, expedit plane, ut hoc tempore institueretur,

tum ut fideles instituerentur, tum etiam ut reipsa hæresim confutarent, et fidem veram facto protestarentur.

Septimo objicit Kennitius argumentum (ut ipse putat) insolubile, contra processionem, et circumgestionem venerabilis Sacramenti. Nam I Reg. iv legimus filios Israel bona quidem intentione, sed absque Dei mandato, adduxisse arcam Dei in castra, existimantes per eam arcæ circumgestionem se victoriam de hostibus relatuuros. Sed contra accidit; nam et exercitus fusus est, et Sacerdotes occisi, qui arcam adduxerant, et ipsa arca ab hostibus capta fuit.

Respondeo: Causa tot malorum non fuit arcæ adductio ad castra, sed peccata præterita Israelitarum, et præcipue sacerdotum Ophni et Phinees filiorum Heli; ut Deus ipse testatur, I Reg. II. et III. Nam alioqui arca erat in castris, quando insignem victo-

riam retulit Saul, I Regum XIV, et rursus erat in castris, quando Joab superavit filios Ammon, II Regum XI. Et cum Israelitæ, Num. XIV, ab Amalecitis victi sunt, Scriptura monendum putavit, non fuisse tunc arcam Dei cum illis, qui præliabantur.

Denique placuisse Deo, honorem arcæ impensum in solemnibus processionibus, et circumgestionibus, sive ipse id mandasset, sive non, perspicuum est ex variis Scripturæ divinæ testimoniis. Josue VI. sollemnis circumgestatio arcæ septem diebus celebrata, efficit, ut Hierico sine sanguine Hebræorum caperetur et illa quidem processio a Deo mandata fuit. Sed II Reg. VI. et VII. et III Reg. cap. VIII. sollemnissimæ, et Deo gratissimæ leguntur processionibus, cum arca Domini referretur de loco in locum, quas tamen Dominus minime fieri jusserat. Atque hæc de tota controversia pro instituti brevitate sufficiant.

## CONTROVERSIARUM

# DE EUCHARISTIA

## LIBER QUINTUS.

### QUI EST DE SACRIFICIO MISSÆ.

De Sacrosancto, ac divinissimo sacrificio MISSÆ, adversus hujus temporis hæreticos disputaturus, commodum esse duxi in tot controversias disputationem universam partiri; quot sunt de sacrificio eodem canones in Concilio Tridentino. *Prima* igitur controversia erit sitne Missa sacrificium vere, ac proprie dictum. *Secunda*, quale sacrificium sit, propitiatoriumne, an solum laudis, et gratiarum actionis. *Tertia*, quibus prosit, viventibus tantum, an etiam mortuis. *Quarta*, liceatne in Sanctorum honorem et memoriã Missas celebrare. *Quinta*, de modo, ac ritu celebrandi, an licitæ sint Missæ privatæ. *Sexta*, an Missa lingua vulgari celebranda sit. *Septima*, an quæ leguntur in Missa debeant omnia alta voce legi. *Octava*, de cæremoniis Missæ, quæ in actione, aut rebus consistunt. *Nona*, de veritate, et antiquitate eorum omnium, quæ leguntur in Missa.

Sed ante has omnes quæstiones duo quædam præmittenda sunt. *Unum*, de vocabulo Missæ. *Alterum*, voce, natura, definitione, et partitione sacrificii. His enim explicatis, intelligetur status principalis quæstionis, sitne Missa verum sacrificium; quem statum adversarii, et Kemnitius maxime, dedita opera perperam explicant. Auctores, qui de sacrificio tractant, habes in fine capitis quinti.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De voce, Missa.*

Ut igitur a vocibus incipiamus, de nomine Missæ, quatuor dicenda sunt, quæ sit ejus antiquitas, quæ etymologia, quæ significatio, et quo sensu accipiatur a Catholicis, cum dicunt Missam esse sacrificium,

Antiquissimam, et usitatissimam in Ecclesia Latina esse hanc vocem, dubitari non potest. Exstat enim apud Ambrosium lib. v. epist. 33: « Ego, inquit, mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione Deum, ut subveniret ». Exstat apud Augustinum serm. 91. de tempore: « In lectione, inquit, quæ nobis ad Missas legenda est, auditori sumus, etc. » Exstat idem vocabulum apud Victorem Uticensem lib. II. hist. de persecutione Wandalica, apud Cassianum lib. III. de canonico divinarum orationum,



et psalmoreum ordine : apud Leonem epist. 81. ad Dioscorum, et 88. ad Episcopos Germaniæ et Galliæ : apud Felicem IV, in epist. 1. apud S. Benedictum in regula cap. 17. Apud Gregorium I, lib. 1. epist. 12. et lib. 4. epist. 10. et alibi passim. Denique in antiquissimis Conciliis, ut in Romano, sub Sylvestro I, in Carthaginensi II, can. 3. in Carthaginensi IV. can. 84. Ilerdensi can. 4, Valentino can. 1, Agathensi can. 47, Aurelianensi I, can. 28. quæ omnia testimonia ante annos circiter mille, et eo amplius conscripta sunt.

Quod vero attinet ad etymologiam, Lutherani solita impudentia deducunt a voce Hebraica **מַהֲזִיִּים** quæ habetur Dan. xi. ubi de Antichristo legimus : *Deum autem Mahuzim colet in loco suo* (1). Itaque volunt adversarii, atque in primis Kemnitius in 2. part. Exam. Concilii Tridentini, in ipso principio disputationis de sacrificio Missæ, Missam esse Deum, seu arcem, et robur Antichristi Romani, id est, Papæ : idque probant, quia divina providentia factum videtur, ut Missa in voce congrueret cum Deo illo Antichristi.

Sed nos ex hoc ipso loco Danielis, probamus Deum Mahuzim nihil habere commune cum Missa, et esse potius idolum aliquod, si in divinis litteris ludere liceat, Lutheranorum. Nam in eodem cap. legimus, regem illum, qui colit Deum Mahuzim, esse regem Aquilonis, et contra eum in prælium venturum regem Austri, et nominatim Romanos contra eundem illum regem pugnatos : nam voces illas hebraicas **עֵיִם** et **בְּהִים** testatur S. Hieronymus in commentario, ab Hebræis exponi, Romanos et Italos. Quod si Australes, et nominatim Romani pugnant cum rege qui colit Deum Mahuzim; certe Deus Mahuzim non est Deus Romanorum, neque est Missa, nisi velint jam Missam a Romanis oppugnari, ab Aquilonaribus defendi.

Præterea Rex ille, qui colit Deum Mahuzim, ut in eodem capite legimus, non colit ullos alios Deos, neque Deos Patrum suorum, sed contra universa numina consurgit. Porro Romanos adversarii asserunt colere Deos innumerabiles, et plurima idola, nimirum omnes Sanctos, et Sanctas, et eorum reliquias atque imagines. Ipsi autem adversarii nostri contra imagines, reliquias, et ipsos etiam Sanctos aperte consurgunt; deberent

igitur, si consequenter loqui vellent, ingenue confiteri, suum esse Deum Mahuzim, non autem Papistarum.

Adhæc si Deus Mahuzim est Deus ab Antichristo fabricatus, et erectus, et Antichristus natus est post annum Domini 600, ut communiter Lutherani docent, quomodo potest Deus ille Mahuzim esse Missa, quæ longe est antiquior, ut jam ostendimus ex Ambrosio, Augustino, aliisque Patribus veterioribus.

Denique Deum Mahuzim non palam, sed clam Antichristus colet. Sic enim conciliantur verba ejusdem Prophetæ, quæ inter se pugnare videntur, cum dicat ab Antichristo omnes Deos contemnendos, ut solus ipse, ut Apostolus declarat ad Thessalonicenses, habeatur Deus; et tamen in eodem capite mox adjungat : *Deum Mahuzim venerabitur in loco suo*. Nam hæc verba ideo non pugnant inter se quia Antichristus palam Deos omnes oppugnabit, sed clam in arce quadam munitissima (id enim significat proprie Mahuzim) Diabolum pro Deo colet, cujus artibus ad illam potentiam deveniet, ut Deus credatur, et signa, et prodigia mendacia patrabit. Quare si Deus Mahuzim solum in abditissimo loco, atque occulto colendus est, quis non videt, quam longe a veritate aberrant, qui de Missa Daniele interpretantur, cum Missa in toto orbe terrarum, publice, in mediis templis, spectantibus populis celebretur?

His ergò nugis omissis, veniam ad sententias Catholicorum. Plurimi conantur ostendere nomen Missa esse Hebraicum, et oblationem voluntariam significare; habetur enim Deuter. xvi. vox **מִבֵּה** in ea significatione. Nec solum catholici, sed etiam Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ in disputatione de vocabulo Missæ agnoscit Etymologiam hanc, et significationem, atque eam ad suum propositum detorquere conatur.

Sed non videtur Apostolis in usu fuisse hoc vocabulum Hebraicum, multoque probabilior est eorum sententia, qui docent Missam, vocem esse Latinam, et a Latinis primum usurpatam in celebratione mysterii Eucharistiæ. Nam si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, certe retinuisset eam etiam Græci, et Syri atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes voces, ut Amen,

(1) Dan. XI, 38.

Alleluia, Sabaoth, Hosanna, Satan, Sabbatum, Pascha. Vocabula enim hebraica per Græcos ad nos devenerunt; cum ipsi etiam Apostoli, et primi Ecclesiæ Doctores græce scripserint. Porro apud Græcos, nulla est mentio hujus vocis Missa, sed pro eo λειτουργίαν dicunt. Est autem λειτουργία munus seu ministerium publicum; et quamvis a Patribus græcis vix aliter accipiatur, quam pro ministerio sacrificii Eucharistiæ offerendi, tamen vox ipsa ex se latius patet. Nam et Demosthenes in oratione contra Leptinem, frequentissime hanc vocem usurpat pro publico munere; et ipse etiam Apostolus Philip. II. Epaphroditum vocat τὸν λειτουργὸν necessitatis suæ. Adde, quod Syri, ut Marronitæ, qui chaldaica lingua celebrant divinum sacrificium, non habent Missæ vocabulum, sed pro eo dicunt קירשׁ, id est, sanctum, seu sacrum. Et tamen si Hebraica vox apud ullos conservari debuit, apud eos maxime, qui semper ea lingua, licet non nihil corrupta, usi sunt. Adde, quod viri docti linguæ hebraicæ, ut Origenes, Epiphanius, Justinus, Hieronymus hac voce nunquam utuntur, quod merito admirandum videri posset, si ea vox esset hebraica. Adde ultimo, quod si vox illa esset hebraica, non Missa, sed Missah dicendum esset: quo modo tamen nemo scribit, aut loquitur.

Qui latinam vocem esse volunt, non eodem modo omnes exponunt: alii enim Missam dici volunt, quod oblatio, et preces ad Deum mittantur. Ita Hugo de S. Victore lib. II. de Sacramentis part. 8. cap. ult. Alii minus probabiliter, quod Angelus a Deo mittatur qui sacrificio assistat, et illud ad Deum deferat, ut Magister in IV. dist. 13. et S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 4.

Alii, et ii ut plurimum hæretici, dictam esse volunt Missam apud veteres a mittendis, et conferendis in medium muneribus, quasi symbolis quibusdam, unde fieret sacra Cœna, et epulum daretur pauperibus, unde etiam volunt idem fuisse Missam, et quam Græci dicunt ἀγάπη. Ita Joannes Calvinus breviter lib. IV. Instit. cap. 18. §. 18. et Petrus Martyr in cap. V. prioris ad Corinthios, et fusius, Philippus Melanchthon in Apologia Confess. Augustanæ in disputatione de vocabulis Missæ. Quæ expositio nullum habet ab antiquitate testimonium, et falsa est omnino, quatenus confundit Missam cum ἀγάπη. Erat enim ἀγάπη convivium Christianorum ob refrigerium pauperum po-

tissimum excogitatum, ut ex Tertulliani Apologetico cap. 39. et Augustino lib. XX. contra Faustum cap. 21. colligi potest, sobrius quidem, et temperatum, sed tamen humanum, et politicum. Per Missam autem Ambrosius, Augustinus, Leo, et cæteri omnes quos citavimus, semper accipiunt actionem sacram, et mysticam, et in qua præcipua pars religionis nostræ consisteret.

Probabilissima est eorum sententia, qui Missam dici volunt a missione, seu dimissione populi, ut idem sit Missa, quod Missio, sicut idem sunt apud veteres collecta, et collectio, et græce συλλογή et σύλλεξις, et peccati remissa, et remissio; remissam enim passim usurpat Cyprianus lib. III. epist. 8. lib. de bono patientiæ, in epist. ad Jubajanum, et alibi. Hæc sententia est Isidori lib. VI. originum, Rabani lib. I. cap. 32. de Instit. Clericorum, et Alcuini lib. de officiis Ecclesiasticis cap. de celebratione Missæ. Hugo etiam loco notato, et alii recentiores hanc etymologiam admittunt.

Quamvis autem a missione Missa dicatur, non tamen eam solam significat, sed tractum est inde vocabulum ad alia significanda. Sunt igitur quinque Missæ acceptiones apud scriptores ecclesiasticos.

Primo, accipitur simpliciter pro missione: ita accipitur in Concilio Cartaginensi IV. canon. 84. «Episcopus nullum prohibeat usque ad Missam Catechumenorum, neque Judæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi, et audire verbum Dei.» Quo loco Missa non potest accipi pro sacrificio, seu cœna sacra: nam illa non erat Catechumenorum, sed fidelium tantum. Neque potest accipi pro Evangelio, et Lectionibus, quæ recitabantur præsentibus Catechumenis: nam Concilium volebat ea ab infidelibus etiam audiri. Quare non potest Missa eo loco accipi, nisi pro missione Catechumenorum. Eodem modo accipitur ea vox in Concilio Ilerdensi canon. 4. ubi prohibentur incestuosi permanere in Ecclesia, nisi usque ad Missam Catechumenorum. Sic Augustinus in eodem sensu serm. 237. de tempore (qui absque dubio est Augustini): «Ecce, inquit, post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles etc.» Eodem modo accipitur Missa apud Cassianum lib. II. de canonico orationum, et psalmodum modo cap. 7. et in titulo cap. 15. ubi Missam orationis, vocat dimissionem finita oratione. Et lib. III. cap. 7. ubi vocat Missam congregationis, dimis-

sionem congregationis, et cap. 8. vocat Missam vigiliarum, dimissionem post vigiliis. Quomodo etiam accipiuntur Missæ, quæ jubentur fieri a sancto Benedicto in Regula cap. 17. post singulos nocturnos. Denique hoc modo accipitur in nostra Liturgia, cum dicitur a diacono: « Ite Missa est, » ut enim recte exponit Alcuinus loco citato, sensus est: Jam dimissio est congregationis, abire omnibus licet.

Secundo, accipitur Missa pro divino officio lectionum, precum, et aliorum id genus, quod celebratur in Ecclesia ante dimissionem Catechumenorum. Etsane illa verba Concilii antiquissimi Valentini, cap. 1: « Hoc esse censuimus observandum, ut sacrosancta Evangelia ante munerum illationem in Missa Catechumenorum in ordine lectionum post legantur etc. » non possunt intelligi de dimissione Catechumenorum, sed de officio divino, cui ipsi intererant.

Tertio, accipitur pro illa parte Liturgiæ, quæ est ab Offertorio usque ad finem, quæ proprie dicitur Missa fidelium, teste Alcuino, loco notato. Ita accipitur Missa ab Ambrosio lib. v. epist. 33: « Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, orare in oblatione, etc. »

Quarto, accipitur pro tota celebratione divini officii, in quo Eucharistia consecratur, ut comprehendi simul Missam catechumenorum, et fidelium. Ita accipitur in locis citatis, Leonis, Gregorii, Felicis IV, et Conciliorum Agathensis et Aurelianensis: et hæc est communissima acceptio apud omnes posteriores auctores.

Quinto, accipitur pro ipsis collectis, seu precibus, quæ dicuntur in Liturgia: ita accipitur in Concilio Milevitano can. 12.

Sed quarta significatio est, in qua accipitur nomen Missæ, cum quærimus: Utrum Missa sit sacrificium; est enim sensus quæstionis: Utrum actio illa sacra, in qua conficitur Eucharistia, multis præcedentibus, et sequentibus precibus et cæremoniis, sit sacrificium. Nec intelligimus quæstionem esse, an singuli illi ritus sint de essentia sacrificii, sed solum, an inter illos ritus sit aliquis, qui proprie sacrificium dici debeat, ad quem reliqui omnes referantur.

Ex quo refellitur impostura Kemniti. Nam in 2. par. Examini Tridentini Concilii pag. 717. proponit explicandum: Quid illud sit in Missa, quod Pontificii proprie intelligunt sacrificium. ac dicit illud clarissime explicari a Joan. Eckio lib. 1. de sacrificio Missæ

cap. 10. et tandem citatis quibusdam verbis Eckii, ita concludit pag. 719: « Sacrificium igitur Missæ, de quo Pontificii dimicant, in eo consistit, quod sacrificulus certis ornamentis, et instrumentis, super panem, et vinum Eucharistiæ variis utitur gestibus, motibus, et actibus: ut sæpius geniculari, inclinari, strictis manibus, modo distendere, modo reducere brachia, subinde se convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quædam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere uno in loco, nunc in dextram, nunc in levam altaris partem commigrare etc. »

Sed hæc est mira fraus novi istius evangelistæ. Nam Joannes Eckius vir doctissimus, et qui semper de Lutero, et ejus sectatoribus triumphavit, dicit quidem in Missa repræsentari Christi passionem variis actibus, gestibus, ornamentis, ritibus etc. Sed non ait in illa repræsentatione, et illis gestibus consistere essentiam sacrificii, de quo disputamus, ut Kemniti impudenter mentitur, sed docet, sacrificium proprie consistere in oblatione corporis, et sanguinis Domini, quæ a Sacerdote fit Deo. Nam in fine illius capituli decimi a Kemniti citati, facit quadrimembrem divisionem. Est enim quædam actio sacrificium, et non repræsentatio sacrificii: quædam repræsentatio, et non sacrificium. Et hæc duplex est: nam alia est simplex repræsentatio, qualis esse solet cum aliquid cernitur pictum, aut ex libro historia recitatur: alia est repræsentatio ad vivum per varias actiones, ut cum prælium, vel triumphus in scena ab actoribus repræsentatur, ubi et personæ, et vestes, et arma, et ipsæ actiones cernuntur, et verba audiuntur. Quædam denique sacrificium, et repræsentatio sacrificii.

Ad primum membrum pertinet mors Christi vera in cruce: illa enim fuit sacrificium, et non repræsentatio alicujus sacrificii. Ad secundum membrum pertinet manducatio Eucharistiæ. Qui enim id faciunt simpliciter, commemorant Christi passionem; sed nec sacrificium proprie offerunt, nec etiam sacrificium crucis ad vivum repræsentant. Ad tertium membrum pertinet officium divinum, quod in Ecclesia agitur in die Parasceves; in illo enim repræsentatur accurate passio Christi variis gestibus, motibus, verbis, vestibus, instrumentis etc. sed non est in toto eo officio ulla actio, quæ sit proprie sacrificium. Ad quartum membrum pertinet

Missa, in qua et repræsentatur variis gestibus, et actionibus sacrificium crucis, et simul offertur Deo verum, et proprium sacrificium corporis Domini.

Hæc est Eckii doctrina, et omnium Catholicorum, ex qua perspicue constat, sacrificium non consistere proprie in illis variis gestibus, et motibus : nam alioqui in die Parasceves verum sacrificium offerretur, cum in officio ejus diei plurimi ejusmodi gestus, et motus fiant, quod tamen Eckius disertis verbis negat.

Adde quod Eckius cum probare vult sacrificium Missæ, in toto illo opere omnia sua argumenta dirigit ad probandum in Missa fieri oblationem Deo : non autem ad probandum fieri debere varios gestus, et motus. Non igitur ille per sacrificium intellexit gestus, et motus, ut Kemnitius calumniatur, sed oblationem corporis, et sanguinis Domini. Hæc de primo.

## CAPUT II.

### *De sacrificii definitione.*

Explicuimus vocabulum Missæ : nunc explicanda est vox sacrificium, ut plane intelligatur status controversiæ : An Missa sit sacrificium. Porro in voce Sacrificium non est quærenda etymologia, aut vulgaris aliqua significatio, quæ notissima sunt : sed quid proprie sit sacrificium, sive quæ sit ejus natura, et definitio ; in hac enim re non pauci falluntur.

Ac primum Philippus Melanchthon in Apologia Confessionis in articulo de Missa, ita sacrificium definit : « Sacrificium est cæremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus. » Deinde dividit sacrificium in duas species, in sacrificium videlicet propitiatorium, et sacrificium ἐυχαριστικόν. Propitiatorium esse dicit, quod est satisfactio pro peccatis, et Deum placat ; ἐυχαριστικόν esse vult, quod non reconciliat hominem Deo, sed est gratiarum actio, quæ a reconciliatis pro acceptis beneficiis exhibetur Deo : quo genere contineri dicit fidem, prædicationem Evangelii, orationes, castigationes carnis, et breviter omnia bona, unde laus Deo consurgit. Atque ex his fundamen-

tis colligit Missam posse dici sacrificium hoc modo posteriore, quia sumptio Eucharistiæ fieri potest ad laudem Dei, sicut cætera opera bona, non tamen esse sacrificium prioris generis.

Ab hac Philippi sententia non procul abesse videtur opinio doctoris cujusdam moderni, hominis alioqui valde eruditi, et pii, qui in lib. de sacrificio cap. 5. docet, sacrificium proprie dictum esse omne opus bonum, quod fit, ut sancta societate inhæreamus Deo, sive ex se sit opus virtutis, sive non, ita ut non minus proprie sit sacrificium castigatio corporis propter Deum assumpta, quam sacrificium Eucharistiæ. Dividit autem eadem opinio sacrificia proprie dicta in duas species, in sacrificia videlicet typica, et non typica. Typica vocat, quæ fiunt ad aliud significandum, qualia erant sacrificia omnia veteris legis, et qualia sunt omnia Sacramenta novæ legis. Non typica, vocat opera virtutum, quæ tametsi nihil significant, tamen Deo gratissima sunt.

Hæc sententia falsa est, ac multis, et perspicuis argumentis refutari potest. Primum, Scriptura sacra opponit opera multarum virtutum sacrificiis, ut cum ait Oseæ VI : *Misericordiam volo, non sacrificium.* Et I Regum XV. *Melior est obedientia, quam victimæ.* Et Psalm. L : *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicias* (1). At si omnia opera virtutum essent sacrificia proprie dicta, certe etiam obedientiæ, misericordiæ, pœnitentiæ opera essent proprie sacrificia : non igitur verè essent illæ sententiæ Scripturarum supra citatæ. Quomodo enim vult Deus misericordiam, et non sacrificium, si ipsa misericordia est verum, ac proprie dictum sacrificium ? aut quomodo melior est obedientia, quam victimæ, si ipsa obedientia vere, ac proprie victima est ? quemadmodum autem non vult Deus sacrificium, et holocausta, sed cor contritum et humiliatum, si hoc ipsum est verissimum sacrificium ?

Secundum argumentum. In omni sacrificio proprie dicto requiritur res aliqua sensibilis, quæ offeratur, nec in sola actione sacrificium consistere potest. At si sacrificium esset quælibet cæremonia, vel opus ad honorem Dei factum, nihil obstaret quo minus

(1) Oseæ. VI, 6 ; I Reg. XV, 22 ; Psal. L, 18.

in sola actione sacrificium consisteret; et qui voce psallit, aut genua flectit, aut aliquid ejusmodi facit, is proprie sacrificare diceretur: non igitur sacrificium est quælibet cæremonia, vel opus ad honorem Dei factum. Probatur major propositio. Genes. xxii, Isaac ait patri: *Ecce ignis, et ligna, ubi est victima holocausti?* Hebr. viii.: *Omnis Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur: unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat* (1). Ubi Apostolus colligit ex ratione communi sacrificiorum, non potuisse Christum vere dici Pontificem, nisi habuisset victimam, quam offerret.

Tertium argumentum. Negari non potest, quin sacrificare sit actus proprius, et elicitus religionis, ut præter Doctores scholasticos docet S. Augustinus lib. xx. contra Faustum cap. 21. Non potest autem idem actus esse proprius, et elicitus diversarum virtutum: igitur opera propria misericordiæ, temperantiæ, aliarumque virtutum non possunt proprie sacrificia dici, sed solum per quamdam participationem. Quamvis enim unus, et idem actus non possit esse proprius, et elicitus diversarum virtutum, potest tamen ab una elici, et ab alia imperari, et eo modo ad unam proprie pertinere, ad alteram participative. Quemadmodum sobrie cibum sumere, est actus elicitus temperantiæ; tamen si imperetur a fortitudine, ut homo sit magis aptus ad pugnandum, participabit fortitudinem; si a justitia, ut nimirum habeat unde debitum reddat pecuniarium, participabit justitiam. Sic igitur opera quarumlibet virtutum, possunt imperari a religione, et participative sacrificia dici, non tamen absolute, et proprie, cum a religione non eliciantur. Atque hinc est, quod in divinis litteris opera virtutum non vocantur absolute sacrificia, sed cum addito, ut sacrificium laudis, hostiæ spirituales, vituli labiorum, et de cæteris ad eundem modum: illa vero, quæ sunt proprie sacrificia, simpliciter, et absolute talia nominantur, ut in locis allegatis in primo argumento: *Misericordiam volo, non sacrificium, etc.*

Quartum argumentum. In Ecclesia Christi unum est tantum verum, ac proprium sacrificium: non igitur sunt proprie sacrificia omnia Sacramenta, vel omnia bona opera, quæ fiunt ad colendum Deum. Antecedens est S. Augustini, et omnium sanctorum scri-

ptorum. Lib. viii. de Civitate Dei cap. ult. probare volens Augustinus non esse sacrificium epulas illas, quæ ponebantur a quibusdam super sepulchra Martyrum, sic ait: « Ea non esse sacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo offertur, sacrificium Christianorum ». Idem quoque lib. iii. de Baptismo contra Donatistas cap. ult. et lib. i. contra adversar. legis et prophetarum cap. 20. dicit, omnibus sacrificiis veterum, successisse unicum et singulare Eucharistiæ sacrificium: libro de spiritu et littera cap. 11. vocat Eucharistiæ sacrificium verissimum, et singulare: et lib. i. contra Cresconium cap. 25. unicum appellat. S. Leo serm. 8. de passione Domini: « Nunc, inquit, carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis, et sanguinis tui implet oblatio ». Sanctus etiam Joannes Chrysostomus in Psalm. xcvi: « Magnus, inquit, erat, et sine modo numerus sacrificiorum in lege, quæ omnia nova superveniens gratia uno complectitur sacrificio, unam, et veram statuens hostiam. »

Quintum argumentum. Sacrificium, et sacerdotium relativa sunt, ita ut sacrificio proprie dicto sacerdotium proprie dictum; et sacrificio improprie dicto sacerdotium improprie dictum respondeat. At non sunt omnes, qui operantur bona opera ad honorem Dei Sacerdotes proprie dicti: non igitur sunt omnino talia opera sacrificia proprie dicta.

Major propositio certissima est. Nam Sacerdotis, ut talis est, proprium munus est offerre sacrificium, ut Apostolus docet, Hebr. v. et Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone ultra medium, ubi dicit, Deum non accipere sacrificium nisi a Sacerdotibus. Augustinus quoque semper conjungit hæc duo tamquam inseparabilia, sacrificium, et Sacerdotem. Vide epist. 49. quæst. 3. lib. viii. de Civitate Dei cap. ultim. et lib. xxii. cap. 10. Id etiam docent ipsa vocabula. Latine enim pro eodem accipiuntur sacerdos, et sacrificus. Græce a θύειν, quod est sacrificare, fit θυσία sacrificium, et θύτης Sacerdos, et ab ἱερεύειν, sacrificare, ἱερεῖον sacrificium, et ἱερεὺς Sacerdos. Denique non alia de causa Lutherani non agnoscunt in Ecclesia verum, et proprie dictum sacerdotium, nisi quod non agnoscant verum, et proprie dictum sacrificium.

(1) Gen. XXII, 7; Hebr. VIII, 3.

Probatur nunc assumptio. Nam in Testamento veteri notissimum est non fuisse Sacerdotes proprie dictos, nisi filios, et nepotes, atque alios posteros Aaronis, ut regi Ozia sacerdotium usurpare volenti, dictum legimus ab Azaria pontifice, II Paral. xxvi. et tamen omnes filii Israel bona opera facere debebant. In Ecclesia vero Christi, velint nolint Lutherani, nunquam dicti, vel habiti sunt Sacerdotes proprie, nisi Episcopi et Presbyteri. Hos autem hoc nomine appellant Dionysius Areopagita lib. 1. de Ecclesiastica hierarchia cap. 1. 3. et 5. Justinus in dialogo cum Triphone ultra medium. Tertullianus lib. de præscript. ultra medium, et de velandis virginibus ultra medium. Cyprianus lib. 1. epist. 4. et omnes posteriores passim. Ipse etiam Apostolus Hebr. v. de sacerdotio loquens: *Nemo, inquit, assumit sibi honorem, nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (1): et hoc usque adeo verum est, ut ipsum etiam Christum dicat ibidem Paulus non sibi per se sacerdotium assumpsisse, sed a Patre illud accepisse. Denique (ut multa præteream) Concilium Nicænum cap. 14. et Tridentinum quod a Catholicis rejici non potest sess. xxiii. can. 1. et 7. aperte docent, in Ecclesia non omnes, sed certos quosdam Sacerdotes esse. Quare id necessario sequitur, ut aut cæteri fideles bene operari non debeant, quod est absurdissimum; aut non sint proprie Sacerdotes omnes, qui bene operantur, quod est verissimum.

Sextum argumentum. Altare, et sacrificium relativa sunt: non est autem altare proprie dictum necessarium propter omne opus bonum, nec propter omnes cæremonias, quibus Deum colimus; non igitur est sacrificium proprie dictum omnis ejusmodi cæremonia, seu opus bonum. Propositio major perspicua est. Nam in primis et hebraice, et græce ab eadem radice deducitur sacrificium, et altare. A **יבֵה** sacrificavit, fit **יבֵה** sacrificium, et **מִזְבֵּחַ** altare, et a verbo **θύειν** sacrificare, fit **θύσια**, sacrificium, et **θυσιαστήριον** altare. Latini a forma, et ritu nomen deducere maluerunt. Dixerunt enim altare quasi altum, et aram, quasi ansam, ut Varro interpretatur, quia Sacerdos aram tenere consueverat, dum sacrificium offerret. Unde est illud poetæ:

Talibus orantem dictis, arasque tenentem.

Deinde Genes. 8. ubi primum altare ere-

ctum legimus, sacrificii causa erectum fuisse legimus: et in omni gente, et religione semper altaria ad sacrificia erigebantur. Et sicut sacrificium soli Deo vero rite potest offerri, ita etiam altare soli Deo vere rite potest erigi, ut S. Augustinus docet lib. xx. contra Faustum cap. 21. Porro assumptio hujus argumenti nulla probatione eget. Quis enim non videt plurima bona opera, multasque cæremonias sine ulla ara fieri ad honorem Dei posse?

Non igitur verum est, quod Melanchthon scripsit, omnem cæremoniam, seu opus, quod nos Deo reddimus, ut eum honore afficiamus, esse sacrificium. Quare Joannes Calvinus lib. iv. Instit. cap. 18. § 13. sine nomine auctoris, eam definitionem aperte reprehendit his verbis: « Qui sacrificii vocabulum ad omnes cæremonias, et religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video. »

Unum est argumentum in contrarium, ac præsertim Catholici illius Doctoris, testimonium videlicet S. Augustini, qui lib. x. Civit. cap. 6. sic definit sacrificium: « Sacrificium, inquit, verum, est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreatur Deo, relatum ad illud finem, quo beati esse possimus. »

Sed facilis est responsio. Nam S. Augustinus non definit sacrificium in genere, nec sacrificium proprie dictum, sed solum sacrificium, quod præcipue est internum, et opponitur sacrificiis legalibus, et mere externis. Et vocat sacrificium verum ratione dignitatis, et ratione effectus, non ratione formæ, et essentiæ sacrificii proprie dicti. Non enim vult dicere sacrificia interna esse magis proprie dicta sacrificia, quam externa, cum oppositum sit verum, sed esse præstantiora, et Deo gratiora, et facilius Deum placare. Similis sententia est Joan. xv: *Ego sum vitis vera*. Nec enim Dominus eo loco significare volebat se magis proprie esse vitem, quod attinet ad formam, et essentiam vitis, quam sit illa, quæ plantatur in vineis: sed solum esse vitem nobiliorem, et effectus excellentiores producere, ut Euthymius in commentario hujus loci recte exponit.

Expendamus nunc Calvini definitionem; reprehendit enim alios, sed nec ipse meliorem definitionem attulit. Sic autem loquitur loco citato: « Nos perpetuo Scripturæ usu sacrificium appellari scimus, quod Græci nunc **θύσιαν**, nunc **προσφορὰν**, nunc **τελετὴν** dicunt: quod generaliter acceptum complecti-

(1) Hebr. V, 4.

tur quidquid omnino Deo offertur. » Hæc ille : ubi aperte docet idem esse sacrificium quod oblationem Deo factam. Ac deinde partitur sacrificium in duas species, ad eum modum, quo Philippus fecit ; nisi quod sacrificium non propitiatorium, contendit vocari posse non solum *υχαριστικόν*, ut Melancton vocabat, sed etiam *λατρευτικόν*, et *σεβαστικόν*, id est, sacrificium cultus, et venerationis.

Sed ommissa partitione, de qua non magna controversia est, definitio certe a Calvino allata admitti non potest. Nam licet secundum Scripturæ usum, omne sacrificium oblatio quædam sit, non tamen omnis oblatio est sacrificium. Sacrificium enim præter oblationem requirit mutationem, et consumptionem rei, quæ offertur, quam non requirit simplex oblatio.

Id vero probatur primum ex nomine sacrificii. Nam Hebraice *יבה* dicitur a *יבה* quod est mactare ; et Græce *θυσία*, vel dicitur a *θύειν*, id est mactare : unde est illud Matth. XXII. *Ταῦροι καὶ σιτιστὲς τεθυμένα*, tauri, et altitia occisa ; vel dicitur a nomine *θυμιάσις*, id est, exhalatio, ut Porphyrius contendit apud Eusebium lib. I. præparat. Evang. cap. 6. Vult enim sacrificia dicta esse ab exhalatione, et fumo, qui ex combustione sacrificii ascendit. Unde etiam Chrysostomus, et Theophilactus in cap. X. epist. ad Hebr. notant, differentiam esse inter *θυσίαν* et *προσφορὰν*, id est, sacrificium, et oblationem, quod *θυσία*, dicatur de rebus illis, quæ occiduntur, vel aliter consumuntur. Quo etiam pertinet, vox *τελετή*, dicitur enim ea vox a verbo *τελέω*, quod est consumo. Ex quibus colligitur, non recte Calvinum confudisse illa nomina : *προσφορὰν*, quæ significat simplicem oblationem, *θυσίαν* ac *τελετήν*, quæ addunt consumptionem supra oblationem.

Secundo, probatur ex usu Scripturarum. Nam in Scripturis multa dicuntur Dei offerri, quæ nec secundum usum Scripturæ divinæ, nec juxta communem loquendi modum dici possunt sacrificari. Exodi XXV. et XXXV. offerenda Deo dicuntur aurum, argentum, æs, ligna, lapides pretiosi, byssus, coccus, pili caprarum, et similia, quæ nonnisi absurdissime sacrificari dici possent. Numeri VIII. Aaron offert Levitas in munus Domino a filiis Israel, et tamen nec Scriptura dicit, homines illos sacrificatos fuisse, nec dici potest, nisi valde improprie, cum homines illi non sint occisi, sed solum ad ministerium deputati. Contra vero Isaac vere, et proprie sacrifi-

candus dicebatur a patre, quando occidendus, et cremandus Domino ducebatur. Genes. XXII. Et omnia omnino, quæ in Scriptura dicuntur sacrificia, necessario destruenda erant ; si viventia, per occisionem ; si inanima solida, ut simila, et sal, et thus, per combustionem ; si liquida, ut sanguis, vinum, et aqua, per effusionem, Levit. I. et II.

Neque his repugnat exemplum Melchisedechi, qui erat Sacerdos Dei altissimi, et obtulit panem et vinum : nec tamen legitur illam oblationem consumpsisse, Genes. XIV. Nam Scriptura non explicat modum illius sacrificii ; sed ex aliis locis colligimus eum more solito sacrificasse, ita ut panem illum, et vinum ad honorem Dei consumpserit. Constat igitur sacrificium non esse quidquid offertur Deo, ut Calvinus dicit, nisi aliquid aliud addatur.

Denique tertio, accedant argumenta ducta a sacerdotio, et ab altari, quæ paulo ante fecimus adversus Melanctonem. Nam oblatio generatim sumpta, nec sacerdotium, nec altare requirit : vere enim ac proprie obtulit Deo vidua illa evangelica duo æra minuta, cum nec sacerdos ipsa esset, nec altare ullum haberet.

Venio nunc ad Martinum Kemnitium : is initio disputationis de sacrificio Missæ in 2. par. Exam. Tridentini Concilii pag. 712. et seq. primo loco adfert acceptiones hujus vocis, Sacrificium, quas in genere tres esse dicit. Primo enim, accipi vult pro sacrificio externo, et cæremoniali, quale dicit fuisse in solo Testamento veteris ; et in hoc genere numerat holocausta, hostias pacificas, hostias pro peccato, et denique sacrificium professionis, ut decimas, et primitias. Secundo, accipi dicit pro morte Christi, quæ dicitur sacrificium crucis. Tertio, pro sacrificio interiore, invisibili, et spirituali fidelium ; atque ad hoc genus reducit prædicationem Evangelii, orationes, eleemosynas, laudes Dei, mortificationem, et similia opera bona. Addit paulo infra pag. 717. Quarto, acceptionem pro sacrificio commemorato, id est, pro ea re, quæ fit in memoriam sacrificii crucis, quamvis fateatur non haberi in Scripturis hanc acceptionem. Ex his concludit ob tam varias acceptiones sacrificii, bene definitum esse sacrificium in genere a S. Augustino, lib. X. de Civitate Dei cap. 5. et 6. « Omne opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhæremus Deo, etc. »

Sed in hac doctrina Kemnitii plurima sunt

errata. Primum, non recte numerantur decimæ, et primitiæ cum sacrificiis, veteris legis proprie dictis : nusquam enim in Scriptura dicuntur sacrificia, ejusmodi decimæ, et primitiæ, nec eis nomen, aut ratio sacrificii convenit, ut supra ostendimus. Adde, quod sacrificium soli Deo offerri potest, ut omnes fatentur : decimæ autem immediate Sacerdotibus offerebantur, et offeruntur, non Deo.

Deinde, quod Kemnitijs dicit, sacrificia externa et cæremonialia fuisse solum in lege veteri, et jam omnino desiisse, pugnat cum eo, quod idem Kemnitijs dicit, omne opus bonum factum ad Dei honorem esse etiam hoc tempore sacrificium. Nam certe Baptismi, et Eucharistiæ Sacramenta conficere, dare, sumere, sunt opera bona, facta ad Dei honorem, et tamen sunt externa, et cæremonialia. Imo idem Kemnitijs paulo infra multis modis probat Eucharistiæ consecrationem, et sumptionem dici posse sacrificium : quam tamen externam, et cæremonialem esse nemo negare potest.

Tertio, mirum est, cur admittat Kemnitijs quartam sacrificii acceptionem, cum eam fateatur non posse colligi ex divinis litteris, sed videtur eam admittere, ut possit eludere loca Patrum, in quibus Missa dicitur sacrificium. Cæterum ea acceptio plane arbitraria, et conficta est : nam nec Scriptura, nec Patres sacrificium appellant, id quod est solum figura, vel commemoratio sacrificii.

Denique, falso concludit Kemnitijs ab Augustino definiri sacrificium in genere lib. x. civit. cap. 6. Tantum enim abest, ut Augustinus definire voluerit eo loco sacrificium in genere, ut potius expresse excluserit a sua definitione omnia sacrificia veteris legis, quæ in mactatione ovium, et boum sita erant, quæ propriissime sacrificii nomen, et rationem retinent. Quare Kemnitijs, neque dividendo, neque definiendo id assequi potuit, quod cupiebat, ut quid sit proprium sacrificium explicaret.

His ergo rejectis, vera definitio sacrificii proprie dicti in genere hæc esse potest : « Sacrificio est oblatio externa facta soli Deo, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, et professionem divinæ Majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis, et permanens ritu mystico consecratur et transmutatur. » Hæc definitio paulo longior esse debuit, ut

omnes conditiones sacrificii proprie dicti complecteretur.

Primo igitur dicimus esse oblationem, ut genus sacrificii indicarem : hoc enim loco sacrificium accipimus pro actione sacrificandi ; non pro ipsa victima, quæ sacrificatur, tametsi ipsa etiam sacrificium dici solet. Sacrificium igitur pro actione acceptum, species est oblationis : id enim est sacrificium, quod proprie et per se ad actionem Sacerdotis pertinet. Porro Sacerdotis proprium munus est offerre, Heb. v : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, etc.* (1). Apud sacros, et ecclesiasticos scriptores pro eodem accipitur offerre et sacrificare. Genes. iv. ubi primum fit mentio sacrificii, dicitur Abel obtulisse de primogenitis gregis sui : et Genes. viii, Noe obtulit holocausta ; et eodem modo Scriptura passim loquitur. Tertullianus inter patres in lib. de velandis virginibus, et in lib. de exhortatione castitatis, dicit tria esse munera Sacerdotum novæ legis : tingere, offerre, docere, id est, baptizare, sacrificare, concionari. Denique idem indicat nomen, quo passim utuntur Græci, cum de sacrificio loquuntur, nimirum *πρόσφορα*, id est, oblatio, quod etiam Calvinus notavit, ut supra vidimus.

Secundo dicimus, externam oblationem esse sacrificium. Duplex enim oblatio, et largo modo, duplex sacrificium distingui potest, ut S. Augustinus distinguit lib. x. de Civ. Dei cap. 5. invisibile, sive internum, et visibile, sive externum. Invisibile est pia voluntas, quæ divinæ Majestati, se, et sua omnia offert : visibile autem est testificatio quædam externa interni affectus. Quare ibidem Augustinus definiens visibile sacrificium, invisibilis sacrificii Sacramentum, id est, sacrum signum esse dicit. Quamvis autem invisibilis oblatio sit nobis ior, et melior visibili, et placeat Deo invisibilis sine visibili, visibilis sine invisibili Deo non placeat : tamen nomen, et ratio sacrificii proprie non convenit invisibili oblationi, sed solum visibili, et externæ, ut nos in definitione posuimus. Oblatio enim invisibilis, semper est occulta, et privata ; nomine autem sacrificii proprie omnes intelligunt publicum, et manifestum honorem Deo exhibitum a communi, et publico ministro. Itaque necessario

(1) Hebr. viii, 3.



requiritur ad sacrificium proprie dictum, ut sit oblatio externa.

Tertio diximus in definitione : « Facta soli Deo. » Nam oblatio externa potest fieri etiam homini, vel homini, et Deo, ut cum dantur eleemosynæ pauperibus propter Deum; illæ enim offeruntur hominibus, et simul etiam Deo, dicente Christo : *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis* (1), Matth. xxv. Sed non sunt sacrificia ejusmodi oblationes : sacrificium enim proprie pertinet ad cultum patriæ, qui soli Deo exhiberi potest. Ut enim est interior quidam cultus, quem soli Deo exhibemus, cum eum agnoscimus primum et summum bonum, causam efficientem, et finalem omnium rerum, et ut tali cor nostrum illi demississime prosternimus; sic etiam debuit esse externum aliquod signum quo protestaremur cultum istum soli Deo debitum. Tale autem signum non est, nisi sacrificium : nam omnis alia externa reverentia, quam exhibemus Deo, sive caput nudando, sive genua flectendo, sive corpus totum prosternendo, sive etiam supplicando, et invocando, solet etiam hominibus aliquando exhiberi. Unde Exod. xxii. legimus : *Qui sacrificat Diis, occidetur, præterquam Domino soli* (2). Neque id solum Scriptura docet, sed etiam id ipsum naturali lumine omnes Gentes agnoverunt : « Quis vero, inquit, S. Augustinus lib. x. de Civ. Dei cap. 4, Sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut scivit, aut putavit, aut finxit. » Et lib. i. contra advers. leg. et prophet. cap. 48 : « Dæmon sibi sacrificium non exigeret, nisi Deo vero deberi sciret. Nam obsequia cætera, quæ divinitati exhibentur, ausi sunt sibi etiam superbiæ fastu homines arrogare : rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificaretur, cum regia potestate possent, ausi fuerint imperare. Quicumque tamen ausi sunt, per hoc se Deus haberi voluerunt. »

Quarto diximus : « Ad agnitionem humanæ infirmitatis, et possessionem divinæ Majestatis. » Quoniam hic est finis generalis omnium sacrificiorum : sunt enim quasi tributa, quæ Deo redduntur in recognitionem supremi domini ipsius, et nostræ subjectionis. Et hæc est etiam ratio, unde laudem habet, et est opus virtutis actio sacrificandi. Nam ex se opera indifferentia sunt occidere, et cremare animalia, et similia; sed cum illa

fiunt ad significandum, omnia a Deo procedere, et in ipsius honorem consumenda esse; jam sunt opera religionis, et proinde bona, et laudabilia.

Quinto diximus : « A legitimo ministro », Non enim est cujusque offerre sacrificium, sed publici, et certi hominis, qui communi nomine id peragat. In lege quidem naturæ, Sacerdotes erant, vel capita familiarum, ut Noe, Abraham, vel ii, quibus Deus id inspirabat. In lege autem scripta, soli filii Aaron. In lege gratiæ, soli Episcopi, et Presbyteri rite ordinati, ut omnia Concilia, et omnes Patres, et omnium Ecclesiarum consuetudo docet. Atque hinc excluduntur a ratione sacrificii proprie dicti multæ oblationes privatorum hominum, factæ soli Deo ut cum fideles candelas accendunt, et consumunt in templo ad honorem Dei.

Sexto diximus : « Res aliqua sensibilis, et permanens », ut nimirum excludantur a ratione sacrificii proprie dicti, actiones transientes, in honorem Dei factæ, quales sunt psalmodiæ, preces, genuflexiones, et alia quæ fiunt a Sacerdotibus actu externo ad honorem Dei et tamen sacrificia proprie non dicuntur.

Septimo diximus : « Ritu mystico consecratur ». Nam debet res illa, quæ Deo offertur, ex profana fieri sacra, et Deo dicata : id enim significat sacrificare, sacrum facere, ut S. Thomas recte monet in 2. 2. quæst. lxxxv. art. 3. Ista autem consecratio, et dedicatio semper fiebat in lege veteri certo ritu, et cærenomia mysterium continente, ut impositione manuum super victimam, vel elevatione oblationis in altum. Et in hoc distinguitur sacrificium a simplici oblatione, quæ non requirit ex se ullam ejusmodi mysticam consecrationem.

Octavo diximus : « Et transmutatur ». Quia ad verum sacrificium requiritur, ut id, quod offertur Deo in sacrificium, plane destruat, id est, ita mutetur, ut desinat esse id, quod ante erat : et in hoc maxime differt a simplici oblatione, quæ interdum ritu mystico elevabatur coram Deo, sed non destruebatur, nisi quando vere sacrificabatur. De qua conditione plura diximus paulo superius in refutatione definitionis Joannis Calvinii. Ratio autem hujus rei duplex esse videtur. Una ob significationem mortis Christi. Deus enim, qui primus sine dubio inspiravit Abeli, et

(1) Matth. XXV, 40. — (2) Exod. XXII, 20.

aliis sanctis viris usum sacrificiorum, voluit per ea sacrificia sacrificium omnium sacrificiorum præstantissimum adumbrari : illud autem morte, et destructione rei oblatae constabat. Altera ratio est, quia sacrificium est summa protestatio subjectionis nostræ ad Deum, et summus cultus externus, qui exhiberi possit. Summa autem ista protestatio requirit, ut non solum usus rei Deo offeratur, sed ipsa etiam substantia : et ideo non solum usus, sed substantia consumatur.

### CAPUT III.

#### *Mortem Christi sacrificium esse proprie dictum.*

Sed una occurrit dubitatio circa sacrificii definitionem. Nam sacrificium crucis, id est, Christi passio et mors, verissimum, ac perfectissimum sacrificium fuit, ut Augustinus docet lib. I. contra advers. leg. et prophet. cap. 18. et tamen non videtur ei convenire definitio assignata. Nam (ut alia omittam) ratio sacrificii a nobis descripta requirit, ut non sit actio alicujus virtutis, nisi religionis : mors autem Christi actio fuit charitatis, patientiæ, fortitudinis, humilitatis, obedientiæ, ut Apostolus prædicat Roman. v. Philipp. II. Hebr. XII. et alibi.

Respondeo : Sacrificium crucis proprie actum religionis fuisse. Christus enim præcipue in mortem se obtulit, ut esset oblatio, et sacrificium Deo pro expiatione peccatorum totius mundi, ut sacri scriptores passim docent, ac præcipue Apostolus Ephes. v. et Hebr. VII. VIII. IX et X. tamen nihil repugnat quominus actus proprius religionis possit etiam participare multas alias virtutes : sicut e contrario actus omnium aliarum virtutum, ut supra diximus, religionis rationem participant; et sacrificia suo quodam modo nominantur. Sicut enim si quis obedientiam superiori præstet ob Dei honorem, illa obedientia sacrificium erit : sic etiam si quis veram hostiam Deo offerat, quia id ei superior imperaverit, actio illa, obedientia dici poterit. Et quemadmodum elemosyna pauperi propter Dei honorem data, sacrificium quoddam est ; sic etiam sacrificium pro peccatore Deo oblatum, misericordia est.

Dicet aliquis : Si res ita se habet, poterunt etiam Martyrum passiones vere, et proprie sacrificia dici, licet ad charitatem, et fortitudinem potissimum pertinere videantur.

Respondeo : Martyrum passiones sacrificia dici possunt largo modo, ut omnia alia bona opera ; non autem proprie, et in rigore, ut Christi passio : differt enim passio Christi a passionibus Martyrum quatuor modis, ratione videlicet personæ, actus, formæ, et finis.

Ratione personæ, quia Christus vere, et proprie erat sacerdos Psal. CIX. *Tu es sacerdos in æternum* (1), et sacerdos magnus, ut ait Apostolus Hebr. X, imo plane summus, et maximus, qui posset hostiam quamlibet rite offerre, et ideo etiam corpus suum. Sancti autem martyres, vel sacerdotes non erant, vel certe non tales, qui possent eligere victimam lege præscriptam.

Ratione actus, quia Christus proprie seipsum sacrificavit, cum in ejus potestate fuerit mori, et non mori. Isai. LIII. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. X. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam a me, sed ego pono eam.* Joan. XVII. *Et pro eis ego sanctifico meipsum* (2), id est, sacrificium offerro meipsum, ut exponunt Joannes Chrysostomus homil. 81. in Joan. et Cyrillus lib. XI. in Joan. cap. 25. Martyres autem nec poterant mori, quando volebant, nec etiam impedire passionem suam, et mortem, quando volebant.

Ratione formæ, quia Christus vere mystico ritu sacrificatus est ; non enim casu, sed ex electione ipsius factum est, ut in die festo Paschæ, et in altari crucis, et manibus extensis, et extra portam urbis Hierosolymæ pateretur, ut S. Leo notat in epist. 83. ad Monachos Palæstinos. Et Joannes Evangelista, scribit cap. XIII. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus.* Et Paulus Hebr. XIII. *Quorum iinimantium infertur sanguis pro peccato, bovum corpora cremantur extra castra ; ita et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est* (2). In mortibus Martyrum nihil ejusmodi reperimus.

Ratione finis, quia ille fuit proximus, et principalis finis mortis Christi, placare Deum generi humano, qui est finis veri sacrificii, Coloss. I. *Pacificans per sanguinem crucis etc.* (4) et idem clamant omnes Scripturæ. Quare omnia sacrificia legis veteris, figuræ erant, ac typi hujus verissimi, et summe pro-

(1) Psal. CIX, 4. — (2) Isai. LIII, 7 ; Joan. X, 17 ; XVII, 19. — (3) Joan. XIII, 1 ; Hebr. XIII, 11. — (4) Coloss. I, 20.

pitiatorii sacrificii, ut Augustinus testatur lib. i. contra adv. leg. et prophet. c. 18. et alibi. Finis autem proprius mortis Martyrum, non erat Deum placare, sed testimonium veritati præbere; et ex genere suo mors Martyris actus est fortitudinis, quia magis eligit vitam perdere, quam fidem negare. Quare S. Leo epist. 83. supra citata. « Quamvis, inquit, in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen infantis occisio propitiatio fuit mundi. Accepere justii, non dedere coronas; et de fortitudine fidelium exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ; singulares quippe in singulis mortes fuere, nec alterius quisquam debitum suo sine persolvit » Ac de definitione hactenus.

## CAPUT IV.

### *De partitione sacrificii*

Nunc de partitione pauca dicenda sunt. Sacrificium igitur proprie dictum, duobus modis dividi solet, ratione materiæ, et ratione formæ et finis. Rationæ materiæ dividitur in tria genera, in victimas, seu hostias, immolationes, et libamenta. Victimæ, seu hostiæ dicuntur sacrificia ex animantibus, videlicet ovibus, capris, bobus, columbis, passeribus, et turturibus: nec enim ulla alia animalia sacrificari poterant. Et quamvis hæc nomina generalia sint, tamen apud Latinos derivata sunt ab iis sacrificiis, quæ offerebantur post victoriam de hostibus reportatam. Victima enim a victoria, et hostia ab hostibus dicta est, juxta illud Ovid. lib. i. Fastorum:

Victima quæ cecidit dextra victrix vocatur  
Hostibus a victis hostia nomen habet.

Immolationes dicuntur sacrificia ex rebus inaninis, sed solidis, ut ex farina, pane, sale, thure: dicebantur autem immolationes a mola, sive a molendo. Quamvis deinde vocabulum immolandi ad omne genus sacrificii derivatum sit: nam et in Scripturis sanctis, et in profanis auctoribus sacrificare, et immolare pro eodem accipiuntur. Libamenta dicuntur sacrificia rerum liquidarum, ut vini, et aquæ.

Ratione formæ, et finis dividitur in tria genera, in holocausta, hostias pro peccato, hostias pacificas. Holocausta offerebantur proprie in reverentiam diviniæ Majestatis, et ideo

tota cremabantur, ut resoluta in vaporem tota sursum ascenderent, in signum quod quidquid habemus, Dei est. Hostiæ pro peccato dicebantur eæ, quæ offerebantur pro expiatione peccati; et hæc partim cremabantur, partim a sacerdotibus in ipso atrio sancto manducabantur. Erant autem multa genera hostiarum pro peccato, nam et variabantur pro varietate peccati, et pro varietate personarum. Aliud enim offerebatur pro perjurio, aliud pro aliis peccatis; et similiter aliud pro Pontifice, aliud pro Rege, aliud pro Synagoga, aliud pro privatis hominibus. Hostiæ pacificæ partim cremabantur, partim manducabantur a sacerdotibus, partim ab iis, qui donaverant. Erant autem duæ species pacificorum: quædam enim offerebantur pro beneficio accepto: quædam pro beneficio accipiendo, quæ in hoc solum differebant a superioribus, quod istæ poterant etiam in crastino manducari, illæ autem debebant consumi ipso die sacrificii.

Ex quo recte colligit S. Thomas 1. 2. quæst. cii. art. 3., ubi de tota hac materia egregie disputat, præstantissimum sacrificium fuisse holocaustum, secundum locum dignitatis obtinuisse sacrificium pro peccato, tertium sacrificium pacificum pro beneficio accepto, postremum sacrificium pacificum pro beneficio accipiendo. Maxime enim obligamur Deo honorem deferre ob ipsius infinitam majestatem; deinde secundo ob offensam in ipsum commissam, tertio ob acceptum jam beneficium, postremo propter sperata beneficia.

Colligit secundo tribus illis generibus sacrificiorum significari tres fidelium status. Nam holocaustum significat statum perfectorum qui totos se Dei obsequio dedicant. Sacrificium pacificum, statum proficientium, qui Deo gratias agunt pro accepta justificatione peccatorum, et petunt perseverantiam in bono: et ideo ejus sacrificii fiunt tres partes, una crematur Deo, altera manducatur a sacerdote, tertia ab offerente; quia perseverantia in bono acquiritur gratia Dei, ministerio sacerdotum, et merito etiam proprio operum bonorum. Denique sacrificium pro peccato, significat statum incipientium, seu penitentium, qui quærent a Deo veniam peccatorum. Et quia justificatio a peccatis non potest acquiri propriis meritis, sed sola Dei gratia per ministerium sacerdotum: ideoque ejus sacrificii una pars Deo offertur, altera sacerdoti, nulla ipsi offerenti cedit.

## CAPUT V.

*Explicatur status controversiæ, et sententiæ referuntur Catholicorum et hæreticorum.*

Explicatis vocibus Missæ, et sacrificii, sequitur ut ipsa quæstio explicetur: Utrum Missa sit sacrificium. Porro quæstio principalis eum hæreticis hujus temporis, non est de sacrificio spirituali, aut improprio. Fatentur enim Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, et Martinus Kemnitius in Examine Tridentini Concilii, et Brentius in Confessione Wirtembergensi, et alii, Missam, sive sacram cœnam multis modis sacrificium dici posse: sed de sacrificio externo visibili, vere, ac proprie dicto, ac potissimum de ipso genere sacrificii proprie dicti, id est, de oblatione visibili Deo facta ministerio sacerdotum.

Itaque status controversiæ hic erit: Utrum in Missa, sive in actione cœnæ Domini, si rite celebretur, Eucharistia Deo offerri debeat. Hunc esse verum statum quæstionis, facile probari potest ex testimoniis adversariorum, et nostris. Ac primum formulæ ab ipsis editæ, cœnæ Domini celebrandæ, satis aperte indicunt quid in nostra Missa illis displiceat.

Formula Missæ pro Ecclesia Wirtembergensi a Luthero edita anno 1523. admittit primo, Introitum cum Psalmo. Secundo, Kyrie eleison cum hymno Angelico: *Gloria in excelsis Deo*. Tertio, Collectam, seu orationem cum lectione sequente. Quarto, Graduale cum Alleluia. Quinto, Prosas, seu Sequentias quasdam paucas, ut de Spiritu Sancto, et de Natali Domini. Sexto, Evangelium. Septimo, Symbolum. Deinde ita subjungit: Octavo. « sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in Missa præcessit: unde et Offertorium vocatur; et ab hinc omnia fere sonant, ac olent oblationes ». Et infra: « Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonant eum universo Canone, retineamus, quæ pura et sancta sunt. » Hæc ille, qui Deinde brevissime præscribit consecrationem Eucharistiæ prolatis verbis Domini, et Communionem.

Formula Calvinii Sacramentorum ministrorum pro Ecclesia Genevensi, et omnes

aliæ, quas videre potui, diligentissime cavent, ne ulla fiat mentio oblationis.

Præterea Lutherus in omnibus libris, quos multos de hac ipsa quæstione scripsit, id unum agit, ut doceat in actione cœnæ, seu Missa, nihil nos Deo offerre præter orationes, sed contra potius offerri nobis a Deo Sacramentum Eucharistiæ in testimonium promissionis. Anno 1520, libellum edidit de captivitate Babylonica ubi cap. de Eucharistia prope finem capituli, hoc fuscè tractat. Anno 1521, edidit librum de abroganda Missa privata, ubi illud idem fusius, et furiosius agit. Anno 1522, librum edidit contra Regem Angliæ, in quo idem repetit. Anno 1523, edidit librum contra Canonem Missæ. Anno 1527, in libro de verbis Cœnæ contra Zwinglianos idem habet. Similiter in confessione sua, quam edidit anno 1528. supra omnes abominationes dicit se habere Missam, et nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Missas celebraverit more Catholicorum. Anno 1534, librum edidit de Missa privata, et unctione sacerdotum: in quo non erubuit confiteri se a diabolo edoctum, et persuasum Missam esse summam abominationem, idque non per somnum, et quietem, sed palam dum vigilaret.

Idipsum docent omnes hujus temporis hæretici. Nam et Philippus Melancthon in locis, tit. de sacrificio, et Joannes Brentius in Confessione Wirtembergensi, cap. de Eucharistia, et Matthias Illyricus in Apologia pro Confessione Antuerpiensi, cap. 15. et Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis Concilii Tridentini. Et Joannes Calvinus lib. iv. institut. cap. 18. §. 1. et 2. et sequentibus, et Petrus Martyr in comment. cap. iv. et x. prioris ad Corinth. et Theodorus Beza in sua confessione cap. vii. §. 3. et alii negant Eucharistiam Deo offerri posse, aut debere.

E contrario vero Catholici scriptores, qui hoc nostro sæculo de sacrificio Missæ scripserunt, omnes in eo potissimum laborant, ut ostendant, in Missa offerri Deo vere ac proprie corpus, ac sanguinem Domini, sub specie visibili panis et vini. Vide Joannem Eckium in tribus libris de sacrificio Missæ, Jodocum Clitoveum, in propugnaculo Ecclesiæ lib. 1, Gasparem Schatzgerum, tract. de Missa; Joannem Fabrum lib. ii. iv. et v. de Missa et Eucharistia; Joannem Roffensem in lib. de visibili sacerdotio Cajetanum tract. de sacrificio Missæ, qui est tract. 10. tomi iii. Martinum Peresium in lib. de traditionibus

par. 3. consideart. 4. Joannem Driedonem lib. iv. de Scripturis et dogmatibus Ecclesiast. cap. 5. par. 4. Ambrosium Catharinum in lib. de veritate incruenti sacrificii novi et æterni Testamenti; Dominicum a Soto in iv. sentent. distinct. 13. quæst. 2. Jodocum Tiletanum in Apologia pro Concilio Tridentino contra Kemnitium; Ruardum Tapperum in explicatione art. 16. Lovaniensium; Albertum Pighium lib. ii. hierarch. Ecclesiast. cap. 5. et controvers. 5. et 6. Antonium Democharem in lib. quatuor de sacrificio Missæ; Alphonsum de Castro in lib. x. contra hæres. verbo Missa; Gasparem Casalium in libris tribus de sacrificia Missæ; Hosium Cardinalem in Confessione Polonica cap. 41. Wilhelmum Lindanum lib. iv. Panopliæ cap. 37. et sequentibus; Melchiorum Canum lib. xii de locis Theologicis, cap. 13; Wilhelmum Alanum lib. ii de Eucharistia; Gregorium de Valentia in tract. et Apologia de sacrificio Missæ.

Ex his colligimus Philippum, et Kemnitium perperam exposuisse statum hujus quæstionis. Philippus enim tum in locis tit. de sacrificio, tum in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Missa, quia nec bene definit, nec bene dividit sacrificium, totam controversiam in eo ponit, utrum in Missa offeratur sacrificium propitiatorium. Sed alia est controversia prior, utrum vere, ac proprie sacrificium offeratur: possunt enim verissima sacrificia esse, quæ tamen non sint propitiatoria, ut supra ostendimus.

Kemnitius autem non modo imperite, sed etiã invereunde, et impudenter in 2. par. Examinis pagina 739. 744. 761. 766. et 777. asserit, statum quæstionis esse utrum illa repræsentatio per varios gestus, et vestes, quæ in Missa Catholicorum cernitur, fit sacrificium a Christo institutum. Et in postremo loco a nobis notato dicere audet: Panopliam illam verborum, rituum, gestuum, actuum, ornamentorum, vestium, quæ postea accessit ad simplicem Christi institutionem, esse ipsos nervos, et substantiam Missæ Pontificiæ: cum tamen nullus Catholicorum id unquam scripserit; omnes enim summo consensu docent, ista omnia quæ accesserunt ad Christi institutionem, esse accidentaria ornamenta. Quod autem ille objicit ex lib. Ekii, jam supra in 1. cap. refutatum est.

## CAPUT VI.

*In Missa verum sacrificium offerri, probatur ex primo testimonio Scripturæ, et ex sacerdotio Melchisedech.*

Nunc tandem ad argumenta pro veritate veniendum est. Ac primum afferemus testimonia Scripturarum. Tum veterum Patrum. Postremo rationes. Ac ex divinis literis primum locum obtinebunt, figuræ Testamenti veteris. Secundum, vaticinia Prophetarum. Tertium, testimonia ex Evangelio. Quartum, ex Actis Apostolorum. Quintum, ex epistolis B. Pauli.

Primum igitur testimonium Scripturæ sit illud Genes. xiv: *Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi* (1). Hunc locum ad Christum ita referunt David Psal. cix. et Paulus Hebr. vii. ut non dicant Melchisedechum figuram tantum Christi gessisse, quod enim de Aaron dici potuisset, sed Christum sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaronis, ut aperte scribit Paulus.

Porro differentiæ duæ sunt inter duo illa sacerdotia, ex quibus duo argumenta peti possunt. Prima et potissima differentia posita est in externa specie sacrificii. Nam etiamsi omnia sacrificia veterum conveniebant in re significata, cum eundem Christum crucifixum significarent: tamen in signis diversa erant: Sacrificia enim Aaronica cruenta erant, et sub specie animantium occisorum, Christi mortem repræsentabant: Melchisedechi sacrificium incruentum fuit, et sub specie panis, et vini ejusdem Christi corpus, et sanguinem figuravit. Quare si Christus sacerdos est secundum ordinem Melchisedech, et non Aaronis, sacrificium instituere debuit incruentum, et sub specie panis et vini, ut Ecclesia Catholica recte canit in vespere festi corporis Domini: « Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit. » Quod si ex vi sacerdotii secundum ordinem Melchisedech non certo colligeretur, ut certo colligitur, Christum sacrificare debuisse hostiam in specie panis et

(1) Gen. XIV, 18.

vini; id tamen colligeretur ex vi typi et figuræ. Fuit enim Melchisedech in illa cæremonia panis et vini, figura manifestissima, consensu Patrum, quem paulo post afferimus, Christi Sacramentum Eucharistiæ instituentis in pane et vino. Sed Melchisedech panem et vinum obtulit, ut sacerdos Dei altissimi, ac proinde vere sacrificavit. Igitur, et Christus in institutione Eucharistiæ, ut sacerdos egit, et vere sacrificavit, alioqui non exacte figuram illam implevisset.

Est etiam alia differentia inter sacerdotium Melchisedechi et Aaronis; quod illud fuit unius tantum hominis, qui nec successit alteri, et cui non successit alter; istud autem fuit multorum, qui per mortem sibi invicem succedebant. Quam differentiam Apostolus persequitur Hebr. vii. ubi dicit Melchisedechum fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habentem: et illa omnia ad Christum applicans dicit eum esse sacerdotem in æternum, qui nimirum nullis successerit, et cui nullus debeat succedere, cum semper vivat, et cum juraverit Deus, sacerdotium ipsius non esse mutandum, aut transferendum, in aliud, ut sacerdotio Levitico contigit. Id enim Paulus probat ex illis verbis Psal. cix: *Juravit Dominus, et non penitebit eum, tu es sacerdos in æternum etc.* (1). Quod si sacerdotium Christi durat usque ad mundi consummationem (id enim Scriptura æternum vocat hoc loco, ut exponunt Anselmus et Theophilactus in cap. v ad Hebr.) certe, et sacrificii ritus durare debet; nisi forte otiosum habet Christus sacerdotium. At sacrificium crucis semel tantum peractum est, nec repeti amplius potest, cum Christus mori jam nequeat: ergo aliud sacrificium esse oportet, quod jugiter offeratur; nec enim sacerdos dici potest, qui nullum habet sacrificium quod offerat. Admittere igitur necesse est in Ecclesia veram sacrificandi actionem, quæ Christo summo sacerdoti per ministros suos tribuatur: qualis certe actio nulla erit, si Missæ sacrificium auferatur e medio.

Præterea ante Christi incarnationem, quia Christus reipsa nondum erat sacerdos (sacerdotium enim Christo convenit, ut minor est Patre, et proinde ut homo est, non ut Dens est, ut Augustinus etiam notat in Psal. cix. in illud: *Tu es sacerdos in æternum*) non poterat per se sacrificium offerre: tamen ut

etiam eo tempore sacerdos dici posset, et esset ipse unus ab initio mundi, usque ad finem summus sacerdos; eo modo quo poterat, sacrificium offerebat, nimirum per typos, et figuras. Ut enim omnia sacrificia vetera figuræ erant sacrificii crucis, et in omnibus illis victimis ipse immaculatus agnus typice maectabatur; unde in Apocal. cap. xiii. dicitur agnus occisus ab origine mundi: sic omnes illi sacerdotes, typi quidam Christi erant, et in omnibus sacrificantibus, ipse sacrificabat. Quo si propter sacerdotii æternitatem, Christus etiam ante Incarnationem eo modo, quo poterat, sacerdotio fungebatur, quanto magis post Incarnationem, quando reipsa a Patre sacerdos appellatus est, et sacerdos sine successore, non debet usque ad mundi consummationem ab officio sacrificandi cessare? quorsum enim sacerdotium illius manet, si nunquam deinceps sacrificare debet?

Ad hæc argumenta adversarii respondere conantur. Siquidem Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. §. 2. et Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 740. et 747. et alii in expositione, quam vocant, Ecclesiasticam in genesim, et Petrus Martyr in cap. v. 1, ad Cor. admittunt Melchisedech sacerdotem fuisse, et Christi typum gessisse; sed negant panem et vinum ab eo in sacrificium Deo fuisse oblatum. Et inde colligunt, sacerdotium Christi non consistere in oblatione panis et vini, et tamen esse secundum ordinem Melchisedech: æternitatem quoque ejusdem sacerdotii Christi, non in eo positam esse, quod usque ad mundi consummationem in Ecclesia sacrificium in specie panis, et vini Domino offeratur.

Quam solutionem ut accurate refellamus, nos primo expendemus textum Geneseos. Secundo adducemus consensum Patrum, qui diserte scribunt Melchisedech obtulisse Deo panem et vinum, et in eo ponunt æternitatem sacerdotii Christi, et similitudinem ad sacerdotium Melchisedech, quod in Ecclesia sacrificium offeratur in specie panis et vini. Tertio refellemus quæ ipsi contra objiciunt.

Quod ad primum attinet, hæc sunt verba Scripturæ in editione vulgata: « At vero Melchisedech Rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei etc. » Genes. xiv. Hic primum

(1) Psal. CIX. 4.

queritur Kemnitius in vulgata editione legi : *Melchisedech obtulit panem et vinum*, et addit editionem Hebræam, Chaldæam, et Græcam non habere verbum saerificatorium, *obtulit*, sed verbum quod simpliciter significat educere, vel depromere, nimirum, *protulit*, quomodo etiam legisse Cyprianum. At nos verius querimur de Kemnitio, quod tam aperte de nostra editione mentiatur. Nec enim in ulla editione Latina legi unquam, *obtulit*, sed constanter video omnes habere *proferens*. Quod tamen verbum licet ex se nihil aliud significet, nisi proferre, seu adducere, tamen pro loci exigentia sæpe usurpatur pro adductione hostiæ ad immolationem, ut Jud. vi. ubi bis habetur idem verbum *הוציא*, quod hoc loco in Genesi cernimus, et aperte significat adductionem hostiæ.

Quod enim videmus in verbo *הביא*, quod proprie adducere significat, et tamen passim in Scriptura restringitur ad saerificium, ut idem sit quod offerre, ut patet Genes. iv. ubi describitur sacrificium Cain et Abel.

Sequitur in sententia citata : *panem et vinum*. Hic Calvinus et Kemnitius contendunt panem et vinum prolata fuisse in refectionem Abrahamæ, et sociorum ejus, qui fatigati, revertebantur ex prælio. At nos non negamus data illa in cibum Abrahamæ, et sociis, sed dicimus prius fuisse Deo oblata, et consecrata, et tum data hominibus, ut de sacrificio participarent.

Nam in primis nulla erat causa cur corporalem refectionem præberet Melchisedech Abrahamæ. Nam ut Scriptura ibidem habet, rediit Abraham ex prælio eum ingenti præda, in qua etiam erant ea, quæ ad eibum pertinent, ut illie dicitur : imo in fine capitis additur, milites Abrahamæ cibum sumpsisse, antequam eis occurreret Melchisedech. Quid igitur opus erat pane et vino iis, qui spoliis abundabant, et paulo ante comederant et biberant ?

Præterea eum scriptura tot in locis describat nobis sacerdotium Melchisedech, ut distinctum ab Aaronico, et ut simillimum sacerdotio Christi, debuit profecto alicubi tradere, quale fuerit saerificium Melchisedech.

Siquidem ad saerificium ordinatur sacerdotium, et sacrificio ignorato necesse est etiam sacerdotium ignorari. Nusquam autem fit mentio saerificii, quod obtulerit Melchi-

sedech, nisi hoc loco : oportet igitur per panem et vinum, non profanos eibos, sed sanctificatos, et Deo prius oblatos intelligere.

Denique hic probatur efficacissime ex verbis sequentibus ; subjungit enim Scriptura : *Erat enim sacerdos Dei altissimi*. Quæ ratio ab ipso Spiritu sancto reddita, cur Melchisedech panem et vinum protulerit, omnino cogit, ut intelligamus panem, et vinum prolata fuisse ad saerificium.

Sed occurrit Kemnitius, et rursus editionem Latinam aceusat, quod posuerit particulam eausalem pro eonjunctiva ; non enim in Hebræo est כִּי causalis, sed ו conjunctiva. Quare sic ipse vertit, Calvinum secutus : *Erat autem sacerdos Dei altissimi, et benedixit ei etc.* Et sic distinguit actiones ipsius Melchisedech regis, et sacerdotis, ut adductio panis, et vini ad munificentiam regis pertineat, benedictio autem ad sacerdotium. At frustra Kemnitius vulgatam editionem lacerat. Licet enim ad verbum non sit in Hebræo : *Erat enim sacerdos*, sed : Et erat sacerdos : tamen illa particula conjunctiva apud Hebræos frequentissime locum obtinet eausalis, et verti debet per, *enim*, si sententia eleganter Latina phrasi exprimenda sit, quod S. Hieronymus facere solet. Exempla sunt ad manus Genes. xx. *En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum*. In Hebræo erat *והיא פעלה בעל* et *ipsa habet virum*. Genes. xxx. *Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus*. In Hebræo est copulativa : *Experimento didici, et benedixit mihi Dominus*. Isai. lxiv. *Tu iratus es, et peccavimus* (1), id est : Tu iratus es, quia peccavimus ; ubi apertissime ponitur ו pro כִּי, copulativa pro eausali.

Deinde perturbant adversarii totam distinctionem orationis, ut ad suam sententiam verba Scripturæ accommodent ; quod si liceret, possemus totam Scripturam perperam interpretari. Nam in Hebræo eodie, post illa verba : *Et erat sacerdos Dei altissimi*, invenitur accentus, quem Hebræi vocant *soph pasueh*, qui indicat ibi terminari periodum. Quare non potest illud : *Et erat sacerdos*, eonjungi cum sequentibus, et *benedixit*, sed debet superioribus illis annecti : *Protulit panem et vinum*. Eandem quoque distinctionem invenimus in Chaldæo, et Græco, et Latino textu. Posita autem hæc vera, et com-

(1) Gen. XX, 3; XXX, 27; Isai. LXIV, 5.

muni interpunctione, et distinctione orationis : etiamsi nulla adesset causalis particula, per se clamaret oratio, panem et vinum prolata fuisse ad sacrificium. Quorsum enim cum illis verbis : *Protulit panem et vinum*, conjungerentur illa : *Et erat sacerdos Dei*, nisi ut intelligeremus panem, et vinum a Melchisedech sacerdote prolatum, ut offerretur Deo ?

Præterea non recte adversarii dicunt, Melchisedech ut sacerdotem, benedixisse Abrahamæ, et proinde male ita interpretantur Scripturam, cum sic reddunt : *Erat sacerdos, et benedixit ei*, vel (ut habet Calvinus) *Cum sacerdos esset Dei, benedixit Abrahamæ*. Nam etiam Abraham sacerdos erat, ut patet ex plurimis sacrificiis, quæ obtulit : non igitur Melchisedech ut sacerdos, vel quia sacerdos erat, benedixit Abrahamæ, sed quia major sacerdos, vel quia absolute major erat, cum et rex, et sacerdos esset. Non enim est solius sacerdotis benedicere ; sed omnis majoris. Nam Salomon rex, qui sacerdos non erat, benedixit populo III Regum VIII. et idem fecit David, II Reg. VI. et antea idem fecerat Josue cap. VIII. et XXII. cum nec ipse sacerdos esset, sed princeps politicus. Et Jacob Gen. XLVIII. precatur Angelum, ut benedicat filiis Joseph. Quare B. Paulus Hebr. VI. ex eo, quod Melchisedech benedixit Abrahamæ, non colligit, ut secundum Calvinum, et Kemnitium debuisset, Melchisedech sacerdotem fuisse, sed Abrahamo majorem fuisse : minor enim, ut ipse ibidem dicit, sine controversia a majore benedicitur.

Accedat nunc, ut ad secundum veniamus, consensus veterum Patrum, qui certe vel solus sufficere deberet, ut confunderet novorum istorum interpretum temeritatem. Ac primum tota Ecclesia in Canone Missæ id testatur, cum ait : « Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahamæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam ». Cujus partis Canonis meminit expresse Ambrosius lib. IV. de Sacramentis cap. VI. ex quo perspicuum est, esse antiquissimam, et publicam totius Ecclesiæ istam sententiam.

Sed præterea adducemus testimonia singulorum Patrum Græcorum, et Latinorum ordine temporis. Clemens Alexandrinus lib. IV. Stromatum, non procul a fine : « Melchi-

sedech, inquit, rex Salem sacerdos Dei altissimi, qui vinum, et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ ». Observa hoc loco, panem non profanum in refectionem ventris, ut adversarii volunt, sed sanctificatum datum esse a Melchisedech. Adhæc vides panem, et vinum dari a Melchisedech, ut sacerdote Dei altissimi, proinde oblatum antea fuisse Deo, et eo modo sanctificatum. Denique panem, et vinum sacerdotis Melchisedech typum esse Eucharistiæ : ex quo sequitur, sacerdotium Christi ideo vocari secundum ordinem Melchisedech, quia in specie panis, et vini consistit.

S. Cyprianus lib. II. epistol. 3. ad Cæciliam, postquam illa verba Psalmi citaverat : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ita subjungit : « Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi, fuit, quod panem, et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam dominus noster Jesus Christus ? qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus, et sanguinem ? » Hic perspicue vides, Melchisedech obtulisse Deo panem, et vinum in sacrificium, et propter hujus sacrificii imitationem, sacerdotium Christi, et Christianorum, vocari secundum ordinem Melchisedech. Idem Cyprianus, vel quicumque fuit auctor, in serm. de coena Domini, non procul ab initio : « Significata, inquit, olim a tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, et filiis Abrahamæ facientibus opera ejus summus Sacerdos panem profert, et vinum : Hoc est, inquit, corpus meum. » Et infra idem auctor æternitatem sacerdotii Christi ponit in eo, quod jugiter sacrificium Eucharistiæ offertur : « Perpetuus, inquit, est hoc sacrificium, et semper permanens holocaustum. » Et superius dixerat interituras esse religionem, si corpus Domini in Eucharistia manducando consumeretur, quia nulla superesset victima, sine qua religio esse non potest.

Eusebius Cæsariensis in V. lib. demonstr. Evangel. cap. 3. « Et sane, inquit, oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Jesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam



quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus; sed vino solo et pane, dum ipsi Abraham benedixit: ita sane primus ipse Salvator, ac Dominus noster, deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane corporis illius, et salutaris sanguinis mysteria representant; quæ sane mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat. » Et hic videtur Melchisedech in sacrificio solo pane, et vino usum: et tum Christum, tum ejus Ministros toto orbe terrarum in specie panis et vini sacrificium offerre, et hoc modo perpetuari, (ut sic loquar) sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech.

S. Ambrosius lib. v. de Sacrament. cap. I: « Cognovimus, inquit, Sacramentorum istorum figuram Abraham temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium S. Melchisedech. » Et infra: « Diximus quod in altari constituatur calix et panis; in calice mittitur vinum: et quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem, et vinum obtulit? quid sibi vult admixtio aquæ? » Vide similia lib. iv. de Sacrament. cap. 3. et 6. et de initiandis myster. cap. 8. Idem seu quicumque fuit auctor, in cap. v. ad Hebr. exponens illud: *Tu es sacerdos in æternum, etc.* « Constat, inquit, pecudum victimas periisse, quæ fuerunt in ordine Aaron: sed manere Melchisedech institutum, quod toto orbe terrarum in Sacramentorum erogatione celebratur. »

S. Epiphanius hæres. 55. quæ est Melchisedechianorum, docet sacerdotium Aaronicum translatum esse per Christum ad sacerdotium Melchisedech: « Quod sane, inquit, nunc viget in Ecclesia a Christo et hucusque, dum non amplius semen secundum successionem eligitur, sed forma juxta virtutem quaeritur. »

S. Hieronymus in epist. ad Marcellam ut migret Bethlehem: « Recurre, inquit, ad Genesim et Melchisedech regem Salem, hujus principem invenies civitatis, qui jam tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium Christianum in Salvatoris sanguine et corpore dedicavit. » Et in epist. ad Evagrium de Melchisedech, scribit ex sententia antiquissimorum Patrum, Irenæi, Hippolythi, Eusebii tum Cæsariensis, tum

Emisseni, Apollinarii, et Eustachii, ordinem Melchisedech in eo consistere, quod ipse non immolaverit cruentas victimas, sed pane, et vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicaverit Sacramentum. Idem in quaestionibus in Genesim, explicans cap. 14.: « Mysterium, inquit, nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis sed oblato pane et vino, id est, corpore et sanguine Domini Jesu. » Idem in commentario Matth. 22. in fine dicit, Melchisedechum pro Abrahamo obtulisse panem et vinum, et cap. 26. dicit Melchisedechum sacerdotem Dei summi panem, et vinum offerendo præfigurasse mysterium Eucharistiæ.

S. Joannes Chrysostomus hom. 35. in Genes.: « Videns typum, inquit, cogita, oro, et veritatem. » Et hom. 36. « Postquam, inquit, et Melchisedech rex Salem panem, et vinum attulit (erat enim sacerdos Dei altissimi), ab illo Abraham accepit oblata. »

S. Augustinus epist. 95. ad Innocentium Papam, quam scribit nomine suo, et aliorum multorum Episcoporum: « Melchisedech, inquit, prolato Sacramento mensæ Dominicæ novit æternum ejus sacerdotium figurare. » Hic apertissimis, et paucissimis verbis Augustinus docet oblationem Melchisedech figuram fuisse Eucharistiæ, et in Eucharistia offerenda consistere æternitatem sacerdotii Christi. Et lib. xvi. de Civitate Dei cap. 22. loquens de oblatione Melchisedech: « Ibi, inquit, primum apparuit sacrificium, quod nunc a Christianis offertur Deo, toto orbe terrarum etc. » Et lib. xvii. cap. 17. et lib. xviii. cap. 35. et in Ps. cix. clarissime dicit, sacerdotium Christi perpetuum secundum ordinem Melchisedech esse, id quod nunc in Ecclesia viget in oblatione, quæ ad altare fit. Quod idem fusius persequitur in lib. i. contra advers. leg. et prophet. cap. 20 ubi inter alia sic loquitur: « Ibi, quippe, et hoc dictum est: *Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Noverunt qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham; et jam sunt participes ejus: vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem juratio, incredulorum est increpatio; et quod Deum non poenitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit, mutavit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. » Denique serm. 41. de sanctis, qui est quar-

tus de innocentibus, tractans de reliquiis Martyrum, quæ sub altaribus requiescunt : « Quid reverentius, inquit, quid honorabilius dici potest, quam sub illa ara requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in qua offeruntur hostiæ, in qua Dominus est sacerdos, sicut scriptum est : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech ? »

Theodoretus in commentar. Psal. cix. « Invenimus, inquit, Melchisedech sacerdotem, et Regem esse, et offerentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem et vinum. » Et infra : Sacerdos nunc et Christus non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum, qui offerunt, quandoquidem corpus suum Ecclesiam vocat ». Et supra jam dixerat Christum exorsum esse sacerdotium secundum ordinem Melchisedech in cœna novissima, quando panem, et vinum consecravit. Vide eundem quæst. 63. in Genes.

S. Leo I, serm. 2. de anniversario assumptionis suæ ad Pontificatum : « Tu es, inquit, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hoc est, non secundum ordinem Aaron, cujus sacerdotium per propagationem sui seminis currens temporalis ministerii fuit, et cum veteris Testamenti lege cessavit : sed secundum ordinem Melchisedech, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cum hujus divini sacerdotii Sacramentum etiam ad humanas pervenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro et sanguis creavit, eligitur ; sed cessante privilegio Patrum, et familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparavit. »

Eusebius Emissemus, sen quicumque fuit auctor, serm. 5. de Paschate : « Melchisedech, inquit, oblatione panis, et vini hoc (nimirum quod in Eucharistia celebratur) Christi sacrificium figuravit. » Et antea dixerat, perpetuam esse futuram in Ecclesia hanc oblationem.

Arnobius in Psal. cix. « Christus, inquit, per mysterium panis, et vini factus est sacerdos in æternum. »

Eucherius lib. II. cap. 18. in Genes. : « Melchisedech, inquit, sacerdos Dei summi, panem, et vinum in sacrificium offerens ». Et infra : « Sine aliqua sacerdotali genealogia, Christus homo exitit ex hominibus, utpote non ex tribu levi, sed ex tribu Juda ; ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit

utique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, ut non secundum Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis et vini, id est, corporis et sanguinis ejus Sacramentum in sacrificium offeramus. »

Primasius in comment. cap. 5. epistol. ad Hebr. : « Quare secundum ordinem Melchisedech, et non secundum ordinem Aaron, dicatur existere sacerdos, diversæ causæ existunt : et prima quidem est, quia Melchisedech secundum legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundum ejusdam singularis sacerdotii dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium sanguinem : in cujus ordine sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus ; nec offerens victimas legales, sed instar illius panem et vinum, carnem videlicet, et sanguinem suum. » Et infra : « Unde patet sacrificium pecudum periisse, quod fuit ordinis Aaron et illud manere potius, quod fuit ordinis Melchisedech, quia Christus corroboravit, et Ecclesiam tenere docuit. »

Cassiodorus in Psal. cix. « Quem ordinem, inquit, Melchisedech per Mysticam similitudinem justissimus Rex instituit, quando Domino panis, et vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas periisse, quæ fuerunt ordinis Aaron, et Melchisedech manere potius institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur. »

Remigius Antisiodorensis, et Euthymius Zigabenus in eundem Psal. cix. non dissimilia scribunt.

Joannes Damascenus lib. IV. de fide cap. 14 : « Mensa illa (Melchisedech) mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum et sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, et imaginem præ se ferebat. »

Œcumenius in comment. cap. V. epistol. ad Hebr. : « Melchisedech, inquit, fuit primus, qui hostiam sine sanguine, panem, inquam, et vinum obtulit. » Et infra : « Non ad ipsum, inquit, tantum, quæ a Deo semel facta est, hostiam et oblationem dixit, in æternum : sed ad nostri temporis sacerdotes inspiciens, per quos Christus, et sacrificat, et sacrificatur, quique eis in mystico illo convivio, ac cœna sacerdotii hujus tradidit formulam. »

Theophylactus in cap. V. ad Hebr. explicans illud : « Tu es Sacerdos in æternum, etc. : » Apertissime, inquit, de Christo dictum id esse constat. Hic enim et solus Melchisedech, in mortem illius pane et vino sacrifi-

cabat ». Et infra : « In æternum dixit, quia quotidie offertur, in perpetuum offertur per Dei ministros oblatio, Christum Dominum, et Pontificem habens, et sacrificium, qui seipsum nostri ob gratiam sanctificat, frangit, et tribuit ».

Anselmus in cap. v. ad Hebr. : « Tu es sacerdos, inquit, id est, sacra dans per te, et per tuos, in æternum, id est, quandiu durabit sæculum, quia non transibit sacerdotium Christi, ut aliud succedat, sicut transivit Leviticum ».

Ad hæc testimonia, quæ mirum est si non sufficiant ad novorum istorum hominum audaciam comprimendam, accedant etiam testimonia veterum Hebræorum, quæ recitantur in Berescit Rabba. Nam inter alia habentur hæc verba R. Samuel in cap. xiv. Genes. : « Actus sacerdotii tradidit : erat enim ipse sacrificans panem, et vinum Deo sancto, et benedicto ». Ibidem R. Phinees in cap. xxviii. Num. : « Tempore Messiae omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis, et vini non cessabit, sic dictum est Genes. xiv. *Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum.* Melchisedech enim, id est, Rex Messias excipiet a cessatione sacrificiorum sacrificium panis et vini, sicut dicitur Psam. cx. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* »

Superest, ut videamus quid adversarii contra nostrum argumentum, et pro sua solutione objiciant. Primo igitur Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. § 2. objicit sic : « Perperam trahunt ad panem et vinum illa verba : Et erat sacerdos Dei altissimi ; quæ Paulus ad benedictionem refert. Nam Hebr. vii, colligit ejus præstantiam, quia minor benedicatur a majore. »

Respondeo : Falsum est illa verba : *Et erat sacerdos Dei altissimi*, a Paulo ad benedictionem referri : illa enim verba Paulus ne citat quidem, sed solum breviter, et verbis suis scribit, Melchisedech regem Salem sacerdotem Dei summi occurrisse Abrahamæ revertenti a cæde regum, eique benedixisse ; quæ verissima sunt, sed non inde sequitur, illa verba : *Et erat sacerdos Dei altissimi*, in textu Mosis conjungenda esse cum sequentibus : *Et benedixit* ; et non potius cum præcedentibus : *Protulit panem et vinum.* Quod autem Apostolus subjicit, minorem a majore benedici, non probat Melchisedech sacerdotem Dei fuisse, sed sacerdotem Abrahamo majorem, ut nos supra deduximus.

Secundo Calvinus ibidem objicit hoc modo : « Quod si oblatio Melchisedech sacrificii missalis figura esset, an Apostolus, obsecro, qui minima quæque excutit, rem adeo seriam, et gravem fuisset oblitus ».

Respondeo : Causa cur Apostolus non meminerit sacrificii panis et vini, primaria notissima est : quia videlicet id ad propositum ejus non faciebat. Volebat enim Apostolus ex Melchisedech ostendere Christi excellentiam supra Leviticos sacerdotes : Hebræi enim ad quos ipse scribit, valde se efferebant ob sacerdotium Aaronicum. Itaque B. Paulus adducit in medium, quod Melchisedech, secundum ejus ordinem Christus Pontifex erat, benedixerit Abrahamæ, et in eo Aaroni, et proinde major fuerit Aarone. Item quod decimas acceperit ab Abrahamo, et in eo ab Aarone, qui tunc in lumbis Abrahamæ erat, et per hoc major fuerit Aarone ; summus enim Pontifex ab inferioribus sacerdotibus decimas accipit.

Denique quod Melchisedech fuerit quodam modo æternus, cum nec ortus, nec interitus ejus in Scripturis describatur : quæ omnia ad excellentiam Christi pertinent, et ideo commemoranda fuerunt. Quod autem obtulerit panem et vinum, non perspicue ad excellentiam facit, neque Melchisedech, neque ipsius Christi, et idcirco non mirum, si fuerit omissum.

Accedit præterea quod Apostolus dedita opera omisit oblationem panis et vini, ne cogeretur explicare mysterium Eucharistiæ, quod altius erat, quam ut ab illis capi tunc posset. Sic enim ipse Paulus dicit cap. 5 : *De quo (Melchisedech) grandis nobis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.* Et sane cum Apostolus omnia plane exposuerit, quæ de Melchisedech dicuntur in Genesi, excepta oblatione panis et vini, non videtur posse negari, quin per sermonem ininterpretabilem, cui non erant idonei Hebræi, intelligi debeat mysterium Eucharistiæ.

Adde, quod veteres Græci, ut Hieronymus refert in epistola ad Evagrium, dicebant Paulum omisisse quoddam Sacramentum Melchisedech, et hoc vocasse sermonem ininterpretabilem, quia scribebat Judæis infidelibus : constat autem Sacramentum, quod non poterat infidelibus prodi, vix aliud fuisse quam Eucharistiæ.

Neque his repugnat quod Chrysostomus,

et Theopylactus in argumento hujus epistolæ volunt, eam scriptam esse Judæis fidelibus. Nam scripta fuit utrisque, vel certe ita scripta fuit fidelibus, ut ab illis communicari deberet etiam cum infidelibus: nam ideirco in magna parte epistolæ multum Apostolus laborat, ut probet Christum esse Filium Dei, et unicum orbis terræ doctorem.

Kemnitius loc. citat. pag. 750. postquam ex textu Hebræo perperam efficere conatus est, Melchisedech non obtulisse Deo sacrificium panis et vini, quæ supra refutata sunt; addit, etiamsi constaret Melchisedech obtulisse Deo sacrificium prædictum, tamen non posse inde effici, Christum obtulisse simile sacrificium. Id quod probat duplici argumento.

Primum est hujusmodi, quod erit ordine argumentorum tertium: « Ex figuris non sunt fabricanda dogmata, nisi in Scripturis figuræ clare explicentur. Porro David explicat quidem Melchisedech fuisse Christi figuram, cum dicit Psalm. cx.: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; sed non explicat in quo consistat illa similitudo inter Melchisedech, et Christum: Apostolus autem Hebr. v. et vii. explicat in quo consistat, et multa dicit, sed non attingit oblationem panis et vini. Non igitur affirmandum est Melchisedech typum Christi gessisse, cum panem, et vinum in sacrificium obtulit Deo ».

Respondeo: Ex figuris dogmata fabricari possunt, quando ex Scripturis juxta communem Patrum consensum intellectis colligitur explicatio. Non enim necesse est, ut semper Scriptura apertissime loquatur, sed satis est, si ita loquatur, ut communem Patrum interpretationem secuti, sententiam ejus assequamur: alioqui paucissima, ac ferè nulla essent dogmata certa in Ecclesia. Jam vero Scriptura in Psal. cix. vel secundum Hebr. cx. testatur Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quod idem sæpius repetit Apostolus ad Hebræos: in quo autem consistat iste ordo Melchisedech, Scriptura aperte non explicat. Paulus enim, ut diximus, non tractat quis fuerit ordo Melchisedech, sed solum ostendit excellentiam Christi supra Aaronem. Sed licet Scriptura non aperte dicat in quo consistat ordo Melchisedech, et figura sacerdotii Christi, tamen ita insinuat et indicat, ut Patres omnes summo consensu in eandem expositionem inciderint, ut supra ostendimus.

Et præterea ratio manifeste docet, eam esse veram expositionem. Nam si Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech; ergo debet in sacerdotio convenire cum Melchisedech, hoc est in eo, quod est proprium sacerdotii Melchisedech: nihil autem est proprium illius sacerdotii, nisi forma talis sacrificii. Nam quod Melchisedech benedixerit, et quod decimas acceperit, non est proprium illius sacerdotii, sed commune etiam cum sacerdotio Levitico. Quod Melchisedech non fuerit unctus oleo sensibili, nec successerit alteri, nec ei alius successerit, non est proprium Melchisedech sed commune cum Abel, et cum aliis nonnullis. Denique, quod non scribatur, ejus genealogia, et inde sit typus æternitatis sacerdotii, Christi, præterquam quod est quid extrinsecum ad sacerdotium, non est proprium Melchisedech, sed commune cum Job, Elia, et aliis, qui et sacerdotes erant, et non describitur eorum genealogia, ut Epiphanius ostendit hæres. 55. At panem, et vinum offerre est proprium Melchisedech, et ad sacerdotium maxime pertinet, cum sit proprius ejus actus. Nulla igitur dubitatio remanet de explicatione hujus figuræ; quamquam apud prudentes Christianos etiam sine hac ratiocinatione sufficere debuisset tot Patrum auctoritas, cum nullus contra proferri possit, qui id neget.

Quartum argumentum, quod est secundum Kemnitii, contra hanc ipsam solutionem pugnat. Sic igitur ille loquitur: « Typus sacerdotii Melchisedech consistit in his, quæ non communia habet cum sacerdotio Aaronico, sed in quibus discernuntur Melchisedech et Aaron. Sed sacrificium panis, et vini quotidianum fuit in sacerdotio Aaronico, Exod. xxix. Num. xxviii ».

Respondeo primum; in sacerdotio Aaronico erat quidem sacrificium panis et vini, sed ut pars quædam, et quasi condimentum alterius sacrificii; non autem ut sacrificium principale: nam in iisdem locis Scripturæ jubentur offerri agni, aut vituli, et simul cum eis simila, et libamentum. At Melchisedech, panem, et vinum per se in sacrificium obtulit. Deinde panes, qui offerebantur in sacrificio Aaronico cum animalibus, ut diximus, semper conspergebantur oleo, et ut plurimum inde fiebant lagana. At sacrificium Melchisedech erat simplex panis. Denique posset etiam dici, differentiam inter sacerdotia illa hanc fuisse, quod Aaron offe-

rebat sacrificia omnium generum, id est, tam cruenta quam incruenta. At Melchisedech utebatur solo incruento, puro, ac simplici sacrificio, ut ex Hieronymo, Eusebio, et omnibus Patribus supra citatis docuimus.

Sed contra hanc solutionem est quintum argumentum. Nam si Melchisedechi sacerdotium hoc differt ab Aaronico, quod in illo nihil cruenti sacrificabatur : sequitur Christum non posse dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi, siquidem præcipuum Christi sacrificium cruentum fuit, nimirum sacrificium crucis.

Respondeo : Sacrificium crucis, si per se consideretur, non est secundum ordinem Aaron, nec secundum ordinem Melchisedechi. Quod non sit secundum ordinem Aaron, certissimum fidelibus esse debet : nam Christus non erat sacerdos secundum ordinem Aaron, ut Apostolus aperte docet ad Hebræos VII. et patet etiam manifestissime, quia non erat de tribu Levi, sed de tribu Juda. Quomodo ergo sacerdos non secundum ordinem Aaron, sacrificium Aaronicum obtulisset? Deinde sacrificium crucis est sacrificium omnium perfectissimum, et ipso etiam sacrificio Missæ præstantius, quatenus distinguuntur. At quis ferat, ut dicatur sacrificium Aaronicum præstantius omnibus sacrificiis, et ipsa etiam Missa, quæ est secundum ordinem Melchisedechi? Præterea Apostolus ad Hebr. VII. disertis verbis docet, sacrificium Aaronicum imperfectum fuisse, nec potuisse consummare sanctificatos. At crucis sacrificium perfectissimum fuit, et consummavit in perpetuum sanctificatos, ut ibidem dicitur : non igitur sacrificium crucis ad ordinem Aaronis pertinere potest. Denique sacrificium Aaronicum duas condiciones necessario requirit : alteram ut sit cruentum, alteram ut sit typicum, seu repræsentativum. Sacrificium autem crucis, etsi cruentum fuit, tamen non fuit typicum : nec enim opus fuit typis, ubi ipsa veritas aderat.

Ex qua ratione colligitur etiam non fuisse sacrificium crucis, si per se consideretur, secundum ordinem Melchisedechi. Nam sacrificium Melchisedechi fuit typicum, sed incruentum : unde conveniebat cum Aaronico, in eo, quod utrumque erat typicum ; imo ejusdem rei typus, seu figura, id est, passionis Christi ; sed differebant in specie typorum, quod typus Aaronicus erat cruentus, et in forma animalium, Melchisedechi

autem erat incruentus, et in forma panis. Ex quo sequitur ratione sacrificii crucis Christum non esse sacerdotem, nec secundum ordinem Melchisedechi, nec secundum ordinem Aaron, quia non obtulit se in cruce sub forma panis, nec sub forma agni, aut vituli, sed sub ipsa sua humana forma. Ex quo rursum sequitur, Christum non posse dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi, ut tamen in Scripturis passim dicitur, nisi sacrificium instituerit, vel obtulerit sub forma panis : quemadmodum non potest dici sacerdos secundum ordinem Aaron, quia non instituit sacrificium sui ipsius sub forma vituli, aut agni, aut alicujus alterius typi cruenti secundum ritum Aaronicum. Nam agnum paschalem, ut dicemus, non obtulit secundum ritum Aaronicum ; neque ipse instituit, sed potius abrogavit.

Dices : Si Christus obtulit sacrificium cruentum, etiamsi non obtulerit illud juxta ordinem Melchisedechi, tamen ipsum obtulisse tale sacrificium impedit, quominus possit Christus appellari sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, cum proprium sit hujus ordinis non habere sacrificium ullum cruentum.

Respondeo : Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, non quomodocumque, sed in æternum, id est, respectu ejus sacrificii, quod in æternum duraturum, id est, perpetuo frequentandum erat, abrogatis sacrificiis legalibus : et quod erat futurum proprium sacrificium Christianæ religionis. Et quia Christus non instituit, neque obtulit sacrificium perpetuo celebrandum, et proprium religionis suæ, nisi incruentum, ideo vere ac proprie est sacerdos secundum ordinem Melchisedechi. Ubi tamen illud est observandum, quod licet Christus non fuerit sacerdos secundum ordinem Melchisedechi ratione sacrificii crucis, sed solum ratione sacrificii Eucharistiæ : tamen sacrificium crucis dici potest secundum ordinem Melchisedechi ratione ipsius sacerdotis Christi, a quo offerebatur : ipse enim absolute sacerdos erat secundum ordinem Melchisedechi. Quare Apostolus ad Hebræos V. etiam in ipsa cruce Christum sacerdotem vocat secundum ordinem Melchisedechi.

Sextum argumentum sumit Matthias Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, cap. 25. a dissimilitudine sacrificii Melchisedechi, et nostræ Missæ. Melchisedech enim, si quid obtulit, panem et vinum obtu-

lit. At in Eucharistia non manet panis, et vinum, sed sola accidentia, ut Catholici ipsi docent.

Respondeo: Sacrificium Missæ est vere secundum ordinem Melchisedech, tum quia est incruentum; id enim erat proprium sacrificii Melchisedech, tum etiam quia Missa Christum repræsentat in specie panis et vini, ut etiam illum repræsentabat sacrificium Melchisedech, atque ita in symbolo exteriore plane conveniunt. Quod autem substantia interior sit diversa, non refert, quia ut ostendimus supra, significatio, seu repræsentatio in accidentibus, non in substantia est. Adde, quod necessario substantia sacrificii Missæ, debuit esse diversa a sacrificio Melchisedech, cum illud præstantius, ac divinius esse debuerit, in quo ipsa veritas cum symbolo, quam illud, in quo solum symbolum continetur.

Septimum argumentum sumunt ex Patribus. Nam Petrus Martyr in cap. v. primæ ad Corinthios, probat Melchisedech non obtulisse Deo panem, et vinum, quia R. Salomon in cap. xiv. Genes. et Ambrosius in libris de Sacramentis, et Augustinus in quæstionibus veteris, ac novi Testamenti, dicunt a Melchisedecho panem et vinum datum esse Abrahamo. In eadem sententiam citat Kemnitius loco citato Josephum, et Chrysostomum.

Sed hæc loca nihil omnino efficiunt. Nam in primis R. Salomon non modo Hebræus est, et nullo modo conferendus cum tot sanctis Patribus, quos citavimus, sed etiam apertissimus hostis Christianæ Religionis. Præterea ipse ibidem indicat, ut etiam Petrus Martyr fatetur, oblationem illam Melchisedech significasse futurum aliquando, ut in Hierusalem offerretur sacrificium panis et vini. At quomodo sacrificium futurum significare poterat oblatio illa, si erat tantum profanum convivium, et non potius convivium sacrum, ex participatione nimirum rei Deo prius oblatae? Itaque R. Salomon, licet dicat panem, et vinum prolatum a Melchisedech in refectorem Abrahamæ et sociorum fuisse, non tamen negat, imo subindicat prius Deo fuisse oblatum. Quod apertissime docent Rabini antiquiores, ut jam ostendimus.

Sanctus Ambrosius totus est noster, ut supra demonstratum est, et ideo forsasse Petrus Martyr, ut est in huiusmodi rebus cautus, certum librum et caput noluit annotare.

Locus ex Augustino citatus, neque Augustini est, neque pro adversariis facit, sed pro nobis. Auctor enim illarum quæstionum multos habet errores, qui ab Augustino refelluntur, et in primis in illa ipsa quæstione 109. quam pro se Martyr adducit, contendit ille auctor Melchisedechum esse Spiritum sanctum, quem errorem ex professo refellit Hieronymus in epistola ad Evagrium de Melchisedech. Quod autem ille auctor, quicumque fuerit, de oblatione Melchisedech scribit, pro nobis facit contra adversarios: dicit enim Melchisedechum obtulisse Abrahamo Eucharistiam corporis, et sanguinis Domini. Ex quo intelligimus, illi auctori non fuisse commune, et profanum convivium, quod exhibuit Melchisedech Abrahamæ, sed sacrum typum Eucharistiæ, quod nunc adversarii pertinaciter negant.

Porro Josephus quem citat Kemnitius, scribit, panem illum datum Abrahamæ, quod non negamus, sed non negat prius Deo fuisse oblatum, quod nos affirmamus.

Denique Chrysostomus noster est, ut supra est demonstratum.

Octavum argumentum oppugnat alteram partem nostræ rationis, ductam ab æternitate sacerdotii secundum ordinem Melchisedech. Est autem argumentum tale: Ut Christus si sacerdos in æternum, non necesse habet quotidie per Ministros offerre; non igitur ratio illa conclusit. Antecedens probat Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 742. ubi demonstrat ex Apostolo Hebr. vii. et ix. negative, et affirmative, ut ipse loquitur, quemadmodum sit Christus, aut non sit sacerdos in æternum. Ac primum dicit non esse sacerdotem in æternum, quia sæpius offerat seipsum; id enim expresse Paulus non semel repetit. Deinde addit ob quinque causas dici Christum sacerdotem in æternum. Prima est, quia vivat in æternum. Secunda, quia virtus unice oblationis ejus in sempiternum duret, et efficax sit. Tertia, quia semper in cælo intercedat pro nobis. Quarta, quia per ipsum ut sacerdotem habeamus accessum ad Patrem. Quinta, quia in perpetuum salvare possit, et salvet qui per ipsum ad Deum accedunt.

Respondeo: Quod attinet ad partem huius argumenti negativam, cum Paulus dicit non fuisse opus, ut Christus sæpius se offerret; apertissime loquitur de cruenta oblatione, quæ sufficientissima, imo infiniti pretii, et valoris fuit: cæteræ oblationes repetebantur, et repetuntur, quia finiti sunt valoris. Quod

autem ad æternum sacerdotium Christi necesse sit, ut sæpius offerat per se, vel per suos ministros, non quidem cruenta, sed aliquo alio modo, idem Paulus docet, Hebr. VIII. ut S. Thomas in commentario præclare exponit. Cum enim Apostolus dixisset, Christum esse Pontificem, et ministrum Sanctorum, et tabernaculi, quod fixit Deus, et non homo, id est, esse Pontificem Ecclesiæ, non Synagogæ, subjungit : *Omnis Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur, unde necesse est et hunc habere aliquid, quod offerat* (1). Ubi vides Paulum per necessariam consequentiam colligere, debere Christum, si vere est Pontifex, habere aliquid quod offerat, et consequenter debere offerre, quia omnis Pontifex constituitur ad offerendum. Quare secundum Pauli sententiam, Christus non est Pontifex in æternum, nisi assidue aliquid offerat, nec satis est, quod semel cruenta obtulerit seipsum. Subjungit postea idem Apostolus, declarans victimam, quam nunc assidue Christus offert, non esse aliquid terrenum, ut oves et boves, sed aliquid cœlesti, nimirum sacratissimam Eucharistiam : *Si ergo, inquit, esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundum legem munera ; qui exemplari, et umbræ deserviunt cœlestium* (2). Quorum verborum hæc est sententia : Si hostia immolanda esset super terram, id est, si esset aliquid terrenum, et mortale, ut oves et boves etc. Christus non esset Sacerdos, quia non esset ulla necessitas novi sacerdotii, cum satis multi sine ipso secundum legem ejusmodi munera terrena assidue offerant. Deinde pergit Paulus, ac ostendit, Christum esse Pontificem melioris Testamenti, quam antiquum fuerit, ex quo sequitur offerri nunc meliores hostias, quam antiquæ illæ fuerint,

Atque hinc etiam perspicui poterit, quinque illas causas, quas attulit Kemnitius, non sufficienter ostendere, cur Christus dicatur sacerdos in æternum. Prima illa, quia vivit in æternum, non est sufficiens. Nam requiritur quidem vita æterna in eo, qui debet sacerdotium æternum habere, sed non sufficit : alioqui omnes Levitici sacerdotes post resurrectionem dicerentur sacerdotes in æternum, quia habuerunt sacerdotium, et vivent in æternum. Requiritur igitur, ut vivens fungatur sacerdotio in æternum. Quemadmodum non potest aliquis recte dici fuisse rex per

triginta annos, si nec regnaverit, nec regnare potuerit, nisi per unum diem. Id quod maxime locum habet in sententia adversariorum, qui existimant sacerdotium, seu ministerium Ecclesiasticum, esse merum officium. Denique id apertissime B. Paulus requirit, ut ostendimus, cum ait, oportere Christum, si est Pontifex, habere aliquid quod offerat. Paulus autem Hebr. VII. ubi ponit istam causam Kemnitii, cum ait : *Christus autem, eo quod maneat in æternum, perpetuum habet sacerdotium* (1) : non probat ideo solum Christum esse æternum sacerdotem, quia manet in æternum : sed probat ex eo, quod manet in æternum, posse illum perpetuo fungi sacerdotio, nec esse opus, ut quis illi succedat ; sicut in sacerdotio Levitico opus erat continua successione, quia nullus eorum poterat perpetuo ministrare, cum morte prohiberentur permanere.

Secunda causa, quod virtus oblationis crucis perpetua sit, non etiam est sufficiens. Illa enim ostendit, effectum sacrificii crucis esse perpetuum, et proinde improprie ipsum etiam sacrificium posse dici perpetuum. Proprie tamen non dicitur sacrificium æternum, quod semel factum est, nec dicitur æternum sacerdotium, cum non jugiter sacrificatur : alioqui sacerdotium, et sacrificium Noe, æterna dici possent, quia (ut colligitur ex cap. VIII. Genes.) effectus sacrificii oblatis a Noe post diluvium, semper manet, et manebit : impetravit enim, ne iterum diluvium aquæ rediret super terram. Pari ratione Christi nativitas ex matre, passio, et mors, dici possent æterna, et Christus dici posset semper nasci, pati, et mori, quia effectus horum omnium semper manet.

Tertia ratio, quod Christus in cœlo semper intercedat pro nobis, aut non probat illum esse sacerdotem, aut probat illum nunc per ministros offerre. Nam si volunt adversarii Christum intercedere per solam orationem, non habent inde illum esse proprie sacerdotem. Nam quilibet homo, quantumvis laicus, potest pro alio per orationem intercedere. Si vero contendat illum intercedere ut sacerdotem, id est, mediante oblatione victimæ ; tum necesse est Christum semper offerre ; et proinde Eucharistiam esse sacrificium, quod a Christo per ministerium humanum Deo jugiter offeratur.

Dicent, Christum offerre seipsum in cœlo,

(1) Rom. VIII, 3. — (2) Id. 4 et 5.

dum passionem suam assidue Patri repræsentat, et per eam nos reconciliat. Hoc enim videtur sentire Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. §. 2. ubi dicit, non esse amplius in terris ullum sacerdotium, cum sit translatum in cælum, Christo ibi in æternum sacerdote existente.

Respondeo : Aut volunt oblationem quæ fit in cælo, esse verum ac proprie dictum sacrificium ; aut solum improprie, et figurate. Si primum, plurima sequentur contra adversarios, et aliqua eorum etiam contra veritatem. Primo, religionem, ac legem Christianam non esse amplius in terris, sed translata esse in cælum : nam translato sacerdotio, necesse est ut etiam legis translatio fiat, Hebr. vii. Secundo, in cælo non esse nudam veritatem, sed umbras etiam, et figuras, ac cæremonias : nam omnia sacrificia proprie dicta, debent esse repræsentativa sacrificii crucis, et cæremoniæ quædam religionis. Tertio, oportebit adversarios concedere, repeti sæpius oblationem Christi, quod illi nullo modo concedere volunt. Si secundum, tum necesse erit confiteri Christi verum sacrificium in terris offerri, quod nos contendimus, aut certe Christum non esse vere, ac proprie sacerdotem, quod est absurdissimum, et contra manifestas Scripturas. Id autem sequi perspicuum est, quia non potest esse vere, ac proprie sacerdos, qui sacrificium verum, ac proprium offerre non potest.

Quarta Kemnitii ratio similis est superiori : perinde enim est Christum sacerdotem pro nobis intercedere, quæ erat tertia ratio ; et nos per sacerdotem Christum aditum habere ad Patrem, quæ erat quarta.

Quinta ratio, quod salvare in perpetuum possit, probat eum Salvatorem esse, non autem sacerdotem. Neque hæc ratio dissimilis est secundæ ac tertiæ ; proinde eodem modo refellitur. Quare non probavit Kemnitius Christum dici posse æternum Sacerdotem sine oblatione victimæ per Ecclesiæ Ministros. Est autem hoc loco addendum, nos minime negare, quin Sacerdotium Christi absolute sit futurum æternum ratione effectus, quatenus virtus oblationis ejus consummat in æternum sanctificatos, ut ex Apostolo docet S. Thomas par. 3. quæst. xxii art. 5. Et quia Christus in quo semper residet summa sacerdotalis dignitas, vere manet in

æternum, et semper Deo sacrificium laudis, et gratiarum actionis immolat : tamen ratione officii sacerdotalis proprie dicti, et juxta vaticinium Psalm. cix. Sacerdotium Christi dici existimamus æternum, non quia duraturum sit infinito tempore, sed quia nullum ei sacerdotium unquam succedet. Neque enim David solum ait, Tu es sacerdos in æternum, sed addit, secundum ordinem Melchisedech, id est, ut ex Patribus demonstravimus, Tu es Sacerdos in æternum offerens per ministros tuos in Ecclesia tua sacrificium corporis, et sanguinis tui in specie panis et vini. Sacrificium autem in specie panis et vini non durabit infinito tempore, et tamen durabit in æternum, quia semper durabit, quamdiu sacrificium proprie dictum necessarium erit, id est, usque ad mundi consummationem. Juravit enim Dominus, et non pœnitebit eum, hoc est, non mutabit unquam hoc sacerdotium cum alio sacerdotio, sicut mutavit sacerdotium secundum ordinem Aaron cum sacerdotio secundum ordinem Melchisedech.

## CAPUT VII

### *Probatur sacrificium Missæ ex figura agni paschalis.*

Alterum testimonium pro sacrificio Missæ sumitur ex lib. Exod. cap. xii, et similibus locis, ubi agitur de agno paschali. Est autem hoc argumentum : Celebratio agni paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa immolatio quædam erat victimæ Deo oblatae ; ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victimæ Deo oblatae esse debet, ut figura figurato respondeat. Quia vero aliqui, ut Kemnitius, negant propositionem, aliqui assumptionem : utraque probanda erit, ac deinde argumenta Kemnitii diluenda, quibus hanc rationem infirmare conatur.

Quod igitur celebratio agni paschalis fuerit figura celebrationis Eucharistiæ, probatur primo ex Scripturis, I Corinth. v. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus : itaque epulemur in azymis sinceritatis, et veritatis* (1). Ex hoc loco certo constituere

(1) I Cor. V, 7 et 8.



possumus, Agnum Paschalem, qui et Pascha dicitur in Evangelio, figuram immolationis Christi fuisse : quando autem fuerit impleta, non ita certo ex hoc solo loco constitui potest.

Dicent enim adversarii, Apostolum loqui de immolatione in cruce facta, et de manducatione spirituali, quæ fit per fidem. Sed nos ex Evangelio probabilius figuram illam proprie impletam fuisse in institutione, et celebratione Eucharistiæ. Nam in primis ex Evangelio constat, Apostolos ante Christi passionem manducasse carnem Christi in novissima cœna, et proinde manducasse verum Agnum Paschalem, ad cuius epulas nos hortatur Apostolus, cum ait : *Itaque epulemur in azymis sinceritatis, et veritatis*. Sed epulum sequitur immolationem : prius enim agnus immolatur, postea comeditur, non e contrario, prius comeditur, et postea immolatur. Debuit ergo præcedere immolatio Christi illam manducationem cœnæ, quam fecerunt Apostoli ante passionem Domini ; non ergo passio est immolatio de qua loquitur Paulus, sed etiam consecratio, et oblatio Eucharistiæ est immolatio per Agni Paschalis immolationem figurata.

Præterea, ut ex eodem Evangelio constat, Dominus post cæremoniam Agni Paschalis continuo subjunxit celebrationem Eucharistiæ ; neque distulit in aliud tempus, aut locum, ut aperte ostenderet se nova ista cæremonia finem imponere cæremonia veteri.

Deinde, si consideremus circumstantias utriusque celebrationis, videbimus nullam figuram a Christo manifestius impletam, quam istam. Agnus Paschalis 14 die primi mensis ad vesperam immolari debuit, Exod. XII. et fuit hæc circumstantia summe necessaria, ut ex multis locis Scripturæ probari posset : Eucharistiam Christus instituit hoc ipso tempore, ut notum est. Secundo, agnus immolabatur in memoriam transitus Domini, et liberationis populi de Ægypto : et Eucharistia celebratur in memoriam transitus Domini per passionem ex hoc mundo ad Patrem, et nostræ liberationis de potestate Satanae, que per ipsam Christi mortem facta est. Tertio, agnus immolabatur, ut manducaretur, et esset quasi viaticum peregrinorum ; nam ideo manducabatur a Judæis, habitum peregrinorum præ se fe-

rentibus cum baculis, et calceis etc. Et Eucharistia quid est aliud, nisi refectio, et viaticum peregrinantium ad veram ac cœlestem patriam ? Quarto, agnus non poterat manducari, nisi a circumcisis et mundis, et in Hierusalem ; ita Eucharistia non potest sumi, nisi a baptizatis et mundis, et intra Ecclesiam Catholicam existentibus.

Ad hæc, si non implevit Christus eam figuram in institutione Eucharistiæ, dicant adversarii, quando eam impleverit : nam cum, teste Paulo, figura fuerit, debuit necessario impleri.

Dicent fortasse impletam eam figuram a Christo, vel quando ipse manducavit Agnum Paschalem, vel certe quando fuit crucifixus : nec enim aliud occurrit, quod verisimiliter dici possit.

At illud primum, nulla ratione defenditur. Cum enim Dominus Agnum Paschalem manducavit, legem observavit, quod semper faciebat dum in terris viveret, non figuram implevit. Siquidem implere figuram, non est illud ipsum, quod lex præscribit agere, sed aliquid aliud ei substituere excellentius, ad quod significandum figura illa præcesserit ; quemadmodum figuram circumcisionis non implevit cum circumcisionem accepit, sed cum Baptismum ei substituit. Unde a Paulo Coloss. II. Baptismus vocatur Circumcisio Christi non manufacta.

Illud autem alterum de passione Domini, est quidem aliquid, sed non ejusmodi, ut sufficiat. Nam immolatio Agni Paschalis potest quidem dici figura passionis Christi. Nam si agnus ille figura est Eucharistiæ, et Eucharistia est representatio passionis, quis neget etiam agnum illum, fuisse figuram, et representationem passionis ? Quare Joan. XIX. videmus Evangelistam reddere causam, cur non fuerunt Christi crura in passione confracta, quia scriptum est de Agno Paschali : *Os non comminuetis ex eo* (1) ; tamen magnis immediate, et principaliter cæremonia Agni Paschalis figura fuit Eucharistiæ, quam passionis, ut patet ex circumstantiis paulo ante explicatis. Passio enim non incidit in diem 14. nec in vesperam, sed in meridiem diei 15. Neque fuit Christus crucifixus in memoriam transitus alicujus, aut liberationis. Neque crucifigebatur ut manducaretur, nec fuit ullus tunc, qui eum sic immolatum manducaverit. Neque in domo,

(1) Exod. XII, 46 ; Num. IX, 42 ; Joan. XIX, 36.

aut Hierusalem, sed extra portam in aperto campo immolatus fuit. Denique non solum baptizati et mundi, sed etiam alii possunt ac debent Christum, ut in cruce immolatum, fide manducare : fides enim præcedit et Baptismum, et justificationem.

Probatur nunc ex Patrum communi consensu, Agnum Paschalem Eucharistiæ figuram fuisse. Tertullianus lib. iv. in Marcionem non procul a fine, exponit de Eucharistia illud Lucæ xxii. : *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (1). « Professus, inquit, se concupiscentia concupisse edere pascha, ut suum (indignum enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem, corpus suum fecit etc. » Et paulo ante dixerat, Christum non concupisse vervecinam Judæorum, cum ait se desiderasse edere Pascha. Quare Tertullianus de Pascha intelligit Eucharistiam, non Agnum Paschalem : non autem per Pascha Eucharistiam intelligeret, nisi Eucharistiam esse crederet per agnum illum paschalem figuratam.

Cyprianus lib. de unit. Eccles. probat non posse extra Ecclesiam manducari utiliter Eucharistiam, quia scriptum est de Agno Paschali : « In domo una comedetur. » Et serm. de cœna Domini : « Cœna, inquit, disposita inter sacramentales epulas obviaverunt sibi instituta antiqua, et nova : et consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum Magister apponit discipulis. »

Ambrosius in cap. i. Lucæ : « Quando, inquit, sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. »

Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Pascha, exponens cæremonias Agni Paschalis, dicit imperasse Deum, ut ad vesperam agnus immolaretur, quia Christus ad vesperam Sacramentum corporis sui discipulis tradidit.

Gaudentius tract. 2. in Exodum, totam celebrationem agni de Eucharistia exponit : « In umbra, inquit, illius legalis Paschæ, non unus agnus occidebatur, sed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere unus non poterat universis. » Et infra : « Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis et vini reficit immolatus, vivificat creditus; consecrantes sanctificat consecratus, hæc agni caro, hic sanguis est. »

Hieronymus in cap. xxvi. Matth. : « Postquam, inquit, typicum Pascha fuerat impletum, et agni carnes cum Apostolis comederat : assumit panem, qui confortat cor hominis, et ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum. »

Joannes Chrysostomus homil. de prodicione Judæ : « In ipsa mensa, inquit, utrumque Pascha, et typi, et veritatis celebratum est. » Et infra : « Fuit quidem aliquando Pascha Judaicum, sed exemptum, et evacuatum est Paschæ spiritualis adventu, quod Christus tradidit. Nam cum manducarent, et hiberent, accepit panem, et fregit, et dixit : Hoc est corpus meum etc. » Et homil. 83. in Matth. de institutione Sacramenti loquens : « Veritatem, inquit, figuræ adjunxit. » Et paulo post : « Si figura a servitute liberavit, multo magis veritas orbem terrarum vindicabit. »

Augustinus lib. ii. contra litteras Petil. c. 37. « Aliud, inquit, est Pascha quod illi de ove celebrant, aliud quod nos in corpore, et sanguine Domini accipimus. »

Leo serm. 7. de passione Domini, de Pascha loquens : « Ut ergo, inquit, umbræ cederent corpori, et cessarent imagines sub præsentia veritatis; antiqua observantia novo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem sanguis excludit, et legalis festivitas dum mutatur, impletur. » Et infra de Sacramenti institutione loquens : « Vetus, inquit, Testamentum consumabat, et novum Pascha condebat. Discumbentibus enim secum discipulis etc. »

Isichius lib. ii. in Leviticum, cap. 8 : « Prius, inquit, figuratam ovem cum Apostolis cœnans Dominus, postea suum obtulit sacrificium. » Vide etiam lib. vi. c. 23. Procopius Gazæus in cap. 12. Exodi, idem habet.

Gregorius homil. 22. in Evangelia, totam cæremoniam Agni Paschalis exponit accommodate ad Eucharistiam : « Quid, inquit, sit sanguis agni non jam audiendo, sed bibendo didicistis etc. »

Beda in cap. xxii. Lucæ, et ex illo Anselmus in c. 26. Matth. « Finitis, inquit, veteris Phase solemnii, quæ in commemoratione antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, ut scilicet pro carne agni, ac

(1) Luc. XXII, 15.

sanguine, sui corporis, sanguinisque Sacramentum institueret. »

Rupertus lib. II. in Exodum, cap. 6. « Tandem, inquit, quarta decima die ad vesperam, ubi illum veteris Paschæ agnum comedit cum discipulis suis, tunc ipse novi sacrificii agnus continuo capiendus, et ducendus ad immolandum, jam in angustia passionis agonizans, prius propriis manibus Deo Patri semetipsum immolavit, accipiens panem, et vinum, et mira, atque ineffabili sanctificationis potentia transferens hæc in corporis sui, et sanguinis Sacramentum. »

Ex his igitur propositio nostri argumenti satis confirmata videtur. Assumptio vero, celebrationem Agni Paschalis, sacrificium quoddam fuisse, minori adhuc negotio comprobabitur. Nam legimus Exodi XII: *Immolate Phase*. Et infra: *Victima transitus Domini est*. Num. IX.: *Ecce, inquit, quidam immundi super anima hominis, qui non poterant facere Phase, in die illo accedentes ad Moysen, et Aaron dixerunt: Immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur, ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel? Et infra: Si quis mundus est, et in itinere non fuit, et tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populo suis, quia sacrificium domino non obtulit tempore suo* (1). Ex his habemus Agnum Paschalem vere, et proprie sacrificium fuisse, cum et victima, et sacrificium in Scripturis absolute dicatur; et præterea offerri Domino per immolationem, quod est veri sacrificii proprium, debuerit.

Adde, quod eodem modo loquitur Evangelium, Marc. XIV.: *Et primo die azymorum, quando Pascha immolabant* (2).

Denique, quid clarius verbis Pauli I Corinth. V.: *Pascha nostrum immolatus est Christus?* (3) Neque enim negabunt Christi passionem verum sacrificium fuisse. Cur autem Paulus sacrificium Christi Paschæ immolationem appellaret, si non fuisset verum sacrificium Agni Paschalis immolatio? Neque obstat, quod non offerebatur a solis Sacerdotibus, sed a multis non Sacerdotibus. Nam hoc sacrificium fuit institutum, antequam familia Aaron determinaretur ad sacerdotium, et ideo quantum ad hoc sacrificium, mansit antiquum privilegium, ut omnes patresfamilias sacerdotio fungerentur. Vide Philonem lib. I. de vita Moysis.

Sed jam videamus, quid Kemnitius contra hoc nostrum argumentum objiciat in secunda parte Examinis, pag. 758. et 759. Primo, objicit testimonium Augustini, libro de unitate Ecclesiæ, contra litteras Petilianæ, cap. 16. « Non ea colligant, et commemorent, quæ obscure, ambigue, vel figurate dicta sunt, quæ quisque sicut voluerit, interpretetur secundum sensum suum: talia enim recte intelligi, exponique non possunt, nisi prius ea, quæ apertissime posita sunt, firma fide teneantur. Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quod de alia re dictum sit, et vos aliud ad vestrum sensum detorquere conemini. » Et cap. 19. « Hæc mystica sunt, aperta sunt, figurata sunt; aliquid manifestum, quod interprete non egeat flagitamus. » Item: « Quod si ambigue posita et pro nobis, et pro vobis possunt interpretari, nihil utique adjuvant causam vestram, sed plane talia malam causam, vel moras faciendo sustentant. »

Respondeo: Testimonia Scripturæ figurata, quia possunt variis modis exponi, non faciunt fidem, nisi ex alio loco Scripturæ certo constet, quemadmodum sint accipienda. Scriptura autem tribus modis solet figuram aliquam explicare. Primo quando immediate, et in particulari exponit propriis verbis, quod figurate dictum erat. Hinc ex parabolis Domini de piscibus bonis, et malis in iisdem retibus; et de ovibus, et hædis in eodem ovili, et aliis similibus, Catholici convicerunt Donatistas negantes in Ecclesia esse bonos, et malos: quia Dominus ipse parabolæ explicuit, applicans eas ad Ecclesiam Matthæi XIII. et XXV. De qua re vide Augustinum in breviculo collationis tertiæ diei. Secundo, quando Scriptura immediate figuram non explicat, tamen approbat Ecclesiæ explicationem, dum ei apertissimis verbis testimonium perhibet, quod sit columna, et firmamentum veritatis, I Timot. III. Augustinus lib. I. contra Crescon. cap. 33. et alibi passim tradit hanc formam argumentandi. Tertio quando Scriptura docet, in verbis quibusdam figuram in Christo, vel a Christo implendam contineri: et deinde manifesta ratione colligimus, quo tempore, et loco fuerit impleta, licet Scriptura id non explicaverit. Nam cum constat aliquam esse figuram, simul constat impleri debuisse:

(1) Exod. XII, 21 et 27: Num. IX, 6 et 13. — (2) Marc. XIV, 12. — (3) I Cor. V, 7.

proinde si possimus ratiocinando concludere, aut tali tempore, et loco fuisse impletam, aut absolute non fuisse impletam, firmissime quod volumus demonstramus.

Nostrum igitur argumentum ex figura Agni Paschalis, et ejusdem figuræ explicatio habet testimonium a Scriptura secundo et tertio modo. Nam in primis protulimus consensum veterum Patrum Græcorum, et Latinorum, qui est consensus ejus Ecclesiæ, quam et nos, et adversarii veram Ecclesiam esse, et proinde juxta Apostolum columnam et firmamentum veritatis esse non dubitamus. Deinde, Scriptura testatur illam esse figuram in Christo implendam, ut ex eodem Paulo ostendimus, I Coriinth. v. Et nos ex manifestis circumstantiis evidenti ratione conclusimus, aut nunquam, aut in novissima cœna in institutione Sacramenti fuisse impletam.

Porro Augustinus in locis a Kemnitio citatis, loquitur de figuris illis, quarum explicatio nullum habet a Scriptura testimonium; et ideo semper adjungit esse obscuras, operatas, interprete indigentes, et quæ possint pro arbitrio in varios sensus detorqueri. Non enim simpliciter rejicit argumentum ex figuris sed ex figuris obscuris, et nondum explicatis, vel in alio Scripturæ loco, vel ab Ecclesia. Nam alioqui in ipso libro eodem de unitate Ecclesiæ, cap. 13. probat Augustinus Ecclesiam constare ex bonis, et malis, ex parabolis zizaniorum, et bonorum ac malorum piscium, et similibus figuratis locutionibus. Solum igitur rejicit argumentum ab illis figuris, quarum est incerta interpretatio; quale illud erat ex Canticis: *Ubi cubas in meridie*, quod semper Donatistæ jaectabant, ut probarent in sola Africa esse Ecclesiam; quibus Augustinus recte objicit illud Psalmi. XLVII: *Latera Aquilonis civitas Regis magni* (1); et similia æque obscura.

Adde, quod Augustinus in eo libro, ideo petit a Donatistis testimonia Scripturæ apertissima, nec libentur admittit obscura, quia habebat ipse pro se apertissima testimonia. Nam agebatur de loco Ecclesiæ, an esset Africa sola, an totus orbis terrarum. Et quia sunt plurima testimonia, quæ sine ulla obscuritate docent, Ecclesiam in toto orbe terrarum esse futuram; merito Augustinus requirit ab adversario similia testimonia: non enim debent aperta et propria, obscuris et

figuratis cedere. At in aliis quæstionibus obscurioribus, qualis fuit eo tempore quæstio de Baptismo, Augustinus non provocat ad aperta Scripturæ testimonia, sed ad Ecclesiæ auctoritatem, quæ non potest errare in Scriptura explicanda, ut patet ex loco citato contra Cresconium. Quare si Kemnitius putat, causam suam similem esse causæ Augustini, proferat apertum testimonium Scripturæ, quod non egeat interprete, ubi legamus Eucharistiæ celebrationem non esse sacrificium, et tum jure poterit cum Augustino rejicere argumenta ex figuris.

Secundo, Kemnitius objicit, ex figuras Agni Paschalis multa sequi absurba, si ea ad Eucharistiam applicanda sit. Nam in primis non respondebit figura figurato, cum immolatio Agni Paschalis cruenta fuerit; Eucharistia sit incruenta. Deinde Agnus Paschalis non a Sacerdotibus, ut Eucharistia, sed a multitudine immolabatur. Et denique sacrificium Agni Paschalis non erat propitiatorum pro peccato, ut nos Eucharistiam esse dicimus, sed in memoriam fiebat liberationis de Ægypto.

Respondeo: Eucharistia non a solo Agno Paschali, sed etiam a sacrificio Melchisedech et a Manna, et ab aliis rebus in testamento veteri figurata fuit: ideo non omnia, quæ in Agno Paschali fiebant, ad figuram Eucharistiæ pertinent, sed illa tantum, quæ non pugnant cum impletionem aliarum figurarum. Itaque ex figura Agni Paschalis habemus in Eucharistia veram carnem et sanguinem Christi Agni immaculati: sed modo incruento, et in specie panis et vini, ut locum habeat alia figura sacrificii Melchisedech in pane et vino oblatis. Atque ita oblatio, et manducatio agni, ad figuram Eucharistiæ pertinet, modus cruentæ mactationis, ad hanc figuram non pertinet, quia pugnaret cum figura sacrificii Melchisedech, sicut e contrario forma seu species externa panis et vini in sacrificio Melchisedech, ad figuram Eucharistiæ pertinet: substantia panis et vini interior ad hanc figuram non pertinet, quia pugnaret cum figura Agni Paschalis, quæ veram carnis substantiam requirit in figurato, ne sit figuratum sua figura vilius. Quod autem modus ille cruentæ mactationis non impediatur, quo minus Agnus Paschalis figura fuerit Eucharistiæ, patet ex Augustino lib. XVII. civit. cap. 20. et lib. I, contra

(1) Cantic. I, 6; Psal. XLVIII, 3.

advers. Leg. et Prophet. c. 18. et Leone serm. 8. de passione Domini, qui omnia sacrificia veteris legis quantumvis cruenta, figuras fuisse docet sacrificii Eucharistiæ.

Jam vero quod attinet ad alterum absurdum, nulla est difficultas. Nam quod in Scriptura dicitur, Agnum Paschalem debuisse a tota multitudine filiorum Israel immolari, non sic intelligitur, quasi debuerint singuli de populo agnum immolare : sed quod debuerit in singulis domibus, ac familiis immolari, patrefamilias proprie, et per se immolante, reliquis per illum immolantibus, et voluntate, ac participatione in sacrificium consentientibus. Quod etiam in Ecclesia circa Eucharistiam observatur : presbyteri enim, qui in Christi familia patres sunt, proprie ac per se immolant, populus autem per illos immolat, et simul voluntate, et participatione in sacrificium consentit.

Denique tertium absurdum, quod Kemnitius proferebat, nullius ponderis est. Nam Eucharistiæ sacrificium, ut diximus, non solo agno Paschali, sed multis aliis typis adumbratum fuit. Et quidem Agnus Paschalis typus Eucharistiæ fuit, non ut sacrificium propitiatorium, sed ut commemorativum liberationis, et ut proprie Eucharisticum : sacrificia autem, quæ plurima in lege pro peccato fiebant, ejusdem Eucharistiæ, ut sacrificii propitiatorii, typi ac figuræ fuerunt.

Tertio objicit Kemnitius, Agnum Paschalem figuram gessisse passionis Dominicæ, id quod operose probare nititur ex Scripturis et ex ipso etiam Ecclesiastico testimonio, ex præfatione Missæ deprompto.

Sed argumentum jam ante solutum est, Agnus enim Paschalis utriusque rei typus fuit, et passionis, et Eucharistiæ ; imo non potuit Eucharistiæ typus esse, quin etiam passionis esset, cum Eucharistia repræsentatio, et commemoratio passionis sit. Neque id proprium est Agni Paschalis, sed commune omnibus sacrificiis legis veteris, ut simul et passionis Dominicæ, et Eucharistiæ figuræ fuerint.

## CAPUT VIII.

*Probatur sacrificium Missæ ex figuris variorum sacrificiorum Testamenti veteris.*

Tertium argumentum sumitur ex cap. xxiv. Exodi, ubi describitur dedicatio, ac celebratio Testamenti veteris. Nam post datam legem in monte Sina, pepigit Deus fœdus cum Hebræis, ac promisit eis multa bona, et ipsi vicissim obedientiam mandatorum promiserunt Deo. Sancitum autem fuit hoc fœdus solemni sacrificio, et sanguinis aspersione, illis verbis : *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus, ut* Apostolus recitat Hebr. ix. allegans verba Moysis. Exod. xxiv. (1). Hanc figuram impletam esse in ultima cœna, in institutione Sacramenti Eucharistiæ, nos probavimus supra in i. lib. de Eucharistia, nec videtur ullo modo negari posse. Nam in primis expresse Lucas cap. xxii. et Paulus I Cor. xi. dicunt : *Hic calix novum Testamentum est in sanguine meo.* Matt. cap. xxvi. et Marcus cap. xiv dicunt : *Hic est sanguis meus novi Testamenti* (2).

Deinde Patres veteres aperte docent, Christum in ultima cœna condidisse Testamentum novum. Tertullianus lib. iv in Marcionem : In calicis mentione, inquit, Testamentum constituit sanguine suo obsignatum. Idem expresse docent Chrysostomus, et Theophylactus in loca allegata Matthæi, et Pauli : necnon Ambrosius in Paulum, et Beda in Marcum, et Lucam, locis citatis.

Præterea id Lutherani negare non possunt, cum eorum præcipuum argumentum contra sacrificium Missæ hoc sit : « Missa est Testamentum Christi ; non igitur est sacrificium. » Hoc argumentum præ omnibus urget Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. i. et in lib. de abroganda Missa, et alibi urget idem argumentum Kemnitius in 2. par. examinis, pagina 753 et 802. Urgent etiam alii communiter. Quid momenti hoc argumentum habeat, postea videbimus : interim accipimus, quod dant, Missam esse Testamentum Christi ; inde enim manifeste

(1) Exod. XXIV, 8 ; Hebr. IX, 20. — (2) Luc. XXII, 29 ; I Cor. XI, 25 ; Matth. XXVI, 28 ; Marc. XIV, 24.

sequitur, Christum in ultima cœna condidisse suum Testamentum et proinde implese figuram Testamenti veteris.

Accedit postremo, quod si Testamentum Christi in cœna factum non fuisset, certe factum fuisset in cruce, ut quidam suspicari videntur. At omnes conditiones Testamenti in cœnam quadrant, nullæ in crucem. Primum qui testatur, vivere debet usque ad completum, et obsignatum Testamentum, Christus in cœna semper vixit, in cruce mortuus est. Quare recte B. Paulus Hebr. ix. non ait Christi morte Testamentum novum factum fuisse, sed confirmatum: non enim testamentum valet, dum vivit, qui testatus est. Deinde qui testatur, sui juris esse debet. Christus in cœna sui juris erat; in cruce non modo captus, et vinctus, sed etiam damnatus, et jam patibulo affixus erat. Tertio qui testatur, semper aliquid mandat hæredibus Christus in cœna: *Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis invicem.* Et rursum: *Hoc facite.* In cruce nihil mandasse legitur. Quarto qui testatur, aliquid promittit, seu relinquit, idque nominatim exprimere solet, ut etiam personas, quibus relinquit. In Cœna Dominus expressit remissionem peccatorum, quæ est promissio propria Testamenti novi, Hierem. xxxi. et expressit etiam hæredes, cum ait: *Pro vobis, et pro multis.* In cruce nihil ejusmodi, excepta promissione soli latroni facta. Quinto qui testatur, testes adhibet, et sicut Moyses, non testes quoscunque, sed ipsum populum convocavit, cum Testamentum vetus nomine Dei sanciebat: sic etiam Christus testes, et non quoscunque sed ipsam Ecclesiam convocare debuit; id fecit in cœna, adherant enim omnes Apostoli. qui Patriarchæ fuerunt, et veri Patres totius Christiani populi. Ad crucem nec aderant, nec facile convocari potuissent. Sexto qui testatur, solet disertis verbis explicare Testamentum se facere. In cruce Testamentum Christus ne nominavit quidem; at in cœna expressit nomen testamenti, et quidem illis fere verbis, quibus olim Moyses; ut enim ille dixerat: *Hic est sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus,* ita ipse dixit: *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Septimo qui testatur, instrumentum publicum conficit, quod perpetuo vim habeat applicandæ hæreditatis. Id instrumentum Christus in cœna confecit dum Sacramentum instituit; in cruce nihil omnino ejusmodi. Maneat igitur ratum et certum in cœna Testamentum novum

conditum, et proinde figuram Testamenti veteris impletam.

Hoc fundamento posito, ita argumentamur: Sanguis Testamenti veteris apud Moysem erat sanguis victimæ jam immolatæ, et vere, ac proprie sacrificatæ, ut patet Exod. xxiv.; ergo sanguis Testamenti novi apud Christum, est sanguis victimæ immolatæ, et vere, ac proprie sacrificatæ. Est autem sanguis ille sanguis Christi, ut ipse dicit: *Hic est sanguis meus;* ergo ipse fuit victima in cœna immolata, et sacrificata.

Neque responderi potest, sanguinem Christi in cœna fuisse sanguinem victimæ futuræ in cruce. Nam in Exodo prius immolata est victima, deinde sanguis aspersus in populum illis verbis: *Hic est sanguis, etc.* ergo etiam Christus prius debuit se ipse victimam facere, et immolare; deinde de sanguine dicere: *Hic est sanguis, etc.* Preterea, nullo ratio patiter, ut prius sanguis victimæ hauriatur, deinde victima imoletur, cum e contrario ex immolatione sanguis sequatur. Denique, cum in figura Testamenti veteris, Exod. xxiv, tria inveniantur. Primo, promulgatio legis coram populo. Secundo, immolatione victimæ fœderalis, seu pacificæ. Tertio, aspersio sanguinis, et manducatio victimæ; et Christus impleverit primum, cum ait: *Hoc est præceptum meum etc.* Et tertium, cum ait: *Comedite, hoc est corpus meum; Bibite, hic est sanguis meus;* quis credat prætermisum fuisse secundum, nimirum victimæ immolationem? Ad hoc argumentum nullam legi vel Kemnitii, vel aliorum confutationem.

Huc referri possunt omnia illa Scripturæ divinæ loca, ubi describuntur varia sacrificia veteris legis proprie dicta. Illa enim omnia fuerunt typi, ac figuræ sacrificii Eucharistiæ. ex quo sequitur ut etiam Eucharistia verum sacrificium esse debeat.

Respondet ad hoc argumentum Kemnitius in 2. par. Examin. pag. 771. sacrificia veteris Testamenti fuisse quidem figuras implendas in novo Testamento, sed impletas esse in unico sacrificio crucis; et nunc etiam impleri in sacrificiis spiritualibus operum bonorum.

Sed nos contra probamus, figuras fuisse sacrificia illa non solum crucis, et operum bonorum, sed etiam Eucharistiæ dupliciter. Primo ex Patribus. Tertullianus in lib. contra Judæos, cap. 1, aperte dicit, sacrificium Abel figuram fuisse sacrificii Eucharistiæ. Justinus

in Triphone: « Similæ, inquit, oblatio figura fuit Eucharistiæ. » Chrysostomus in Psalm. xcvi: « Omnia veterum sacrificia nova superueniens gratia uno complectitur sacrificio. » Augustinus lib. xvii. Civit. cap. 20: « Mensa quam sacerdos novi Testamenti exhibet, de corpore ac sanguine suo est; id est enim sacrificium, quod successit omnibus sacrificiis, quæ immolabantur in umbra futuri. Propter quod etiam agnoscimus vocem illam in Psalmo xxxix. ejusdem Mediatoris, Corpus autem aptasti mihi; quia pro illis omnibus sacrificiis, et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur. » Leo serm. 8. de passione Domini: « Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una corporis et sanguinis tui implet oblatio: et sicut unum est pro omni victima sacrificium, ita nunc unum de omni gente fit regnum. » Vide etiam Isichium in Leviticum lib. v. Isidorum lib. i, de officiis, cap. 17. et Damascenum lib. iv. de fide, cap. 14. Ex quibus testimoniis Patrum refellitur mendacium Kemnitii, pagina 778. ubi sic ait: « Ignota est veteribus illa disputatio, quod abrogatione Leviticorum sacrificiorum, præter sacrificium Christi in cruce, aliud successisset cæremoniale sacrificium in novo Testamento. »

Secundo probatur, quia sacrificium crucis non fuit impletivum figuram illarum, nisi quoad ipsam mactationem, et paucas alias cæremonias. Multæ autem aliæ cæremoniæ sacrificiorum, quæ sine dubio figurales erant, ut quod in tabernaculo offerrentur, quod coram multitudine populi fidelis, quod manus imponerentur super victimam quod victima immolata continuo manducaretur, et aliæ similes, in cruce impleri non potuerunt: quare aut in Eucharistia implentur, aut simpliciter non implentur.

## CAPUT IX.

### *Probatur sacrificium Missæ ex vaticiniis Prophetarum.*

Quartum argumentum principale, sumi potest ex vaticiniis prophetarum. Nam, ut recte ait Augustinus epist. 49. quæst. 3, « Nostrum sacrificium non solum evangelicis sed etiam Propheticis libris demonstratum est. » Sex testimonia Prophetarum adduci,

solent, sed postremum est præcipuum, et ideo cætera breviter solum attingemus ut in postremo diutius liceat immorari.

Primum testimonium habetur lib. I Regum cap. ii. prope finem. ubi quidam Propheta innominatus prædicit Heli sacerdoti futurum aliquando tempus, ut cesset sacerdotium ipsius, et patrum suorum, et surgat novus sacerdos, qui ambulet coram Christo Dei, omnibus diebus. Quem locum exponunt de sacerdotio, et sacrificio Christianorum, quod successit Aaronico, et manebit usque ad mundi consummationem: Cyprianus lib. i contra Judæos, cap. 17. Augustinus lib. xvii. civit. cap. 5. Eusebius lib. iv. Demonstrat. Evangel. cap. 26. Gregorius, Beda et Eucherius in comment. ejus loci.

Sed contra objici posset, videri impletum illud vaticinium in Samuele, vel in Sadoc. Nam Samuel, successit Heli; et deinde Salomon ejecit Abiatar, qui descendebat de familia Heli, et constituit pro eo Sadoc, et addit Scriptura, lib. III Reg. cap. i. id factum esse ut impleretur verbum Domini contra Heli in Silo.

Respondent ad hanc objectionem Augustinus loco citato, vaticinium illud impletum fuisse in Samuele, vel Sadoc, quatenus illi gerebant figuram Christianorum Sacerdotum. Itaque ejectio Heli, erat figura ejectionis sacerdotii Aaronici, et assumptio Samuelis, et Sadoc, fuit figura assumptionis sacerdotii Christiani: id quod probat Augustinus ex eo, quod Scriptura cum dicit, ejiciendum Heli cum patribus suis, aperte loquitur de Aarone, siquidem nominat eum, qui primus in exitu de Ægypto constitutus est a Deo Sacerdos.

Secundum vaticinium sumitur ex cap. ix. Proverb. : *Sapientia ædificavit sibi domum, immolavit victimas suas, miscuit vinum, et posuit mensam suam.* De hoc loco ita Cyprianus lib. ii. epist. 3. : « Per Salomonem Spiritus sanctus typum Dominici sacrificii præmonstrat, immolata hostiæ, et panis, et vini, sed et altaris, et Apostolorum faciens mentionem. » Vide etiam Augustinum lib. xvii. civit. cap. 20. ubi totum hunc locum de Eucharistia exponit.

Tertium testimonium sumitur ex illo Isaïæ cap. xix. : *Cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, et colent eum in hostiis, et muneribus.* Eusebius lib. i. demonstrat. Evangel. cap. 6. et Hieronymus in commentario ex hoc loco, probant, legem esse translatam, quan-

do quidem sacerdotium est translatum, cum apud Ægyptios, id est, apud Gentiles sacrificia Deo vero offerantur. Neque valet responsio Calvinii, lib. iv. Instit. cap. 18. §. 4. Isaiam loqui de sacrificiis spiritualibus, quæ a Christianis omnibus offeruntur. Nam in eodem loco fit mentio altaris Domini in loco visibili constituti : *In die illa, inquit, erit altare Domini in medio Ægypti.* Ad sacrificia autem spiritualia nullum altare visibile necessarium est.

Quartum testimonium habetur Isaiæ LXVI. : *Et assumam ex eis Sacerdotes, et Levitas, dicit Dominus.* Cui simile est illud Hierem. xxxiii. *Non interibit de David vir, qui sedeat super thronum domus Israel, et de Sacerdotibus, et de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocausta etc.* Hæc loca Hieronymus in Isaiam, et Theodoretus in Hieremiam, exponunt de sacerdotibus Christi, qui perpetuo permanebunt usque ad mundi consummationem. Nec possunt aliter exponi, cum apertissime uterque propheta loquatur de conversione Gentium, et ædificatione Ecclesiæ.

Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 753. agnoscit ista loca debere exponi de novi Testamenti Sacerdotibus : neque aliquid respondet nisi ista vaticinia partim impleta esse in Christo, qui fuit verus Sacerdos, et successit Sacerdotibus Testamenti veteris, partim impleri in omnibus Christianis, qui sunt spirituales Sacerdotes. At neutra expositio facit ad rem. Non de solo enim Christo possunt intelligi ea vaticinia, cum diserte in numero multitudinis ponant Sacerdotes, et Levitas : neque de omnibus Christianis intelligi possunt, cum uterque Propheta distinguat Sacerdotes futuros a reliquo populo.

Dicet aliquis : Loquuntur vaticinia de ministris Testamenti novi, qui successerunt ministris Testamenti veteris, in ministerio doctrinæ et Sacramentorum, licet non successerint in ministerio sacrificandi. At si ita esset, cur vocarentur Sacerdotes? cur Hieremias diceret, illos holocausta oblaturus? Succedere igitur debent veteribus illis veri Sacerdotes, qui sacrificia vere, et proprie offerant.

Quintum testimonium est Danielis VIII. et XII. ubi dicitur Antichristus ablaturus iuge sacrificium : quem locum de sacrificio Missæ exponit Hippolytus Martyr in lib. de Antichristo. Nec obstat, quod Daniel loqui videatur de Antiocho, loquitur enim de An-

tiocho, ut figuram gerebat Antichristi, ut patet ex collatione hujus loci, cum Apocalypsi cap. XIII.

Respondet Kemnitius, pag. 733. locum intelligi ad literam de Antiocho, et per Allegoriam tantum de Antiebristo : ex allegoriis autem non duci solida argumenta. Sed ex hac allegoria solidissimum argumentum sumi potest. Nam explicata est a Joanne in Apocalypsi, cap. XIII. et a Paulo, II Thessal. II, imo ipse etiam Daniel eam explicat, cum dicit regem istum, qui auferet iuge sacrificium, contra omnes Deos pugnaturum, et contra ipsum Deum patrum suorum. Non enim ista de Antiocho intelligi possunt, quem constat palam coluisse Deos patrum suorum, ut Hieronymus in commentario ostendit, sed in Antichristum optime conveniunt, de quo Paulus scribit, II Thessal. II, quod extollet se super omne quod dicitur Deus.

Respondet secundo Kemnitius, posse intelligi locum istum Danielis de sacrificio spirituali, id est, de prædicatione verbi, et Sacramentorum administratione ; imo conatur probare, ablatum esse iuge sacrificium ab Antichristo, quia Papa Romanus, ut ipse dicit, sustulit puritatem verbi, et Sacramentorum. At ista omnia vanissima sunt. Nam in primis aliud est tollere, aliud corrumpere. Antichristus non corrumpet, sed simpliciter auferet iuge sacrificium saltem ex publicis templis : unde, ut ibidem additur, manebit locus sacrificii desolatus. Deinde, in Scriptura nusquam appellatur sacrificium absolute, et præsertim in numero singulari, nisi id, quod est vere ac proprie sacrificium. Denique, iuge sacrificium apud Hebræos, non erat sacrificia spiritualia, sed sacrificium proprie dictum, id est, duo agni, qui offerebantur quotidie in holocaustum, unus mane, alter vesperi, ut patet Exod. XXIX. et Num. XXVIII. Quare Daniel cum vocet sacrificium iuge, loquitur de vero ac proprio sacrificio, ejus typus fuit iuge illud sacrificium Hebræorum.

## CAPUT X.

*Probatur idem ex Malachia.*

Sed insigne testimonium pro sacrificio Missæ habetur Malachiæ I. in illis verbis :



*Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Hoc testimonium non potest intelligi de sacrificio crucis, quia illud non offertur in omni loco, sed semel tantum uno in loco oblatum fuit, nec de sacrificio aliquo Judaico, quia Propheta dicit a gentibus offerendum, et aperte illud opponit sacrificiis Hebræorum. Neque etiam de sacrificiis Gentilium piorum, qui erant in mundo ante Christi adventum, ut Melchisedech, Job, et similia. Hi enim veri sancti inter Gentiles paucissimi erant, ac præsertim temporibus Prophetarum, quando idololatria mundum plane repleverat, ita ut David diceret : *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus*, Psal. LXXV. Malachias autem contrario modo vaticinatur : *Magnum est nomen meum in gentibus, et ab ortu solis usque ad occasum etc.* Nec denique potest locus hic Malachiæ intelligi, ut quidam suspicati sunt, de sacrificiis Gentilium idololatrarum : non enim illa oblatio munda ullo modo dici posset, nec Deo vero offerebatur, sed Diis alienis : *Quæ enim gentes immolant, inquit Apostolus I Corinth. x, dæmonibus immolant, et non Deo.*

Quare nullo modo admittenda est expositio Benedicti Ariæ Montani in hunc locum : nam non tantum repugnat omnium Patrum, quos paulo post citabimus, sententiis, sed etiam ipsi Apostolo, et apertissimæ veritati. Quorum enim tot millia Martyrum sanguinem profundere maluerunt, quam communicare in sacrificiis Gentilium, si illa erant sacrificia munda, et Deo grata ?

« At, inquit ille, cognoverunt Gentiles magnum quemdam Deum ex motibus cælorum, et illi sacrificabant. » Respondeo : Cognoverunt quidem illi Deum, sed non sicut Deum glorificarunt, et creaturæ potius, quam creatori servierunt, ut Apostolus dicit Rom. I. Itaque vel magno illi Deo non sacrificabant, vel paucissimi, et rarissimi id fecerunt ; Malachias autem loquitur de sacrificiis, quæ in omni loco offeruntur, qualia apud Gentiles non nisi idolis, et dæmonibus offerebantur. Restat igitur quod nobiscum fatentur etiam adversarii, ut Malachias vaticinetur de sacrificio Ecclesiæ Christianæ, quod et successit Judaicis sacrificiis, et Deo

placet, ac mundum est, et in toto orbe terrarum a Gentibus ad Deum verum conversis jugiter offertur. Neque obstat, quod Malachias loquitur in præsentī, non in futuro ; id enim Prophetæ faciunt, quia res futuras ita certo norunt Deo eis indicante, ac si præsentēs intuerentur.

Tota controversia circa hunc locum est, an Malachias loquatur de sacrificio proprie dicto, quale in Ecclesia aut est Eucharistia, aut nullum omnino est ; an vero de sacrificio improprie dicto, quales sunt orationes, laudes, bona opera, patientia in persecutionibus, et similia. Nam Philippus in Apolog. Confess. et Calvinus lib. IV. Instit. cap. 48. §. 4. Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 760. et alii contendunt, Malachiam loqui de sacrificiis spiritualibus, ac improprie dictis.

Adducit autem Kemnitius tria argumenta pro sua opinione, quæ facile solvi possunt. Primum est : « Malachias non dicit, sacrificium debere mimicis gestibus, ritibus, et actibus in pane et vino repræsentare passionem Christi, et illam actionem esse sacrificium Deo gratum pro vivis et mortuis etc. » Respondeo : Hoc non argumentum, sed impostura est. Neque enim de gestibus, et ritibus, sed de substantia rei, id est, de oblatione sacrificii proprie dicti nostra quæstio est : ac satis probamus, quod volumus, cum ostendimus ex Prophetæ testimonio, esse in Ecclesia sacrificium proprie dictum.

Secundum argumentum : « Malachias in genere prædicit futurum in Ecclesia sacrificium mundum, non autem explicat, quale sacrificium. In Testamento autem novo invenimus sacrificia fidelium esse sacrificia spiritualia ; I. Petri II. Rom. XI. Hebr. XII. Philipp. II. ergo loquitur Propheta de sacrificio spirituali. » Respondeo : Si in novo Testamento legeremus, nulla esse sacrificia fidelium, nisi spiritualia, argumentum Kemnitii recte concluderet. At nusquam id legimus. Non autem licet concludere ex eo, quod sunt in Ecclesia quædam sacrificia spiritualia ; nulla esse, proprie dicta, vel Prophetam loqui de spiritualibus. Alioquin quoniam in Testamento veteri, multa erant etiam sacrificia spiritualia, liceret eodem modo concludere, non fuisse in Testamento veteri sacrificia proprie dicta ; et cum Malachias ait : *Non accipiam munus de manu vestra*, intelligeremus eum loqui de sacrificio spirituali, non de proprie dicto, quod aperte falsum est.

Tertium argumentum sumit ex Patribus, quod postea discutiendum est.

Catholici contra his argumentis probant verba hujus Prophetæ intelligenda esse de sacrificiis proprie dictis. Primo, ex voce qua utitur Propheta, nam vocat absolute **מגהה** mincha, ubi duo consideranda sunt. Primo, Scripturam non solere nomen sacrificii absolute ponere, cum loquitur de sacrificio improprie dicto, sed cum adjuncto aliquo, ut sacrificium laudis, sacrificium justitiæ, hostiam vociferationis etc.; hoc autem loco absolute ponitur oblatio munda. Deinde ipsa vox Hebraica **מגהה** significat proprie certum genus sacrificii externi, quod ex simila, oleo, et thure conficiebatur, ut patet Levit. 2. et 6. et alibi passim.

Ad hoc primum argumentum respondent Calvinus et Kemnitius. Calvinus dicit, Prophetam uti vocabulo sacrificii, quoniam mos est prophetarum cum de conversione Gentium vaticinantur, cultum spirituales externi legis ritu designare. Sic enim pro conversione ad Dominum, ascensum in Hierusalem, pro Dei adoratione, munerum omnis generis oblationem, pro ampliore ejus notitia, qua in regno Christifideles donandi erant, somnia et visiones ponunt.

Respondeo : Negari non potest, quin sæpissime in Scripturis Testamenti veteris, describantur res futuræ, per typos, et ritus externos legis, ut cum per Hierusalem intelligitur allegorice Ecclesia, per Levitas clericici, per sacrificia ovium et boum, sacrificium Eucharistiæ; tamen id fieri solet, cum describuntur res novæ, et futuræ, quæ non erant eo tempore in usu: ideo enim describuntur per figuras, seu per voces tunc cognitæ, quia non potuissent aliter intelligi. Ea vero, quæ sunt communia omnibus temporibus, et locis, et quæ non minus tunc in usu erant, quam modo sint, nulla causa est, cur per figuras significari deberent. Porro sacrificia spiritualia, orationes, hymni, eleemosynæ, et similia, communia sunt omni loco et tempore, et passim occurrunt, in Scripturis, tum veteris, tum novi Testamenti. Quare per vocem illam **מגהה** non debet intelligi sacrificium spirituale, quod non erat novum nec futurum, nec ullo modo inusitatum, vel incognitum: sed verum aliquod sacrificium in Ecclesia celebrandum, et tunc incognitum; quale revera est Eucharistia. Non enim ita crasse intelligimus Prophetam, ut existime-

mus oportere nunc offerri mincha proprie dictum, id est, similam conspersam oleo, et thuri admixtam: sed intelligimus Prophetam per vocem tunc cognitam descripsisse sacrificium novum, et verum, per illud antiquum adumbratum.

Falsum est etiam, quod Calvinus dicit, pro adoratione Dei futura in Ecclesia, poni in Scripturis oblationes munerum omnis generis. Nam illis oblationibus debet respondere aliquid vere futurum, et novum; adoratio autem semper fuit in usu.

Jam vero Kemnitius alia via ingreditur; scribit enim istam ipsam vocem **מגהה** accipi in Scripturis pro sacrificio Spirituali (legimus enim in Psal. cxli. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*) et nomen oblationis haberi Roman. xv. et Philipp. ii. pro conversione Gentium.

Respondeo: David propriissime sacrificium vespertinum usurpavit pro vero, atque externo sacrificio, quod secundum legem quotidie offerebatur ad vesperam, Levit. vi. Neque enim dicere voluit, elevationem manuum suarum in oratione, esse sacrificium vespertinum; elevatio enim manuum omni tempore fieri potest, sed orat Deum ut gratam habeat orationem suam, sicut habere solet gratum sacrificium vespertinum. Sic enim ait: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*; id est, dirigatur oratio sicut incensum et elevatio manuum sit velut quoddam sacrificium vespertinum. Quod etiam clarius posuit Daniel, cum ait cap. iii: *In animo contrito, et in spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium*. Loca autem illa, Roman. xv. et Philipp. ii. ad rem non faciunt. Nam in utroque loco ponitur nomen sacrificii, et oblationis cum adjuncto, non autem absolute: vocat enim oblationem Gentium, vel fidei. Manet igitur nostrum argumentum primum, ex nomine oblationis depromptum.

Secundum argumentum sumitur ex illa voce: *Munda*; opponit enim Propheta oblationem Ecclesiæ mundam, oblationibus immundis Sacerdotum Judæorum. Quod argumentum duobus modis concludi potest. Primo, ex opinione adversariorum, opera bona, quæ a nobis procedunt, omnia sunt immunda, cum sint peccata, et quidem mortalia natura sua. Per oblationem igitur, quam Spiritus

sanctus mundam appellat, non debent intelligi opera nostra, id est, sacrificia improprie dicta, sed sacrificium a Deo institutum, quod ab ipso Deo, non a nobis vim suam habet.

Respondet Kemnitijs, opera nostra, esse quidem immunda, ut pannum menstruatæ, tamen in Scripturis aliquando vocari munda, et Deo accepta, I Petri II. : *Offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum*, et fideles dicuntur elevare puras manus, I Timoth. II. : et omnia dicuntur munda mundis, Tit. I.

Sed quærerem libenter a Kemnitio, quomodo in Scripturis dicantur munda, et acceptabilia ista opera. Nam vel sunt vere, ac proprie munda, et tunc ruit eorum opinio de operum nostrorum bonitate : vel non sunt vere et proprie munda, sed dicuntur talia vel ob imputationem Dei, vel quacumque alia de causa, et tunc si Malachias loquitur de sacrificio spirituali, oportebit illa verba : *Offertur nomini meo oblatio munda*, sic exponere : Offertur nomini meo oblatio vere immunda, sed quam ego mundam esse reputo. Quæ expositio absurdissima est : nam sententia Malachiæ indicat oblationem istam Deo placere, quia est munda; non autem esse mundam, quia Deus eam reputet talem.

Secundo Propheta opponit sacrificium ita mundum ex se, et generaliter, ut non possit malitia ministrorum fieri immundum, ei sacrificio, quod facile pollui potest, et quod non est semper mundum. Id patet : nam de sacrificio Judaico dicit : *Offertis panem pollutum*. Et : *Si offeratis cæcum, et claudum, nonne malum est, etc.* ubi ostendit sacrificia illa potuisse pollui. Neque credibile est, ita generaliter fuisse rejecta ratione pollutionis tantum ex parte offerentium, quia eadem ratione et nostrum rejici posset. Et præterea multi Hebræorum bene offerebant : quare si ista esset causa rejectionis, rejecisset Deus in particulari ista, vel illa, non ita in genere omnia. Itaque rejecta sunt generaliter omnia, quia causa erat generalis, cum omnia pollutioni obnoxia essent.

Quod vero illis opponat sacrificium mundum generaliter, et non obnoxium pollutioni, patet, quia dicit : *In omni loco offertur oblatio munda*. Nam si esset mundum ratione offerentium, non in omni loco offerri mundum diceretur, cum in plurimis locis mali ministri, quod est in se, sacrificium

polluant : sed dicitur in omni loco offerri mundum, quia tale est in se, nec potest revera pollui ex malitia ministrorum. Et præterea, si causa repudiationis illorum sacrificiorum est obnoxia fuisse pollutioni, certe opponi debet illis oblatio non obnoxia pollutioni. At sacrificia spiritualia, cum ab opere nostro pendeant, obnoxia sunt pollutioni, et reipsa sæpe polluuntur, non minus nunc a Christianis, quam olim polluerentur a Judæis; ergo loquitur Propheta de sacrificio Eucharistiæ, quod unum, et solum est vere mundum, et quod nullius ministri malitia pollui potest, cum præcipuus Sacerdos sit Christus, et ipse idem sit sacrificium.

Tertium argumentum sumitur ex illis verbis : *Non accipiam munus de manibus vestris etc.* Hinc enim colligitur, oblationem Ecclesiæ non solum esse mundam, sed etiam novam, et quæ antea non fuerit : nam oblatio ista munda, succedit oblationibus Judæorum, quæ occasione pollutionis reprobantur. Non autem succederet, si una cum illis in usu fuisset : debet igitur esse nova oblatio. Et præterea distinguitur a Propheta sacrificium Gentilium, a sacrificio Judæorum; proinde loquitur de sacrificio novo, et quod Judæis in usu non fuerit. Constat autem sacrificia spiritualia precum, psalmorum, et similium rerum, omnia fuisse apud Judæos; ergo non loquitur de sacrificio spirituali Malachias, sed de sacrificio improprie dicto, quale nullum est in Ecclesia, si Eucharistia non est sacrificium improprie dictum.

Quartum argumentum sumitur ex antithesi contemptus, et gloriæ Dei, quæ describitur hoc loco a Propheta. Dicit enim S. Malachias per Hæbræos Sacerdotes contemptum ac despectum fuisse nomen Dei : sed per oblationem Gentilium glorificatum. Hebraici autem Sacerdotes Deum offendebant in publico, et visibili sacrificio : ergo gloria Dei apud Gentes nasci debuit etiam ex publico, et visibili sacrificio. Alioqui major fuisset contemptus illatus nomini Dei in sacrificio Gentium : ille enim fuisset contemptus interior, et exterior, et privatus, et publicus; hæc autem gloria esset solum privata, et magna ex parte interior.

Quintum argumentum sumitur ex antithesi Sacerdotum. Opponit enim Malachias non omni populo, sed Sacerdotibus tantum veteris legis, non omnes Christianos, sed certos homines, qui proprie Sacerdotibus illis succedunt : ergo non loquitur de sacrificio

spirituali, quod ab omnibus Christianis offerri solet, sed de sacrificio proprie dicto, quod a solis veris Sacerdotibus offerri potest. Et quidem quod loquatur de Sacerdotibus tantum, non de omni populo, patet ex illis verbis : *Ad vos, o Sacerdotes, qui despicitis nomen meum etc.* quod autem illis opponat solos Sacerdotes, non autem omnem populum patet ex eodem Propheta. Nam postquam dixerat cap. i. *Offertur nomini meo oblatio munda etc.* exponit cap. iii a quibus offerenda sit ista munda oblatio : *Purgabit, inquit, filios Levi, et colabit eos, quasi aurum, et quasi argentum, et erunt offerentes Domino sacrificium in justitia, etc.* ubi per filios Levi non possunt intelligi Levitæ Testamenti veteris, quia loquitur Propheta apertissime de sacrificio Ecclesiæ Christianæ, et Sacerdotes Leviticos jam reprobaverat. Et denique initio capituli legimus : *Ecce ego mitto Angelum meum.* Quæ verba exponit ipse Dominus de Joan. Baptista Matth. xi. et inde cogimur lotum hunc locum intelligere de adventu Domini, et tempore Testamenti novi. Nec possunt intelligi per filios Levi omnes Christiani, quia filii Levi una tantum pars erat in populo Dei, non totus populus : quare respondet eis pars quædam populi Christiani, non totus populus. Et confirmatur ex cap. lxxvi. Isaïæ, ubi, ut paulo ante ostendimus, distinguuntur Sacerdotes a populo Christiano, cum dicitur : *Assumam ex eis Sacerdotes.* Non igitur omnes Christiani sunt proprie Sacerdotes, sed certi quidam ex eis assumpti, ac proinde sacrificium proprie dictum esse debet, quod ab illis tantum et non ab omnibus offeratur.

Denique accedat consensus veterum Patrum, qui locum hunc Malachiæ de sacrificio Eucharistiæ semper intellexerunt, non de operibus bonis, quæ ab omnibus fieri possunt. Justinus Martyr in Dialogo cum Triphone, disertis verbis (Kemnitio etiam teste) hunc locum exponit de sacrificio Eucharistiæ, quod in specie panis, et vini toto orbe terrarum Deo offertur : « De nostris, inquit, Gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est, pane Eucharistiæ, et poculo similiter Eucharistiæ, jam tunc locutus Malachias, prædixit nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare. »

Kemnitius nititur hunc locum depravare, ex eo quod Justinus ibidem addit, Eucharistiam fieri in memoriam passionis Christi, et in gratiarum actionem Deo, qui mundum pro nobis condidit, et nos a peccatis libera-

vit. Hinc enim ipse colligit, sacrificium, de quo Malachias secundum Justinum loquitur, esse sacrificium spirituale, id est, memoriam passionis Domini, et gratiarum actionem Deo pro beneficio creationis, et redemptionis.

Sed frustra laborat. Nam Justinus illis verbis explicat causam finalem sacrificii a Malachia prædicti, non ipsum sacrificium. Sacrificium enim esse dicit oblationem Eucharistiæ ex pane, et vino confectæ; causam autem sacrificii esse dicit memoriam passionis Domini, et actionem gratiarum. Et sane si liceret hoc modo cavillari, probare possemus, nulla unquam fuisse, ne apud Judæos quidem, sacrificia proprie dicta : Omnia enim fiebant in repræsentationem passionis Domini, et gratiarum actionem, aut similem aliquam causam.

Irenæus lib. iv. cap. 32. : « Eum, inquit, qui est ex creatura, panem accipit, et gratias egit, dicens : Hoc est corpus meum, et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti, novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, offert Deo in universo mundo ei, qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum : de quo et in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit : Non est mihi voluntas in vobis etc. » Similia habet cap. 33. et 34.

Hunc etiam locum Kemnitius ad suam sententiam detorquere conatus est, sed usque adeo debiliter, ut vix ulla responsione sit opus. Dicit enim Irenæum loqui de oblatione eleemosynarum, quæ inter actionem Cœnæ Domini fieri solebat : atque has eleemosynas sacrificium appellasse, quod Deo offerri dici possit, id quod propter Deum pauperibus offertur, juxta illud : *Qui miseretur pauperis, fenerator Deo.* Et illud : *Esurivi, et dedistis mihi manducare,* quæ duo loca Irenæus allegat cap. 34.

Sed non advertit Kemnitius Irenæum a simili ducere argumentum. Nam cum vellet ostendere, sacrificium Deo exhiberi, non quia ipse indigeat, sed quia nobis utile est gratitudinem erga illum ostendere : affert in exemplum eleemosynam, quæ Deo fieri dicitur, cum tamen non sit utilis Deo, sed nobis. Quod autem Irenæus intelligat Malachiam de sacrificio proprie dicto, non de eleemosynis, patet ex illis verbis, quæ habentur in fine capituli 32 : « Manifeste, inquit, significans Malachias per hæc, quoniam

prior quidem populus cessabit offerre Deo ; omni autem loco sacrificium offertur ei, et hoc purum, nomen autem ejus glorificatur in Gentibus. » Et ex illis, quæ habentur cap. 34. : « Et genus oblationum reprobatur est : oblationes enim et illic, oblationes autem et hic sacrificia in populo, sacrificia et in Ecclesia. » Ubi Irenæus dicit, sacrificium nostrum succedere illi, quod cessavit apud Hebræos : et Deum non reprobasse sacrificia absolute, sed genus quoddam sacrificiorum, nimirum Judaicorum. Porro apud Judæos non cessarunt eleemosynæ, et orationes, et alia improprie dicta sacrificia : sed cessarunt veræ, ac proprie dictæ immolationes, quæ non nisi in Hierusalem fieri poterant ; ergo loquitur Irenæus de sacrificio proprie dicto, et tale vult esse sacrificium Eucharistiæ. Denique illa verba cap. 32. « Novi Testamenti novam docuit oblationem », nonne clarissime, quod volumus, ostendunt ? non enim eleemosyna est nova oblatio, nec propria Testamenti novi, cum etiam apud Judæos sit, et fuerit in usu.

Tertullianus lib. III. contra Marcionem declarans sacrificium a Malachia prædictum : « In omni loco, inquit, offertur sacrificium nomini meo, et sacrificium purum, gloriæ scilicet relatio, et benedictio, et laus, et hymni, quæ omnia, cum in te quoque reprehendantur, et signaculum frontium, et Ecclesiarum Sacramenta, et munditiis sacrificiorum etc. »

Hunc locum ad se rapit Kemnitius, ob illas voces : « Gloriæ relatio, laus, et hymni. » Sed Tertullianus describit breviter, et more suo, paulo obscurius, totum ritum sacrificii Missæ : siquidem in eo sacrificio, et ante, et post consecrationem, et oblationem sacrificii, laudatur Deus, et oratur, et hymni cantantur, ut notum est. Vocat autem Tertullianus benedictionem, ipsam consecrationem Eucharistiæ ; unde mox subjungit : « Ecclesiarum Sacramenta, et munditiis sacrificiorum. » Denique alludit Tertullianus ad ipsam primam hujus sacrificii oblationem. Dominus enim in ultima cæna primo gratias egit, deinde benedixit, et tandem hymnum cecinit : nam hymno dicto exiit in montem olivarum, ut in Evangelio legimus. Quæ omnia totidem fere verbis Tertullianus expressit, cum ait : « Gloriæ relatio, benedictio, laus, et hymni. »

Profert Kemnitius duo alia loca ex Tertulliano. Unum ex libro contra Judæos, ubi di-

cit de sacrificiis spiritualibus locutum esse Malachiam, non de terrenis. Alterum lib. IV. contra Marcionem, ubi legimus simplicem orationem de conscientia pura esse sacrificium, de quo loquitur Malachias.

Sed facile est respondere. Tertullianus enim non vocat Eucharistiam sacrificium spirituale, quia non sit vere, ac proprie dictum sacrificium : sed tum quia a Spiritu sancto est, non ab humano, et carnali sensu excogitatum ; tum etiam quia non constat victima terrena, sed cœlesti, nec carnali modo per gladium et ignem, et sanguinis effusionem, sed modo spirituali per verborum benedictionem, et consecrationem sacrificatur. Neque id durum ulli videbitur, qui cogitet ab eodem Tertulliano in eodem loco, sacrificium Abelis vocari spirituale respectu sacrificii Cain, quia nimirum Abel Spiritu sancto duce sacrificaverit, Cain autem non tam spiritum, quam sensum carnis suæ in sua oblatione ducem habuerit. Quod si sacrificium Abel, licet spirituale dicatur, non desinit esse verum, imo etiam cruentum sacrificium ; quanto magis Eucharistia poterit spirituale sacrificium appellari, et tamen veri sacrificii nomen, et rationem retinere ? Adde, quod ibidem Tertullianus dicit, sacrificium Abel fuisse figuram Eucharistiæ, ex quo sequitur sic ab eo appellari Eucharistiam sacrificium spirituale, quomodo sacrificium Abel.

In altero loco Tertullianus non exponit testimonium Malachiæ per orationem, ubi nominat sacrificium, sed ubi nominat incensum. Nam in Hebræa, et Græca editione sic legimus : *Incensum offertur, nomini meo, et sacrificium mundum.* Ubi vocem illam *incensum*, Tertullianus interpretatur orationem, quod etiam ante eum fecit Irenæus loco citato, et post eum Hieron. in comment. Malachiæ ; sed posteriorem vocem, sacrificium, communiter exponunt de Eucharistia.

Cyprianus lib. I. contra Judæos, cap. 16. ponit in titulo capitis, quod sacrificium vetus evacuetur, et novum celebretur ; ac deinde citat hunc locum Malachiæ. Non est autem novum sacrificium, nisi sacrificium Eucharistiæ : illa enim spiritualia, quæ hæretici commemorant, semper fuerunt.

Eusebius Cæsariensis lib. I. demonstr. Evangel. cap. ult. citato loco Malachiæ, sic ait : « Sacrificamus igitur Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificamus Deo plenum, et odorem afferens, et sacrosanctum sacri-

cium, sacrificamus novo more, secundum novum Testamentum, hostiam mundam ». His verbis apertissime describitur sacrificium Eucharistiæ : hoc enim solum est proprium Testamenti novi, et novo more offertur, et est Deo plenum, et sacrosanctum : orationum, et eleemosynarum sacrificia, nec sunt propria Testamenti novi, nec novo more offeruntur, nec sunt Deo plena etc.

Kemnitius citat ex eodem Eusebio lib. 1. demonstrat. Evang. cap. 6. aliud testimonium. Scribit enim Eusebius Malachiæ sacrificium significare, quod Gentes in toto mundo orationis incensum, et sacrificium mundum, non per cruores, sed per pias actiones essent oblaturæ.

At non videtur intellexisse Eusebium Kemnitius illa; enim verba Græca Eusebii: Τὸ δὲ εὐχὴν θυμίαμα, non significant orationis incensum, quasi ipsa oratio sit incensum, seu sacrificium, de quo loquitur Malachias, sed incensum, seu sacrificium, quod per orationem, id est, per verba consecrationis percifitur. Solent enim Patres consecrationis verba, orationes, seu mysticas preces appellare, Deinde etiamsi per incensum intelligere deberemus orationem: tamen sequentia verba ad Eucharistiam pertinent; ipsa enim est sacrificium mundum, quod non per cruorem, sed per pias, et religiosas actiones, id est, per mysticas consecrationes offertur. Itaque Eusebius utroque loco per sacrificium a Malachia prædictum intelligit Eucharistiam.

Joan. Chrysostomus in comment. Psalm. lxxv. posteaquam verba Malachiæ citaverat, subjungit: « Vide quam luculenter, atque dilucide mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiamata autem purum vocat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur ». Ex quo loco exponi potest alius ejusdem Chrysostomi ex homil. 2. contra Judæos (quem citat Kemnitius, ubi verba Malachiæ intelligit de cultu spirituali, qui carnali cultui Judæorum successit. Vocat enim cultum spirituales sacrificium Eucharistiæ, quia, ut supra diximus, non carnali modo per gladium, et sanguinis effusionem, sed per Spiritum sanctum, et per verba consecrationis efficitur. Unde ibidem Chrysostomus scribit, nostrum vocari sacrificium mundum, quia adeo excellenter est mundum, ut comparatione ejus omnia alia videantur immunda. Quod encomium certe non quadrat in opera nostra, quæ sunt sacrificia im-

proprie dicta, sed in Eucharistiam optime convenit.

Hieronymus in comment. Malachiæ, licet per incensum intelligat orationem (quem locum frustra urget Kemnitius tamen per sacrificium intelligit Eucharistiæ oblationem: dicit enim offerri Deo hostiam mundam in cæremoniis Christianorum.

Augustinus lib. 1. contra advers. legis, et Prophet. cap. 20. tractans hunc locum Malachiæ: « Ecclesia, inquit, per successiones Apostolorum immolat in corpore Christi sacrificium laudis ». Ubi quod loquatur de vero sacrificio, quod a solis Sacerdotibus proprie dictis offerri potest, patet ex illis verbis: « Per successiones Apostolorum ». Illi enim soli recte immolant sacrificium corporis Christi, qui legitime Apostolis succedunt, qui primi a Christo Sacerdotes instituti fuerunt. Quare frivolum est, quod Kemnitius ad hunc locum respondet, ideo non esse contra se, vel pro nobis, quod Augustinus non meminerit mimicæ repræsentationis. Nam, ut sæpe diximus, non de illa repræsentatione, sed de oblatione Eucharistiæ Deo facta controversia est. Quod etiam Kemnitius addit, ab Augustino per incensum intelligi orationes, jam supra declaratum est.

Idem Augustinus de sacrificio corporis Domini in Eucharistia loquens, lib. xviii. Civit. cap. 35.: « Hoc sacrificium, inquit, per Sacerdotes secundum ordinem Melchisedech cum in omni loco a solis ortu usque ad occasum Deo jam videant offerri, sacrificium Judæorum, de quibus dictum est: Non est mihi voluntas in vobis, jam cessare, negare non possunt, aut alium Christum exspectant ». Vide eundem lib. xix. Civit. cap. 23. In oratione contra Judæos, cap. 9, et in Psal. cvi. in illa verba: *Posuit desertum in stagna aquarum.*

Theodoretus in comment. Malachiæ disertis verbis dicit, secundum Malachiæ prædictionem, nunc immolari agnum immaculatum, loco victimarum irrationalium, quæ erant in lege Judæorum.

Damascenus lib. iv. de fide, cap. 14: « Hoc, inquit, illud est purum et incruentum sacrificium, quod a solis ortu usque ad occasum Dominus oblatum iri per Prophetam prædixit ». Denique Rupertus in commentario apertissime de sacrificio Eucharistiæ vaticinium exponit.

## CAPUT XI.

*Idem probatur ex cap. IV Joannis.*

Argumentum quintum duei potest ex eap. IV. Evangelii secundum Joannem, ubi Dominus ipse vaticinium Malaehiæ, de quo satis jam disseruimus, explicare videtur, cum sic ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem.* Et paulo post: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* Hoc enim loco per adorationem non intelligitur quævis adoratio, sed solemnitas, et publica, per sacrificium proprie dictum. Id vero tribus argumentis comprobabimus, si primum breviter ostenderimus, in Scripturis non esse inusitatum, ut per adorationem intelligatur sacrificium.

Genes. XXII. Abraham instructus gladio, et igne ad sacrificandum, dixit famulis suis: *Expectate hic cum asino, ego et puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hoc loco, *adorare*, sacrificare significat: nam alioqui ubique adorare potuisset, si tantum per adorationem inervatio quædam intelligeretur; sed iusserat ei Dominus, ut in monte sacrificaret, et eo proficiscebatur, ut diximus, ad sacrificandum gladio, atque igne instructus. Joan. XII. *Erant quidem Gentiles, qui ascenderant, ut adorarent in die festo.* Act. VIII. Eunuchus Æthiops venerat adorare in Hierusalem. In his, et similibus locis (adoratio) sacrificium significat; ideo enim ex loginquis regionibus homines in Hierusalem veniebant, quia non poterant in alio loco Deo vero sacrificia rite offerri: adoratio autem simplex, ut etiam preces, ubique fieri poterant.

His ergo præmissis, Primum argumentum, quo probamus illa verba Domini: *Veri adoratores adorabunt in spiritu, et veritate*, intelligenda esse de sacrificio, ducitur a principali scopo totius illius loci. Quæstionem proposuerat Samaritana Domino de schismate Judæorum, et Samaritorum: *Domine, inquit, video, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Ista quæstio necessario de adoratione per sacrificium intelligenda est. Nam (ut ex

Josepho intelligi potest, lib. XI. antiquit. cap. 8.) schisma Judæorum, et Samaritanorum exortum est ex eo, quod Samaritani templum ædificaverunt in monte Garizim, et ibi sacrificandum esse contendebant: Judæi autem contra docebant, in solo templo Hierosolymitano legitime sacrificari posse. Hanc igitur quæstionem, quæ tunc multos vexabat, Samaritana Christo ut Prophætæ proposuit.

Præterea ipsa verba Samaritanæ cogunt, ut per adorationem intelligamus sacrificium: nam loquitur de adoratione alligata certo loco, et quæ alibi non rite fiat: *Vos, inquit, dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet; ac si dixisset: Vos Judæi reprehenditis nos, quod extra Hierusalem adoremus juxta ritum Patrum nostrorum, neque alibi, quam in Hierusalem licitam esse adorationem asseritis.* At certe nunquam fuit apud Judæos adoratio alligata certo loco, nisi ratione sacrificii: loquitur igitur Samaritana de adoratione per sacrificium. Quod si hoc ita se habet, necesse est, ut etiam Domini responsio de adoratione per sacrificium intelligatur, alioqui Dominus non satisfecisset quæstioni propositæ. Ergo cum Dominus ait: *Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem:* sensus erit, Veniet tempus, quando non erit alligata adoratio per sacrificium, neque huic monti, neque Hierosolymis, sed in omni loco offeretur Domino sacrificium. Et hoc est, quod prædixit Malaehias: *In omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

Verba autem sequentia: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate*, hunc sensum faciunt: Veri adoratores, id est, qui verum Deum legitime colunt, nimirum Christiani, adorabunt Patrem, id est, Deo sacrificabunt: in spiritu et veritate, id est, sacrificio spirituali, et vero, non carnali, et typico, ut Judæi faciebant. Opponitur enim spiritus carni, et veritas figuræ: erant enim sacrificia Judaica carnalia, quia in mactatione carnis, et sanguinis effusione consistebant, et simul typi, et umbræ erant futurorum. At Eucharistia sacrificium est spirituale, quia (ut sæpe diximus) per Spiritum sanctum, et verba consecrationis efficitur, et simul est verum ac impletivum veterum figurarum. Nam et si est etiam typicum respectu sacrificii crueis, tamen respectu sacrificiorum Judaicorum, non typicum, sed verum dicendum est. Ita exponunt

has particulas: *In spiritu et veritate*, Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius in hunc locum. Possent tamen etiam ita distingui illæ voces, ut Theophylactus, et S. Thomas in commentario distinguunt, ut spiritualis cultus, opponatur cultui carnali Judæorum: verus autem opponatur cultui falso Samaritanorum, qui revera non legitime, et per hoc non vere Deum colebant sacrificiis suis.

Secundum argumentum dicitur ab illis verbis: *Venit hora, et nunc est*. Hæc enim verba manifeste significant Dominum loqui de adoratione nova, quæ antea non erat, et quæ initium haberet a Christo. At adoratio simplex, et omnia sacrificia improprie dicta, ut hymni, preces, eleemosynæ, semper in usu fuerunt, tum in lege, tum etiam ante legem; non ergo Dominus loquitur de adoratione simplici, sed de adoratione per sacrificium, et per sacrificium non improprie dictum, et commune omni ætati, sed per sacrificium proprie dictum, et proprium Testamento novo, et Ecclesiæ Christianorum.

Tertium argumentum sumitur ex eo, quod sine dubio loquitur Dominus de adoratione externa, publica, et solemnī; non de interna, et privata. Nam et quæstio Samaritanæ id postulat, et præterea Dominus apertissime loquitur de adoratione apud Christianos, quæ succedat illi, quæ apud Judæos non fiebat legitime, nisi in templo Hierosolymitano; illa autem erat externa, publica, et solennis. Atqui adoratio simplex, et sacrificia improprie dicta, possunt omnia privatim fieri, et sæpe sola mente; non ergo loquitur Dominus de ista adoratione, neque de istis sacrificiis, sed de vero externo, et publico sacrificio Ecclesiæ, quod aut nullum est, aut Eucharistia est.

Adde, quod Theodoretus, et Rupertus in commentario Malachiæ hunc locum Joannis, volunt omnino similem esse vaticinio Malachiæ supra explicato, quod etiam ante eos asseruit Eusebius lib. i. demonstrat. Evang. cap. 6. Quare si locus Malachiæ de Sacrificio proprie dicto intelligitur, ut satis jam demonstravimus, certe etiam locus hic Joannis de sacrificio proprie dicto intelligendus erit.

## CAPUT XII.

### *Probatur sacrificium Missæ eæ verbis institutionis.*

Sextum argumentum principale sumitur ab institutione, et prima celebratione hujus mysterii, quæ habetur Matth. xxvi. Marc. xiv. Lucæ xxii. et I Cor. xi. Est autem argumentum hujusmodi: Christus in ultima Cœna se ipsum sub specie panis, et vini Deo Patri obtulit, et id ipsum jussit fieri ab Apostolis, et eorum successoribus usque ad mundi consummationem, sed hoc est sacrificium vere, ac proprie dictum obtulisse, et offerendum instituisse; ergo celebratio Eucharistiæ est sacrificium proprie dictum. Assumptio argumenti extra controversiam est: sed propositionem adversarii pertinacissime negant. Antequam autem progrediamur ad eam comprobendam, operæ pretium erit, imposturam adversariorum breviter refutare.

Joannes Calvinus in antidoto articulorum Parisiensium, fingit Catholicos ita probare propositionem nostri argumenti: « Christus dixit, Hoc facite. Sed facere, est sacrificare, juxta illud Virgilii: Cum faciam vitula: ergo Dominus jussit sacrificare ». Deinde argumento a se conficto, respondet, Dominum, cum ait: « Hoc facite », non esse locutum latine, ut locum habeat acceptio illa Virgiliana, sed syriace, sive hebraice, ubi non habet locum illa subtilitas grammaticalis: proinde argumentum nihil concludere. Martinus etiam Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 746. Catholicos ridet, quod utantur illo argumento ex vocabulo faciendi, quod apud Virgilium accipiatur pro eo, quod est sacrificare.

Sed errant in duobus adversarii. Primum quod non bona fide referant argumenta Catholicorum: non enim Catholici tam inepte argumentantur. Deinde, falsum est, quod assumunt, in lingua Syriaca, vel Hebraica, verbum (facere) non posse accipi pro sacrificare: nihil enim sæpius occurrit in Scriptura, quam illud verbum in ea significatione. Levit. xv. ver. 15 loquens Moses de duobus turturibus in sacrificium offerendis: *Faciet, inquit, unum pro peccato, et alterum*



in holocaustum, ubi etiam in Hebræo est verbum עשה quod proprie significat facere, עשה אדם הכהן III. Reg. xviii. ver. 23. dicit Elias prophetis Baal: *Dentur nobis duo boves, et illi eligant sibi bovem unum, et in frusta cedentes ponant super ligna, ignem autem non supponant, et ego faciam bovem alterum* הנהדו ואני אעשה את הפר Osee II. ver. 8. *Ego dedi ei frumentum, vinum, et oleum, et argentum multiplicavi ei, aurum quæ fecerunt Baal.* עשו לבעל Vide similia Levit. ix. xiv. xxiii. xxiv. Num. vi. viii. xiv. xxviii. III. Reg. viii. Ezech. vlxI. et alibi.

Sed his omissis, probabimus propositionem nostri argumenti, quod videlicet Dominus in cœna obtulerit Deo, et jusserit offerri corpus suum in specie panis, et vini. Et quidem, quod si ipse obtulit, jusserit etiam offerri, certum est ex illis verbis Lucæ xxii: *Hoc facite in meam commemorationem*; illud enim, *Hoc*, demonstrat, ut supra ostendimus, id quod Dominus fecit in cœna.

Quod autem Dominus in cœna obtulerit corpus suum Patri in Eucharistia, et non solum Apostolis manducandum porrexerit, in quo tota est difficultas, ut etiam Kemnitiuſ et alii latentur, probatur primo ex dielis in 1. 2. et 3. argumento principali. Non enim fuit vere sacerdos secundum ordinem Melchisedech, neque implevit figuram agni Paschalis, neque fuit vere sanguis cœnæ, sanguis Testamenti novi, nisi in cœna se obtulerit in sacrificium, ut satis tunc demonstratum est.

Præter illa argumenta, habemus alia tria. Primum, Christus dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, Lucæ xvii, vel ut habet Paulus I Corint. xi: *Quod pro vobis datur frangitur*. Item: *Hic est calicis novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur*, Luc. xxii. et addit Matthæus, cap. xxvi: *In remissionem peccatorum*. Illa verba temporis præsentis, *datur, frangitur, funditur* non significant dari, vel effundi Apostolis ad manducandum, et bibendum, sed dari, et effundi Deo in sacrificium: nam non ait Dominus, *Vobis datur, frangitur, effunditur*, sed *pro vobis*. Et præterea non dabatur, aut effundebatur eibus ille, et potus tunc nisi Apostolis præsentibus, et tamen Dominus ait etiam: *Pro multis effunditur*, Matth. xxvi sensus igitur est, *Pro vobis, et pro multis datur*; et libatur Deo in sacrificium propitiatorium, in remissionem videlicet peccatorum.

Ad hoc argumentum non potest responderi, nisi id quod respondet Kemnitiuſ. in

par. exam. pag. 716. illa verba, *traditur, frangitur, effunditur*, referri ad crucem, ut sensus sit: *Hoc est corpus meum, quod paulo post dabitur ad mortem, et hic est sanguis, qui paulo post in cruce fundendus est*: quod enim paulo post futurum est, non inusitate dicitur jam fieri. Et probat Kemnitiuſ debere accipi hoc loco præsens pro futuro, his argumentis. Primo, quia in Canone Missæ legimus: *Effunditur*. Secundo, quia si ipsa actione Missæ sanguis effunderetur, non esset Missa incrementum sacrificium. Tertio, Scriptura tradit Christi sanguinem fusi esse in cruce. Quarto, in Scriptura sæpe accipitur præsens, vel etiam præteritum pro futuro, ut in illis verbis: *Ego pono animam meam. Puer natus est nobis. Agnus occisus est ab origine mundi*. Addit etiam quinto, quod si ista verba: *Quod pro vobis datur*, essent substantialia verba sacrificii Missæ, magnum scelus impengeretur Canoni Missæ, quod illa verba prætermiserit.

Sed ista Kemnitiuſi argumenta parum valent. Ad primum, non solum canon Missæ, sed etiam vulgata editio Scripturæ Lucæ xxii. et Cyprianus lib. ii. epist. 3. legunt in futuro: *Effundetur*. Sed istæ lectiones non pugnant inter se, imo una inducit alteram; nam ex eo, quod Dominus in præsentis dixit, *funditur*, id est, offertur, ac libatur Deo in in representationem effusionis futuræ in cruce, sequitur effusionem in cruce fuisse futuram; et simul etiam sequitur, deinceps usque ad mundi consummationem fundendum sanguinem Christi, id est, offerendum et libandum Deo in sacrificio Missæ, quod omnibus veteribus sacrificiis successit. Itaque omnes sunt vere lectiones, sive dicamus, *Funditur*, id est, unne in cœna, sive *Fundetur*, id est, in cruce, sive *Fundetur*, id est, deinceps in sacrificio per Ecclesiam frequentando. Sed nulla negari debet, et præsertim prima, cum Evangelistæ, et Paulus scripserint in præsentis, *datur, effunditur*; et non oporteat negare proprium, et simplicem litteræ sensum sine urgentissima ratione.

Ad secundum, non effunditur in cœna sanguis in propria specie, sed in specie vini: dicitur enim sanguis in cœna fundi, dum in specie liquida in calice collectus offertur Deo, ac deinde in eadem specie funditur in ora summentium. Sed hæc effusio non facit sacrificium eminentum, cum sanguis re ipsa de corpore non egrediatur.

Ad tertium, Scriptura verissime tradit Christi sanguinem fustum esse in cruce, sed non negat fustum etiam fuisse in Cœna, imo id appertissime docet, neque ista, ut diximus, inter se pugnant.

Ad quartum, fateor in Scriptura sæpe accipi præsens, aut præteritum pro futuro : sed sæpius præsens pro præsentī, quam pro futuro accipiendum nemo, credo, inficiabitur. Probandum igitur esset Kemnitio hoc loco, illud : *Datur, et effunditur*, accipi pro futuro, non pro præsentī : ut interim omitam, quam ineptum sit illud exemplum a Kemnitio adductum : *Agnus occisus est ab origine mundi*. Si enim, ut ipse jubet, exponas præteritum pro futuro, hic erit sensus : Agnus occidetur ab origine mundi; qui sensus quam repugnantiam includat, nemo non videt.

Ad quintum illa verba : *Quod pro vobis datur*, non sunt verba substantialia sacrificii, quasi necessario requiratur eorum pronuntiatio, ut sacrificium percipiatur : sunt tamen ejusmodi, ut manifeste indicent sacrificium a Christo in Cœna fuisse oblatum.

Non igitur probavit Kemnitius quod volebat : nos vero contra probamus, illa verba : *datur, et funditur*, debere referri ad actionem cœnæ, et in præsentī accipienda esse. Primo, quia id requirit propria, et simplex ejus loci sententia.

Secundo, quia Paulus I Corinth. xi. dixit : *Quod pro vobis frangitur*, frangi autem non convenit Christi corpori, nisi in specie panis. Quare S. Joannes Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinth. scribit Christum in Sacramento pati fractionem, quam in cruce pati noluit. Et quamvis utcumque possit fractio etiam ad passionem Christi in propria specie accommodari, propter confractionem cutis, et nervorum, ac venarum etc., tamen vix dubium esse potest, quin Apostolus respexerit ad species panis, cum ait, *frangitur*; Scriptura enim proprie uti solet hac voce cum loquitur de pane, ut : *Frangite esurienti panem tuum*, Isaïæ LVIII. ; *panis quem frangimus*, I Corinth. x; *Frangebant circa domos panem*. Actor. II. Nec tamen possumus de solo pane intelligere illa verba : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur*; non enim panis pro nobis frangitur, sed nobis. Oportet igitur intelligere verba illa de vero corpore, sed sub specie panis, ut sensus sit : Hoc est corpus meum, quod nunc pro vobis

in specie panis frangitur, id est, datur, et immolatur Deo.

Tertio, quia Lucas cap. XXII. cum ait : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur*; illud, *funditur*, non conjunxit cum voce, *sanguine*, sed cum voce, *calix*, ut ex Græco textu apparet, ubi habetur, τοῦτο τὸ ποτήριον ἐκχυνόμενον. At certe si Lucas dicere voluisset, sanguinem fundendum in cruce tantummodo, dixisset : Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo, qui, nimirum sanguis, funditur : nunc autem dixit : Hic est calix, qui funditur. Itaque indicavit sanguinem fundi, ut erat in calice, et proinde fundi in cœna.

Secundum argumentum principale ad probandam propositionem supradictam, quod Christus in cœna se obtulerit in sacrificium, sumitur ex vera præsentia corporis, et sanguinis Christi in cœna, quam Lutherani concedunt, et Calvinistæ concederent, nisi cum apertissimis Scripturæ verbis pugnare vellet. Nam Christi corpus, et sanguis in cœna sumuntur, ut caro, et sanguis victimæ pro nobis oblatae; ergo necessario in ipsa cœna prius immolantur, et offeruntur Deo, quam a nobis sumantur.

Supra autem Christi corpus, et sanguinem, ut participationem victimæ, Lutherani non negant : et si negarent, facillime probaretur. Nam in primis ideo in cœna seorsim consecratur corpus, et seorsim sanguis, ut intelligamus, præsentiam corporis et sanguinis in cœna esse ad modum occisi, et mortui corporis. Deinde corpus, et sanguis sunt in cœna, ut cibus, et potus. At caro, et sanguis, non sunt apta ad cibum, nisi prius animal moriatur; Christus autem non moritur, nisi per immolationem. Et hoc est argumentum Gregorii Nysseni in prima oratione de Resurrect. ubi colligit in cœna Christum immolari, quia non possemus aliter carne ejus vesci. Hinc etiam Augustinus lib. IX. Confess. cap. 13. dicit matrem suam omnibus diebus servisse altari, unde sciret dispensari victimam sanctam.

Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 772. et 773. egregie se ad hoc argumentum respondisse putat. Dicit enim non sufficere præsentiam veram, et realem corporis Christi ad sacrificium : nam etiam in utero matris, et postea in præsepi, fuit vera, et realis præsentia corporis Christi, ubi tamen nullum fuit sacrificium. Itaque vult quatuor condiciones requiri ad verum sacrificium. Primo,

substantiam rei, quæ immolatur. Secundo, certam offerendi actionem a Deo præscriptam. Tertio, certam personam a Deo deputatam ad offerendum. Quarto, ut fiat ea intentione, et ad eum finem, qui in verbo Dei præscriptus est. Ex his autem conditionibus primam duntaxat haberi dicit in celebratione cœnæ, reliquas omnino deesse.

Respondeo primum, quod Christi corpus in utero matris, vel in præsepi vere, ac realiter fuerit præsens, et tamen non fuerit sacrificium, ad rem nihil facit. Nam non erat in utero, vel in præsepi, ut victima, sed ut vivens infantulus : in cœna autem esse ut victimam, ipsi fatentur. Sic enim scribit ipse Kemnitiſ, ut alios interim omittam, pag. 717. « Ibi (in cœna) dispensatur, et sumitur victima, quæ pro peccatis nostris semel in cruce oblata est ». Hæc ille. Sic igitur nos argumentum instruimus : Christi corpus, ut in Cœna reipsa adest, victima quædam est ; ergo aliqua præcedente immolatione victima factum est. Quæro, quæ fuerit illa immolatio ? dices, Immolatio crucis. At cum primum Apostoli participarunt istam victimam, nondum Christus in cruce fuerat immolatus. Præterea neque nunc victima, quæ est in altari, potest dici facta per immolationem crucis : nam illa immolatio semel tantum facta est, et victima per eam facta, paulo post desiit esse victima. Christi enim corpus post resurrectionem dum apparebat discipulis, et dum in cœlum ascendebat, victima dici non poterat : et multo minus nunc, ut in cœlis vivit ac regnat, victima dici potest. Cum igitur victima per immolationem crucis facta, desierit esse victima, si iterum Christi corpus incipit esse victima, debet alia immolatione id fieri. Sed immolatio crucis non potest repeti ; alia igitur nova requiritur immolatio. Quare aut immolatio, quæ victimam ponit altari, seu in sacra cœna, est ipsa actio, celebratioque mysterii Eucharistiæ : aut non est in sacra cœna ulla victima.

Quod vero attinet ad illas tres conditiones sacrificii, quas in Eucharistia desiderari Kemnitiſ putat, nos facile possumus eas demonstrare. Nam in primis certæ personæ deputatæ ad sacrificium, sunt Apostoli, et qui eis succedunt ; illis enim solis Dominus dixit : *Hoc facite*. Intentio, et finis in verbo Dei præscriptus, habetur ibidem in illis verbis : *In meam commemorationem*. Nam ut finis erat sacrificiorum præcedentium, Christum

repræsentare sacrificium crucis, ut futurum : sic finis est sacrificii Eucharistiæ commemorare, et repræsentare sacrificium crucis, ut præteritum. Et sicut vetera illa sacrificia non amittebant suam, et veram, et propriam sacrificii rationem ex eo, quod essent repræsentativa ; ita etiam sacrificium Eucharistiæ, non amittit suam, et veram, ac propriam sacrificii rationem, quia simul est alterius sacrificii commemorativum.

Restat una conditio demonstranda, nimirum actio offerendi, quam quidem certo scimus adesse, etiamsi forte eam non facile possemus distinguere, et separare ab aliis actionibus quæ simul fiunt. Nam ex prima conditione, quam Kemnitiſ admittit, necessario infertur secunda, quam ipse negat ; Ubi enim est victima, ibi necessario præcedere debet immolatio, et proinde oblatio, cum victima non fiat, nisi per immolationem ; sed satis manifesta est actio immolationis, et oblationis in Eucharistia, nimirum ipsa consecratio. Neque enim petere debent adversarii, ut ostendamus ubi Dominus dixerit : Ego offero, vel sacrificio ; aut ubi jusserit, Offerite, vel sacrificate : sed satis est, si actio ipsa offerendi, et immolandi ostendatur. Nam in Testamento veteri nusquam legimus dixisse sacerdotes : Ego offero, vel sacrifico ; sed hoc ipso, quod ad Dei honorem, et ad significandam Christi mortem, animalia cæsa super altare ponebant, offerre Deo, et sacrificare censebantur. Quemadmodum etiam Dominus in cruce non legitur dixisse : Ego me offero, et sacrifico : et tamen quis dubitet spontaneam illam ascensionem crucis, veram oblationem fuisse ? Ad eundem igitur modum illa actio, qua Christi corpus ad Dei honorem super mensam ponitur, ut consumatur, idque fit ad repræsentandam ejusdem Christi passionem, oblatio, et immolatio, dicenda est. Illa autem actio consecratio est : nam per consecrationem fit, ut Christi corpus vere et visibiliter adsit super mensam, et adsit apte ad repræsentandam passionem, et mortem ejusdem.

Tertium argumentum principale ad eandem probandam propositionem, sumitur ex Patribus, qui aperte dicunt, Christum in cœna seipsum Deo Patri sub specie panis, et vini obtulisse.

Irenæus lib. iv. cap. 32 : « Novi Testamenti novam docuit oblationem ». Cyprianus lib. ii. epist. 3 : « Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus ? qui

sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, panem scilicet, et vinum, hoc est, suum corpus, et sanguinem ». Ambrosius in Psalm. xxxviii. in illa verba : *In imagine pertransit homo* : « Vidimus, inquit, Principem sacerdotum ad nos venientem ; vidimus, et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequamur, ut possumus, Sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium. Nam et si infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio : quia et si nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur : imo ipse offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat sacrificium quod offertur ». Gregorius Nyssenus orat. 1. de Resurrect. : « Pro ineffabili, arcanoque, et qui ab hominibus cerni nequit, sacrificii modo, sua dispositione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem, ac victimam offert pro nobis sacerdos simul, et agnus Dei. Quando hoc accidit? cum suum corpus ad comedendum, et sanguinem ad hibendum familiaribus præbuit. » Joann. Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinthios : « Pro brutorum, inquit, eade seipsum offerendum præcepit. » Et homil. 2. in posteriorem ad Timotheum, prope finem : « Sacra ipsa oblatio, sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modo quoque conficiant : nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacraverat ». Augustinus in Psal. xxxiii conc. 2. « Ipse de corpore, et sanguine suo, sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech ». Vide etiam lib. iii de Baptismo contra Donatistas, cap. 19. lib. xx. contra Faustum, cap. 21. epist. 5. ad Marcellinum, lib. xvii. de civit. Dei, cap. 20. et lib. lxxxiii quest. 61. Deo ser. vii. de passione Domini : « Ut umbræ cederent corpori etc. Isichius lib. 2. in Levit. cap. 8. « Prius figuratum ovem cum Apostolis cenans Dominus, postea suum obtulit sacrificium. » Rupertus lib. ii. in Exodum cap. 6. « In angustia passionis agonizans, propriis manibus Deo Patri semetipsum immolavit, accipiens panem etc. »

## CAPUT XIII.

*Probatur sacrificium Missæ ex cap. xiii. Actorum.*

Septimum argumentum sumitur ex illis verbis, quæ S. Lucas in Actis ponit, ubi refert ordinationem Pauli, et Barnabæ : *Ministrantibus*, inquit, *illis Domino, et jejnantibus, dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos* (1). Ministerium enim illud Domino exhibitum, non videtur aliud esse potuisse, quam sacrificium, et sacrificium Missæ : aut enim hoc sacrificium est in Ecclesia, aut nullum.

Significari autem illa voce : *Ministrantibus*, sacrificium, probatur Primo ex voce Græca λειτουργούντων. Nam in primis etiam adversarii confitentur, et potissimum Apologia Confessionis Augustanæ in articulo de Missa, vocem illam λειτουργέω, non significare quodcumque ministerium, sed publicum. Itaque hoc loco non significat aliquid privatum, et internum, sed publicum, et proinde externum. Neque significare potest ministerium verbi, aut Sacramentorum : quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim concionamur Deo, neque Sacramenta Domino dispensamus, sed populo. Hic autem dicitur : *Ministrantibus illis Domino*.

Dices : Qui concionatur, aut Sacramenta populo præbent, Domino ministrare dici possunt, quia ad ejus honorem id faciunt. At si ista esset causa, cur Lucas scripserit, *Ministrantibus Domino*, non addidisset, et *jejnantibus* ; nam etiam jejnare, est eo modo Domino ministrare. Qui enim bene jejnant, ad honorem Dei jejnant : juxta illud Roman. xiv : *Qui manducat, Domino manducat, et qui non manducat, Domino non manducat*.

Præterea verbum illud λειτουργέω, licet possit accommodari ad sacra, et profana ministeria, tamen cum accommodatur ad sacra, et absolute ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii, ut patet ex cap. 1. Lucæ, et epistola ad Hebræos, cap. ii. viii. ix. x. Quare hoc loco Erasmus, qui apud adversarios in pretio esse solet, vertere ausus est : *Sacrificantibus illis Do-*

(1) Act. XIII, 2.

mino; et hinc etiam factum est, ut Græci Missæ celebrationem λειτουργείαν appellent.

## CAPUT XIV.

*Probatur sacrificium Missæ ex cap. x. prioris ad Corinthios.*

Argumentum postremum ex his quæ petuntur a Scripturis, est apud Apostolum I Cor. x : *Fugite, inquit, ab idolorum cultura. Ut prudentibus loquor; vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus qui de uno pane participamus. Videte Israel secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum (1). Hæc ille.*

Ex his verbis tria argumenta colliguntur. Unum ex comparatione mensæ Domini, cum mensa Gentilium, et Judæorum. Apertissime enim comparat Apostolus mensam Domini, unde sumimus Eucharistiam, cum altari Gentilium, ubi immolabantur idolis, et cum altari Hebræorum, ubi immolabantur sacrificia carnalia Deo vero. Inde autem sequitur mensam Domini esse etiam quoddam altare, et proinde Eucharistiam esse sacrificium: nunquam enim altare proprie dictum erigitur, nisi ad sacrificia proprie dicta. Existimant quidem aliqui, ut Haymo, et alii nonnulligraves auctores non improbabiler mensam Domini expresse vocari altare, Heb. XIII. in illis verbis: *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt (2)*: tamen quia non desunt ex Catholicis, qui eo loco per altare intelligant erucem, aut ipsum Christum; non urgeo ipsum locum.

Alterum argumentum sumitur ex comparatione Eucharistiæ cum sacrificiis Gentilium, et Hebræorum. Apostolus enim aper-

tissime dicit, ita nos fideles sumere de mensa Domini corpus, et sanguinem Domini, ut sumunt Judæi hostias, et Gentiles idolothyta ex suis altaribus seu mensis. Quæ comparatio inepta sit necesse est, et perperam ab Apostolo adducta, si Eucharistia non est sacrificium Deo immolatum, sicut sibi illi Judæorum, et Gentilium sunt sacrificia Deo, vel idolis immolata.

Tertium argumentum sumitur ex comparatione societatis, quam habemus cum Deo per manducationem Eucharistiæ, cum societate quam habebant Gentiles cum idolis per manducationem idolothytorum. Paulus enim docet eos, qui manducant idolothyta ita conjugii cum idolis, ut censeantur veri idololatræ, ideo namque initio dixit: *Fugite ab idolorum cultura*. Utitur igitur hoc argumento: Qui manducat idolothyta, fit particeps altaris idolorum: ergo consentit in sacrificium idolorum, imo fit socius immolantium idolis. Ergo est idololatra; sacrificium enim est proprius actus latræ. Quare si apta est Pauli comparatio, oportebit etiam circa Eucharistiam ita argumentari: Qui manducat Eucharistiam, fit particeps altaris Domini, ergo consentit in oblationem Eucharistiæ Deo factam, imo fit socius eam offerentium; ergo Deum hac oblatione cultu latræ honorat.

Ad hæc argumenta respondet Kemnitius in 2. parte Examinis pag 767. Ac primuni more suo impudenter admodum, et scurriliter in re tam sacra se gerit: « Ex ethnicorum, inquit, sacrificiis, quæ dæmoniis offeruntur, deploratæ Missæ suæ subsidium accersere non verentur: non dissimili ratione sicut ille apud Virgilium inquit:

Vos mihi Manes  
Este boni, quoniam Superis aversa voluntas

Hæc ille: nec animadvertit impius hæreticus, se hoc modo Apostolum ipsum irridere, illique insultare. Si enim nos a diis manibus censemur subsidium petere, quia probamus sacrificium Missæ ex comparatione Eucharistiæ ad sacrificia Gentilium: multo magis Paulus censebitur a diis manibus auxilium petisse, qui probavit non esse manducanda idolothyta ex eadem comparatione Eucharistiæ ad sacrificia idolorum. Sed facessant impie nugæ, vel blasphemie potius: non enim a diis manibus, sed a verbis divinæ

(1) I Cor. X, 14 et seq. — (2) Heb. XII, 40.

Scripturæ, et a comparatione in eadem Scriptura posita, subsidium flagitamus.

Deinde Kemnitius serio respondet, ac duo dicit. Primo, mensam Gentilium, cum qua Apostolus comparat mensam Domini, non esse altare idolorum, sed mensam communem, in qua convivari solebant. Id probat, quia non erat consuetudo Gentilium, ut ad aras discumbrent, sed ut de reliquiis immolatorum domi suæ convivium instruerent, et ad illud amicos suos invitarent. Loquitur autem B. Paulus de mensa, in qua comedebantur idolothyta; ergo non loquitur de altari, sed de communi mensa. Præterea non erat quæstio B. Pauli, an liceret Christianis apud aras Gentilium interesse ipsorum sacrificiis, et sacrificare dæmoniis, id enim Christianis notissimum erat: sed an liceret ire ad convivia Gentilium, ubi edenda apponebantur idolothyta.

Hæc prima solutio Kemnitii parum valet. Nam in primis falsum est non consuevisse Gentiles ad aras idolorum discumbere. Quid enim, quæso, est quod ait Apostolus I Corinth. VIII: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam, recumbentem in idolio?* quid enim est idolium nisi locus ubi est idolum? Neque obstat quod idem Paulus dicit I Cor. X. *Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur, manducate; si quis dixerit, Hoc immolatum est, nolite manducare, etc.* (1). Nam utrumque est verum, solebant quippe Gentiles, et ad aras idolorum discumbere, et etiam de reliquiis immolatorum domi suæ convivium instruere. Quare male proponit Kemnitius quæstionem Apostoli. Nam etsi non erat quæstio, an liceret idolis sacrificare: tamen nec erat quæstio, an liceret in conviviis Gentilium interesse; sed an liceret vesci idolothytis, et præsertim in idolio: et Paulus negat licere, quia hoc est socium fieri dæmoniorum, et interpretative sacrificare dæmonibus.

Deinde etiamsi non consuevissent Gentiles ad aras idolorum discumbere, ut falso dicit Kemnitius, tamen mensa dæmoniorum, cui comparatur mensa Domini, adhuc altare ipsum, non mensam communem significaret. Apostolus enim ubi mensam dæmoniorum nominat, non loquitur de mensa, ubi comedebatur, sed de mensa, ubi immolabatur, et unde cibi immolati ad mensam communem deferebantur, ut manifeste patet ex colla-

tionem cum altari Judæorum: *Videte, inquit, Israel secundum carnem, nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?*

Deinde idem colligitur ex eo, quod Apostolus vocat mensam Gentilium mensam dæmoniorum: vocat enim eam mensam dæmoniorum, quia sacra erat dæmoniis. Non enim vocaret mensam dæmoniorum, mensam communem Gentilium, ad quam mittebat etiam fidelibus accedere. Præterea non compararet mensæ Domini si loqueretur de mensa communi et profana, nisi velit Kemnitius mensam Domini esse mensam communem, et profanam.

Adhæc Apostolus, cum dhortatur a mensa dæmoniorum, dicit causam esse, ut fugiant cultum idolorum: ergo loquitur de mensa, in qua immolabatur idolis, ex qua qui sumebant cibum, censebantur idololatræ.

Denique idem Paulus in eodem capite dicit, licitum esse ire ad mensas Gentilium, et ibi manducare idolothyta, si quis ignoret cibos illos esse immolatos: et simul dicit: *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum:* ergo nisi secum ipse pugnet Apostolus, non potest per mensam dæmoniorum intelligere mensam Gentilium, ubi solum materialiter comeduntur idolothyta. Quod autem Kemnitius dicit Apostolum scribere, liberum quidem esse, tamen non convenire, ut fideles simul mensæ Domini, et mensæ dæmoniorum participes fiant, absurdissimum, et falsissimum est. Non enim Apostolus dicit liberum esse, sed absolute dicit: *Non potestis mensæ Domini, et mensæ dæmoniorum participes esse.* Et quid absurdius dici potest, quam ut liberum sit fidelibus mensæ dæmoniorum participare, et dæmoniorum socios fieri?

Adde ultimo, quod etiamsi non possemus convincere per mensam dæmoniorum intelligi altare idolorum, tamen argumentum nostrum esset solidum ex comparatione mensæ Domini cum altari Judæorum, quod Apostolus expresse nominat.

Sed Kemnitius non fuit tam hebes, quin viderit hoc modo refelli posse solutionem suam; ideo ad finem addidit secundam solutionem, ac dicit, eos qui sumunt Euchari-stiam, participare de sacrificio peracto in cruce; sicut ii, qui manducabant idolothyta, participabant de sacrificio peracto in altari idolorum.

(1) I Cor. VIII. 10; X, 27 et 28.

At neque hac via evadere poterit. Nam Apostolus non comparat mensam dæmoniorum cum cruce, sed cum mensa Eucharistiæ, proinde vult esse mensam Eucharistiæ verum altare ad sacrificandum erectum: et in hoc sita est comparatio; quod sicut Gentiles manducabant immolata in altari, ita nos manducamus id quod immolatur in mensa Eucharistiæ. Deinde, ut supra diximus, sacrificium ex immolatione factum in cruce fuit aliquando, et postea desiit esse, nec potest rursus fieri nisi per novam immolationem. Atque hactenus de testimoniis Scripturarum.

## CAPUT XV.

*Probatum sacrificium Missæ ex traditione Patrum, ac primum ex vocibus sacrificii, oblationis, immolationis, etc.*

Hactenus ex divinis litteris testimonia pro sacrificio Missæ deprompsimus: nunc ad secundum locum accedimus, videlicet ad testimonia veterum Patrum. Recte enim Kemnitius dicit pag. 775. bonas mentes plurimum moveri consensu, et testimonio antiquitatis ejus potissimum, quæ fuit purioribus, optimis et florentissimis Ecclesiæ temporibus. Sed quia nimis longum esset singula testimonia seorsim excutere, ut fecimus in disputatione de veritate corporis Domini in Eucharistia: reducemus omnia ad aliquot capita, et simul refellemus responsiones adversariorum.

Primum igitur caput, sive argumentum sumi potest ex nominibus sacrificii, hostiæ, victimæ; et ex verbis, offerre, immolare, sacrificare, quibus Patres utuntur cum de celebratione Cœnæ Domini verba faciunt; passim enim tum Græci, tum Latini, non solum dicunt Eucharistiam esse sacrificium, seu oblationem, sed dicunt, offerri Deo, immolari, et sacrificari. Neque opus est loca notari ubi ejusmodi voces habeantur: adversarii enim fatentur eas apud Patres esse frequentissimas: « Negari non potest, inquit Kemnitius pag. 782, veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, usurpare vocabula, sacrificii, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ; item uti verbis, offerre, sacrificare, immolare. » Hæc ille.

Hic igitur modus loquendi satis indicat

quid Patres senserint: si enim existimarent Eucharistiam solum esse Sacramentum, non etiam sacrificium, ut adversarii sentiunt, nulla esset causa cur aliter loquerentur de Eucharistia, quam de Baptismo. Nusquam autem Patres Baptismum vocant sacrificium, hostiam, victimam; nec dicunt baptizare esse sacrificare, vel immolare. Præterea quæ causa esset cur Patres de Sacramento Eucharistiæ aliter loquerentur, quam adversarii nostri loquantur? quomodo enim credibile erit veteres Patres in modo loquendi nobiscum, in sententia cum adversariis convenisse?

Sed videamus quid illi respondeant. Lutherus in lib. de captivitate Babylon. cap. 1. timide dicit, Patres fortasse vocare sacrificium, non ipsam Eucharistiam, sed orationes quæ in Missa dicuntur. Quia vero videbat istam solutionem non esse sufficientem, cum Patres passim ipsam Eucharistiam sacrificium vocent, et offerri dicant Deo a sacerdotibus, ut paulo post ostendemus, audacter valedicit Patribus: « Si nihil habetur, inquit, quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam sacrificium esse concedere. » Et in lib. de abroganda Missa, initio ita scribit: « Profiteor in primis, adversus eos qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. » Et infra aperte dicit, se non curare quid Patres de Missa dixerint, sed quid debuerint dicere. Similia habet in lib. contra regem Angliæ: « Ultimo, inquit, dicta Patrum inducit rex pro Missario sacrificio, et ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere præ omnibus. Hoc est quod dixi, Thomisticos asinos habere nihil quod producant, nisi multitudinem hominum et usum antiquum. » Et paulo infra dicit, se nihil curare si mille Augustini, et mille Cypriani contra se stent. Denique in lib. de Missa privata: « Hic non moramur, inquit, si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia ut dixi, hominum dicta, aut facta, nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos: Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos. »

Joannes Calvinus in lib. iv. Institut. cap. 10. §. 10, respondet initio sacramentum Eucharistiæ a Patribus vocari sacrificium, quia est memoriale sacrificii crucis. Quam solutionem fusius persequitur Kemnitius, et ideo

paulo infra eum Kemnitii solutionibus eam refellemus: præsertim cum Calvinus non multum videatur in hac solutione confidere. Nam paulo post §. 11. non solum fatetur veteres usos esse vocabulis, quæ sacrificium significant, sed etiam agnoscit eos in modo actionis ad sacrificii rationem accessisse, et apertissime eos reprehendit, quamvis inepte sensum eorum excusare nitatur: « Quia veteres quoque, inquit, video alio hanc memoriam detorsisse, quam institutioni Domini conveniebat (quod nescio quam repetitæ, aut saltem renovatæ immolationis faciem eorum Cœna præ se ferebat) nihil tutius piis pectoribus fuerit, quam in pura, simplicique Dei ordinatione acquiescere, cujus etiam ideo vocatur cœna, quoniam sola hic ejus auctoritas vigere debet. » Et § 12: « Et certe si cogitamus Domini, non hominum cœnam esse, non est cur ulla hominum auctoritate vel annorum præscriptione patiamur nos ab illa vel latum unguem dimoveri. » Hæc ille.

Itaque Lutherus, et Calvinus non sunt homines bonæ mētis, judicæ Kemnitio, cum non moveantur consensu, et testimonio veteris ac veræ, et florentissimæ Christi Ecclesiæ. Ipse autem Kemnitius, ut se bonam mentem habere lectoribus persuadeat, quatuor quædam dicit de testimoniis Patrum. Primum, pag. 776. et sequentibus multa nugatur de statu quæstionis; scribit enim non posse probari ex Patribus histrionicam illam representationem, quam Pontificii Missam vocant esse sacrificium. Sed jam supra respondimus statum quæstionis non esse de cæremoniis, et ritibus Missæ; de his enim postea, loco proprio disseremus; sed de substantia sacrificii. Quare non tenemur hoc loco probare ex Patribus ritus Missæ, sed solum Eucharistiam offerri Deo, et non solum distribui populo: id enim est de quo nunc disputamus.

Secundo, pag. 780. et sequentibus, disserit de vocibus Missæ, et sacrificii; ac tradit sex rationes explicandi loca Patrum, qui videntur asserere Missam esse sacrificium. Prima est, quod loquantur de eleemosyna, quæ fiebat in Missa. Offerrebat enim populus panem, et vinum, ex quo pars quædam consecrabatur in Eucharistiam, pars cedebat in usum pauperum: eleemosyna autem est genus quoddam sacrificii. Secunda, quod loquantur de precibus, quæ fiebant in celebratione Cœnæ: sunt enim preces sacrificia quædam. Tertia, quod loquantur de gratia-

um actione, ad quam excitantur homines in celebratione Cœnæ, ex consideratione beneficiorum Dei: nam et gratias agere ad laudis sacrificium pertinet. Quarta, quod loquantur de prædicatione, et annuntiatione mortis Domini, quæ adjungi solebat celebrationi Cœnæ. Nam Paulus Rom. 15. ministerium Evangelii sacrificium vocat. Quinta, quod loquantur de variis exercitiis pietatis quæ occurrunt in Cœna Domini, ut fidei, pœnitentiæ, spei, dilectionis; istæ enim dicuntur a B. Petro spirituales hostiæ. Sexta, quod loquantur de oblatione fidelium, qui in actione Cœnæ seipsi Deo vovent, et consecrant, hoc est, corpus et animam suam. Paulus enim Roman. 12 vocat hostiam Deo placentem exhibitionem corporis ad obsequium ejus.

Sed istæ omnes rationes nihil ad rem faciunt. Patres enim cum de oblatione Eucharistiæ loquuntur, aperte dicunt, solis sacerdotibus licitum esse id sacrificium offerre Deo: eleemosynæ autem, preces, laudes, et cætera quæ Kemnitius laboriose coacervavit, a toto populo offeruntur. Tertullianus in lib. de velandis virginibus: « Non permittitur, inquit, mulieri in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre. » Idem in lib. de exhortatione castitatis, dicit officium sacerdotis esse docere, tingere, offerre. Epiphanius similiter hæresi 79. multis verbis contendit, non licere mulieribus offerre sacrificia, et ideo Christum ne ipsi quidem Matri suæ permisisset ut sacrificaret, sed solis Apostolis, quos sacerdotes ordinaverat. Concilium Nicænum canone 14. et Hieronymus in Epistola ad Evagrium, et alia Concilia, et Patres, passim docent, non habere diaconos potestatem offerendi sacrificium, sed id munus sacerdotum esse. At quis unquam negavit licere Diaconis, imo etiam laicis, et mulieribus offerre eleemosynas, orationes, et alia sacrificia spiritualia, et improprie dicta?

Præterea Patres disertis verbis dicunt sacrificium, quod in Ecclesia offertur a sacerdotibus, esse ipsum Domini corpus, et sanguinem; proinde solutiones illæ Kemnitii omnes sunt vanæ: nisi forte velit inaudito aliquo tropo, per corpus Domini intelligere eleemosynas, preces, etc.

S. Andreas Apostolus, ut scribunt Presbyteri, et Diaconi Achaïæ in ejus passione, dixit Ægeæ proconsuli: « Ego immaculatum agnum in altari offero, cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui immolatus est, integer per-



severat, et vivus.» Hippolytus Martyr in oratione de Antichristo, inducit Christum ita loquentem ad sacerdotes: «Venite, Pontifices et Sacerdotes, qui pretiosum corpus, et sanguinem meum quotidie immolastis.» Ambrosius in Psal. 38: «Et si nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris, cum corpus ejus offertur.» Et in cap. 1 Lucae: «Cum sacrificamus, inquit, Christus adest, Christus immolatur.» Gregorius Nissenus in orat. de Resurrect.: «Dominus, inquit, præoccupans impetum Judæorum, seipsum victimam offert idem simul sacerdos, et agnus. Sed dices mihi, quando hoc accidit? tum cum suum corpus ad comedendum, et sanguinem adbibendum familiaribus dedit.» Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinthi.: «Pro victimarum, et pecorum cæde seipsum offerendum præcepit.» Et homil. 47. in Epistol. ad Hebr.: «In multis locis offertur, non plures Christi, sed unus ubique Christus, hic et illic plenus existens, unum corpus, non multa corpora.» Quod idem scribit auctor Commentariorum, quæ tribuuntur Ambrosio, in cap. 10. ad Hebr. et post eos Primasius in eundem locum. Augustinus lib. II. quæst. Evangel. quæst. 3. reddens rationem, cur Domini jussu leproso, ut sacrificium pro sua emundatione offerret secundum ritum Mosis: «Quia, inquit, nondum institutum erat hoc sacrificium, sanctum sanctorum, quod corpus ejus est.» Idem lib. IV. de Trinitate cap. 14: «Quid gratius offerri, aut suspici posset, quam caro sacrificii nostri, corpus effectum sacerdotis nostri.» Similia habet Cyrillus lib. de adoratione in spiritu, et veritate. Leo serm. 8, de passione. Fulgentius lib. II. ad Monynum cap. 2. et alii Patres passim. Et ipsum Nicænum Concilium in eo canone, quem Calvinus, et alii omnes recipiunt, aperte dicit in sacra mensa situm esse Agnum Dei incruente immolatum.

Quod cum non ignoraret Kemnitus, addidit tertium dictum pag. 788. et sequent. «Sed excipiunt, inquit, non illa tantum pietatis exercitia, sed ipsam actionem Cœnæ Dominicæ, et quidem ipsi corpus, et sanguinem in Cœna a veteribus vocari sacrificium, oblationem, hostiam, victimam: Ego verò non nego hoc, etc.» Deinde ponit tres modos explicandi loca Patrum, quæ ipsam cœnæ actionem, vel Christi corpus, sacrificium vocant: quos modos singillatim refellemus, omisso tertio, quod is ad ea loca Patrum solum pertineat, qui dicunt sacrifi-

cium altaris esse propitiatorium, quæ est altera controversia suo loco inferius explicanda.

Igitur primus modus est, ut sacrificium appellent actionem Cœnæ, quia consecratio, et dispensatio Eucharistiæ est quædam sacra actio, quæ a Dionysio vocatur græce *ἱερουργία*. Latini enim sacrificare dixerunt, quod Græci dicunt *ἱερουργεῖν*. Id vero probat. Nam Paulus ad Rom. xv. describit per vocabula sacrificii et oblationis ministerium Evangelii, quia est quædam sacra actio. Et Augustinus Epistol. 59 ad Paulinum, vocat sancti altaris oblationem, quæ offertur Deo, quando id, quod in mensa Domini est, benedicatur, sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, et præparatur. Et Cyprianus lib. II. epist. 3. ubi in principio totius epistolæ argumentum ponit de calice Dominico sanctificando, et plebi ministrando, subinde ingeminat vocabula sacrificii, et oblationis, et quod Christus sumpsit calicem non sola aqua, sed vino, et aqua mixtum, illumque benedixit, et distribuit discipulis. Hoc Cyprianus ita effert: «Christus obtulit Deo Patri non aquam solam sed vinum aqua mixtum in calice.» Non enim ista oblatio videtur posse esse ea, quam Catholici docent; nam corpus, et sanguinem, non vinum, et aquam Catholici Deo offerri dicunt. Vocat igitur Cyprianus oblationem Deo factam, ipsam consecrationem panis et vini, quemadmodum Actor. XIII. Lucas dixit, Apostolos ministrasse Domino, cum, interprete Chrysostomo, loqueretur prædicatione Evangelii. Unde etiam Augustinus epistol. 23. dicit Christum immolari nobis, et in Psalm. 79. dicit, immolari fidelibus: ubi immolationem vocat ipsam consecrationem factam in usum fidelium. Denique Cyrillus in Epistola ad Nestorium, vocat incruentum sacrificium, seu latriam, quando id, quod confectum est, nominamus corpus, et sanguinem Christi: quando accedimus ad mysticas benedictiones, et sanctificamur, participes effecti corporis, et sanguinis oranium redemptoris Christi. Hæc Kemnitus.

Ad hunc primum modum respondeo, Kemnitiū multa dicendo nihil dicere, sed tantum mentibus simplicium rem involvendo nebulas offundere. Nam si ideo solum diceretur sacrificium actio Cœnæ, quia est quædam sacra actio, cur eodem modo non diceretur sacrificium, actio Baptismi, cum et illa sit sacra actio, et ejusdem generis, cum actio-

ne Cœnæ, cum utraque sit tantum Sacramentum secundum adversarios?

Deinde esto, quævis sacra actio possit vocari sacrificium, ob vocabulorum similitudinem, quia sacrificium sonat sacrum facere: tamen non quælibet sacra actio potest dici oblatio, ut notum est. Non enim quicumque sacram actionem facit, continuo aliquid offert alteri. At Patres diserte dicunt in Cœna offerri Deo sacrificium corporis Domini: non igitur possunt verba Patrum exponi de sola consecratione panis ordinata ad communicationem fidelium, cum illa non possit dici oblatio.

Præterea etsi vocabulum sacrificii esset ambiguum, et posset accipi pro quavis sacra actione, tamen quando tribuitur ea vox rei permanenti, id est, cum vocatur sacrificium non ipsa actio sacrificandi, sed res quæ illa actione sacrificatur, tunc certe non potest exponi, nomen sacrificii pro sacra actione. At Patres ipsum corpus Christi, quod offertur, sacrificium vocant: nam determinate dicunt in sacra Cœna offerri Deo sacrificium corporis Christi. Non igitur potest exponi sententia Patrum de sacra actione consecrandi, et dispensandi Eucharistiam: neque enim illa actio est, aut dici potest ullo modo corpus Christi.

Adde ultimo, quod Kemnitius non bene probavit quod assumpsit, et in quo totum robur suæ solutionis constituit, nimirum idem esse Latinis sacrificium, et sacrificare, quod Græcis ἱερουργία et ἱερουργεῖν. Nam licet etymologia sacrificii sumatur a sacra actione, cum sit sacrificare sacrum facere: tamen non quælibet sacra actio est sacrificium, sed ea sola, qua Deo res aliqua offertur cum certo quodam solempni ritu, et reali illius rei consumptione, ut supra ostendimus. Quare Latini, eruditi interpretes Græcorum librorum, non reddunt per vocabulum sacrificii nisi Græcam vocem θυσίαν, quæ proprie significat sacrificium, aut certe vocem, ἱερουργεῖαν, aut aliam similem ambiguum, et generalem, quando ex circumstantiis vident eo loco positam esse pro vero sacrificio. Id quod facile potest intelligi ex testimoniis a Kemnitio allatis. Nam apud Dionysium, vocem ἱερουργεῖαν, reddunt interpretes sacrum ministerium, non autem sacrificium: et quod Dionysius crediderit in Missa offerri Deo verum sacrificium, patet ex illis verbis cap. 3. par. 3. de Ecclesiastica hierarchia: « Pontifex excusat se, quod hostiam salutarem, quæ supra seipsum est, li-

te. » Apud Paulum. Rom. xv. vocem ἱερουργουῦντα vertit interpres non sacrificantem, ut debuisset secundum Kemnitium, sed sanctificantem: vocem autem προσφορὰν vertit rectissime oblationem; nomen sacrificii in toto eo capite non legitur.

Porro Augustinus altaris oblationem aptissime vocat corpus Domini, quod in altari, ut verum ac proprium sacrificium Deo offertur. Neque obstant verba a Kemnitio citata, Nam Augustinus non dicit, ut ille pessima fide citat, oblationem Deo fieri, cum quod est in mensa, ad distribuendum comminuitur: sed posteaquam dixerat, id quod est in mensa benedici, et comminui, etc., multis interpositis dicit, voveri Deo id omne quod ei offertur, maxime autem sancti altaris oblationem. Itaque Kemnitius conjunxit ista cum superioribus, ac si unam sententiam facerent cum ad diversas sententias pertineant.

Jam vero Cyprianus cum in argumento epistolæ ponit de calice sanctificando, et plebi ministrando: per sanctificationem non intelligit simplicem consecrationem, consecrationem videlicet solum ordinatam ad Communionem, sed intelligit consecrationem ordinatam ad sacrificium: nam ipse frequenter dicit offerri Deo sacrificium illud. Unde merito Cyprianus ingeminat vocem sacrificii, et victimæ. Quod autem ponderat Kemnitius Cyprianum dixisse, oblatum a Christo panem, et vinum, non corpus, et sanguinem: nihil facit adversus sententiam nostram. Loquitur enim Cyprianus de oblatione panis, et vini, quæ sacrificium præcedit, et quæ necessario requirit subsequens sacrificium: offertur enim panis, et vinum, ut etiam nunc in missa fieri videmus, tanquam materia sacrificii futuri a Deo benedicenda.

De loco Actorum supra disseruimus, atque ostendimus probabiliorem esse illorum sententiam, qui per illa verba: « Ministrantibus illis Domino », intelligunt sacrificium Missæ. Sed etiamsi admitteretur alia sententia, ut probabilis, quod loquatur Lucas de ministerio concionandi: nihil inde lucraretur Kemnitius. Nam verba Lucæ sunt generalia, neque explicate continent certum aliquod ministerium: non enim dixit Lucas: Offerentibus illis Domino sacrificium corporis Christi, sed in genere: *Ministrantibus illis Domino*. Quamvis autem non inepte possit, qui concionatur, dici, ministrare Domino; et eodem modo possit qui Eucharistiæ, vel Baptismi

Sacramentum dispensat, dici ministrare Domino: non tamen potest nisi valde dure, inusitate, et inepte dici is, qui baptizat offerre Domino aquam, vel is qui Eucharistiam dispensat, offerre corpus Christi Deo. Cum igitur Patres passim dicant, in sacra Cœna offerri Deo corpus, et sanguinem Christi in sacrificium: non possunt eorum verba ita depravari, ut Kemnitius vellet.

Ad loca Augustini, ubi dicitur Christus immolari nobis, vel populis, facile responderi potest. Illud enim *nobis*, vel *populis*, significat in nostram utilitatem sacrificium Deo offerri: nam etiam sacrificium crucis, quod est verissimum sacrificium Deo oblatum, potest dici factum nobis, quia pro nobis oblatum est. Imo Augustinus in posteriore loco, loquitur de sacrificio crucis: dicit enim tunc nobis Christum immolari, quando incipimus participare fructum mortis ejus: perinde enim nobis est, ac si tunc primum Christum in cruce oblatus fuisset.

Denique Cyrillus nihil habet contra sententiam nostram. Vocat enim incruentam latriam consecrationem, et Communionem Eucharistiæ, quatenus per illas actiones offerimus Deo sacrificium, et deinde illud consummamus, vel inde participamus: non enim appellaret latriam, nisi primarius finis illius actionis, esset Deum immediate colere cultu illi soli debito, quod fit solum per sacrificium proprie dictum. Hinc est enim quod neque Cyrillus, neque alii Patres, qui vocant Missam incruentam latriam, unquam vocant incruentam latriam Baptismi celebrationem, quia nimirum Baptismus immediate refertur ad nostram sanctificationem, non ad cultum Deo soli debitum reddendum. Atque hæc de primo modo.

Alter modus exponendi dicta Patrum est, ut intelligamus Cœnam Domini vocari a Patribus sacrificium, oblationem, immolationem, quia est commemoratio quædam et repræsentatio veri sacrificii, nimirum mortis Christi. Et eodem modo Christus dicitur in Cœna immolari, non quod revera in se proprie imoletur, sed quod imoletur in Sacramento, id est, in imagine, et similitudine. Quam solutionem, ut supra indicavimus, accepit Kemnitius a Calvino, eamque probat ex Patribus, qui sæpe dicunt, Christum semel tantum vere fuisse immolatum: et Eucharistiam esse repræsentationem illius immolationis. Hoc enim habet Augustinus in sententiis Prosperi, de fide ad Petrum, cap.

18. contra Faustum lib. xx. cap. 18. in epist. 23. et in 121. et in Psalm. LXXIX. Ambrosius, Chrysostomus, et Theophylactus in cap. x. epist. ad Hebr.

Denique Longobardus lib. iv. dist. 12. quærit, si quod gerit sacerdos dicatur proprie sacrificium, vel immolatio; et respondet id quod offertur, et consecratur a sacerdote vocari sacrificium, et oblationem, quia memoria est; et repræsentatio veri sacrificii, et sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Ubi notat Kemnitius Concilium Tridentinum sess. 22. can. 1. dixisse anathema huic sententiæ Longobardi ex Patribus confirmatæ. Nam Longobardus ex Patribus docet, sacrificium Missæ dici sacrificium, quia est memoria sacrificii crucis, non quod in se sit proprie sacrificium; Concilium autem ait: « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, anathema sit.»

Ad hunc secundum modum respondeo, verissimum esse, quod Patres dicunt, Christum semel tantum immolatum fuisse, et illius immolationis memoriam, et similitudinem esse actionem sacræ Cœnæ: nam loquuntur de immolatione in propria specie, sive de cruenta immolatione, quæ semel tantum vere, et proprie facta est: nunc autem non proprie, sed per repræsentationem agitur. Sed hoc non impedit, quo minus Patres existimaverint in Missa offerri verum, et proprium sacrificium.

Porro Longobardus, cum quærit, an quod sacerdos gerit sit dicendum sacrificium, et immolatio, accipit nomen sacrificii et immolationis pro occisione, ac si apertius quævisset, an quod gerit sacerdos, sit dicenda Christi occisio: respondet autem rectissime, Christum semel tantum vere immolatum, id est, occisum fuisse; nunc autem non proprie immolari, id est, occidi, sed solum in sacramento, et repræsentatione. An autem sit quod sacerdos gerit, sacrificium proprie dictum, sed incruentum, Longobardus non quærit, sed præsupponit, ut omnibus notum, ex ipsa celebratione quotidiana sacrificii. Ad quem modum etiam sanctus Thomas, et alii scholastici non fuerunt solliciti de eo, quod nunc est in controversia, sed solum qua ratione sacrificium Missæ possit dici Christi immolatio, id est occisio, et ideo fere respondere solent, dici immolationem, quia est repræsentatio immolationis, vel quia habet effectum similem cum ipsa vera, et reali Christi occisione. Quare concilium Tridentinum

nihil contrarium docuit Longobardi, aut scholasticorum doctrinæ.

Quod autem Patres senserint, sacrificium Missæ non esse solum commemorativum, sed etiam verum, et proprium, probatur. Primo, quia Augustinus in locis a Kemnitio citatis de fide ad Petrum, cap. 18. et lib. 20. contra Faustum, cap. 18, sicut dicit actionem Cœnæ esse commemorationem sacrificii crucis jam peracti; ita dicit sacrificia veteris Testamenti fuisse commemorationem sacrificii crucis postea futuri: et tamen negari non potest, quin sacrificia illa vetera fuerint in se vere, et proprie dicta sacrificia.

Secundo, si Patres putassent sacrificium Eucharistiæ non esse sacrificium, nisi representativum, nunquam dixissent in numero multitudinis, offerri Deo victimas, et sacrificia in altari, ut loquitur passim Cyprianus lib. 1. epist. 2. lib. 11. epist. 3. lib. 111. epist. 2. 6. 25. in serm. de eleemosyna, et in alio de oratione Dominica; sed solum in singulari, sacrificium. Unum enim tantum est, quod representatur: et ideo nomen ejus non potest, nisi in singulari efferri. Nam hæc de causa Calvinistæ nunquam dicunt multos panes consecratos, esse multa corpora Christi, quia unum corpus representant: et nos de imaginibus dicimus quidem nos habere, aut vidisse multas imagines Cæsaris, sed non dicimus, nisi inepte, multos Cæsares.

Tertio, Baptismus est Sacramentum representativum mortis Christi, ut Apostolus docet Roman. vi. Dum enim immergimur in aqua, Christo commorimur, et cum de aqua emergimus, cum Christo resurgimus: et tamen nulli veterum Baptismus sacrificium Deo oblatum unquam appellaverunt. Non igitur ista sola representatio causa esse potuit cur actio Cœnæ Domini sacrificium appelletur.

Quarto, si celebratio Eucharistiæ non esset oblatio nova, realis et vera, Deo facta, sed solum imago quædam, ac representatio oblationis in cruce paractæ, non possemus vere Deo dicere: Offero tibi hoc munus, seu Accipe Domine hoc sacrificium. Qui enim dicit alicui: Offero tibi, seu Accipe, reipsa tunc aliquid porrigit, et non solum representat oblationem, nisi forte irridere velit eum, quem honorare se simulat. Quare adversarii nostri, cum hoc probe intelligunt, abstinent omnino in suæ Cœnæ celebratione ab ejusmodi vocibus, et eas in nobis maxime reprehendunt. At veteres Patres frequentis-

sime ita loquuntur, ac præsertim Augustinus lib. viii. de Civitate cap. ult.: « Quis, inquit, audivit aliquando fidelium, sacerdotem stantem ad altare, dicere in precibus, Offero tibi, Petre, aut Cypriane, etc. » Adde quod Patres non solum dicunt, se offerre, sed etiam dicunt per hanc oblationem commemorari oblationem crucis; ubi duas distinguunt oblationes, unam representantem, et unam representatam, inveniunt unam, alteram cruentam. Augustinus lib. xx. cont. Faustum cap. 18: « Christiani, inquit, jam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, et participatione corporis Christi. » Ubi illud etiam est obiter observandum, quod sicut participatio corporis Domini non desinit esse vera, et realis participatio, licet sit commemorativa; ita etiam oblatio, quæ simul fit cum illa participatione, non desinit esse vera, et realis oblatio, licet sit alterius oblationis commemorativa.

Quinto, Patres ad nomen sacrificii sæpe addunt epitheta, quæ soli vero sacrificio conveniunt, et quæ inepte dicerentur de sola representatione, Cyprianus lib. 11. epist. 3. vocat plenum, ac verum sacrificium. Chrysostomus homil. 60. ad populum, et omnes Græci passim vocant sacrificium terribile, et plenum horroris. Augustinus lib. x. de Civ. cap. 20. vocat summum, et verissimum sacrificium; lib. de Spiritu et littera cap. 11. appellat verissimum, et singulare sacrificium. Eusebius lib. 1. demonstr. Evangel. cap. ult. vocat sacrificium Deo plenum.

Denique ultimo accedit quod Patres aperitissime dicunt per hoc sacrificium, quod nunc ab Ecclesia toto orbe terrarum offertur Deo, exhiberi eidem Deo cultum patriæ illi soli debitum, ut patet ex loco Augustini jam citato; ubi inde probat, nos non habere Sanctos pro Diis, quia nemo ad altare dicit: Offero tibi, Petre, aut Cypriane: et ex Cyrillo, aliisque Græcis, qui, ipso etiam teste Kemnitio, vocant hoc sacrificium inveniunt patriam. At si non esset hoc sacrificium nisi representatio, et memoria sacrificii crucis, non esset cultus patriæ; non enim commemorare sacrificium alterius, sed vere, et proprie sacrificare, est cultus patriæ. Ita igitur confutatur secundus modus a Kemnitio excogitatus.

Ultimum Kemnitii pronuntiatum de testimoniis Patrum, habetur, pagina 798 et 799. Nam post omnes datas solutiones, cum animadvertet non posse revera lectoribus sa-

listieri, ipse quoque cum Magistris suis Luthero, et Calvino, Patribus valedicit, oblitus ejus, quod antea scripserat, bonas amentes semper plurimi fecisse consensum antiquitatis: « Neque, inquit, veterum qualescumque sententiæ, sed Scriptura canonica regula est, et norma fidei, et judicii in hac controversia. » Et paulo infra, nævos appellat testimonia Patrum: tandem reddit tres causas, cur malit ipse cum suis Eucharistiam vocare Sacramentum, et non sacrificium, licet Patres omnes appellaverint sacrificium. Prima est, quia Scriptura divina Cœnam Domini nusquam vocat sacrificium. Secunda, quia ista appellatio sacrificii, non parum obscurat veram doctrinam, et usum Cœnæ Dominicæ. Tertia, quia ex illa catechesi appellationis sacrificii, non dextre interpretata, extractum est theatricum Pontificiæ Missæ sacrificium. Hæc ille.

Istæ vero causæ continent in primis maximam Patrum reprehensionem: significant enim Patres non esse locutos secundum morem Scripturæ, et obscurasse veram doctrinam, et usum Cœnæ Domini, et sua licentia, et improprietate loquendi, maxima incommoda Ecclesiæ attulisse. At quis id credat de illis doctissimis hominibus, qui floruerunt purioribus, ut Kemnitius loquitur, optimis et florentissimis Ecclesiæ temporibus?

Deinde prima causa ineptissima est, ut nihil de secunda et tertia, quæ meras calumnias continent, dicamus. Nam si displicet nomen sacrificii, quia Scriptura eo non utitur, cur non eadem ratione displicet nomen Sacramenti? neque enim credo, locum ostendent in divinis Litteris, ubi Cœna Domini Sacramentum nominetur. Quid est ergo quod Kemnitius loquitur, cum ait: « Hæc consideratio de nævis quorundam veterum ostendit, quare maluimus Cœnam Dominicam Sacramentum potius, quam sacrificium appellari. Primo enim Scriptura, quæ omnium rectissimas, et commodissimas appellationes potest rebus ipsis tribuere, nulli Cœnam Dominicam vocat sacrificium? »

Adde, quod Scriptura disertis verbis Cœnam Domini vocat sacrificium apud Isaiam, et Malachiam, ut supra ostendimus: Apud Paulum autem tam aperte confert Cœnam Domini cum sacrificiis Hebræorum, et Gentilium, ut plane sit cæcus, qui non videt eam ex Pauli sententia sacrificium esse.

## CAPUT XVI.

*Probatur sacrificium proprie dictum ex ritu altarium.*

Alterum caput, unde agnosci potest sententia veterum Patrum, sumitur ex ritu altarium erigendorum ad hujus sacrificii celebrationem. Nam altaria non consuevisse erigi nisi ad sacrificia proprie dicta, adversarii non negant. Nam ideo Calvinus lib. IV. Institut. cap. 18. §. 12. ita loquitur de differentia Sacramenti Eucharistiæ, et sacrificii proprie dicti: « Mensam, inquit, nobis dedit, in qua epulemur, non altare, super quod offeratur victima. » Et Petrus Martyr lib. cont. Gardinerum par. 3. in responsione ad objectum 16. pag. 710. scribit, nullum esse debere altare in Ecclesia. Et denique non alia causa est, cur hoc tempore adversarii altaria ubique demoliantur, et pro altaribus mensas convivales substituant, nisi quod intelligant altaria signa esse evidentissima sacrificii proprie dicti. Adde quæ supra diximus cap. II. ubi ex Scriptura, et Patribus, et ex ipso vocabulo Hebræo, Græco, et Latino id ipsum ostendimus. Quare si veteres Patres ad Eucharistiam celebrandam altaria semper habuisse demonstrare poterimus, demonstratum simul erit, Eucharistiam eorum sententia sacrificium esse vere ac proprie dictum.

Ac primum in Canonibus Apostolorum 3. et 4. aperta est mentio altaris ad Eucharistiam offerendam erecti. Dionysius quoque cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, altaris meminit. Tertullianus in lib. de Pœnitentia, inter alia signa humilitatis pœnitentium numerat, presbyteris advolvi, aris Dei aggeniculari, et in lib. de oratione in ultimis verbis: « Solemnior, inquit, erit statio tua, si et ad aram Dei steteris. » Cyprianus lib. I. epist. 9. jubet, ut non offeratur sacrificium pro quodam Christiano defuncto, qui reliquerat presbyterum rerum temporalium procuratorem, et causam reddit, quia non est dignus ut pro illo sacrificetur, qui sacerdotem Dei ab altari abstraxit. Eusebius lib. I. demonstr. Evangel. cap. 6. multa dicit de altari Ecclesiæ. Optatus Milevitanus lib. VI. contra Parmenianum; « Quid est, inquit, tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus aliquando et vos obtulistis,

frangere? » Et ibidem altare esse dicit sedem corporis Christi. Ambrosius lib. v. epist. 33: « Certatim, inquit, milites nuntiare, et irreverentes in altaria osculo pacem significare. » S. Antonius, ut in ejus vita scribit Athanasius, cum prævidit futuram hæresim Arianam, videre sibi visus est, feroces quosdam mulos calcibus evertentes Christi altaria. Gregorius Nazianzenus oratione in Gorgoniam, scribit eam ad altare procubuisse, et invocasse illum, qui super altare coli solet. Gregorius Nysenus in lib. de Baptismo dicit, altare esse lapidem natura sua, sed consecratione fieri sanctum etc. Chrysostomus hom. 53. ad populum: « Si quis, inquit, vellet hoc altare subruere, nonne illum lapidibus obrueretis? » Et hom. 20 in posteriorem ad Corinth. : « Tu, inquit, altare honoras quod accipit corpus Christi. » Hieronymus in lib. contra Vigilantium. Augustinus lib. viii. Civit. cap. ult. et lib. xxii. cap. 8. et alii Patres, et etiam antiqua Concilia frequentissime altarium meminerunt.

Sed forte objiciet aliquis Minutium Felicem, qui in Dialogo, qui inscribitur, Octavius, inducit Cæcilium ethnicum ita loquentem cum Octavio Christiano: « Cur nullas aras habent (Christiani), nulla templa, nulla simulacra? »

Sed facilis est solutio. Nam Christiani illis temporibus duplici de causa diligentissime cavebant; ne ulli ethnici interessent sacris nostris. Primum, quia non erant idonei ad tanta mysteria intuenda. Deinde, ob metum persecutorum, propter quam causam etiam frequenter in cryptis, et cavernis, vel certe in privatis domibus furtim rem divinam facere cogebantur: quare vulgo existimabantur Christiani plane athæi, quod nullis Diis palam sacrificare cernerentur. Cæterum non solum tempore Minutii Felicis, sed etiam multo ante habuisse Christianos altaria, perspicuum est ex locis citatis Tertulliani, Dionysii, et Clementis, qui sunt omnes Minutio antiquiores, et ex Cypriano, qui fuit æqualis Minutii.

## CAPUT XVII.

*Idem probatur ex nomine Sacerdotis.*

Tertium caput sumitur ex vocabulo, Sacerdos. Fatentur enim Calvinus, et Martyr lo-

co supra notato, sacerdotes proprie ordinari ad sacrificium; et ideo contendunt non dedisse Christum Ecclesiæ sacerdotes, sed ministros tantum verbi, et Sacramentorum.

Porro veteres Patres adeo frequenter hac voce utuntur, ut coactus sit Kemnertius confiteri in secunda parte Examinis pag. 1140, ubi de Sacramento ordinis disputat, invaluisse apud veteres usum vocandi ministros Ecclesiæ sacerdotes, et eorum ministerium sacerdotium, licet in Scriptura Testamenti novi, ejusmodi vocabulum in hac significatione non inveniatur: quod quidem verissimum est. Nam non solum Augustinus lib. xx de Civit. Dei cap. 10. et Chrysostomus in libris sex de sacerdotio, quos Kemnertius citat, et omnes posteriores passim utuntur hac voce, sed etiam his antiquiores, ut Gaudentius tract. 2. de Exodo: « Dominus, inquit, discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari. » Item Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos prope finem. Ambrosius in Psal. 38. Eusebius lib. v. demonstr. Evangel. cap. 3. Cyprianus in singulis ferme epistolis. Tertullianus de præscriptione, et de velandis virginibus. Dionysius cap. 1. 3. et 5. Ecclesiasticæ hierarchiæ et alii omnes hac voce utuntur. Et quod amplius est, ipsum S. Joannem Apostolum sacerdotio functum, et laminam Pontificalem gestasse scribit Polycrates apud Eusebium lib. v. hist. cap. 22.

Neque obstat, quod in novo Testamento ministri Ecclesiastici non dicantur sacerdotes; causa enim in promptu est. Quia enim tempore Apostolorum adhuc vigeat sacerdotium Judaicum, et sacrificia cruenta offerebantur in templo Hierosolymitano, Apostoli (Domino inspirante) non utebantur nominibus sacerdotii, sacrificii, templi, altaris, et similium rerum, ut facilius distinguerent Christiana sacra a Judaicis, et ne putarentur, si iisdem uterentur vocibus, eosdem illos ritus innovare, aut confirmare. Sed paulo post everso templo Hierosolymitano, et cessantibus omnino sacrificiis Hebræorum, libere cœperunt antiquissimi Patres uti nominibus templi, altaris, sacerdotis, et sacrificii, ut res ipsa postulabat.

Quare manifeste fallitur, vel potius mentitur Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. §. 10. cum dicit, honorem sacerdotii sic uni Chri-

sto veteres vendicasse, ut Antiehristi voem fore affirmet Augustinus lib. II. contra Parmenianum cap. 8. si quis Episcopum inter Deum et hominem intercessorem faciat. Nam Augustinus contra Parmenianum non loquitur de sacerdote, sed de mediatore, et non de quocumque mediatore, sed de mediatore per modum redemptionis, quæ soli Christo propria est. Nam per modum deprecationis multos esse intercessores, et mediatores passim fatentur Patres. Nam sic appellat sanctos Martyres Basilius in orat. in 40. Martyres, et Hieronymus in epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali, appellat Episcopos sequestres, id est, mediatores inter Deum et populum, per oblationem sacrificii altaris: quod etiam est apud Chrysostomum in VI. lib. de sacerdotio. Nee solum intercessores, sed nominatim sacerdotes Augustinus vocat Episcopos, et presbyteros lib. XX. de Civit. cap. 10: «Episcopi, inquit, et presbyteri proprie dicuntur sacerdotes.»

Neque valet responsio Kemnitii loco notato, ubi fatetur nomen sacerdotii esse apud veteres, sed non vult accipi pro ministerio sacrificandi, sed pro ministerio verbi, et Sacramentorum: istud enim solum ministerium tribui contendit in Scriptura novi Testamenti illis hominibus, qui a Patribus sacerdotes appellari consueverunt. Hæc, inquam, solutio non est sufficiens. Nam in primis sequeretur omnes Patres Græcos, et Latinos, vel ignorasse vim hujus vocis, vel de industria illa abuti voluisse. Nam, ut ait Apostolus ad Hebr. V: *Omnis Pontifex constituitur in vis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia.* Et cap. VIII: *Omnis Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur.* Et inde probat idem Apostolus Christum non esse sacerdotem, si nihil habeat quod offerat. Quis ergo credat doctissimos Patres nomen sacerdotis tribuisse iis, qui solum docent populos, et iis Sacramenta ministrant; sed Deo nullum offerunt sacrificium? Præterea docere, et Sacramenta ministrare, non solum convenit Episcopis, et presbyteris, sed etiam Diaconis, et tamen Diaconi a veteribus non dicuntur sacerdotes; ut patet ex Augustino loco citato lib. XX. de civit. cap. 10. ubi dicit Episcopos, et presbyteros proprie sacerdotes nominari: et ex Concilio IV Carthag. can. 4. ubi aperte dicitur, Diaconos non ad sacerdotium, sed ad ministerium ordinari.

Dices: Diaconi non poterant omnia Sacramenta ministrare, et ideo fortasse non dice-

bantur sacerdotes. Ae nee presbyteri omnia sacramenta ministrare poterant, ut patet de Sacramento Ordinis, et Confirmationis, et tamen sacerdotes dicebantur. Illa igitur sola vera causa est, quam reddit Concilium Nicænum canon. 14. quia videlicet diaconi non habent potestatem sacrificia offerendi, sed solum in sacrificio sacerdotibus ministrandi.

## CAPUT XVIII.

### *Probatur sacrificium ex Liturgiis.*

Quartum caput sumitur ex ritu celebrandi, Nam in primis ex omnibus antiquis Liturgiis, quæ extant, Jacobi, Clementis, Basili Chrysostomi, et ex libro quinto et sexto de Sacramento Ambrosii, et ex Catechesi quarta et quinta mystagogica Cyrilli Hierosolymitani, qui magnam partem Liturgiæ exponunt; clarissime patet, veteres Patres eo ritu celebrasse mysterium Eucharistiæ, ut nihil dubitaverint, eam esse verissimum sacrificium: plena sunt enim nomina oblationis, sacrificii, victimæ, signorum, benedictionum, elevationum, aliorumque ejusmodi rituum. Quare Lutherus (ut supra notavimus) in libro de formula Missæ, totum canonem abstulit, quod non putaret eo incolumi existente, posse defendi, Missam non esse sacrificium. Canon autem verbis non multum mutatis, totus ferme invenitur in Liturgiis, et in libris Ambrosii, et Cyrilli jam citatis: illa certe inveniuntur omnia, quæ Lutherum offende- bant, nimirum nomina oblationis, et sacrificii.

Calvinus lib. IV: Institut. cap. 18. §. II. excusari dicit non posse veteres, quin in actionis modo peccaverint: «Imitati sunt enim, inquit, propius Judaicum sacrificandi morem, quam aut ordinaverat Christus, aut Evangelii ratio ferebat.» Seilicet melius novit Calvinus, qui heri natus est, quid ordinaverit Christus, quam Jacobus frater Domini, qui Cœnæ Domini cum ipso Christo interfuit, aut Clemens, qui ab Apostolo Petro didicit, aut Basilius, Cyrillus, Ambrosius, Chrysostomus, qui mille et ducentis annis Calvinum præeesserunt.

## CAPUT XIX.

*Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificium Missæ offertur.*

Ultimum caput, unde Patrum sententiam adeo perspicue cognoscimus, ut nullus pateat adversariis exitus, nisi Patres omnino rejiciant, sumitur ex iis, pro quibus sacrificium veteres offerebant. Nam si Eucharistia nihil esset aliud, nisi Sacramentum, certe non prodesset nisi sumenti, et manducanti: quemadmodum Baptismus non aliis prodest, quam iis, qui baptizantur. Quod quidem adversarii non negant: imo Philippus, Calvinus, Kemnitius, et alii totam controversiam inter nos, et ipsos esse dicunt: An Eucharistia non solum debeat distribui manducantibus, sed etiam offerri pro salute aliorum, tum viventium, tum mortuorum: id enim posterius ad verissimum sacrificium pertinere non dubitant.

Jam vero Patres non solum in Liturgiis citatis, offerunt Eucharistiam pro peccatis vivorum, et defunctorum, pro pace, pro incolunitate, pro omnibus denique necessitatibus tum spiritualibus, tum temporalibus: sed etiam in aliis libris passim docent, id fieri debere; quæ testimonia infra suo loco adducenda erunt, cum ad eam quæstionem venerimus, sitne hoc sacrificium propitiatorium. Interim autem unus, aut alter ex Patribus sufficient.

Joannes Chrysostomus hom. 79. ad populum Antiochenum: « Altari, inquit, assistens sacerdos, pro terrarum orbe, pro Episcopis, pro Ecclesia, pro gubernantibus Ecclesiam jubetur Deo offerre. Et homil. 72. in Matth. addit offerri etiam pro infirmis, pro sanis, pro terræ fructibus. Homil. 21. in Acta, et lib. vi. de sacerdotio, et alibi addit etiam pro mortuis, Augustinus lib. xxii de Civitate Dei cap. 8. scribit a suis presbyteris oblatum sacrificium Eucharistiæ pro domo liberanda a dæmonum vexatione, et lib. ix Confessionum cap. 12. scribit, sacrificium pro matre sua defuncta oblatum. Et ne pntemus meram esse cæremoniam pro defunctis offerre, ipse idem in Euchiridio cap. 110. scribit, hostiam hanc pro non valde malis propitiationem esse. Sed de iis satis. Si quis autem velit testimoniorum farraginem, legat Joannem Garelium.

## CAPUT XX.

*Probatur sacrificium Missæ ex conjunctione legis, et sacrificii.*

Venio nunc ad argumenta, quæ ex ipsa ratione Scripturarum, et Patrum lectione instructa peti possunt. Prima ratio desumitur ex conjunctione, quæ est inter religionem, seu legem, et Sacrificium: et hoc syllogismo concludi potest: Tanta conjunctio est inter legem, seu religionem, et sacrificium externum, ac proprie dictum, ut omnino necesse sit, aut legem, et religionem vere et proprie in Christi Ecclesia non reperiri; aut sacrificium quoque externum, et proprie dictum in Christi Ecclesia reperiri. Nullum autem est, si Missam tollas: est igitur Missa sacrificium externum, et proprie dictum.

Propositio prima probatur. Primo ex eo, quod fere omnis religio, seu vera, seu falsa omni loco et tempore, semper ad cultum Dei sacrificia adhibuit. Hinc enim colligitur id prodire ex lumine, et instinctu naturæ, et esse primum quoddam principium a Deo nobis ingenitum. Falsissimum enim est, quod dicit Kemnitius, ut hoc argumentum eludat in ii. par. Exam. pag. 743. hunc esse instinctum naturæ corruptæ quæ est fons et radix omnium superstitionum. Nam et si natura corrupta revera fons est, ac fuit idololatricæ, et aliarum omnium superstitionum: tamen cum omnes Gentes in uno aliquo principio conveniant, id sine dubio non ex corruptione naturæ, sed ex bono naturæ, id est, ex lumine prodit, quod Deus illi inseruit: quæ enim ex corruptione prodent, non sunt eadem apud omnes. Itaque Deum esse, colendum esse, invocandum esse, illi sacrificia deferenda, et similia, quæ in genere apud omnes sunt, et semper fuerunt eadem, ex bono naturæ sunt. At Deos esse multos, colenda idola, sacrificandos homines, et alia quæ multipliciter variantur, ex corruptione sunt. Præterea id quod ex corrupta natura prodit, non est commune bonis, et malis, nec a Deo probatur. At sacrificandum esse, multi optimi, et sanctissimi viri censuerunt, ut Noe, Abraham, Job, Melchisedech, et Deus ipse sacrificia approbavit, et jussit etiam fieri: non igitur ex corruptione naturæ oritur sacrificandi instinctus.

Probatur secundo eadem propositio. Sa-



rificium cum ipsa religione natum est, et cum illa extinguitur; est igitur inter ea conjunctio quædam plane necessaria. Antecedens patet. Nam primi homines, qui Deum coluisse leguntur, Filii Adami fuerunt Cain, et Abel; illi autem sacrificia obtulisse leguntur Genes. 4. Deinde mundo perdiluvium abolito, cum iterum renovaretur religio, simul renovata sunt sacrificia per Noe Genes. 8. et deinde cum ob varias persecuciones, religio vera in periculum adduceretur, nihil prophetæ magis lamentabantur, quam sacrificiorum cessionem. III Reg. XIX, inquit Elias: *Dereliquerunt pactum tuum filii Israel, altaria tua destruxerunt, et Prophetas occiderunt* (1). II Paralip. XV, inquit Azarias: *Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, et absque Sacerdote, doctore et absque lege* (2). Danielis III, inquit tres. S. Pueri: *Non est in tempore hoc Princeps, et Dux, et Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum apud te, ut possimus invenire misericordiam tuam* (3). Et Daniel, XII. dicitur Antichristus ablaturus jure sacrificium, nimirum, ut religionem penitus tollat. Denique Apostolus. Hebr. 7. dicit, populum sub sacerdotio Levitico accepisse legem, et deinde addit translato sacerdotio necesse esse, ut et legis translatio fiat.

Probatur tertio. Sacrificium proprie dictum est cultus proprius Dei, id est, qui soli illi omnium consensu debetur: nam alia omnia genera honoris sunt aliquo modo communia cum creaturis, ut supra probatum est ergo nulla esse potest religio sine sacrificio proprie dicto. Nam religio ad colendum Deum instituitur: non autem colit Deum, sed potius ignominia illum afficit, qui cultum illi soli debitum, ei non adhibet. Certe inter homines si quis regi non tribueret titulum honoris, qui solis convenit regibus, Majestatem videlicet, etiamsi conservaret omnes inferiores titulos, non modo regem non honorare, sed etiam contumelia afficere judicaretur.

Probatur nunc assumptio primi syllogismi; sublato videlicet sacrificio Missæ, nullum restare in Ecclesia Christi sacrificium proprie dictum, nam si ullum assignari posset, id esset sacrificium crucis: id enim unum adversarii assignant, atque id esse volunt unicum, et verum Christianæ religionis sacrificium. Sed nos probabimus, sacrificium crucis, quamvis verissimum sacrificium fuerit,

non esse ejusmodi, quale requiritur ad legem seu religionem constituendam, et conservandam; qualem in terris, usque ad mundi consummationem Christus esse voluit: et ideo si nullum aliud habeamus, plane sequi, ut nullam habeamus religionem.

Probatur igitur primo, quia sacrificium crucis, non est proprium Christianæ religionis, sed commune omnibus veris religionibus, quæ ab initio mundi fuerunt. Nam, et in lege naturæ, et in lege scripta, omnia sacrificia in hoc unum respiciebant, et hoc unum profitebantur, et quotquot justi fuerunt ab initio mundi, ob hujus sacrificii participationem justi fuerunt: non igitur distinguitur Christiana religio ab antiquis, per sacrificium crucis.

Secundo, sacrificium crucis semel peractum est, ac deinde desiit esse, neque mansit postea nisi per effectum, et virtutem, ut notum est; imo nunquam fuit tempore Christianæ religionis; ea enim post Christi mortem proprie cœpit. At sacrificium proprium religionis debet ipsam perpetuo comitari, ut supra probatum est.

Tertio, religio quævis sacrificium externum, ac visibile requirit, ad quod homines illius religionis peragendum convenient, et quod ab ipsis frequentari possit. At nihil hujusmodi in sacrificio crucis reperitur. Est enim respectu Christianorum invisibile, cum sola fide non oculis cernatur, unde nec ad illud conveniri potest a populis, nec etiam si cerneretur, a populo, vel sacerdotibus Christianis frequentari posset, non enim fas esset ut Christum Christiani toties interficerent.

Quarto, sacrificium Christianæ religionis debet esse ritus quidam a Deo Christianis præceptus, pertinens ad illum cultum, qui latria dicitur, ut recte Augustinus, affirmat lib. 20. cont. Faustum cap. 21. At Christi occisio, quæ dicitur sacrificium crucis, neque ritus dici potest, cum fuerit ipsa veritas, quam omnes ritus adumbrabant; et multo minus ritus Christianis præceptus dici potest, nisi quis velit nobis a Deo imperatum summum scelus, Christi videlicet instersectionem, et mortem. Et denique minime omnium cultus latriæ dici potest cum potius Christum occidere summum sacrilegium dici debeat.

Accedant testimonia Patrum, quos supra citavimus in explicanda definitione Sacrificii, qui dicunt sacrificium Eucharistiæ esse uni-

(1) III Reg. XIX, 407. — (2) II Paral. XV, 3. — (3) Dan. III, 38.

cum, et singulare sacrificium Christianorum.

Accedat denique testimonium Cypriani in serm. de Cœna Domini, ubi dicit, si Eucharistia manducando consumeretur, fore ut nullum nobis remaneret sacrificium, et per hoc tota religio interiret.

Dices: Cur ergo B. Paulus ad Hebr. 7. cum dicit, translato sacerdotio debere etiam transferri legem; non dicit translatum esse sacerdotium Leviticum ab Aarone, et successoribus in S. Petrum, et successores; sed solum in Christum? Respondeo: Apostolus non dicit translatum esse Leviticum sacerdotium ab Aarone in Christum, sed translatum esse sacerdotium Leviticum in sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, quod sacerdotium æternum esse, et in Ecclesia perpetuo vigere debet. Unde cum postea nominat Christum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non ipsum considerat ut præcise obtulit sacrificium crucis, sed ut per ministros suos perpetuo sacrificat seipsum in Eucharistia: hoc enim solo modo, ut supra ostendimus, perpetuum habet sacerdotium.

## CAPUT XXI.

### *Probatur sacrificium Missæ ex comparatione legis Christianæ ad Mosaicam.*

Altera ratio principalis ducitur a collatione Ecclesiæ, et synagogæ, sive legis novæ, et veteris: populi Christiani, et judaici. Est autem hæc ratio; in populo judaico fuerunt sacrificia proprie dicta; ergo et in populo Christiano esse debent.

Probatur consequentia: Nam antecedens extra controversiam est. Primo, Christus non omnino sustulit ea, quæ Deus in veteri lege instituerat; nec enim contrarius erat Patri suo, aut sibi ipsi; sed aut perfecit, aut mutavit in meliora; ut patet in præceptis, et Sacramentis. Nam præcepta non sustulit, sed explicuit Matth. 5. et consilia addidit quæ ad præceptorum perfectam observationem conducunt. Pari ratione Sacramenta Circumcisionis, Agni Paschalis, et similia non sustulit, sed mutavit in alia vere, et proprie dicta Sacramenta, sed ut Augustinus dicit epist. 118. pauciora faciliora, et

præstanoria; ergo eodem modo sacrificia non debuit omnino tollere de medio, sed mutare.

Secundo, sacrificium est summus cultus, qui Deo tribui possit. Nam sine controversia res verbis præstant; et inter res, sacræ profanis; et inter sacras, publicæ privatis; et inter publicas, eæ, quarum ipsa substantia in Dei honorem consumitur, quam eæ, quarum solus usus. Tale autem est sacrificium proprie dictum, ut notum est. Quare si hoc genus cultus fuisset in veteri lege, et non in nova, fuisset Deus in veteri lege longe majori honore affectus, quam in nova: et proinde Christus Patris sui, non gloriam, ut dicebat, sed ignominiam procurasset.

Tertio, causa cur populus Hebræorum sacrificia externa, et proprie dicta habuerit, omnes inveniuntur etiam in populo Christiano. Habuerunt illi sacrificia externa, et visibilia, quia et ipsi populus erant externus, et visibilis, nempe non ex solo spiritu, sed carne, et spiritu constans. At populus etiam Christianus externus, et visibilis est, et carne, et spiritu constat. Habuerunt illi sacrificia, ut Christi mortem, quæ est unicum pretium, et unica salus nostra, sæpe representarent, et commemorarent, cum eam præsentem intueri non possent.

At nos etiam Christi mortem præsentem intueri nequimus; ergo egemus sacrificio, quo sacrificium illud crucis jugiter commemoremus. Habuerunt illi sacrificia, quibus Deum colerent honore summo, et soli illi debito. At nos etiam debemus Deum colere honore summo, et soli illi debito. Habuerunt denique illi sacrificia ut Deum placarent, vel ab eo beneficia impetrarent, vel pro impetratis gratias agerent. At iisdem de causis, et nos sacrificiis indigemus; imo quo nos plura a Deo beneficia accepimus, eo magis ad sacrificandum obligamur. Quare recte Petrus Cluniacensis scribit hæreticos, qui sacrificium de Ecclesia tollere cupiunt, id tentare diabolo suggerente, ut gens illa Deo præter cæteras sit ingrata, quæ præter cæteras pluribus, et majoribus a Deo beneficiis ornata est.

Quarto, re ipsa Christiani retinent omnia alia genera honoris, et cultus, quibus Hebræi Deum colebant, nimirum adorationem, invocationem, votorum nuncupationem, hymnos, psalmos, cantica, dies festos, jejunia, eleemosynas, et similia. Quis igitur sibi persuadere possit, solum illud genus honoris, quod est proprium Dei, nobis a Christo pro-

hibitum esse, cum omnia alia sint ab eo permissa; præsertim cum Christus nihil ardentius procuraverit, quam Dei gloriam, et honorem?

Neque satisfaciunt, qui dicunt, cultum internum esse nobiliorem externo: Christianos autem internum cultum Deo præstare. Nam etsi internus cultus nobilior externo sit, tamen utrique præstat internus cum externo conjunctus, sive internus cultus cum externa illius potestatione. Est autem signum, et protestatio summi interni cultus, ipsum sacrificium, ut Augustinus sæpe docet lib. 10. de Civit. Unde tres pueri Daniel III: *In animo, inquit, contrito, et in spiritu humilitatis suscipiamur; sicut in holocausto arietum, et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie* (1). Optant enim sancti pueri in captivitate positi, ut internus eorum affectus sic Deo placeat, quemadmodum placeret si cum ostendere, et protestari possent, externo signo sacrificiorum.

Quinto, sacrificia non sunt primum in lege Mosis instituta, sed ex lege naturæ ortum habent, ut patet ex sacrificiis Abel, Noe, Melchisedech, Job, et aliorum: ergo etiamsi Christus abrogare voluisset omnia instituta legis Mosaicæ, non tamen sacrificia omnino abrogare debuisset.

## CAPUT XXII.

*Probatur idem ex differentia Sacramenti, et sacrificii.*

Tertia ratio ex differentia, quæ est inter Sacramentum, et sacrificium, sumi potest. Nam commune est omnibus Sacramentis, ut ab alio dentur, ab alio accipiantur: neque ullus sibi ipse Sacramentum administret. Ita videmus in Baptismo, aliisque Sacramentis accidere; nemo enim seipse baptizare sinitur, etiamsi extrema adsit necessitas. Pari ratione nemo seipse confirmat, nemo se absolvit, nemo se sacris Ordinibus iniciat, nemo se inungit. Eodem igitur modo si Eucharistia solummodo Sacramentum esset,

nemo sibi eam ministrare posset; ejus tamen contrarium semper fuit in usu quod attinet ad eos, qui Eucharistiam consecrant.

Deinde, Sacramenta omnia in actione consistunt, non in re aliqua permanente, ut patet de Baptismo, et cæteris Sacramentis; non enim aqua consecrata, sed ablutio est Sacramentum Baptismi. Sola Eucharistia non in actione, sed in re permanente consistit, ut supra probatum est, ejus differentie vix alia ratio reddi potest, nisi quia Eucharistia non solum Sacramentum, sed etiam sacrificium esse debuit.

Denique, nullum aliud Sacramentum continet reipsa corpus Christi, sed solum sunt signa visibilia, continentia virtualiter gratiam sanctificationis, neque aliud requiritur ad rationem Sacramenti, cum Sacramenta nihil sint aliud, nisi instrumenta sanctificationis. Quare etiam Eucharistia potuisset vere, et proprie Sacramentum esse, etiamsi Christi corpus reipsa non contineret. Quæ igitur causa est cur debuerit necessario Eucharistia Christi corpus reipsa continere, nisi ut posset vere, et proprie Deo Patri a nobis offerri, et proinde sacrificium esse vere ac proprie dictum? Et sane mirum est, cur Lutherani concedant, corpus Christi vere, et realiter præsens esse in Sacramento Eucharistiae, et simul admittant victimam esse omnium, quæ unquam fuerunt, præstantissimam; et tamen pertinacissime negent, posse, aut debere offerri Deo, quasi non sit omnino exploratum et certum, debere Deo offerri id, quod habemus optimum.

## CAPUT XXIII.

*Probatur idem ex consensu Ecclesie.*

Postrema ratio, eaque meo quidem iudicio, efficacissima apud illos omnes, qui non nimium sibi placent, quosque superbiæ fumus non omnino excacævit, sumitur ex consensu et testimonio totius Christianæ Ecclesiæ, Græcæ, Latinæ, Barbaræ, quæ ab annis mille floruit. Nam adversarii fatentur Missam Pontificiam ut nunc est, sacrificium esse. Id ha-

(1) Dan. III, 39, 40.

bent expresse Lutherus in primo scripto contra Regem Angliæ. Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. § 1. et Kemnitius pag. 774. et alii. Missa autem, ut nunc est, tempore S. Gregorii Papæ I. absoluta est, ut Kemnitius fatetur pagin. 826 et 827. ubi de canone Missæ disputat : et constat a tempore S. Gregorii nihil ad Canonem Missæ additum esse. Porro Gregorius ante annos circiter mille floruit ; ergo testimonio adversariorum. Missa pro sacrificio haberi cœpit in Ecclesia, ab annis ut minimum mille.

Fuisse autem hanc sententiam receptam non in sola Urbe Roma, sed in toto orbe terrarum, fatentur etiam adversarii : nam ideo Lutherus in lib. de captivit. Babyl. cap. 4 : « Missa, inquit, creditur passim esse sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta sanctorum Patrum, tot exempla, tantusque usus per orbem constanter observatus. » Et infra : « Nec moveat, inquit, quod totus orbis contrarium et sensum, et usum habet. » Et in principio libri de abroganda Missa, seu potius in epistola dedicatoria ejus libri : « Magnum est, inquit, certe tot sæculorum consuetudini, tantæ multitudinis sensui, tantorumque auctoritati reluctari. » Et paulo infra aperte dicit se esse solum contra orbem terrarum ; sic enim sibi ipse objicit : « Tu solus sapis ? totne erant universi ? tanta sæcula ignoraverunt ? » Sic etiam Joan. Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. § 1 : « Pestilentissimo, inquit, errore Satan totum pene orbem obcæcavit, ut crederet Missam sacrificium, et oblationem esse ad impetrandum remissionem peccatorum. » Et paulo infra : « Congredi me lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus, et ejus prophetæ totum orbem imbuerunt. » Et infra § 18. dicit, hanc sententiam, quod Missa sit sacrificium ; inebriasse omnes reges terræ, et populos a summo usque ad novissimum.

Et quamvis adversarii id non dicerent, res tamen certissima esset. Constat enim apud Latinos semper fuisse eandem Missam, ex iis, qui diversis temporibus illam exposuerunt, Isidoro, Amalario, Walfrido, Ruperto, Hugone, Innocentio III, Bonaventura, et aliis : et similiter apud Græcos id clarissime constat, ex Maximo Monacho, Germano Constantinopolitano, Simeone Thessalonicensi, et Nicolao Cabasila ; et nunc demum ex cen-

sura Orientalium ad Confessionem Augustanam cap. 13.

Ex hoc igitur principio certissimo, et ab adversariis concesso, nempe Missam habitam esse pro sacrificio ab annis ut minimum mille, in toto orbe terrarum, sequitur necessario, si non est verum quod nos docemus, primo Ecclesiam totam periisse, et Christum sponsam suam, et hæreditatem amisisse ; non enim Ecclesia Christi esse potuit, qui palam idololatriæ tot sæculis servivit. Secundo sequitur falsa esse vaticinia Prophetarum Oseæ II. et aliorum, qui prædixerunt post Christi adventum idololatriam cessaturam. Tertio falsam Christi promissionem Matth. xvi : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Angeli Lucæ I : *Regni ejus non erit finis* (1). Quarto falsam Apostoli sententiam I Tim. III. Ecclesiam esse columnam, et firmamentum veritatis. Quinto Sanctos omnes, qui plurimi his postremis sæculis vita, et miraculis floruerunt, idololatrias, impios, et sacrilegos fuisse. Sexto Deum qui tam multa futura, et minus necessaria illis revelavit, hoc tamen mysterium summe necessarium nulli omnino, quamvis sanctissimo viro, ante Lutherum revelasse. Quod si hæc absurdissima sunt, et nullo modo credibilia, certe sequitur, ut verum sit quod nos cum Ecclesia Catholica docemus : quod sane etiam adversarii intelligerent, si non omnino in reprobum sensum dati essent. Istam enim consequentiam nulla ratione negare possunt : Orbis terræ ab annis mille credidit Missam esse sacrificium, ergo vel Missa est sacrificium, vel ab annis mille desiit Christi fides esse in terris ; periit Ecclesia ; rediit idololatria ; vana fuerunt Prophetarum, et Christi ipsius oracula.

## CAPUT XXIV.

### *Solvuntur objectiones Lutheri.*

Nunc demum solvendæ sunt adversariorum objectiones, Lutheri, Calvini, Kemnitii ; nam reliqui vix aliquid novi afferunt. Primum igitur Lutherus in lib. de captivit. Babyl. et in lib. de abroganda Missa, duo argumenta proponit, eaque confidenter opponit omnibus omnium Sanctorum testimoniis, et

(1) Matth. XVI, 18 ; Luc. I, 33.

totius orbis terræ, atque omnium sæculorum consensui. Primum argumentum sumitur a verbis, secundum ab exemplo Christi.

Primum ejusmodi est: Cœna Domini est Sacramentum, ac Testamentum Christi; sic enim ipse ait: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*; ergo sacrificium esse non potest. Nam sacrificii ratio cum ratione Sacramenti, et Testamenti omnino pugnat. Sacrificium enim est aliquid, quod nos Deo offerimus: at Sacramentum datur nobis a Deo, et similiter Testamentum continet promissionem hæreditatis nobis factam. Præterea Sacramenti, et Testamenti promissio fide accipitur; sacrificium contra ex fide procedit. Sacramentum, et Testamentum ad nos a Deo descendunt; sacrificium a nobis ad Deum ascendit. Item sicut non possunt idem esse oratio et quod oratione accipitur; ita non possunt idem esse Testamentum, et sacrificium. Denique sicut ridiculum est dicere per Testamentum dari aliquid testatori ab hærede, cum e contrario detur aliquid hæredi a testatore: sic etiam ridiculum videri debet, si quis dicat per Eucharistiæ Sacramentum nos Deo aliquid offerre, cum ipse potius nobis aliquid promittat, et donet. Hoc argumentum per multas paginas versat Lutherus, ac fundamentum esse dicit totius doctrinæ suæ in hac materia: ac propter hujus rei ignorantiam, pronuntiat idololatrias esse omnes Sacerdotes, et Episcopos, cum omnibus suis majoribus.

Respondeo: Tribus modis peccat argumentum Lutheri. Primo, quia assumit, sacrificium esse opus, quod nos Deo exhibemus, et illud opponit, ut nostram actionem, actioni Christi. At nos non hoc dicimus, sed asserimus tam Sacramentum, seu Testamentum, quam sacrificium esse Christi opus, et actionem: idem enim Christus, qui nobis seipsum per Eucharistiam præbet in cibum, idem seipsum per Eucharistiam Patri obtulit, et quotidie per ministros suos se offert in sacrificium. Imo inter aliâ bona, quæ nobis Christus moriens Testamento suo reliquit, unum fuit corpus ipsius, et sanguis, quo uteremur, tum ut illa Deo offerremus, tum ut inde animæ nostræ reficerentur. Neque dissimile est quod agunt homines pii, dum Testamenta sua condunt, primum enim aliquid donant Deo in usum Ecclesiarum, aut pauperum, deinde hæreditatem filiis relinquunt.

Sed etiamsi hoc sacrificium esset omnino opus nostrum, adhuc argumentum Lutheri non concluderet: nam peccat secundo, quod confundit promissionem cum signaculo promissionis. Siquidem in Sacramento, et Testamento Christi, distinguenda sunt in doctrina Lutheri promissio, quæ consistit in verbis: *Accipite, manducate etc.*, et signaculum, quod est ipsum corpus Domini, et sanguis sub specie panis, et vini: ex his duobus promissio non est sacrificium. Et hoc probat, si quid probat, argumentum Lutheri. Aliud enim est promitti nobis aliquid a Deo, aliud, nos Deo aliquid offerre. At signaculum promissionis, nulla est ratio cur sacrificium esse non possit: cur enim non possit Deus victimam sibi oblatam, instituto et mandato suo, assumere in signaculum promissionis! imo reipsa in lege veteri sic Deus fecit. Nam Testamentum vetus Exod. 24. obsignavit sanguine victimæ, tunc sibi immolatæ, dicente Moïse: *Hic est sanguis Testamenti, quod misit ad vos Deus* (1). Sic etiam omnia sacrificia legis veteris, et vera sacrificia erant, et tamen signacula erant promissionis Christi venturi, et morituri. Quid igitur mirum, si sanguis Domini in altari existens, per consecrationem simul sanguis sit victimæ Deo oblatae, et signaculum promissionis divinæ.

Tertio peccat argumentum Lutheri, quod non distinguat rationes formales Sacramenti seu Testamenti, et sacrificii. Ita enim argumentum procedit, ac si nos diceremus, sacrificium, qua sacrificium est, esse Sacramentum, vel Testamentum, et contra; vel dare, idem esse quod accipere; petere, idem quod promittere. At non ita sumus hebetes, aut rudes, ut ista dicamus: sed quod dicimus, hoc est; Eucharistiam Sacramentum esse; quatenus est signum externum, et visibile invisibilis gratiæ, et refectionis, quæ nobis confertur, dum Eucharistiam rite sumimus: eandem esse Testamentum, quatenus est instrumentum publicum, et authenticum divinæ voluntatis, et promissionis, eandem esse victimam et sacrificium, quatenus Deo offeritur. Neque repugnat, unum et idem accipi, et dari; neque valet quidquam illa consequentia: Accipimus a Deo Eucharistiam, ergo non possumus eandem illi offerre. Nam nihil omnino habemus quod Deo offeramus, nisi quod ab eo accepimus; juxta illud Da-

(1) Exod. XXIV, 8.

vidis in lib. I Paralip. XXIX. *Tua sunt omnia, et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* (1).

Secundum Lutheri argumentum sumitur ab exemplo Christi, qui in ultima cœna legitur in mensa sedisse, et Sacramentum discipulis distribuisse, non autem illud Patri obtulisse.

Respondeo : Christi exemplum nobis maxime favet. Nam etiamsi Evangelistæ non expresse dixerint, Christum se Patri in cœna obtulisse; tamen neque expresse dixerunt, non se obtulisse. Et præterea nos ex loci illius circumstantiis, ex figuris, et vaticiniis prophetarum, ex testimonio expresse antiquissimorum Patrum scimus, Christum se Patri in cœna in sacrificium obtulisse; et hoc ipsum fieri mandasse, cum ait : *Hoc facite*. Neque est id novum in mysteriis fidei. Nam nullus Evangelista scribit, in ultima cœna Christum immolasse agnum paschalem, et eundem commedissee accinctis renibus, et cum baculis in manu; imo neque expresse scribunt Evangelistæ, illum comedisse agnum paschalem; et tamen nemo dubitat ista omnia facta esse, cum esset Dominus observantissimus legis, et Pascha parari jussisset. Neque dicunt expresse Evangelistæ, Christum in calice, quem sanguinis sui calicem appellavit, posuisse vinum; nam illa verba : *Non bibam ex hoc genimine vitis*, supra ostendimus dicta esse de calice, quem bibendum dedit dominus post agni paschalis manducationem, non de calice Eucharistiæ: et tamen quis hoc tempore inficiaretur, in illo calice fuisse vinum? id enim omnes scriptores tradunt. Quare si Lutherus ab exemplo Christi probare cupit, Missam non esse sacrificium; certum aliquod testimonium afferat, ubi legamus Christum non se obtulisse in cœna. Nam illa argumenta negativa: non habetur expresse in Scriptura; ergo non est factum, jam ipsis etiam pueris ridicula sunt.

Præter hæc argumenta, habet idem Lutherus insignem imposturam in principio libri de abroganda Missa privata, ubi dicit, Papam ingressurum in epistolas decretales, pro fundamento citare illa verba Pauli : *Translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat*; et inde deducere, post Christi ascensionem translatum fuisse sacerdotium a Christo in Petrum, deinde a Petro in Papam, et a Papa in suos successores. Quam Lutheri im-

posturam iterum repetit Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis, cap. de Missa, ubi etiam addit Papam loqui de sacerdotio secundum ordinem Melchisedech.

Sed hic tria sunt mendacia. Primum, quod Papa ista dicat ingressurus in decretales epistolas, et pro fundamento jaciat. Nam ille Canon: *Translato sacerdotio*, non habetur in 1. titulo, sed in 2., nec in principio illius tituli; nam duo alii canones præcedunt.

Secundum mendacium est, quod Papa ista dicat. Nam in toto illo canone, non est nomen Christi, nec Petri, nec Papæ, sed ponuntur ipsa verba Pauli cum quadam annotatiuncula S. Augustini, quæ solum continet, legem et sacerdotium esse omnino connexa.

Tertium mendacium est, quod in eo canone agatur de sacerdotio Christi, vel Melchisedech. Nam expresse agitur de sacerdotio Levitico, ut glossa bis notat. Itaque mera sunt Lutheri somnia, translatum esse sacerdotium a Christo in Petrum, vel a Petro in Papam.

## CAPUT XXV.

### *Solvuntur argumenta Joannis Calvinii.*

Joannes Calvinus lib. iv. Instit. cap. 18. § 1. quinque argumenta proponit, cum dicit se verbo Dei clarissime demonstraturum sacrificium Missæ insigni contumelia Christum afficere; crucem ejus sepelire, et opprimere; mortem ejus in oblivionem tradere; fructum, qui ex ea nobis proveniebat, tollere; Sacramentum, quo mortis memoria relicta erat, enervare, et dissipare: quæ omnia argumenta exequitur in sequentibus sectionibus.

Primum igitur tale est argumentum. Christus est sacerdos in æternum: ergo nulli substitui debent Christo successores, aut vicarii. Ergo nulli sunt modo sacerdotes in terris, proinde nec sacrificia: nam in veteri lege ideo multiplicabantur sacerdotes, quia morte prohibebantur permanere, ut Apostolus dicit ad Hebr. cap. vii. Neque responderi potest, eos qui nunc ordinantur sacerdotes, non succedere Christo, sed eos suffraganeos esse. Nam apostolus loco citato non concedit ullorum sacerdotum multiplicationem, nisi propter mortem præcedentium, Christus autem

(1) Paral. XXIX, 14.

Semper vivit, et sacerdos manet; ergo solus fungitur sacerdotio: vel si multi sunt in terris sacerdotes, Christi sacerdotium abrogatur.

Respondeo: Nullus Catholicorum affirmat, sacerdotes, qui sunt in Ecclesia, Christo succedere: quare non erat opus, ut id Calvinus refelleret, nam quod Lutherus, et Illyricus mentiuntur, id haberi in epistolis decretalibus paulo ante refutatum est.

Quod autem attinet ad vicarios, et suffraganeos, vel potius ministros Christi in sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, falsum est horum multiplicationem repugnare unitati, et æternitati sacerdotii Christi. Nam Christus non solum est sacerdos, sed etiam est unicus, et æternus Magister noster, ut ipse dicit Matth. xxiii. Immo etiam ad sacerdotium pertinet docere, ut idem Calvinus fatetur eodem lib. iv. Institut. cap. i. § 5. et tamen quia Christus non docet nunc per se humano more, et visibiliter, ut hominum natura requirit, non repugnat unitati, et æternitati magisterii ipsius ut sint multi homines, qui dicantur Doctores, et Magistri, et in hac re vicarii, suffraganei, et ministri Christi, ut patet ex Paulo, qui I Thimoth. 2. et II Thimoth. 4. vocat se Doctorem, et Magistrum, et I Corinth. 3. vocat se et alios nonnullos Dei coadjutores, et ministros, et II Corinth. 5. dicit: *Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos. Itaque obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (1): quibus verbis se, et legatum, et vicarium Christi facit. Idem dici potest de officio pascendi, et Sacramenta ministrandi. Christus enim est pastor omnium ovium, et ipse est, qui baptizat, et Sacramenta cætera confert, omnium consensu; et tamen quis unquam negavit, debere esse in Ecclesia multos pastores; et Sacramentorum ministros, qui loco Christi, et ut ministri Christi visibiliter ista faciant? Nonne ipsi etiam adversarii pastores, et doctores, et ministri dici volunt, et quotidie docent, et baptizant, et tamen non putant se derogare unitati Magisterii, et pastoratus Christi? Eodem igitur modo, quia Christus non sacrificat nunc per se visibiliter, et humano more in terris: non repugnat unitati, et æternitati sacerdotii ejus, ut habeat in terris sacerdotes ministros, et vicarios, per quos id faciat. Imo ut supra demonstravi-

mus, non potest Christus alia ratione vere dici sacerdos in æternum, nisi per ministros sacrificet, quandoquidem certum est, cum per se proprie non sacrificare.

Ad locum autem Apostoli, qui videtur absolute excludere multiplicationem sacerdotum in testamento novo, in promptu est responsio. Apostolus enim excludit absolute multiplicationem sacerdotum in eadem dignitate, et potestate; non autem sacerdotum inferiorum, et qui respectu Christi ministri sint, et dicantur. Nam in lege veteri ob mortem Aaronis, successit illi in eadem dignitate, et potestate Eleazarus, Eleazaro Phinees, et sic de aliis, et si nunquam Aaron mortuus esset, nullus ei successisset; tamen vivente etiam Aarone multi alii erant inferiores sacerdotes. Sic igitur Christo nemo succedit in eadem dignitate, et potestate, quia nunquam moritur: tamen ipso vivente multi inferiores ordinantur, qui sint ejus vicarii, et administri. Quod etiam videmus in regno temporali, ubi regi, quamdiu vivit, nunquam succeditur, licet is multos habere soleat vel proreges, vel ministros, per quos in variis provinciis jus dicat.

Secundum Calvinum argumentum tale est. Non potest erigi altare, quin evertatur crux Christi, nec potest offerri sacrificium Missæ, sine injuria sacrificii crucis. Nam sacrificium crucis habet vim infinitam, et æternam: ergo non egemus alio sacrificio; ergo multiplicare tot sacrificia Missæ, nihil est aliud, quam negare virtutem, et sufficientiam sacrificii crucis. Neque valet effugium eorum, qui dicunt Missæ sacrificium idem esse cum sacrificio crucis. Nam si sacrificium crucis vere habet infinitam, et æternam vim, non solum non egemus alio sacrificio, sed neque alia repetitione ejusdem sacrificii. Neque illud aliorum effugium valet, qui dicunt, repetitionem hujus sacrificii ad id necessariam esse, ut applicetur singulis vis primæ oblationis sacrificii crucis. Nam ad hanc applicationem satis esse possunt media a Christo instituta, prædicatio scilicet Verbi, et sacræ Cœnæ administratio. Et confirmantur hæc omnia ex Apostolo Hebr. 9. et 10. ubi legimus Christum semel apparuisse per immolationem suam: item voluntate Dei nos sanctificatos esse per oblationem corporis Jesu Christi semel: item Christum una oblatione consummasse in perpetuum san-

(1) II Corinth. V, 20.

ctificatos : denique acquisita semel remissione peccatorum, nullam amplius restare oblationem. Accedit ultimo Christi vox, Joan. XIX : *Consummatum est* (2) ; quibus verbis testatur Dominus uno suo sacrificio perfectum esse, et completum, quidquid in salutem nostram erat.

Respondeo : Quod Apostolus ait Roman. III. de lege et fide : *Numquid legem destrui- mus per fidem ? absit, sed legem statuimus* (3) ; idem nos de cruce, et Missa dicere possumus : Numquid crucem evertimus per Missam ? absit, sed crucem statuimus. Quomodo enim Missa crucem everteret, quæ nihil ferme est aliud, nisi continua commemoratio crucis ? Sed ad argumentum. Fatemur sacrificium crucis, vim infinitam, et sempiternam habere ad sanctificandum, atque inde sequi concedimus, non esse opus alio sacrificio crucis, aut ejusdem sacrificii crucis repetitione ; id est, non esse opus, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus sæpius moriatur. Negamus autem inde sequi, non posse sine crucis Christi injuria multiplicari sacrificia representantia sacrificium crucis, et ejus fructum nobis applicantia. Nam si ita esset, non solum tollerentur Missæ de medio, sed etiam efficeremus omnia sacrificia Testamenti veteris fuisse peracta in injuriam crucis Christi. Nam sacrificium crucis non solum vim habuit sanctificandi futuros homines, sed etiam præteritos : inde enim dicitur, agnus occisus ab origine mundi, Apocalyp. 13. Illa igitur Calvinii consequentia : Sacrificium crucis est perfectissimum ; ergo non potest erigi altare, quin evertatur crux Christi : si quid valet contra altare Ecclesiæ, valebit etiam, contra altare Synagogæ : negemus igitur cum Manichæis, ut Calvino pareamus, Testamentum vetus, quod tot altaria erexit in contumeliam crucis.

Illud autem, quod Calvinus addebat fructum crucis satis applicari per prædicationem Verbi, et administrationem Cœnæ Domini : proinde non esse opus sacrificio Missæ : nihil concludit. Nam in primis eodem argumento probarem supervacaneam esse Cœnam Domini, quia fructus crucis satis applicatur per Baptismum ; imo, et Baptismum supervacaneum esse, quod sola prædicatione verbi possit excitari fides, per quam applicatur fructus crucis. Placuit igitur

Deo varia media instruere, quibus facilius, suavius, plenius fructum crucis consequeremur, atque unum ex his, nos sacrificium Missæ esse contendimus : neque adversarii contrarium adhuc ostendere potuerunt. Deinde etiamsi ad applicandum fructum crucis, non esset sacrificium Missæ necessarium, nec utile ; non tamen sequeretur esse in injuriam crucis, quod Calvino probandum erat ; imo nec sequeretur non esse necessarium. Nam adhuc necessarium esset ad religionem constituendam, quæ sine externo sacrificio esse non potest ; ad Deum cultu supremo, et illi soli debito honorandum, ad sacrificium crucis commemorandum ; et ad alios fines, de quibus supra diximus.

Ad loca ex Paulo adducta facillime respondetur. Nam verba illa capitis 9 : *Neque ut sæpius se offerat etc.* apertissime omnium expositorum consensu de cruenta oblatione accipienda sunt ; nam mox idem Paulus subjungit : *Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Sensus igitur est : Christus non intravit in cœlum per primam sui oblationem, id est, per mortem suam, ut deinde exeat, et se offerendo, et moriendo iterum intret ; et hoc sæpius repetat quemadmodum Pontifex Leviticus per victimam intrabat sanctuarium, et exibat : et rursus iterum per aliam victimam intrabat, et exibat : alioqui oportuisset Christum ab origine mundi pro singulis generationibus se offerre, ac mortem pati : sed unica oblatione, id est, unica morte peccata totius mundi purgavit, et cœli aditum omnibus hominibus aperuit. Videmus igitur Apostolum non excludere quamlibet iterationem oblationis Christi, sed eam solam, quæ mortem ipsius requirit.

Illaque quoque verba capitis x : *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Et illa : *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* : similiter de cruenta oblatione intelligenda sunt. Sensus enim est : Per unam Christi mortem sanctificati sumus, imo etiam consummati sumus, adepti videlicet non solum remissionem peccatorum, sed etiam ornamenta justitiæ, et ipsam beatitudinem ; et hoc in sempiternum, id est, pro omni ætate, et generatione, ut jam non egeamus alio Christo, qui morte sua nos redimat : vel ut idem Christus pro nobis, vel pro aliis sæpius moriatur.

(1) Joan. XIX, 30. — (2) Rom. III, 3.



Illud autem ex eodem capite: *Ubi est remissio peccatorum, jam non est remissio pro peccato*, quod adversarii maxime urgent, si quid probaret, tantum probaret, non esse locum post sacrificium crucis, ulli sacrificio propitiatorio, non autem ulli sacrificio absolute: nam multa sunt sacrificia vere, et proprie dicta, quæ non sunt propitiatoria. Quare parum fideliter Calvinus ex Paulo citavit, nullam amplius restare oblationem, cum Paulus disertis verbis dixerit, nullam esse oblationem pro peccato.

Sed neque admittimus ex hoc loco posse colligi, Missam non esse sacrificium propitiatorium, seu oblationem pro peccato. Nam duo requiruntur ad remissionem peccatorum; unum, ut inveniatur pretium liberationis, seu satisfactio justa et debita divinæ justitiæ. Alterum, ut pretium in particulari applicetur hominibus. Quod attinet ad primum, sacrificium crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia, et futura; siquidem pretium acquisivit sufficientissimum pro peccatis totius mundi: et ideo illo sacrificio peracto, et peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est, pro acquirendo pretio ad remissionem peccatorum. Et hoc solum est, quod Apostolus eo loco scribit. Quantum ad secundum, nondum facta est remissio peccatorum omnium: nam adhuc sunt, et erunt usque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit pretium liberationis, et remittenda peccata, et ideo remanet hostia pro peccato, nimirum sacrificium Missæ.

Dices: Videtur Apostolus, cum ait: *Jam non est oblatio pro peccato*, respicere ad sacrificia Judaica, quæ pro peccato dicebantur; ac docere illa sacrificia esse omnia abrogata, cum jam peracta sit remissio peccatorum: non ergo solum excludit Paulus novam oblationem, qua acquiratur pretium, sed omnes alias oblationes pro peccato, etiamsi tantum repræsentativæ, et applicativæ, sint sacrificii crucis.

Respondeo: Non cogimur dicere, Apostolum respexisse ad sacrificia Judaica: sententia enim ejus hoc tantum postulat, ut acquisito pretio remissionis peccatorum, non requiratur oblatio acquisitiva illius pretii. Potest tamen concedi Paulum respexisse ad illa sacrificia veteris legis, non ut erant repræsentativa, et aliquo modo applicativa sacrificii crucis, sed ut erant figuræ, et promissiones futuri sacrificii: peracto enim sacri-

ficio crucis, et pretio acquisito, frustra adhiberentur figuræ promittentes id, quod jam habemus. Quod autem non excludat Paulus sacrificia repræsentativa, et applicantia sacrificium crucis, manifestissime patet ex eo quod alioqui exclusisset etiam Baptismum, et Cœnam Domini, quæ sunt etiam Sacramenta repræsentantia, et applicantia fructum crucis; imo et verbum, et fidem, et orationem, et omnia media, seu instrumenta, quibus applicatur fructus crucis. Nam sic argumentari possemus: Per crucem sunt remissa omnia peccata; ergo frustra sunt omnia instrumenta justificationis.

Denique illud, *Consummatum est*, perperam a Calvino adducitur. Non enim significat, ut ipse somniat, unica oblatione crucis consummata, et completa omnia, quæ in salutem nostram erant; quasi supervacanea fuerint cætera, doctrina, Sacramenta, exempla, et omnes labores ante crucem obiti: sed significat, ut Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, et alii exponunt, consummatas fuisse pœnas, et afflictiones, quas in carne passurus erat, vel quod in idem recidit, consummata fuisse Prophetarum oracula, quæ passionem ejus prædixerant.

Tertium argumentum Calvini sumitur ex eo, quod sacrificium Missæ unam Christi mortem obliteret, et ex hominum memoria excutiat. Nam Testamenti confirmatio a morte testatoris pendet: ergo et Testamenti Christi confirmatio a morte Christi pendet. Sed Missa est novum Testamentum; imo quot sunt missæ, tot sunt Testamenta ergo ut rata sint oportet Christum toties mori, quoties dicitur Missa: ergo unica illa Christi mors, aut non creditur, aut pro nihilo ducitur. Præterea hostiam, quæ offertur occidi et mactari necesse est: ergo si Christus singulis Missis sacrificatur, eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Neque valet si respondeant, sacrificium Missæ esse ἀνάμικτον: nam non pendet ex arbitrio hominum, ut sacrificii naturam mutant; et Apostolus ait: *Sine sanguinis effusione non fit remissio*.

Respondeo: Si Catholici dicerent, in sacrificio Missæ vere Christum mori, Calvini argumentum aliquid virium habere videretur: sed cum dicant omnes, Christum non mori nisi in Sacramento, seu signo repræsentante unicam illam mortem, quam aliquando obiit; tantum est, ut Missa obliteret

Christi mortem, ut potius efficiat, ne unquam obliteretur. Sed inquit Calvinus : « Etsi dicant Papistæ, se Christum nec velle, nec posse interficere, tamen id sequi ex eorum dogmate, argumenta nostra probant. » Videamus igitur an ita sit.

Primum argumentum ex nomine Testamenti, nihil probat. Nam Missa non est nova Testamenti Christi institutio, sed est repetitio illius ejusdem, quod Christus aliquando fecit, et sua morte confirmavit. Quemadmodum inter homines, cum testamentum morte confirmatum sæpius in judicio exhibetur, et recitatur, aut etiam describitur ad applicandam huic, aut illi hæreditatem, non est opus ut testator iterum moriatur : sed satis est, si constet testatorem esse mortuum, nec ante mortem revocasse, aut immutasse suum testamentum.

Sed contra probare nititur Calvinus, singulas Missas esse Testamenta nova, id est, diversa ab illo Testamento quod Christus initio fecit, et morte sua confirmavit : « Singulæ Missæ, inquit, novam peccatorum remissionem, novam justitiæ acquisitionem promittunt ; ergo tot sunt nova, ac diversa Testamenta, quot Missæ. »

Respondeo : Remissio peccatorum, et justitiæ acquisitio, quam Missa promittit, respectu ejus cui promittitur, nova dici potest, quippe qui eam antea non habebat : sed respectu sacrificii crucis, de quo Calvinus loqui debet, non est nova, sed est illa ipsa, quæ per sacrificium crucis parta est ; nam, ut sæpe diximus, sacrificium Missæ applicat fructum sacrificii crucis. Atque in hoc est totus error adversariorum, quod sibi falso persuaserint, nos tribuere Missæ vim remittendi peccata sine ullo ordine ad sacrificium crucis.

Ad aliud argumentum ex occisione hostiæ, quæ offertur, respondeo Sacrificium Missæ esse verissimum sacrificium, et tamen non exigere veram hostiæ occisionem. Solum enim occisio requiritur in oblatione rei viventis, et quæ in forma rei viventis offertur, ut cum offeruntur agni, vituli, aves, et similia, quorum destructio in morte consistit. At cum forma sacrificii est rei inanimæ, ut panis, vini, thuris, et similium, non potest requiri occisio, sed solum consumptio rei illi conveniens. In Missa igitur offertur quidem Christus, qui est res vivens, et offertur in

forma rei viventis, quantum ad repræsentationem, ubi solum requiritur mors repræsentata, non autem mors reipsa : sed ut est sacrificium reale, et proprie dictum offertur in forma panis et vini, juxta ordinem Melchisedech, et proinde in forma rei inanimæ. Unde in Canone ubi habentur verba oblationis potissimæ post consecrationem, dicimur : Offerimus panem vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Quare consumptio hujus sacrificii non debet esse occisio, sed manducatio.

Ad illud : *Sine sanguinis effusione non fit remissio*, respondeo : Apostolum loqui de sacrificiis legis veteris, in qua nullum erat sacrificium pro peccato sine sanguinis effusione. Sic enim ait Hebr. ix : *Omnia pene in sanguine mundantur, secundum legem, et sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Præterea potest etiam absolute, et generatim accipi Pauli sententia, non quod quotiescumque fit remissio, tum sanguinem fundi oporteat, sed quod remissio nunquam fiat, nisi in virtute effusionis sanguinis, sive ea nunc fiat, sive facta, sive futura sit.

Denique in sacrificio Missæ rectissime potest dici sanguis Christi effundi, ut ipse Dominus loquitur cum ait : *Hic est sanguis meus, qui pro multis funditur* ; sive consideremus mysticam sanguinis effusionem, sive realem effusionem, id est, libationem, seu oblationem sanguinis Domini. Ut enim usitate secundum scripturas, dicitur panis frangi cum distribuitur, etiamsi integri panes dentur sic etiam vinum fundi dici potest cum distribuitur, licet plenæ amphoræ donentur, et eodem modo corpus sub specie panis frangitur, et sanguis sub specie vini funditur, dum offertur et donatur Deo in sacrificio.

Quartum Calvinii argumentum ducitur a fructu mortis Christi ; quem Missa nobis præripit, dum ne eum agnoscamus, et cogitemus, facit. Quis enim cogitet, se morte Christi redemptum esse, ubi novam in Missa redemptionem viderit ? Quis peccata sibi remissa confidat, ubi novam remissionem viderit ?

Respondeo : Argumentum non est dissimile superioribus : nititur enim falso illo fundamento, quod Missa Catholicorum sententia, vim habeat expiandi peccata sine crucis sacrificio. Si enim hoc diceremus, rectissi-

me Calvinus colligeret, Missam nobis præripere fructum mortis Christi : sed quia id nulli Catholici docent, aerem verberat Calvinus.

Sed contra instat ille : « Neque evadet, inquit, qui dixerit, non alia causa nos peccatorum remissionem in Missa obtinere, nisi quia morte Christi jam acquisita est. Non enim aliud affert, quam si jactet, nos ea lege a Christo redemptos esse, ut nos ipsi redimeremus : ut nihil jam passioni Christi relinquatur, nisi, ut sit exemplum redemptionis, quo discamus nostri esse redemptores. »

Respondeo : Mira est hujus hominis cæcitas, vel malitia, qui nondum potuit, aut certe noluit Catholicorum sententiam intelligere. Nam in primis Missa non est opus nostrum, sed Christi : ipse enim est verus sacerdos, qui per Ministros sacrificium offert, et per illud purgat, et remittit peccata. Quare etiamsi Missa haberet vim per se absque sacrificio crucis, non ideo tamen nos ipsi redimeremus, sed Christus nos redimeret. Deinde non ita comparamus, ut perperam facit Calvinus, passionem Christi cum sacrificio Missæ, ut dicamus ex passione Christi sumi tantum exemplum redemptionis. Dicimus enim passione Christi totum pretium redemptionis acquisitum, et propterea nos omnes ea morte redemptos, quod attinet ad sufficientiam pretii pro omnibus persoluti : per sacrificium autem Missæ applicari pretium illud, ut etiam applicatur per Sacramenta, quamvis alio, et alio modo, ut suo loco infra dicemus. Sicut igitur, qui baptizat, non dicitur exemplum tantum sumere redemptionis a passione Christi, nec proprie redimere, sed applicare dum taxat pretium per passionem acquisitum : sic etiam de sacrificio Missæ cogitari debet.

Quintum argumentum jam est solutum : nihil enim affert, præter id, quod Lutherus dicebat, non posse idem accipi, et donari. Hæc sunt argumenta ex libro Institutionum Alia duo addit in Antidoto artic. VI. Parisiensis, quæ brevissime solvi possunt.

Primum est hoc : Institutio Christi sic habet : *Accipite et manducate* : non autem, *Offerte* ; ergo sacrificium non ex instituto Christi est, sed palam cum eo pugnat. Respondeo : Nusquam legimus Christum dixisse : Non offerte ; quod si legeremus, tum vere pugnaret cum instituto Christi sacrificium Missæ. Quod si illud urgeat Calvi-

nus, quod non dixerit Christus : *Offerte*, jam supra responsum est, tum nihil colligi ex pura negatione ; tum satis Christum aperte jussisse offerri, cum ait : *Hoc facite*.

Alterum argumentum est : *Nemo usurpare debet honorem sacerdotii, nisi a Deo vocatus, teste Apostolo. Nemo autem præter Christum vocatus legitur*. Respondeo : Cum Apostolos Christus ad honorem sacerdotii vocaverit illis verbis : *Hoc facite*, nemo potest dicere eos non esse a Deo vocatos, nisi qui Christum neget esse Deum. Qui autem Apostolis legitima ordinatione succedunt, non minus a Deo vocari censendi sunt, quam olim a Deo judicarentur vocari, qui Aaroni per carnalem propagationem substituebantur.

## CAPUT XXVI.

### *Solvuntur objectiones Kemnitii.*

Martinus Kemnitius in II. par. Exam. pag. 800. et seq. proponit argumenta sua sub hoc titulo : Argumenta ostendentia abominationem Missæ Pontificiæ. Sunt autem argumenta sex.

Primum tale est : Instituire cultum extra verbum, et sine verbo Dei, vanum est, imo idololatria est, cum scriptum sit : *Fræstra colunt me mandatis, et doctrinis hominum*. Sed theatra repræsentatio per verba, ritus, gestus, sicut in Pontificia Missa fit, nullum habet verbi testimonium, imo nec exemplum Christi, aut Apostolorum. Fatentur enim Pontificii scriptores, Apostolos sola Dominica oratione usos in celebratione Cœnæ, et notant qui Romani Pontifices, et quo tempore singulos actus, et scenas mystici dramatici, invenerint : ergo etc. Respondeo : De propositione hujus argumenti sæpe jam in aliis disputationibus disseruimus. Hoc autem loco, etiamsi ea propositio verissima esset, nihil tamen argumentum concluderet ; nam in assumptione etiam vitium est. Non enim, ut sæpe diximus, quæstio nostra est, de cæremoniis Missæ, sed de substantia sacrificii : illam autem a Christo institutam, supra demonstravimus testimoniis Scripturæ, et Patrum, et totius Ecclesiæ.

Secundum argumentum Kemnitii : Sacramenta extra usum a Christo institutum in aliam actionem toto genere diversam transferre, ingens est piaculum. Christus autem

Sacramenti; et non sacrificii actionem in verbis institutionis præscripsit : contumelia igitur cœnæ Dominicæ est, Missa Pontificia. Respondeo : Assumptio argumenti probanda fuerat : nam eam falsam esse, supra plurimis et clarissimis argumentis demonstravimus.

Tertium argumentum : Administrationem cœnæ Christus moriturus testamenti forma instituit : Magnum autem scelus est, vel hominis testamento, quando ratum et confirmatum est, aliquid superordinare : Manifestum igitur est, quid sit Pontificia Missa, quæ Testamento Filii Dei aliquid superordinat. Respondeo : Ultima particula probanda erat. Quod enim Missa aliquid superordinet Testamento Filii Dei, falsum est, cum nihil sit aliud Missa, nisi frequentatio ejus rei, quam Christus moriturus frequentari mandavit. Sed facile est adversariis, verba profundere, etiam cum nihil habent, unde sua probare queant.

Quartum argumentum : Missa Pontificia, pugnat cum sacrificio crucis etc. Quintum : Missa pugnat cum unico sacerdotio Christi etc. Sextum : Missa obscurat cœnam Domini, et alia media a Christo instituta, ad applicandum fructum passionis Christi. Respondeo : Hæc omnia sumpta sunt ex institutione Calvinii, et a nobis paulo ante soluta.

## CAPUT XXVII.

*Solvitur ultima objectio, et explicatur in qua parte Missæ proprie consistat essentia sacrificii*

Postremo loco solvenda est objectio quædam, quam partim hæretici faciunt ad Missam oppugnandam : partim etiam Catholici ad rem melius explicandam. Si Missa sacrificium esset proprie dictum, certe in aliqua ejus parte inveniretur ratio sacrificii proprie dicti, et supra definitione explicati, nullam autem ejusmodi partem esse, sic ostenditur. Post Missam Cathecumenorum, in qua certum est non consistere sacrificii rationem, quinque partes inveniuntur. Prima oblatio panis, et vini. Secunda consecratio, et transmutatio panis in corpus, et vini in sanguinem Domini. Tertia oblatio corporis, et sanguinis per expressa verba. Quarta fractio,

et commistio Sacramenti. Quinta distributio, et consumptio ejusdem. In oblatione panis, et vini sacrificium Missæ non consistere, extra controversiam est : non enim res terrenæ esse possunt illud unicum sacrificium, quod iu Ecclesia vigere pro omnibus veteribus sacrificiis Patres affirmant.

In consecratione, quæ est secunda pars, non apparet ulla oblatio quæ tamen de intrinseca ratione sacrificii est. Præterea non fit in consecratione ulla sensibilis immutatio rei, quæ offertur : quæ mutatio ad rationem externi sacrificii omnino pertinere videtur.

Oblatio corporis et sanguinis, tertia videlicet pars, quæ sequitur ad consecrationem, ad essentiam Missæ pertinere non potest ; proinde neque in ea ratio sacrificii constitui debet. Nam Dominus Christus, quem sacrificii hujus auctorem habemus, post consecrationem continuo Sacramentum distribuit, ac manducari præcipit. Sic enim ait : *Accipite et manducate, hoc est corpus meum*. Nullum igitur fuit tempus, in quo Dominus consecratum panem Deo offerre potuerit. Deinde, si verum est, quod sanctus Gregorius scribit lib. VII. epistol. 63. solummodo orationem Dominicam Apostolos addidisse ad verba consecrationis, certe nec ipsi faciebant illam oblationem, quam nos post consecrationem facimus : non igitur illa oblatio ad essentiam sacrificii pertinet.

Porro fractio, quæ quarta pars est, sine dubio non habet Dominum auctorem. Dominus enim fregit quidem panem, sed fregit vel ante consecrationem, ut multi volunt, vel statim a consecratione, ut distribueret eum discipulis. At nostra fractio fit post consecrationem multis aliis actionibus interjectis, et non fit ad distribuendum, sed ad certum mysterium significandum.

Denique manducatio, seu consumptio non videtur proprie sacrificium, cum non fiat a solo Sacerdote. Et quamvis ad essentiam sacrificii pertineret, non potest tamen in ea sola tota essentia sacrificii constitui : nam sine oblatione, et dedicatione præcedente, sacrificium esse non potest. Atque hæc est ratio cur apud Catholicos feria sexta majoris hebdomadæ non censeatur sacrificium Missæ proprie celebrari, licet vera hostia adsit et frangatur, et consummetur : quia videlicet consecratio, et oblatio deest.

Respondeo : Ut rem totam facile, et breviter explicemus, duo aperienda sunt. Primum, quid sit proprie sacrificium Missæ,

accipiendo sacrificium pro re, quæ sacrificatur. Deinde quid sit proprie sacrificium Missæ, accipiendo sacrificium pro actione sacrificandi. Utrumque autem ex sequentibus sententiis, seu propositionibus patebit.

Prima propositio : Negari non debet, panem, et vinum aliquo modo in Missa offerri, et proinde pertinere ad rem, quæ sacrificatur. Hæc patet primum ex ipsa Liturgia. Nam cum ante consecrationem dicimus : « Suspice sanctæ Pater hanc immaculatam hostiam », certe pronomen « hanc », demonstrat ad sensum id, quod tunc manibus tenemus : id autem panis est. Et similes sunt in Liturgia non paucae sententiæ, quæ panem offerri apertissime demonstrant.

Deinde veteres Patres passim idem tradunt. Irenæus lib. iv. cap. 32. dicit, Ecclesiam offerre Deo sacrificium ex creaturis, id est, ex pane et vino. Cyprianus lib. ii. epist. 3. dicit, Christum obtulisse Patri calicem vino et aqua mixtum, et in sermone de eleemosyna, reprehendens divites fœminas quæ non afferebant panem consecrandum : « Locuplex, inquit, et dives in Dominicum sine sacrificio venis, et partem de sacrificio, quod pauper obtulit sumis » ; ubi per sacrificium, panem intelligit, qui per Sacerdotes Deo sacrificandus erat. Sanctus Gregorius lib. ii. Dialog. cap. 23. de S. Benedicto loquens : « Manu sua, inquit, oblationem dedit dicens : Ite, et hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, et ulterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata etc. » et lib. iv. cap. 55. « Omnipotenti Deo, inquit, pro me offer hunc panem. » Similes sententiæ passim inveniuntur.

Secunda propositio : « Corpus, et sanguis Domini sunt id sacrificium, quod in Missa proprie offertur, et sacrificatur. » Hæc certissima est, et probata plurimis testimoniis.

Tertia propositio : « Panis, et corpus Domini, vinum, et sanguis Domini, non sunt duo sacrificia, sed unum. » Non enim offerimus Deo panem simpliciter, sed panem consecrandum, et transmutandum in corpus Domini : neque offerimus corpus Domini absolute ; tunc enim aut cruentum fieri deberet sacrificium aut revera sacrificium nullum esset, sed offerimus corpus Domini in specie panis, et ex pane confectum. Itaque sicut apud Hebræos offerebatur ovis viva, et offerebatur etiam mortua, et licet specie differant vivum, et mortuum, si natura physice spectetur, ta-

men unum erat sacrificium, non duo sacrificia ; nam ovis viva offerebatur consecranda per mortem Deo, et deinde per ignem absumentanda. Sic etiam, licet panis et corpus Domini res sint diversissimæ, si natura eorum consideretur, unum tamen sacrificium faciunt, quod est panis in corpus Domini transmutatus, sive corpus Domini in specie panis Deo oblatum. Atque hinc est, quod in Missa non offertur panis, ut sacrificium perfectum, sed ut sacrificium inchoatum, et perficiendum, ut patet ex illis verbis : « Benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum. » Et in secretis aliquoties legimus : « Sacrandum tibi munus offerimus. » Unde rectissime Irenæus lib. iv. cap. 32, dicit : « Calicem, sanguinem suum confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. » Ubi oblatio novi Testamenti proprie vocatur vinum in sanguinem Domini commutatum.

Huc faciunt omnia loca Patrum qui docent, unicum esse Ecclesiæ sacrificium, quod successit toti multitudini veterum sacrificiorum ; Leonis sermone 8. de passione Domini, Joannis Chrysostomi in Psalm. 95. Et Augustini libro de Spiritu et littera cap. 11. lib. iii. contra Donatistas, de Baptismo capit. ult. lib. i. contra adv. Leg. et Proph. cap. 20 ; lib. i. contra Cresconium, cap. 25. et lib. viii. de civit. Dei cap. ult.

Hinc patet, improbabilem esse sententiam Gasparis Cassalii lib. i. de sacrificio cap. 20. qui affirmat duo esse sacrificia Eucharistiæ, unum panis et vini, alterum corporis et sanguinis Domini.

Quarta propositio : « Oblatio panis, et vini consecrationem præcedens, ad integritatem et plenitudinem sacrificii pertinet, non tamen ad essentiam. » Quod ad essentiam non pertineat, extra controversiam esse videtur. Nam oblatio vocalis, ut supra ostendimus, non est ad sacrificium necessaria : satis enim Deo se demonstrat aliquid offerre, qui re ipsa offert. Et quamvis oblatio aliqua ad essentiam sacrificii necessario requiratur, non tamen necesse est, ut ea immolationem præcedat : ipsa enim immolatio, oblatio esse potest. Quod autem ad integritatem quamdam pertineat, inde patet, quod in omnibus Liturgiis, quantumvis antiquis, seu Græcis, seu Latinis, pars actionis est oblatio rerum consecrandarum. Et quamvis Dominus non iisdem verbis panem consecrandum obtulerit, quo nos modo offerimus, tamen obtulisse ali-

quo modo aperte scribit Cyprianus lib. II. epist. 3, et colligitur ex illa cæremonia elevandi oculos in cælum, et gratias agendi, quam Dominum consecrationi præmississe, partim Evangelistæ, partim antiquissimæ Liturgiæ testantur.

Quinta propositio : « Oblatio quæ sequitur consecrationem ad integritatem sacrificii similiter pertinet, non ad essentiam. » Quod non ad essentiam probatur, tum ex eo, quod Dominus eam oblationem non adhibuit ; imò nec Apostoli in principio ut ex Gregorio demonstratum est ; tum ex eo quod verba hujus oblationis non dicuntur in persona Christi, sed in persona ipsius Ministri, et Ecclesiæ ; ut patet ex illis verbis : « Unde et memores nos servi tui etc. » Sacrificium autem in persona Christi, principaliter offertur. Itaque ista oblatio consecrationem subsequens, est quædam testificatio, quod tota Ecclesia consentiat in oblationem a Christo factam, et simul cum illo offerat. Quod autem ad integritatem pertineat, patet ex antiquissimis Liturgiis, quæ sine dubio ab Apostolis originem ducunt. Nam etsi Apostoli initio solam orationem Dominicam addidisse dicantur, tamen postea iidem ordinarunt ritum celebrandi, et multa alia addiderunt, ut ex Liturgia Jacobi, et Clementis intelligi potest.

Sexta propositio : « Fractio Sacramenti ad essentiam non pertinet, sed solum ad integritatem. » Quod non ad essentiam, perspicuum est ex ipso usu Ecclesiæ. Nam si forte dum cum ipso Sacramento signum crucis exprimitur super calicem, panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, sed relinquitur ita integrum, usque ad summptionem : nec tamen sacrificium irritum, an essentialiter immutari creditur. Adde quod hae cæremonia Dominus non videtur esse usus, ut initio diximus. Pertinere autem ad integritatem, perspicuum est ex omnibus Liturgiis Græcis et Latinis.

Septima propositio : « Sacramenti consumptio ut a populo fit, non est pars sacrificii ; ut autem fit a Sacerdote sacrificante, pars est essentialis, sed non tota essentiæ. » Quod attinet ad populi summptionem, res certissima est : qui enim edunt victimas, participes sunt altaris, ut Apostolus ait, I. Corinth. 10. et Hebr. 13. Non est autem idem, sacrificium offerre, et de altari participare. Consumptio autem, quæ fit a Sacerdote sacrificante, non tam est comestio victimæ,

quam consummatio sacrificii ; et proprie combustioni holocausti respondere censetur. Itaque adeo necessaria semper judicata est ab Ecclesia, ut si forte Sacerdos ante consumptionem moriatur, vel alio modo a consumptione impediatur, oporteat alium Sacerdotem illi succedere, et sacrificium consummare, ut patet ex concilio Toletan. 12. can. 5. et regulis libri Missalis.

Quod autem sit pars essentialis, inde probatur, quia in tota actione Missæ, ut mox ostendemus, nulla est alia realis destructio victimæ præter istam : requiri autem, realem destructiones supra probatum est, cum definitionem constitueremus. Unde Abraham Patriarcha, licet filium jam colligasset, et super aram constituisset, et manum ad mactandum sustulisset, quia tamen defuit realis occisio, non dicitur eum nisi voluntate sacrificasse. Neque obstat, quod ista consumptio non videtur fieri persona Christi, qui tamen est primarius Sacerdos. Nam Christus quidem non se ipse manducat, neque immediate consumit Sacramentum : tamen ipse dici potest consumere, quia ad consummandum tradit. Quemadmodum etiam in sacrificio crucis, Christus vere se ipse sacrificavit, quia occidendum obtulit, licet non se ipse occiderit. Nam etiam in Testamento veteri de ratione holocausti erat combustio, quæ tamen immediate non a Sacerdote, sed ab igne fiebat : sed vere dicebatur Sacerdos cremare victimam, quando ignem illi subiciebat.

Octava propositio : « Consecratio Eucharistiæ ad essentiam sacrificii pertinet. » Hæc sententia ita generatim proposita, multos habet auctores. Nam ex Græcis eam aperte docet Nicolaus Cabasilas in explicatione sacræ Liturgiæ cap. 32. et ex Latinis Ruardus in defensione artic. 16. Lovaniensium, Jodocus Tiletanus in responsione ad Apologiam Illyrici capite 15. Gaspar Casalius, lib. I. de Sacrificio cap. 20. Alanus lib. II. de Sacrificio cap. 15. et alii ; sed non omnes eodem modo illam exponunt.

Aliqui existimant ideo in consecratione consistere sacrificii essentiam, quia per consecrationem fit vera, realisque mutatio panis in corpus Christi : sacrificium autem verum requirit ejusmodi veram, et realem mutationem, qua res desinat esse ad Dei honorem.

Sed hæc sententia habet contra se non levia argumenta. Nam in primis, si ea vera sit, sequitur proprie solum panem triticeum

sacrificari. Id enim proprie sacrificari dicitur, quod realiter mutatur, ita ut desinat esse: at solus panis mutatur. Id autem absurdissimum esse, nemo negare potest; quia si ita esset, haberet Ecclesia sacrificium inanimum, et vilius multo, quam habuerint olim Hebræi. Deinde mutatio, quæ ponitur quasi forma sacrificii sensibilis, et externi, debet esse externa, et sensibilis. At mutatio panis in corpus Christi, est omnino interna, et nullo sensu, sed fide sola preceptibilis. Tertio, non esset idem sacrificium Ecclesiæ, et sacrificium crucis, quoad rem oblatam: nec esset verum, quod Patres dicunt, in sacrificio Missæ eundem esse sacrificium, et Sacerdotem; neque illud, quod Chrysostomus, Ambrosius, Primasius, et alii notant in cap. 10 epistolæ ad Hebr. sacrificia Hebræorum fuisse multa, quia hodie unum agnum, cras alium offerebant: nostrum autem esse unum, quia semper eundem offerimus Christum; nam et nos, si de pane agamus, non semper eundem offerimus.

Alii volunt ideo in consecratione sacrificii essentiam consistere, quod per eam vere, licet mystice, et incruente, immoletur Christus. Nam cum vi verborum, *Hoc est corpus meum*, solum Christi corpus sine anima et sanguine incipiat esse in altari, et vi aliorum verborum, *Hic est sanguis*, incipiat sanguis solus, et seorsim a corpore esse in altari: et ubi est verum corpus a sanguine separatum, ibi sit vera quædam immolatio: certe sequitur, vi totius consecrationis, vere immolari Christum: et tamen incruenta est immolatio, quia naturalis concomitantia impedit, quo minus vere sanguis aut anima a corpore separentur.

hæc sententia non videtur ita satisfacere, ut omnino animus conquiescat. Nam in primis verum, et reale sacrificium, veram, et realem mortem, aut destructionem rei immolatae desiderat. Consecratio autem, non veram, et realem mortem; sed mysticam tantum efficit. Neque satis respondere, videntur, qui dicunt consecrationem ex se veram mortem afferre, sed per naturalem concomitantiam fieri, ne mors revera sequatur. Nam si naturalis concomitantia impedit mortem, hoc ipso impedit sacrificium. Certe, si tempore veteris Testamenti Sacerdos immolaturus ovem, ictum adhiberet, qui ex semetipso posset, sed aliquo impedimento interveniente ovis non mactaretur, non diceretur paracta ipsa mactatio, sed voluntate sola.

Præterea, si per consecrationem vera, et realis immolatio fieret ea tamen non fieret in altari, sed in cælo. Nam immolatio ibi fieri dicitur, ubi animal vivum occiditur, sive ubi divisio fit corporis ab anima, et sanguine; porro divisio corporis Christi ab anima, et sanguine, si qua fit per verba Sacramentalia, non fit in altari, sed in cælo. Ibi enim fieri debet divisio, ubi præexistit res ante divisionem: Christus autem ante divisionem istam, in cælo, non in altari præexistit. Itaque secundum hanc sententiam immolatio non fit in altari, sed tantum partes rei immolatae post immolationem in altari collocantur. At quis concederet immolationem, quæ est sacrificium Christianæ religionis, non in terra, sed in cælo tantummodo celebrari?

Denique vel in Missa fit vera, et realis Christi mactatio, et occisio, vel non fit. Si non fit, non est verum, et reale sacrificium Missa; sacrificium enim verum, et reale, veram, et realem occisionem exigit, quando in occisione ponitur essentia sacrificii. Si autem fit; ergo verum erit dicere, a Sacerdotibus Christianis vere, et realiter Christum occidi: at hoc sacrilegium, non sacrificium esse videtur.

His igitur omissis, ita rem explicandam arbitror. In consecratione Eucharistiæ tria fiunt, in quibus sacrificii veri, et realis ratio consistit. Primum, res profana fit sacra: panis enim res alioqui terrena, et communis, per consecrationem vertitur in corpus Christi, rem videlicet omnium sacratissimam.

Dices: Ex hoc sequi videtur, ut panis solus proprie sacrificetur: quod esse absurdum supra diximus. Nam quod fit sacrum ex profano, id proprie sacrificatur; si ergo panis fit sacer ex profano, panis proprie sacrificabitur.

Respondeo: Quod ita fit sacrum ex profano, ut maneat, id sine dubio proprie sacrificatur: atque ideo apud Hebræos ovis sacrificabatur, et eadem ovis sacrificabatur, quia manebat eadem etiam post mortem, saltem quoad partem materiale, et ovis tam viva, quam mortua dicebatur. At panis non manet dum sacrificatur, sed in aliud vertitur: et ideo non panis, sed id quod ex pane actum est, proprie sacrificatur.

Secundo, in consecratione res illa sacra ex profana effecta, Deo offertur, dum in

altari Dei collocatur. Nam, ut supra diximus, victimam in altari ponere, est reipsa illam Deo offerre, et quia vi consecrationis fit, ut corpus Christi, et sanguis incipiat reipsa esse super altare mediante manu Sacerdotis, ideo verbis consecrationis vera et sollemnis oblatio celebratur. Neque his repugnat, quod aliquando sine altari celebratum est sacrificium. Nam non disputamus hic de altari lapideo; sed in omne vocamus altare, ubi recipitur victima per verba consecrationis effecta. Neque obstat, quod videatur esse oblatio rei invisibilis; cum tamen externa, et sensibilis victima requiratur in externo, et proprie dicto sacrificio. Nam corpus Christi non est victima in sacrificio Missæ, absolute, sed ut est in specie panis: in specie autem panis plene visibile est.

Tertio, per consecrationem, res quæ offertur, ad veram, realem et externam mutationem, et destructionem ordinatur, quod erat necessarium ad rationem sacrificii. Nam per consecrationem, corpus Christi accipit formam cibi: cibus autem ad comestionem, et per hoc ad mutationem, et destructionem ordinatur. Neque obstat, quod corpus Christi nullam in se læsionem patiatur, neque esse suum naturale amittat, cum manducatur Eucharistia: nam amittit esse Sacramentale; et proinde desinit realiter esse in altari, desinit esse cibus sensibilis.

Hæc mihi S. Thomæ sententia esse videtur, qui in xxii quæst. 85. art. 3. cum doceret ad sacrificii rationem pertinere, ut circa rem oblatam aliquid fieret, ut cum animalia occidebantur, et cremabantur ad Dei honorem, non addidit, id quod fit in sacrificio Missæ, consistere in conversione panis in corpus Domini, sed in fractione, benedictione, et manducatione panis.

Hac explicatione præmissa, probatur nostra propositio octava, et postrema. Primo, quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi: nihil autem facit Sacerdos tam perspicue in persona Christi, quam conse-

crationem, in qua dicit: *Hoc est corpus meum etc.*

Secundo, quia Christus ipse aut consecrando et consumendo sacrificavit, aut nullo modo sacrificavit: nam ut ostendimus, non est alia Christi actio, quæ sacrificium dici possit, neque ante, neque post consecrationem.

Tertio, quia Apostoli initio, si nihil addebant ad verba consecrationis præter Dominicam orationem; necesse est, ut consecrando sacrificarent: neque enim oratio Dominica sacrificium dici potest.

Quarto, quia in consecratione consistit representatio sacrificii crucis, ut S. Thomas docet, III. par. quæst. 80. art. 12. ad 3. At simul esse debent sacrificium reale, et sacrificium representativum: siquidem ipsum reale est alterius representativum.

Quinto, quia hæc est sententia veterum Patrum. Nam Irenæus lib. iv. cap. 32. dicit, Christum tunc docuisse oblationem novi Testamenti, quam Ecclesia per orbem terræ frequentat, cum ait: *Hoc est corpus meum.* Cyprianus in sermone de cœna Domini, dicit, cum verbis consecrationis panis benedicitur, tunc Eucharistiam fieri medicamentum simul, et holocaustum, Chrysostomus homil. de proditione Judæ, dicit verba Domini: *Hoc est corpus meum*, usque ad mundi consummationem præstare sacrificio firmitatem. Gregorius lib. iv. Dialogorum. cap. 58. cum ait in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Angelorum choros adesse, cœlum aperiri, ima summis conjungi, unum ex visibilibus et invisibilibus fieri, aperte docet immolationem consecratione perfici. Illa enim est hora, qua ad Sacerdotis vocem Christus vere in altari esse incipit sub specie panis; nam id est ima summis conjungi, terrena cœlestibus sociari, et unum quid ex visibilibus et invisibilibus fieri; neque dubium est, quin ob Christi præsentiam, Angeli de cœlo in terram veniant. Atque hæc prima contro de versia dicta sunt.



CONTROVERSIARUM  
DE EUCHARISTIA

LIBER SEXTUS

QUI EST SECUNDUS DE SACRIFICIO MISSÆ.

CAPUT PRIMUM.

*Ponitur controversia : An Missa sit propitiatorium sacrificium.*

Expedita primaria controversia, sequuntur aliæ multo quidem, et breviores, et faciliores, sed tamen in quibus minus, quam in prima, cum adversariis convenimus. Est igitur secunda controversia : Quale sacrificium Missa sit, Eucharisticum tantum, et honorarium, an etiam propitiatorium, et impetratorium. Nam ut in principio libri superioris explicatum est, tria sunt genera sacrificiorum ; seu potius quatuor, cum postremum ex tribus in duo genera, dividatur. Unum est, quod in Scriptura dicitur holocaustum ; quod etiam λατρευτικόν, et honorarium dici potest, ejus finis est solus Dei cultus, atque honor. Alterum dicitur in Scriptura sacrificium pro peccato, quod etiam propitiatorium appellatur : ejus finis est præter Dei cultum, propitiatio irati Dei et peccatorum remissio. Tertium, in Scriptura nominatur pacificum, et hoc est duplex ; alterum Eucharisticum, id est, oblatum ad agendas gratias pro beneficio accepto ; alterum quod communi vocabulo impetratorium dici potest, ejus finis est impetratio beneficii.

Adversarii facile concedunt Missam esse sacrificium εὐχαριστικόν et λατρευτικόν, non quidem quod velint esse sacrificium proprie dictum, sed improprie, et largo modo, ut supra demonstratum est. Nam ipsa Eucharistiæ distributio et manducatio, ad honorem Dei fit, et in gratiarum actionem pro bene-

ficio accepto passionis Christi : ista enim convenire possent Eucharistiæ, etiamsi non esset aliud, nisi Sacramentum. At esse propitiatorium, et impetratorium, præsertim aliis, quam ipsis sumentibus, nulla ratione admittunt, nec possunt admittere, nisi fateantur Eucharistiam non solum esse Sacramentum, sed etiam sacrificium proprie dictum : non enim Sacramenta prosunt aliis, quam sumentibus. Vide Lutherum in libro de captiv. Babyl. cap. 4. Apologiam Confess. Augustanæ, in art. de Missa. Confessionem Wirtembergensem, cap. 16. quod est de Eucharistia. Calvinum lib. iv. Institut. cap. 18. §. 13. 14, 15 et 16, et Kemnitium in II. parte Examinis Trident. Conc. sess. xxii cap. de Missa.

Contrarium docet, ac docuit semper Catholica Christi Ecclesia ; et Synodus Tridentina, ut rem totam penitus declararet, sess. xxii. canon. 2. aperte docuit, sacrificium Missæ non solum propitiatorium esse pro peccatis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atque adeo mortalibus : id enim significat, cum ait : « Crimina, et peccata, et etiam ingentia dimittit. » Præterea non solum impetratorium esse spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium, et idcirco offerri posse pro peccatis, pro peccatis, et pro quibuscumque aliis necessitatibus. Quam sententiam, ut ordine defendamus, et explicemus, probabimus primum, sacrificium Missæ propitiatorium esse. Secundo, esse impetratorium. Tertio, ostendemus utrumque illi convenire ex opere operato, et breviter explicabimus, quæ sit propria efficientia sacrificii. Quarto, solvemus objectiones hæreticorum.

## CAPUT II.

*Probatum sacrificium Missæ propitiatorium esse.*

Igitur sacrificium Missæ propitiatorium esse probatur. Primum, testimoniis veteris Testamenti. Scriptura enim Testamenti veteris aperte docet, fuisse in lege naturæ, et Moysis sacrificia propitiatoria. Nam Job cap. i. legimus S. Job, qui in lege naturæ vivebat, quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo, et Job ult. Deum ipsum jussisse, ut amici Job sacrificarent pro peccato suo. Levit. iv, v et vi, describuntur varia sacrificia pro peccato.

Hæc, et similia testimonia dupliciter probant sacrificium Missæ esse propitiatorium. Primo, quia illa sacrificia erant typi, ac figuræ hujus nostri sacrificii, ut supra probatum est.

Secundo, quia si sacrificium crucis, quod est singulariter propitiatorium, non impedit, quo minus illa vetera fuerint suo modo propitiatoria, nec impedire debet, quominus sacrificium Ecclesiæ sit propitiatorium. Nam sacrificium crucis vim habuit ab initio mundi consummationem; ac propterea si impediret sacrificium nostrum, quo minus esset propitiatorium, impediret etiam illa; et contra, si illa non impedivit, nec nostrum impedire debet.

Tertio, quia, sacrificium nostrum est, vere ac proprie dictum sacrificium, non minus quam vetera, ut libro superiore demonstratum est: est etiam commemorativum passionis Domini, ut illa, imo expressius quam illa, denique continet hostiam Deo gratiorem, quam illa continerent; quæ igitur causa esse potest, cur illa propitiatoria dici possent, hoc non possit?

Respondet Calvinus lib. iv. Institut. cap. 18. §. 13. illa vetera dicta esse sacrificia propitiatoria, non quod vere expiarent peccata, Deumve placarent, sed quod adumbrarent, ac significarent futurum aliquando sacrificium crucis, quo peccata vere purgarentur.

At etiamsi sacrificia vetera nihil aliud, quam typi, et umbræ fuissent, adhuc solutio

Calvini non satisfaceret: nam non solius sacrificii crucis, sed etiam sacrificii Eucharistiæ typi, et umbræ erant. Unde Augustinus quæst. 57. in Leviticum: « Illis, inquit, sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum a cujus sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur. » Deinde, si illa sacrificia tantum significabant futuram purificationem, non etiam aliquo modo purgabant: falsa erunt verba Scripturæ, Levit. iv. quæ sæpe repetuntur: *Offerat sacrificium et orabit Sacerdos pro peccato ejus, et dimittetur ei* (1). Et similiter falsum esset, quod legimus Job ult. Dominum placari voluisse iram suam sacrificiis. Illa igitur sacrificia non expiabant peccata quoad culpam coram Deo, quasi justificarent, et homines vere Dei amicos efficerent ex opere operato; recte enim Apostolus dicit, Hebr. 10. impossibile esse sanguine hircorum, et vitulorum auferri peccata: sed tamen expiabant maculas legales, et etiam Deum propitiabant, quoad pœnas temporales, et etiam quoad culpas ex offerentium fide, cujus fidei protestationes erant sacrificia illa.

Secundum argumentum sumitur a verbis institutionis. Nam illa verba: *Hic est sanguis, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum*, apertissime docent, Christum obtulisse in cœna sacrificium pro peccatis Apostolorum. Idem autem est sacrificium nostrum cum illo, quod in cœna oblatum fuit; jussit enim Dominus Apostolis, ut idem postea frequentarent.

Præterea, sacrificium Missæ est sacrificium applicans promissiones Testamenti novi: nam ideo etiam Luc. xxii. Testamentum novum appellatur, ut supra exposuimus. At inter promissiones novi Testamenti una est de remissione peccatorum, ut patet Hier. xxxii et Hebr. viii.

Denique fatentur Lutherani, vel potius contendunt, Eucharistiam institutam esse ad peccati remissionem: quare necesse est, ut peccata remittat, vel ut sacrificium, vel ut Sacramentum. Et quidem ut Sacramentum, non est proprie instituta ad peccati remissionem, sed ad vitæ spiritualis conservationem. Nam, ut Sacramentum, non prodest nisi sumenti: sumens autem probare se antea jubetur, nec potest cum conscientia peccati

(1) Levi. IV, 26.

accedere, nisi iudicium sibi manducare velit, et bibere, I Corinth. II. Sequitur igitur ut ad remissionem peccati instituta sit Eucharistia, ut sacrificium est. Et sane adversarii non intelligunt quid loquantur, cum Eucharistiam ad peccati remissionem institutam volunt, et tamen Sacramentum tantum, non etiam sacrificium illam esse contendunt.

Tertium argumentum sumitur ex Apostolo, qui Hebr. v. sic ait : *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, et sacrificia pro peccato* (1); ubi videmus præcipuum munus Sacerdotis cujuslibet esse offerre pro peccato. Si ergo, ut in superiore libro demonstratum est, habemus in Ecclesia sacerdotium, et sacrificium : necesse est, ut ad peccata purganda illa habeamus. Præterea sicut Apostolus dicit, Hebr. x : *Ubi est horum remissio, jam non est oblatio pro peccato* (2) : ita nos e contrario dicere possumus : Ubi nondum facta est remissio, adhuc relinquitur hostia pro peccato. At remissio perfecta nondum facta est, sed quotidie fit, et fiet usque ad mundi consummationem; ergo manet adhuc, et manebit usque ad mundi consummationem hostia pro peccato.

Secundo probatur testimoniis antiquorum Patrum. Jacobus in Liturgia : « Offerimus, inquit, tibi ineruentum sacrificium pro peccatis nostris, et ignorantibus populi. » Justinus in Dialogo cum Triphone, dicit sacrificium vaccæ, quod offerebatur pro elephantiacis, fuisse figuram Eucharistiæ, quæ offertur pro expiatione peccatorum. Origenes homil. 13. in Leviticum, cum adduxisset verba Domini, quibus jubemur mysterium Eucharistiæ conficere in memoriam ejus : « Ista est, inquit, commemoratio sola, quæ propitium facit Deum hominibus. » Athanasius in sermone de defunctis, quem Damascenus citat in sermone ejusdem argumenti : « Ineruenta, inquit, hostiæ oblatio, propitiatio est. » Basilius in Liturgia non procul ab initio : « Dignos, inquit, effcito nos, qui puro corde stemus coram te, tibi que ministremus, et offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, et pro piaculo populi tui etc. » Cyrillus catechesi 5. mystagogica, vocat Eucharistiam hostiam propitiationis, et postea dicit : « Christum pro nostris peccatis maceratum offerimus, ut et nobis, et illis cum, qui est benignissimus, Propitium reddamus. »

Chrysostomus lib. vi. de sacerdotio : « Sacerdos, inquit, pro universo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium non viventium modo, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat. » Idem in Liturgia : « Idoneos, inquit, nos redde ad inferenda tibi dona, et sacrificia pro peccatis nostris, et populi ignorantibus. » Idem homil. 3. in epist. ad Ephes. sæpe vocat sacrificium Eucharistiæ, hostiam salutarem. Denique Damascenus lib. iv, cap. 14. dicit hoc sacrificio sordes peccatorum purgari.

Ex Latinis Cyprianus in sermone de cœna Domini, dicit, Eucharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates. Ambrosius lib. i. de officiis, cap. 48. de Eucharistia loquens : « Offert, inquit, Christus seipsum quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. » Et in exhortatione ad virgines in ultimis verbis vocat sacrificium, quod in altari offertur, hostiam salutarem, per quam peccatum mundi hujus aboletur. Hieronymus in comment. cap. 1. epist. ad Titum : « « Silaieis, inquit, imperatur, ut propter orationem absterneant se ab uxorum coitu : quid de Episcopo sentendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas. Vide eundem in epist. ad Damasum de filio prodigo. Et in epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali. Augustinus quæst. 57. in Levit. : « In multis, inquit, sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum. » Et lib. xx. de civit. Dei, cap. 25. scribit, sacrificium pro peccato offerri in Ecclesia usque ad diem Judicii, sed non ulterius, quia post eum diem non erunt, quibus peccata remitti possint; et lib. i. contra Cresconium, cap. 25. vocat sacrificium Eucharistiæ, unicum sacrificium pro salute nostra. Serm. II. de Sanctis, qui est 4. de Innocentibus, de altari loquens : « Ibi, inquit, pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. » Gregorius lib. iv. Dialog. cap. 58. : « Hæc victima singulariter ab æterno interitu animam salvat. » Vide etiam homil. 37. Bedæ lib. iv. histor. gentis sæ, cap. 22 : « Sacrificium, inquit, hoc salutare ad redemptionem valet animæ, et corporis sempiternam. »

Accedat Concilium Bracaraense III, quod ante Bedæ tempora celebratum fuisse constat, can. 1. sic legimus : « Cum omne cri-

(1) Heb. V. 1. — (2) Heb. X, 48.

men atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? »

Accedant denique omnia testimonia in sequenti controversia adducenda, quibus probabimus sacrificium Eucharistiæ esse propitiatorium defunctis. Nam qui asserunt hoc sacrificium propitiatorium esse defunctis; necessario asserunt esse propitiatorium : quod nunc tantum demonstrandum suscepimus. Hæc de testimoniis Patrum.

### CAPUT III.

*Probatum idem sacrificium esse etiam impetratorium.*

Jam vero non solum propitiatorium sacrificium esse, ac pro peccatorum remissione offerri posse corpus Dominicum, sed etiam esse impetratorium omnis generis beneficiorum, ac pro iis etiam rite offerri, facile probari potest testimoniis Scripturæ et Patrum.

Primo, in Testamento veteri erant hostiæ non solum pro delicto, sed etiam pacificæ, tum pro actione gratiarum, tum etiam votivæ pro beneficio aliquo impetrando, ut patet Levit. VII. et alibi passim : et David II Reg. ult. obtulit pacifica pro peste avertenda, et impetravit. Onias obtulit hostiam salutarem pro vita temporali Heliodori, quam etiam impetravit, II Machabæor. III, et Hebræi I Esdræ VI, immolabant hostias pro vita regis Darii, et filiorum ejus. Quare, si verum est, quod scribunt Chrysostomus in Psalm. 95. Augustinus lib. I. contra advers. legis et prophet. cap. 20. et Leo serm. 8. de passione Domini omnes differentias hostiarum veterum una Eucharistiæ oblatione contineri : necesse est, ut Eucharistia offerri possit, etiam pro impetrandis ejusmodi beneficiis.

Secundo, quod scribit Apostolus, I Timot. II. faciendas in Ecclesia obsecrationes, orationes, postulationes, et gratiarum actiones, pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus, exponunt sancti Patres de publicis precibus, quæ fiunt in Missa : et volunt Apostolum hoc præcepisse, ut sacrificium etiam offerretur pro temporali pace, et tranquillitate Ecclesiæ. Vide Augustinum in epist. 59

ad Paulinum, et commentaria Chrysostomi, Theophylacti, et Oëcumenii in hunc locum, et Ambrosium lib. VI. de Sacramentis, cap. ult.

Tertio, Liturgiæ omnes, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, non semel inter offerendum, orandum præcipiunt pro pace, pro copia fructuum, et pro aliis id genus temporalibus beneficiis.

Quarto, veteres scriptores idem passim testantur. Tertullianus in libro ad Scapulam : « Sacrificamus, inquit, pro salute Imperatoris. » Et in libro de Corona militis scribit, oblationem pro natalitiis fieri solitam. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica : « Postquam confectum est, inquit, illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis, et afflictis, et in summa pro omnibus, qui egent auxilio. » Chrysostomus hom. 18. et 21. in Acta Apostolorum, et alibi sæpe docet, offerri sacrificium pro fructibus terræ, proque aliis necessitatibus. Augustinus lib. XXII. de civit. Dei, cap. 8. meminit sacrificii Eucharistiæ oblatis ad purgandam domum a dæmonum vexatione. Prosper in libro de prædicationibus Dei, cap. 6. dimidii temporis, scribit suo tempore sacrificium Missæ oblatum pro dæmonia, et rursus ea curata, iterum oblatum in gratiarum actionem. Gregorius homil. 37. in Evangelia, et Beda IV. lib. hist. Angliæ, cap. 22. scribunt diversis temporibus idem miraculum contigisse, ut cum sacrificium Missæ offerretur pro homine captivo in alia regione posito, et ignorante quid pro se fieret, ejus vincula divinitus solverentur ipsa hora sacrificii.

Quinto et ultimo, ratio ipsa hoc docet : nam si oblatio Eucharistiæ pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato ortæ sunt, valere debet. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem sacrificium adducetur, ut amicis, et reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit ?

## CAPUT IV.

*Explicatur efficientia propria sacrificii  
Missæ.*

Sequitur nunc, ut explicemus, num sacrificium Missæ ex opere operato vim habeat, et simul, ut promisimus, quæ sit propria efficientia sacrificii. Sunt autem tria præmittenda, ut hoc recte intelligatur. Primum est, sacrificium Missæ a tribus offerri, a Christo, ab Ecclesia, a Ministro; sed non eodem modo. Christus enim offert, ut primarius Sacerdos, et offert per Sacerdotem hominem, ut per suum proprium Ministrum. Ecclesia non offert, ut Sacerdos per Ministrum, sed ut populus per Sacerdotem. Itaque Christus per inferiorem offert, Ecclesia per superiorem: Sacerdos enim quatenus talis major est reliquo populo, quippe qui, ut mediator quidam, pro populo apud Deum intercedit, nec est proprie in ea re Minister Ecclesiæ, sed Christi principalis mediatoris. Ex quo etiam sequitur, ut Ecclesia non proprie sacrificet exercendo actum sacerdotalem, sed tantum offerat Sacerdoti rem sacrificandam, aut curet fieri sacrificium, aut certe consentiat in sacrificium, et voluntate, ac desiderio offerat, cum Sacerdos offert.

Ubi est etiam observandum, totam quidem Ecclesiam offerre omnia sacrificia, quæ a Sacerdotibus omnibus offeruntur, sed non eodem modo. Nam aliqui solum habitualiter offerunt, qui nimirum absunt, neque de sacrificio cogitant, sed tamen habitualiter cupiunt offerri: aliqui offerunt actu, qui nimirum intersunt sacro, et actuali desiderio offerunt: aliqui præterea offerunt etiam casualiter, quia causa sunt, ut sacrificium fiat, sive hortando, sive rogando, sive jubendo. Denique Minister ipse offert, ut Sacerdos verus, sed ministerialis.

Secundo, revocandum est ad memoriam, quod sæpe dictum est in disputatione de Sacramentis in genere: illud habere vim ex opere operantis, quod vim habet ex bonitate, vel devotione ejus, qui operatur; ita ut opus multum, aut parum, aut nihil valeat, prout magna, parva, aut nulla est bonitas, et devotio operantis: qualis est valor precum, et meritorum nostrorum. Illud autem habere vim ex opere operato, quod ex se valet, modo

fiat sicut lex prescribit, quidquid sit de bonitate, vel malitia operantis Ministri, ita ut opus semper idem valeat, nec fiat melius ex Ministri bonitate, neque pejus ex Ministri iniquitate. Talem esse valorem Baptismi, ne adversarii quidem hoc tempore negant, licet a vocabulo operis operati abhorreant: idem enim est Baptismus, et idem efficit, sive a bono, sive a malo Ministro conferatur. Quare controversia est: Utrum sacrificium vim habeat ex ipso opere, qualem habent Sacramenta, aut ex bonitate Ministri, qualem habent nostræ preces.

Tertio, considerandum est valorem ex opere operato, posse duobus modis in aliquo opere inveniri. Uno modo, si opus illud sit instrumentum quoddam efficienter, et immediate producens effectum, quasi per modum naturæ, et hoc modo Sacramenta vim habent ex opere operato, quia actio Sacramentalis est instrumentum Dei, quod efficienter, et immediate justificat, nisi ponatur obex: nec pendet virtus hujus instrumenti a bonitate Ministri, sed a sola Dei institutione. Alio modo, si opus quidem quod fit, non sit instrumentum efficienter, et immediate producens effectum, sed tamen infallibiliter, et independenter a bonitate Ministri, moveat Deum ad effectum producendum. Exemplum esse posset in rebus humanis: si quis ignotus, vel etiam invisus principi aliquid ab eo peteret nomine alterius, cui princeps nihil negare posset: ista enim hujus hominis supplicatio infallibiliter impetrat, et tamen non habet vim ex opere operantis, id est, ex bona qualitate supplicantis, cum sit ipse ignotus, vel invisus principi.

His notatis, ponam aliquot propositiones, quibus res tota aperiatur. Prima propositio: Sacrificium Missæ non habet vim solum, aut potissimum ex opere operantis, sed, tiam ex opere operato. Dicimus, *solum*, quia negari non potest, sacrificium habere vim etiam aliquam ex bonitate, et devotione Ministri sacrificantis. Si enim cætera opera virtutum Deo placeant, quatenus ab amico aliquo suo, et ex charitate, et devotione procedunt, cur non placeat eadem ratione opus istud religionis præstantissimum? Sed negamus, hinc tantum, aut hinc potissimum vim habere sacrificium Missæ; atque asserimus vim habere præcipue ex opere operato.

Quæ sententia communis apud Theologos est, cum unus tantum, aut alter inveniat, qui dissentiat: et est etiam Concilii Tridenti-

tini, sess. 22. cap. 2. Ubi cum docet Concilium per sacrificium hoc remitti peccata, reddit causam, quia eadem est hostia, et idem offerens, qui fuit in sacrificio crucis : eadem autem est hostia, et idem offerens, qui fuit in cruce, sive Minister sit bonus, sive malus. Quæ ratio sine dubio est etiam omnium Patrum, imo et Scripturarum, ex quibus supra probatum est Christum esse, qui (ut Sacerdos primarius, et sempiternus) nunc offert seipsum per manus omnium Ministrorum : quare non pendet effectus principalis hujus sacrificii ex bonitate Ministri immediati.

Secunda propositio : « Sacrificium Missæ non habet vim ex opere operato ad modum Sacramentorum. » Explico propositionem. Non operatur sacrificium efficienter et immediate, neque est proprie instrumentum Dei ad justificandum. Id quod docet Concilium Tridentinum, sess. 22. cap. 2. ubi dicit, per hoc sacrificium peccata etiam ingentia dimitti, quia Deus hoc sacrificio placatus, gratiam et donum pœnitentiæ concedit. Non igitur sacrificium immediate justificat, ut Baptismus, et Absolutio faciunt ; sed donum pœnitentiæ impetrat, per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, et per illud justificetur. Quod idem antea docuerat S. Thomas in iv. sentent. dist. 12. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad 4. ubi dicit, sacrificium justificare eos, pro quibus offertur, non ut causam proximam, sed donum contritionis impetrando.

Quæ sententia S. Thomæ, et Concilii, primo probatur. quia si sacrificium immediate justificaret, requireret necessario præviam dispositionem in eo, pro quo sacrificium offerretur. Quod si verum esset, non liceret sacrificium offerre pro iis, quos scimus in peccato libenter manere, nec pro obduratis, et impœnitentibus : quorum tamen contrarium certissimum est : peccarent etiam, qui pro se sacrificium offerri peterent, nisi simul se ad gratiam recipiendam præpararent ; quod falsum esse, nemo dubitat.

Secundo probatur ex sacrificio crucis. Non enim majorem vim habere potest sacrificium Missæ, quam sacrificium crucis, cum sacrificium Missæ vim suam habeat a sacrificio crucis. Sacrificium autem crucis non efficienter, et immediate justificavit, sed tantum impetratorie, et meritorie, alioqui omnes homines continuo justi effecti essent, cum Dominus pro omnibus hominibus se Deo in sa-

cificium obtulerit. Præterea, quod non est in re, non potest efficienter operari. Sacrificium crucis modo non est in re, sed solum in mente Dei, proinde non operatur efficienter. Ut igitur sacrificium crucis non justificavit immediate peccatores, sed placavit Deum, et impetravit, ut per debita media peccatores ad salutem perducerentur : sic etiam sacrificium Missæ non justificat homines immediate, sed impetrat, ut ex merito sacrificii crucis detur hominibus gratia, et donum pœnitentiæ.

Tertio probatur, quia ad peccatum immediate tollendum, instituta sunt Sacramenta Baptismi, et Pœnitentiæ ; illud pro infidelibus, hoc pro fidelibus ; sive illud pro originali, hoc pro actuali diluendo : non igitur credibile est ad eundem prorsus effectum institutum esse aliud medium, sive aliam causam a Deo, qui omnia facit in numero, pondere, et mensura.

Tertia propositio : « Sacrificium Missæ vim habet per modum impetrationis : et ejus propria efficientia est impetrare. Probatur primo, quia hæc est efficientia sacrificii in genere, et proinde hujus etiam sacrificii : sacrificium enim proprie orantis, et supplicantis est, et ad orationem juvandam adhibetur. Ut enim pulchre explicat Gregorius Nyssenus in ii. orat. in orationem Dominicam, προσευχή, id est, oratio, dicitur ab εὐχή, id est, votum, quia solent præmitti vota, id est, promissiones, et oblationes ante orationem, ut oratio facilius impetret, unde est illud Virgilii :

Ænea, cessas in vota, præcesque ?

Quare sicut oratio, licet possit esse meritoria, quatenus fit ab homine justo, et ex charitate, et simul etiam satisfactoria, quatenus est opus laboriosum : tamen ex se, et ex proprio officio impetratoria est : sic etiam sacrificium, quod est quædam oratio, ut sic dicam, realis, non verbalis, proprie impetratorium est.

Secundo probatur, quia sacrificium Missæ præcipuam vim habet, ut a Christo summo Sacerdote offertur. Christus autem nunc, nec mereri, nec satisfacere potest, sed solum impetrare : igitur impetratio, propria est hujus sacrificii vis, et efficientia.

Atque hinc tria sequuntur, quæ ad rem hanc illustrandam non parum faciunt. Pri-

mum est, discrimen esse inter sacrificium Missæ, et sacrificium crucis, quatenus a Christo utrumque oblatum est. Nam sacrificium crucis fuit meritorium, satisfactorium, et impetratorium vere, et proprie, quia Christus tunc mortalis erat, et mereri, ac satisfacere poterat : sacrificium Missæ, ut dixi, proprie solum est impetratorium, quia Christus nunc immortalis, nec mereri, nec satisfacere potest. Cum autem dicitur propitiatorium, vel satisfactorium, id est intelligendum ratione rei quæ impetratur. Dicitur enim propitiatorium, quia impetrat remissionem culpæ ; satisfactorium, quia impetrat remissionem pœnæ ; meritorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, ac merita acquirendi. Quamquam non negaverim, dici etiam satisfactorium, quod ex Christi institutione per sacrificium hoc applicetur ejusdem Christi passio ad pœnas tollendas, seu viventium, seu mortuorum, quæ post culpam remissam aliquando remanent, vel in hac vita, vel in purgatorio luendæ.

Secundum est, ad sacrificium Missæ, licet non sit necessaria bonitas Ministri offerentis, tamen alicujus offerentis bonitatem necessario requiri. Sacrificium enim, cum ad impetrationem tendat, et simile sit orationi, sine dubio non potest placere, nec impetrare, nisi offerens placeat : unde dicitur, Gen. iv. *Respexit Deus ad Abel, et ad munera ejus.* Neque obstat, quod in sacrificio Missæ, res ipsa, quæ offertur, ex se Deo gratissima est. Nam non res illa, sed rei illius oblatio proprie sacrificium est ; sacrificium enim est actio, non res permanens. Porro licet res ipsa placeat ex se, tamen oblatio rei non placet, nisi offerens placeat, ac præsertim Deo, cujus sunt omnia, et qui nulla re indiget. Unde in Evangelio plus placuit Deo oblatio duorum minorum a sancta vidua facta, quam oblationes multorum aureorum numerorum ab hypocritis, et superbis factæ : quamvis cæteris paribus gratior sit oblatio rei præstantioris, et proinde gratissima oblatio corporis Domini, rei videlicet omnium præstantissimæ.

Tertium est, sacrificium Missæ, ut a Christo offertur, vim habere ex opere operantis, sed infallibiliter, quia placet ex bonitate offerentis Christi, quæ semper est eadem, et nec minui, nec crescere potest. Ut autem offertur ab homine, vim habere ex opere operato ; quia placet Deo, etiamsi homo, qui offert, Deo non placeat. Itaque quod est opus ope-

rnatis respectu Christi : est opus operatum respectu Ministri. Absolute tamen cum dicitur Missa vim aliquam habere ex opere operantis, semper intelligitur de valore, quem habet ex bonitate Ministri, quia ipse est, qui proprie operatur : Christus enim non operatur, nisi per ministrum.

Quarta propositio : « Valor sacrificii Missæ finitus est. » Hæc est communis sententia Theologorum, et probatur apertissime ex usu Ecclesiæ. Nam si Missæ valor infinitus esset, frustra multæ Missæ, præsertim ad rem eandem impetrandam offerrentur. Si enim una infiniti valoris est, certe ad omnia impetranda sufficet ; quorsum igitur aliæ ? Et confirmatur ex sacrificio crucis, quod non alia de causa unum tantum fuit, neque unquam repetitur, nisi, quia illud unum infiniti valoris fuit, et pretium acquisivit pro omnibus peccatis præteritis, et futuris remittendis.

Sed licet res ipsa certa sit, causa tamen non est adeo certa : mirum enim videtur, cur valor sacrificii hujus sit finitus, cum idem sit hoc sacrificium cum sacrificio crucis ; et cum ipsa hostia, et offerens Christus, infinito modo sint Deo grata. Videntur mihi, salvo meliore judicio, tres esse causæ hujus rei. Prima sumitur ex parte hostiæ, quæ offertur. Nam in sacrificio crucis destruebatur ad honorem Dei, ipsum esse naturale Christi in forma humana ; in sacrificio Missæ destruitur tantum esse Sacramentale : nobilius autem est ; et magis pretiosum, esse Christi naturale : quam Sacramentale. Cæterum hæc ratio solum demonstrat majoris valoris fuisse sacrificium crucis, quam sacrificium Missæ, sed non reddit causam, cur hoc sit finitum, et illud fuerit infinitum. Non enim est infinita distantia inter esse Christi naturale, et Sacramentale : neque infiniti valoris fuit sacrificium crucis, quia in eo destruebatur esse naturale humanitatis Christi ; sed quia eam destructionem sponte patiebatur, et in sacrificio offerebat Filius Dei, qui vere est infinite Deo gratus, cum et ipse sit verus Deus.

Secunda igitur ratio efficacior est, quæ sumitur ex parte offerentis. Nam in sacrificio crucis, offerens est ipsa persona Filii Dei per se ; at in sacrificio Missæ offerens est Filius Dei per Ministrum. Multum autem interest inter actionem Filii Dei per se, et per Ministrum : illa enim est actio immediate producta a divino supposito, ista ab humano. Quare

licet multo sit gratior actio Ministri quatenus fit in persona Christi, quam si fieret in persona propria : tamen sine comparatione est gratior illa, quæ fit immediate ab ipso Christo. Quemadmodum inter homines, multo plus valet apud principem aliquem postulatio legati, nomine sui principis, quam nomine proprio : tamen multo adhuc magis valeat postulatio ipsius principis, si ipsemet ore suo aliquid peteret.

Tertia ratio sumitur ex ipsa Christi voluntate. Nam etiamsi posset Christus per unam oblationem sacrificii inerti, sive per se, sive per Ministrum oblatis, quælibet a Deo, et pro quibuscumque impetrare, tamen noluit petere, nec impetrare, nisi ut pro singulis oblationibus applicaretur certa mensura fructus passionis suæ sive ad peccatorum remissionem, sive ad alia beneficia, quibus in hac vita indigemus. Cur autem id voluerit, non est nostrum curiosius inquirere. Videtur tamen id voluisse, tum ut hoc modo frequentaretur hoc sanctum sacrificium, sine quo religio consistere non potest : tum etiam, quia id requirebat ordo divinæ providentiæ. Quæ est etiam causa, cur Christus assidue interpellet pro nobis in cælo, cum tamen videatur, unica interpellatione potuisse omnia statim impetrare ; et similiter cur pretium infinitum, quod in cruce acquisivit, quo totus mundus continuo salvari potuisset, non nisi quibusdam, et in certa mensura applicari voluerit : horum enim omnium causa est, quia voluit Christus omnia fieri secundum ordinem divinæ providentiæ

## CAPUT V.

### *Solvuntur objectiones adversariorum.*

Nunc objectiones diluendæ sunt, quæ ab adversariis contra efficaciam sacrificii propitiatorii, et impetratorii fieri solent. Ac primum argumenta hæreticorum præcipua, jam soluta sunt in libro superiore : illi enim omnia confundunt.

Unum superest Lutheri argumentum ex lib. *de Captiv. Babyl.* : « Baptismus unius non prodest alteri, nec potest unus pro alio baptizari : ergo nec sumptio Eucharistiæ potest ab uno pro alio fieri. Non igitur Missa est sacrificium propitiatorium, quia si ita esset, Missa et Communio unius, alteri prodesset. »

Respondeo : Multum interest inter Sacramenti susceptionem, et sacrificii oblationem. Susceptio enim Sacramenti ad sanctificandum susipientem ordinatur, et ideo non sanctificat, nisi susipientem : at oblatio sacrificii ordinatur ad impetrandum beneficia iis omnibus, pro quibus offertur. Quare sacrificium, ut supra diximus, simile est orationi, quod attinet ad efficientiam : oratio enim non solum prodest oranti, sed etiam iis, pro quibus oratur. Ex his colligimus, manducationem Eucharistiæ, quæ fit a Sacerdote ut est Sacramenti susceptio, soli sumenti prodesse : ut autem est sacrificii consummatio, prodesse illis omnibus, pro quibus oblatum est sacrificium.

Secundo obijciunt alii, atque inter eos Kemnitius in II. par. Examinis, pag. 405. et 861 : « Si Missæ sacrificium propitiatorium esset, ac peccata remitteret : utile esset non accedere ad Sacramenta pro remissione peccatorum percipienda. Nam remissio peccatorum per unam Missam ab alio dictam sine ullo labore, et periculo haberetur : per Sacramenta autem non nisi cum labore, et periculo haberi potest.

Respondeo : Si Missa immediate peccata remitteret, argumentum aliquid concluderet. At non hoc docemus, sed tantum per Missæ sacrificium impetrari donum pœnitentiæ, quo homines peccatores moveantur ad Sacramenta desideranda, et quærenda, in quibus justificentur, ut supra diximus.

Tertio, posset aliquis contra solutionem datam ab experimento argumentum ducere. Nam sæpe dicuntur Missæ pro peccatoribus, qui tamen non recipiunt donum pœnitentiæ : non igitur Missa præsertim ex opere operato, confert donum pœnitentiæ. Et idem argumentum fieri potest contra vim hujus sacrificii ad cætera beneficia obtinenda : non enim semper obtinentur ea, pro quibus Missæ sacrificium offertur.

Respondeo : Missæ sacrificium cum pro peccatoribus offertur infallibiliter impetrat novum, ac certum auxilium divinum, quo peccatores ad pœnitentiam perducantur, sed illud auxilium varie operatur, pro varia hominum dispositione. Nam si is, pro quo Missa offertur, dispositus est ad contritionem, efficietur in illo vi novi auxilii contritio, quæ proprie donum pœnitentiæ est : et hoc est, quod dicunt Concilium Tridentinum, et S. Thomas supra citati ; si vero non sit dispositus, efficietur in illo homine nova quæ-



dam dispositio, sed quæ sine suo frustrabitur, si ille ex arbitrii libertate vocationem Dei rejiciat. Itaque non est mirum, si peccatores non semper convertantur, pro quibus Missæ sacrificium offertur, cum tamen sine dubio semper juventur. Adde, quod non est necessarium, ut effectus sacrificii continuo existat : sed solum ut Deus auxilium, et gratiam det, quando ipsi opportunum videbitur. Nam etiam sacrificium crucis non continuo habuit suum effectum : et oratio S. Stephani. Pauli conversionem impetravit, sed futuram tempore a Deo determinato.

Quod autem attinet ad temporalia beneficia, multæ possunt esse causæ, cur non continuo obtineantur, licet infallibilis sit efficacia sacrificii. Nam vel ea Deus non largitur, quia non esse utilia ad salutem æternam intelligit, vel differt, ut opportuniore tempore illa concedat, vel denique indigni sunt pro quibus sacrificium offertur, ut temporalia illa beneficia accipiant, et contra dignissimi, qui severissime castigantur. Nam etiamsi sacrificium offeratur ad Deum placandum etiam indignis, tamen aliquando majora sunt hominum demerita, quam ut Deus uno, vel altero sacrificio placari possit : siquidem, ut diximus, finitus ac limitatus est Missæ valor.

## CAPUT VI.

*Sacrificium Missæ omnibus viventibus prodest.*

Tertia sequitur quæstio, pro quibus sacrificium Missæ offerri debeat, aut possit : Sunt autem sex hominum genera, de quibus dubitari posse videtur. Alii enim adhuc vivunt, alii mortui sunt : qui vivunt, aut sunt membra corporis viva, aut mortua, aut nullo modo, id est, aut sunt justi, aut peccatores, sed fideles, aut denique impii, et infideles : eorum qui mortui sunt, alii in purgatorio, alii in cælo jam degunt, alii etiam apud inferos æternis suppliciis addicti sunt.

Et de iis quidem, qui vivunt intra Ecclesiam, et de iis, qui sunt in gehenna, id est, de primis et ultimis, nulla controversia est. Nam pro iis omnibus, qui sunt intra Ecclesiam, sive justis, sive peccatores sint, Catholici omnes docent, sacrificium offerri posse,

imo etiam reipsa quotidie offerri : dicimus enim in Canone, pro omnibus Orthodoxis, et Catholicæ, atque Apostolicæ fidei cultoribus nos offerre. Hæretici autem nihil habent peculiare, quod de hac re dicant.

Pro iis autem qui sunt in gehenna, certum est, sacrificium offerri non posse : neque id ulli aut hæretici, aut Catholici negant ; nam damnatorum ad gehennam, et culpæ, et pœnæ sunt irremissibiles. Quare Augustinus ex professo docet, lib. I. de origine animæ, cap. IX, et XI. sacrificium offerri non posse pro defunctis parvulis sine Baptismo, et in Enchiridio, cap. CIX. et CX. dicit, nihil prodesse damnatis sacrificium, si pro eis offeratur. Sed de hac re plura diximus in II. lib. de purgatorio, cap. ult.

De iis qui vivunt, et extra Ecclesiam sunt, facile res explicari potest. Nam in primis constat eis saltem indirecte sacrificium prodesse, et pro eis etiam indirecte offerri posse. Dum enim offerimus sacrificium pro Ecclesia Catholica propaganda, unienda, purganda, quod certum est licere, simul indirecte offertur pro conversione infidelium, et hæreticorum. Præterea in libris nostris Missalibus exstat Missa propria ad tollendum schisma : ubi licet pro Ecclesiæ pace sacrificium offeratur, tamen implicite offertur pro schismaticis, ut videlicet convertantur. Denique in oblatione calicis, dum pro totius mundi salute orare jubemur, certe aliquo modo pro infidelibus etiam oramus.

Deinde certum est, etiam ex natura rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiæ, licere offerre pro ejusmodi hominibus. Nam sacrificium crucis pro omnibus fuit oblatum : cur igitur non possit etiam Missa pro omnibus offerri ? Deinde, in antiqua Ecclesia offerebatur pro principibus et regibus, qui tamen erant omnes infideles : quod enim Apostolus ait, I Timoth. II : *Volo igitur fieri orationes etc.* (1) communiter a Patribus exponitur de orationibus, quæ fiunt in sacrificio. Et Chrysostomus expresse homil. VI. in hanc epistolam, dicit pro rege gentili esse offerendum. Et Tertullianus in libro ad Scapulam : « Sacrificamus, inquit, pro salute Imperatoris. Et in lege veteri, ut supra ostendimus, sacrificabatur pro vita regis Darii, et filiorum, I Esdræ VI. et in II lib. Machabæor. cap. III. pro salute Heliodori gentilis. Præterea Clemens lib. VIII. constitutio. cap. XVIII. docet,

(1) I Timoth. V, 1.

Apostolos obtulisse sacrificium Eucharistiæ pro regibus sui temporis, necnon pro Catechumenis, et pro reductione eorum, qui versabantur in errore. Et in Liturgia Jacobi fit expressa oratio pro extirpatione hæresum. Chrysostomus, et Basilius in Liturgia similiter orant pro toto orbe terrarum, et nominatim pro errantibus, ut revocentur ab errore. Chrysostomus præterea lib. vi. de sacerdotio, dicit sacerdotem sacrificantem orare pro peccatis omnium hominum, ut illis Deus propitius fiat; et in homil. de Adam et Eva dicit, Sacerdotes publice orare pro infidelibus, Hæreticis, Judæis, Catechumenis, etc. In ordine Romano, ubi describitur scrutinium tertium, quod agitur Feria iv. post Quartam Dominicam Quadragesimæ, instituitur Missa propria pro Catechumenis, et infra actionem in illis verbis: « Hanc igitur oblationem servitutis nostræ etc. » expresse additur eam offerri pro Catechumenis. Non igitur dubitari potest, quin absolute liceat sacrificium offerre pro iis, qui sunt extra Ecclesiam.

Neque his repugnat, quod ait Augustinus lib. i. de orig. animæ, cap. ix: « Quis offerat sacrificium corporis Christi, nisi pro iis, qui sunt membra Christi? » Nam ut recte respondit ad hanc objectionem S. Thomas in iv. distinct. xii. quæst. ii. art. ii. quæst. ii. ad iv. id intelligi debet de iis, qui sunt membra Christi, actu vel potentia: tunc enim offertur etiam pro membris Christi, quando offertur pro aliquibus, ut fiant membra Christi. Adde, quod Augustinus non loquitur eo loco, nisi de defunctis: et quia defuncti aut sunt membra Christi actu, aut nullo modo, ideo absolute dicere potuit, non posse offerri pro defunctis, nisi sint membra Christi.

Sed quamvis hæc ita se habeant, prohibuit tamen Ecclesia cap. A nobis, de sententia excommunicationis, publice orare pro excommunicatis, et consequenter pro hæreticis, qui sunt omnes excommunicati: proinde etiam prohibuit, sacrificium pro eis directe, et expresse offerri; sacrificium enim semper est publicum.

Sed quæret aliquis, utrum ubi rex infidelis est, ut in Græcia, ubi Turca dominatur, et in India, in Japone, apud Sinas, ubi ethnici regnant, liceat sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro rege. Respondeo: Existimo licere, modo rex ille non sit excommunicatus, ut sunt reges hæretici; sed

paganus, sive Ethnicus. Nam hæc traditio, imo et constitutio Apostolica est, ut paulo ante ostendimus; neque exstat, quod sciam, ulla Ecclesiæ manifesta prohibitio.

Rursus aliquis petet, utrum liceat hoc tempore sacrificium offerre pro hæreticorum, sive infidelium aliorum conversione: ratio dubitandi est, quia tota Liturgia Latinæ Ecclesiæ, quæ nunc est in usu, refertur ad fideles, ut patet ex precibus oblationis, tum extra, tum intra Canonem. Respondeo: Existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem sacerdotis applicetur sacrificium conversioni infidelium, sive hæreticorum; id enim multi faciunt viri pii, et docti, quos reprehendere non possumus, neque exstat expressa Ecclesiæ prohibitio. Tutissimum tamen est, quod alii faciunt, qui intentionem suam ita moderantur, ut directe intendant, offerre pro augmento, unitate, et pace illius Ecclesiæ, quæ inter hæreticos, vel ethnicos conversatur: qui enim ita offerunt, eundem habent effectum, quem superiores. Non enim potest augeri, et uniri, ac pacificari Ecclesia in illis locis; nisi convertantur infideles, aut hæretici: et simul horum intentio conformior est Ecclesiastico ritui, quam superiorum.

## CAPUT VII.

### *Sacrificium Missæ pro defunctis in purgatorio degentibus, rite offertur.*

De mortuis duæ sunt cum hæreticis hujus temporis controversiæ. Una de iis, qui sunt in purgatorio. Altera de Beatis.

Quod attinet ad priorem, hæretici omnes in superiore controversia nominati, et iisdem in locis, maxime detestantur sacrificia pro defunctis; nec tamen habent nisi levissimum argumentum, quod videlicet Christus dixerit: *Accipite et manducate*, cum de usu Eucharistiæ loqueretur; mortui autem neque accipere, neque edere valeant. Hoc enim argumentum, et Calvinus in Antidoto articulorum Parisiensium, et Kemnitius in ii. par. Examinis Concilii Tridentini in ultimo argumento, et alii passim objiciunt; quod tamen nihil concludit. Nam quod mortui non manducant, probat eos non posse participare de carnibus sacrificii, non autem probat non posse eos participare fructum sacrificii: si-

quidem Job, pro absentibus filiis, et Judæi pro rege Babylonis similiter absente, non inutiliter sacrificabant. Et Dominus cum ait: *Accipite et manducate*, loquebatur iis, quibus Sacramentum porrigebat, non autem iis omnibus, pro quibus sacrificium offerebat: nam ibidem habemus, sanguinem Domini oblatum pro illis, et pro multis.

Nos igitur certissimam veritatem confirmare aggrediamur. Primo ex Testamenti veteris consuetudine, et ex ipsa Scripturæ auctoritate. Nam in II lib. Machab. cap. XII. Judas Machabæus jussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum: et Scriptura hoc factum laudans, aperte dicit: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (1).

Scio quid adversarii respondere soleant, librum non esse canonicum, sed hæc est antiqua cantilena, et a nobis duobus in locis refutata, lib. I. de verbo Dei, et lib. I. de Purgatorio. Sed esto, non esset liber canonicus, quis tamen negaverit historicum esse antiquissimum, et bonæ fidei, non minus quam Josephum aut Sallustium? Quod igitur narrat, de facto Judæ, et Hebræorum consuetudine in sacrificiis pro mortuis offerendis, nulla causa est, cur putetur non esse verum; nam si idem Josephus narraret, aut quivis alius bonæ fidei auctor, nemo non crederet. Habemus igitur, ut minimum, illam fuisse Ecclesiæ antiquæ consuetudinem, quam bonam, et laudabilem fuisse vel ex eo probatur, quod neque a Christo, neque ab Apostolis, neque ab ullo Concilio, ullisve doctoribus, nisi Ecclesiæ hostibus, fuerit reprehensa. Adde, quod Augustinus, quem sane tutius sequimur, quam Calvinum, libro de cura pro mortuis, cap. I. et lib. de origine animæ, cap. XI. ex hoc loco probat, defunctis prodesse sacrificia pro eis oblata.

Secundum argumentum sumimus ex consuetudine Ecclesiæ Catholicæ universæ. Nam ut scribit Epiphanius in compendiariorum doctrina, et Augustinus lib. de cura pro mortuis, cap. I. et ult. et serm. XXXIV. de verbis Apostoli; Ecclesia universa in sacrificio Missæ pro defunctis orat. Id quod etiam patet ex omnibus Liturgiis, Jacobi, Clementis, Basili, Chrysostomi, Ambrosii, et cæteris. Ac denique patet ex Conciliis omnium provinciarum, in quibus fit mentio sacrificii pro defunctis, tamquam recepti, et usitati. Vide

pro Africa Concilium III. Carthaginense, cap. 29. et IV. cap. 79. pro Hispania Bracarense I. cap. 34. et 39. pro Gallia Cabilonense, ut habet canon. Visum est, de consecrat. dist. I. pro Germania, Wormatiense cap. 10. pro Italia Concilium VI. sub Symmacho, pro Græcia, cap. 69. capitulorum ex Græcis Synodis collectorum a Martino Bracarense Episcopo. Ex quo refellitur mendacium Kemnitii; Kemnitius enim in III. par. Examinis Tridentini Concilii in tractatu de purgatorio, scribit consuetudinem sacrificandi pro mortuis, fuisse quidem alicubi, sed non in tota Ecclesia.

Tertium argumentum sumitur ab Apostolica traditione. Nam constat hunc ritum sacrificandi pro peccatis mortuorum, ab Apostolis ad nos manasse: id enim aperte docet Rabanus lib. II. de Institut. Clericorum, cap. 44. et ante eum Isidorus lib. I. de officiis divinis, cap. 48. et ante Isidorum Chrysostomus homil. 69. ad populum Antiochenum: « Non temere, inquit, hæc ab Apostolis sancta fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, multam utilitatem. » Idem habet homil. 3. in epist. ad Philipp. Idem docent Gregorius Nyssenus, et alii, quos citat Damascenus in oratione pro defunctis. Idem aperte colligitur ex Liturgia Jacobi, qui Apostolus fuit, et Clementis, qui ea scripsit, quæ ab ore Apostolorum accepit.

Denique idem probatur ex regula sancti Augustini lib. IV. de Baptismo, cap. 24. quæ est, ut id certissime credatur ex Apostolica traditione descendere, quod in omni Ecclesia servatur, nec in aliquo Concilio institutum, sed semper servatum, et retentum est. Talem autem esse hunc ritum, negari non potest. Nam in omni Ecclesia servari, jam supra ostendimus, in nullo autem Concilio institutum, sed semper servatum fuisse, patet ex testimoniis antiquissimis Patrum eorum, qui omnia Concilia præcesserunt, ubi fit mentio de sacrificiis pro defunctis. Primum enim Concilium, in quo mentio hujus rei habetur, est Carthaginense III. quod celebratum est circa annum Domini 417. At sacrificii pro defunctis meminit Eusebius Cæsariensis lib. IV. de vita Constantini, qui fuit centum annis antiquior Concilio Carthaginensi; meminit etiam Tertullianus

(1) II Macch. XII, 46.

in lib. de corona militum, qui fuit ducentis annis eo Concilio antiquior; meminit denique Clemens lib. 8. constit. cap. 19. qui trecentis annis idem Concilium præcessit.

Ad hoc argumentum multum laborat, ut respondeat Kemniti loco cit. ac primum fatetur Chrysostomum dicere, hunc ritum ab Apostolis esse institutum. Deinde falsam esse Chrysostomi sententiam conatur ostendere. Primo, quia in nulla divina Scriptura reperitur ista Apostolica constitutio. Secundo, quia Hieronymus, et Gregorius dicunt solam orationem Dominicam adhibuisse Apostolos ad consecrationem. Tertio, quia Tertullianus de corona militis, scribit hunc ritum ex consuetudine fluxisse.

At nos etiamsi solum Chrysostomum haberemus, malleus illi, quam Kemnitio credere: plus enim multo valet illius auctoritas, quam omnia hujus argumenta. Nam quod dicit in scripturis id non reperiri, quis negat? Neque enim nos ad Scripturam, sed ad traditionem non scriptam Apostolorum referimus hanc eorum constitutionem: et ad ejusmodi traditiones certo investigandas, valet regula S. Augustini.

Quod ex Hieronymo, et Gregorio allegatur, partim est verum, partim falsum, et totum impertinens: verum est Gregorium id dicere, sed falsum quod a Hieronymo idem dicatur. Hieronymus lib. 3. cont. Pelagianos, dicit Christum Apostolos docuisse, ut in sacrificio Eucharistiae recitarent orationem Dominicam sed non dicit eam solam. Est autem totum impertinens, tum quia poterant Apostoli primo tempore solam orationem Dominicam adhibere post consecrationem, deinde alio tempore addere alias preces; tum etiam quia sine ulla certa prece poterant offerre sacrificium pro defunctis; ad hoc enim sola interior mentis intentio abunde sufficit.

Quod denique addit Kemniti de Tertulliano, ex eodem auctore refellitur. Tertullianus enim non dicit hunc ritum sacrificandi pro mortuis ex consuetudine primum fluxisse, sed ex consuetudine retentum, et confirmatum, quod ex Apostolica traditione descenderat: « Traditio, inquit, est auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. » Adde, quod Tertullianus non loquitur de sacrificio pro defunctis absolute, sed de sacrificio annuo. Quare potuit fieri, ut illud annuum ex aliquorum consuetudine manarit: sed hoc ipsum est argumentum,

jam tunc usu receptum, ut pro defunctis sacrificaretur. Et quamvis non aperte dicat Tertullianus, traditionem hanc esse Apostolicam, tamen neque id negat: et ex regula Augustini colligitur necessario esse Apostolicam.

Quartum argumentum sumitur ab hæresi Aerii, quæ publice in Ecclesia damnata fuit. Aeriarius enim docebat non esse pro mortuis sacrificium offerendum; quam hæresim cum Ecclesia antiqua, quæ etiam adversariorum testimonio vera Ecclesia erat, damnavit, simul omnes Lutheranos, et Calvinistas damnavit.

Pupugit hoc argumentum valde Philippum, et ideo in Apologia Confessionis Augustinæ in disputatione de vocabulis Missæ prope extrema, mendacii medicamentum vulnere adhibendum curavit: « Falso, inquit, citant adversarii contra nos damnationem Aerii, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negaverit in missa oblationem fieri pro vivis, et mortuis. » Et infra: « Epiphanius testatur Aeriarius sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles, id reprehendit; neque nos Aeriario patrocinamur. » Hæc ille; ubi duo insignia mendacia sunt.

Unum quod Lutherani non patrocinantur Aeriario neganti orationes pro mortuis esse utiles. Nam quis, quæso, Lutheranos non oppugnat purgatorium? quis non irridet orationem pro mortuis?

Alterum, quod Aeriarius negaverit orationes non autem oblationes pro defunctis; quod mendacium disertis verbis Epiphanius, Augustinus, et Damasceni, trium sanctissimorum testium confutabitur. Epiphanius hæresi 75. subobscure indicat Aeriarium negasse commemorationem mortuorum inter sacra mysteria, sed in alio libro qui inscribitur Anacæphalæosis, id est, recapitulatio omnium hæresum, sic ait: « Aeriarius multa contra Ecclesiam docuit, fide quidem existens Arianus perfectissimus, verum amplius docet, non oportere offerre pro iis, qui obdormierunt. » Augustinus in lib. de hæresibus, cap. 53. dicit Aeriarius propria dogmata addidisse, et inter ea primo loco numerat, orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Damascenus in lib. de centum hæresibus: « Negat, inquit, Aeriarius quidquam esse pro mortuis offerendum. »

Quintum argumentum sumitur a probatissimorum Patrum testimoniis Græcorum et Latinorum. Tertullianus in lib. de corona

militum : « Oblationes, inquit, pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. » Similia habet in lib. de Monogamia, et in exhortatione castitatis, et in II. lib. ad uxorem.

Cyprianus lib. I. epist. 9. « Episcopi, inquit, antecessores nostri, religiose considerantes, et salubriter providentes consueverunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec pro dormitione ejus, sacrificium celebraretur. »

Eusebius Cæsariensis lib. IV. de vita Constantini, cap. 71. ex versione Christophorsoni, scribit Constantinum consecutum quod optaverat, ut sepeliretur in Basilica Apostolorum, et jam fœni communione orationum, quæ ibi funduntur, et mystici sacrificii.

Cyrillus Hierosolymitanus catech. 5. mystagogica : « Maximum, inquit, esse credimus animarum juvenum, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, et tremendi, quod in altari positum est, sacrificii. »

Ambrosius in lib. II. epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis : « Itaque, inquit, non tam deplorandam, quam prosequendam orationibus reor, nec moestificandam lacrymis tuis, sed oblationibus animam ejus Domino commendandam. Vide orationes de obitu Theodosii, Valentiniani, et Satyri, in quibus omnibus se pro animabus eorum sacrificaturum pollicetur.

Ephrem in testamento suo, quod exstat in I. tomo Surii, rogavit, sacrificium altaris pro anima sua offerri. Epiphanius in compendiarie doctrina, ponit inter dogmata Ecclesie, orare pro defunctis, et pro eisdem perficere divinum cultum, et mysteriorum dispensationem. Chrysostomus jam supra citatus est, cujus sunt apertissima testimonia homil. 69. ad popul. et homil. 3. in epist. ad Philip.

Augustinus in singulis fere tomis operum suorum hujus ritus meminit, tomo I. lib. IX. Confess. cap. 12. et 14. tomo II. epist. 64. ad Aurelium, tomo 3. in Enebiridio, cap. 110. tomo 4. lib. de cura pro mortuis, cap. 18. tomo V. lib. 20. de civit. Dei, cap. 9. tomo VI. lib. de sancta Virginitate, cap. 45. tomo VII. libro de origine animæ primo, cap. 9. et 11. tomo IX. tract. 84. in Joan. tomo X. serm. 17. et 34. de verbis Apostoli.

Possidius in vita B. Augustini scribit, pro ejus morte sacrificium Deo fuisse oblatum. Vide Gregor. lib. IV. Dialog. cap. 55. et Theophylactum in cap. 12. Lucæ, et Da-

mascenum in orat. pro defunctis, et Bedam lib. IV. histor. cap. 22. et lib. V. cap. 13.

Ex his testimoniis cognosci potest, quam sint levia, et inepta, quæ adversarii ad Patrum testimonia respondere solent. Aliqui enim contendunt nos non habere nisi testimonia Gregorii et recentiorum, ad probandum sacrificium pro defunctis : ita Melancthon in Apologia Confessionis Augustanæ, in artic. de Missa.

Alii concedunt nos habere testimonia etiam Augustini et Epiphani, sed non antiquiora : ita Kemnitius in 3. par. Exam. loco cit. At nos citavimus plurimos Patres, non solum Gregorio, sed etiam Augustino, et Epiphano antiquiores, ut Ambrosium, Ephrem, Nyssenum, Cyrillum, Eusebium, Cyprianum, Tertullianum.

Alii contendunt Patres loqui de sacrificio precum, aut eleemosynarum, non de sacrificio corporis Domini, cum dicunt offerre sacrificium pro defunctis : ita exponit loca Tertulliani et Cypriani Kemnitius loco citato, et loca Augustini Georgius Major in refutatione profanationis cœnæ. At falluntur apertissime ; nam Cyprianus lib. I. epist. 9. citata, dicit sacrificium celebrari pro defunctis in altari. Augustinus autem distinguit tria, quæ offeruntur pro defunctis, et omnia dicit prodesse, eleemosynas, preces et sacrificia, ut in Euchirid. cap. 110. et serm. 34. de verbis Apostoli, et lib. de cura pro mortuis, c. 18. Item dicit offerri pro mortuis sacrificium pretii nostri, lib. IX. Confess. cap. 12. et sacrificium corporis, et sanguinis Domini, lib. I. de orig. animæ, cap. 9. et 11. et sacrificium mediatoris, quest. 1. ad Dulcitium ; et sacrificium altaris, lib. de cura pro mortuis, cap. 18.

Sed Kemnitius occurrit, ac dicit, in celebratione quidem Eucharistiæ consuevisse commemorari mortuos, sed non in eum finem, ut oblatio Eucharistiæ esset propitiatio pro peccatis mortuorum ; verum ut eo tempore adhiberetur confessio, et testificatio illius articuli : « Communionem Sanctorum », ut nimirum profiteamur ad corpus Christi, et Ecclesie pertinere tum viventes, tum mortuos.

At hoc est merum figmentum. Nam Cyrillus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, et alii citati, clare dicunt, multum prodesse animabus defunctorum ad refrigerium sacrificium Eucharistiæ : et Augustinus in Euchirid. cap. 110. utitur voce propitia-

tionis, cum ait : « Pro non valde malis, propitiatio est. » Et denique idem Augustinus, ubicumque agit de hac re, semper distinguit sanctos, præcipue Martyres, ab aliis fidelibus defunctis, ac dicit utrosque in sacrificio altaris commemorari, sed Sanctos, ut ipsi pro nobis orent, alios autem ut nos pro illis oremus. At si solum ea commemoratio, testificatio esset communionis, et societatis, eodem modo omnes commemorarentur. Vide loca Augustini tract. LXXXIV. in Joan. lib. de sancta Virginitate, cap. 45. et serm. 17. de verbis Apostoli.

### CAPUT VIII.

#### *Sacrificium Missæ recte celebrari pro Sanctis.*

Ex iis, pro quibus sacrificium offerri potest, soli supersunt Sancti, qui jam in cælo cum Christo regnant. Et quoniam adversarii, et Kemnitius maxime, mira fraude statum quæstionis involvunt, et nobis affingunt, quæ nunquam somniavimus. Primo explicanda erit diligenter Ecclesiæ sententia; et aperiendus status quæstionis. Deinde probanda veritas. Ultimo respondendum ad objectiones.

Quod ad primum attinet, Ecclesiæ sententia his tribus capitibus continetur. Primo, Sacrificia non prosunt Sanctis ad culpæ vel pœnæ remissionem, nec ad gratiæ vel gloriæ essentialis augmentum. Hoc certum est apud Catholicos, neque de eo contentio est ulla cum hæreticis. Quare sanctus Augustinus tract. LXXXIV. in Joan. et serm. 17. de verbis Apostoli, et alibi, monet in sacrificio memoriam fieri Sanctorum, sed non orari pro illis. Et ideo cum in nostra Liturgia petimus, ut oblatio Sanctis prosit ad gloriam, non tam oramus pro Sanctis, quam pro nobis: petimus enim a Deo gratiam ita sancte, pie, devote, recte sacrificium offerendi, ut merito Sancti inde gaudere possint, et gloria illis coram hominibus accedat. Et similiter cum Cyprianus, Cyrillus, Epiphanius, Augustinus, et Chrysostomus, quos infra citabimus in probatione primæ propositionis, dicunt sacrificium offerri pro Apostolis, et Martyribus, non intelligunt offerri pro eorum salute, sed pro eorum honore.

Secundo, sacrificium non offertur Sanctis, et proinde neque templa, neque altaria

eriguntur Sanctis, licet in eorum memoriam ista omnia fieri possint, ut mox dicemus. Hoc habetur expresse in Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 3. et apud Augustinum lib. VIII. de civit. Dei, cap. 27, ubi sic legimus: « Nos Martyribus non constituimus templa, sacerdotia, sacra, et sacrificia. » Quæ verba citat Kemnitius, pag. 848. et subjungit impudenti mendacio: « Atqui hoc in Papatu, et factum est, et adhuc defenditur. » Sed poterat eodem modo in Augustinum, mentiri, ac dicere. Atqui hoc tempore Augustini fiebat, et ab ipso defendebatur. Nam in quo sensu Augustinus negat altaria, templa, et sacrificia Sanctis, et nos pariter negamus: et tamen in alio sensu cum eodem Augustino, templa, altaria, et sacrificia Sanctis attribuimus. Negat Augustinus, et nos cum illo, sacrificia offerri Sanctis, et proinde templa, et altaria erigi, ut in iis sacrificetur Sanctis, at concedit, et nos cum eo pariter concedimus, sacrificia offerri in memoriam Sanctorum, et proinde templa, et altaria erigi in Sanctorum memoriam; unde etiam templa, et altaria, in quibus soli Deo sacrificatur, passim ab Augustino dicuntur memoriæ Sanctorum.

Probantur hæc omnia ex ipsius Augustini verbis; nam loco citato a Kemnitio lib. VIII. de civit. Dei, cap. 27. ita Augustinus explicat quod dixerat, Sanctis non constitui templa, et sacrificia: « Quis audivit aliquando fidelium, stantem sacerdotem ad altare dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud memorias eorum Deo offeratur? » Et lib. XX. contra Faustum, cap. 24: « Nulli Martyrum, inquit, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria. Quis enim Antistitem in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronavit, apud memorias eorum, quos coronavit. » Porro templa dedicari Sanctis in eo sensu, quem diximus, patet ex eodem Augustino lib. I. de civitate Dei, cap. 1: « Testantur, inquit, hoc Martyrum loca, et Apostolorum Basilicæ; » et lib. de cura pro mortuis, cap. 1. meminit Basilicæ S. Felicis. Vide testimonia plurima variorum Patrum de templis Sanctorum in nostro lib. III. de Sanctis, cap. 4.

Tertio, Sacrificium Missæ non est per se institutum tanquam ad finem proprium, et præcipuum ad Sanctos honorandos, vel invocandos. Hoc asserimus contra calumnias

Kemnitii, qui pag. 810. dicit, Catholicos docere cœnam Dominicam institutam esse, ut in ejus celebratione implerentur Sancti etc. Nos enim fatemur, sacrificium Missæ per se institutum ad Deum colendum et propitiandum : et verum sacrificium futurum, etiamsi nulla in eo fieret Sanctorum memoria. Quare solum secundo, et consequenter existimamus ad sacrificium pertinere Sanctorum cultum, et invocationem : nam ex eo quod aguntur Deo gratiæ in sacrificio pro victoriis Sanctorum, consequitur honor Sanctorum ; et quia eos hoc modo honoramus, consequitur etiam vicissim, ut ipsi sint nostri memores in cœlo, et pro nobis orent. Atque id vel ex ipsa nostra Liturgia intelligi potest ; nam in ea nusquam directe Sancti invocantur, nisi bis, aut ter in aliquo versiculo, et in confessione, quæ præmittitur ante Missæ introitum : alioqui ipsa oblatio expresse dirigitur ad solum Deum ; similiter Collectæ tam publicæ, quam secretæ, et omnes Canonis orationes diriguntur ad Deum, nullæ ad Sanctos. At si Missa esset instituta per se ad cultum, et invocationem Sanctorum, certe directe Sancti invocarentur in ipso Canone, ut invocantur in Litaniis.

Non igitur est status quæstionis, quem proponit Kemnitius : An cœna Domini sit instituta ad cultum, et invocationem Sanctorum ; sed an repugnet institutioni cœnæ Domini, ut in ejus celebratione fiat memoria Sanctorum, et consequenter honorentur, et invocentur Sancti, sive directe, sive indirecte. Et quidem Catholici omnes affirmant utrumque, id est, non solum non repugnare institutioni, ut in sacrificio nominentur Sancti cum honore, sed nec etiam ut invocentur. Quæ duo tum ex Concilio Tridentino, sess. 22. cap. 3. tum ex ipsa Liturgia manifesta sunt. At Kemnitius illud primum admittit consuetum fuisse in antiqua Ecclesia, et utrumque tolerari posse ; secundum autem vult ad manifestam profanationem cœnæ Domini pertinere, et adversa fronte pugnare cum institutione Dominica, idque non tam aperte, quam palpabiliter. Quare nos utrumque breviter confirmabimus.

Quod igitur ad secundum attinet, statuo has propositiones.

Prima : « Non repugnat institutioni cœnæ Domini, ut in ea nominentur, et honorentur Sancti. » Probatur primo ex Apostolo I Timoth. II. ubi jubet fieri orationes, et gratiarum actiones in sacrificio Missæ (nam de hoc

sacrificio locum illum exponunt veteres, ut supra ostendi) pro omnibus, et maxime pro regibus ; vult igitur Apostolus in Missa non solum supplicari Deo pro accipiendis beneficiis, sed etiam agi gratias pro acceptis. Est autem beneficium singulare, quod fratribus nostris Deus eam gratiam contulerit, ut mundum, et Satanam superaverint, et post eam victoriam gloria, et honore eos coronaverit : quare licitum erit, vel potius dignum et justum, ut sacrificium offeramus ad agendas Deo gratias pro victoria, et triumphis Sanctorum, et per hoc etiam Sanctos ipsos in sacrificio cum honore, et exultatione nominemus.

Secundo probatur testimonio omnium Liturgiæ, Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, et aliorum ; nam in omnibus nominantur Sancti, idque non semel.

Tertio probatur ex Patribus. Nam Cyprianus lib. 3. epist. 6. petit annotari, et ad se scribi diem mortis Martyrum singulorum, ut possit nominatim in die anniversario passionis eorum, pro eis sacrificium facere. Epiphanius hæres. 75. et Cyrillus catechesi 5. mystagog. aperte scribunt, in sacrificio nominari Apostolos, et Martyres. Chrysostomus homil. 21. in Acta, non solum nominari dicit, sed affirmat ingentem esse honorem Sanctis, quod nominentur Domino præsentem, dum horrendum illud sacrificium peragitur. Augustinus in libro de sancta Virginitate, cap. 45. et alibi frequenter dicit, Sanctos nominari in sacrificio ; et præcipue lib. 22. de civit. Dei, cap. 10. « Ad quod sacrificium, inquit, suo loco et ordine nominantur. »

Quarto probatur ex utilitate hujus instituti : prodest enim primum ad protestandam communionem Sanctorum. Nam sacrificium corporis Christi veri, nomine totius corporis mystici offertur, et offerri debet : proinde sicut nominantur viventes Pontifices, reges, et multi alii ; ita etiam mortui nominari debent, sive in purgatorio sint, sive in cœlo ; omnes enim ad idem corpus pertinent. Accedit quod ut Augustinus scribit lib. x. de civit. Dei, cap. 6. et lib. 22. cap. 10, in sacrificio altaris significatur sacrificium generale, quo universum corpus Christi mysticum, id est, tota redempta civitas offertur Deo per Christum Sacerdotem magnum : et quia ad compagem hujus corporis pertinent etiam Sancti, qui sunt in cœlo ; ideo etiam illi suo ordine in sacrificio altaris nominandi sunt.

Alia utilitas est, excitatio sanctæ æmulationis : quam utilitatem attingit S. Augustinus lib. viii. de civit. Dei, cap. 27. Nam redens rationem, cur in memoriam, et apud memorias Sanctorum dicantur sacra, sic ait : « Ut ea celebritate, et Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, et nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem invocato in auxilium ex eorum memoriæ renovatione adhortemur. »

Secunda propositio : « Non repugnat institutioni cœnæ Domini, ut in ea invocentur Sancti, eo modo, quo ab Ecclesia Catholica invocari solent. » Explico : tribus modis Sancti in sacrificio Missæ invocari possunt. Uno modo per ipsam oblationem, ita ut eis oblatio offeratur ; ipsa enim oblatio tacita quædam, sed efficacissima est invocatio ; et hoc modo non invocantur Sanctos Ecclesia in Missa, nec invocare posset sine peccato idololatriæ, ut diximus.

Secundo modo per precem ad eos directam, ut cum dicimus : « S. Patre, ora pro me ; » et hoc modo non invocantur Sancti in Missa, ut supra diximus, nisi obiter, in versiculis post lectionem ; idque solum in una, vel altera Missa : qui tamen modus nihil habet absurdi. Nam si licet a viventibus petere, ut nos juvent orationibus suis, dum tam sublimi fungimur ministerio, unde etiam dicimus in Liturgia : « Orate fratres ; » cur non liceat idem a Sanctis petere ? Sed non est opus nunc de ista re disputare, quia nec adversarii istos versiculos oppugnant, qui canuntur in Missa Catechumenorum, quæ non est proprie sacrificium ; in Missa autem fidelium, quæ incipit ab oblatione, nunquam ita directe Sancti invocantur.

Tertio modo per preces ad Deum directas, ut cum a Deo petimus, ut intercedentibus Sanctis nos juvet ; et hoc modo in Missa tum in Canone, tum extra invocantur Sancti : atque hoc est quod reprehendunt adversarii, et ideo hoc solum probandum est.

Probatum primo ex Patribus. Cyrillus catech. 5. mystagogica, explicans ritum sacrificii Missæ : « Cum hoc sacrificium, inquit, offerimus, mentionem facimus eorum, qui ante nos obdormierunt ; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum, et deprecationibus suscipiat preces nostras. » Basilius in Liturgia post consecrationem, memoriam faciens Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, sanctæ Dei genitricis, et

omnium Sanctorum : « Ut, inquit, assiduas preces pro nobis tibi offerant, eoque memoriam illorum celebramus, ut quando nobis ipsi parum fidimus, memoria, et legatione illorum protecti, per eos audeamus ad te accedere, atque tremendo hoc, et sacro munere defungi. » Chrysostomus in Liturgia : « Honorabilium, inquit, incorporalium super celestium S. Joannis præcursoris et Baptistæ, sanctorum gloriosorum Apostolorum, Sancti hujus, cujus memoriam agimus, et omnium Sanctorum tuorum ; quorum supplicationibus, respice nos Deus. » Et infra : « Stabili, inquit, nostros gressus precibus, et supplicationibus sanctæ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum. » Augustinus tract. 84. in Joau. : « Ideo quippe, inquit, ad ipsam mensam non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus ; sed magis ut orent ipsi pro nobis. » Idem habet serm. 47. de verbis Apostoli.

Secundo probatur ratione. Nam Sancti sine ullo dubio pro nobis in celo orare possunt, et orant, ergo bonum est a Deo petere, tum ut Sanctos pro nobis orare faciat, tum ut illos pro nobis orantes exaudiat, quæ duo in Missa petuntur. Consequentia apertissima, et certissima est. Nam si unum ex mediis nostræ salutis est, Sanctorum oratio, cur non liceat a Deo petere, ut per hoc medium nos adjuvet ? Et si licet petere, ut per bonos doctores, et pastores in terris nos dirigat, doceat, tueatur, cur non licet etiam petere, ut idem faciat per Angelorum et Sanctorum suffragia ? Et si licet Deum rogare, ut excitet eos, qui hic vivunt ad orandum pro nobis, eosque exaudiat, cur non idem licet in Sanctis ?

Antecedens autem hujus argumenti fuscè probatum est a vobis in 1. lib. de Sanctis ; nec adversarii multum de hac re contendunt. Nam etiamsi pertinacissime negent invocandos esse a nobis Sanctos, quia non credunt illos audire posse nostras preces ; tamen illos in genere sollicitos esse pro Ecclesia, et orare posse, atque etiam re ipsa orare, fatentur Philippus in Apolog. Confession. Augustanæ, articulo de invocatione Sanctorum, Breufius in Confessione Wirtembergensi cap. de invocatione Sanctorum, Kemmitius in 3. par. Exam. Concilii Tridentini, Calvinus quoque lib. 3. Instit. cap. 20. §. 21. et 24. non repugnat huic sententiæ, tametsi ægrè ad eam admittendam adduci se patientur. Et sane



id negari non potest, nisi negetur in primis Scriptura, quæ 2. Machab. ult. testatur Hieremiam et Oniam defunctos orasse pro populo, et Apoc. v. describuntur viginti quatuor seniores in cælo offerre incensum, quo Joannes ipse exponit significari orationes Sanctorum : nisi etiam negetur unitas corporis Ecclesiae, vel communio Sanctorum, quam in symbolo Apostolico confitemur. Si enim unum corpus sumus, et alii aliorum membra, certe invicem solliciti esse debemus : ea enim est membrorum natura, ut Apostolus docet I Cor. xii. Denique Augustinus quæst. 108. in Exod. dicit Martyrum orationibus propitiari Deum peccatis populi sui, et quæst. 149. dicit, Sanctorum meritis nos relevari posse apud Deum, quando mala nostra merita nos gravant.

Restat, ut Kemnitii objectionibus respondeamus. Primo sic argumentatur pag. 810. « Christus dicit : Hoc facite non in Sanctorum, sed in mei commemorationem. Et præterea ideo corpus, et sanguinem suum nobis tradit in cœna, ut adituri thronum gratiæ, misericordiam consequamur per merita unice oblationis Christi : ergo profanatur cœna Domini cum a Deo petitur, ut per merita, et preces Sanctorum, in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. »

Respondeo : Christus nusquam dixit : Hoc facite non in Sanctorum, sed in mei commemorationem ; neque dixit : Hoc facite in mei solius commemorationem : quare non potest recte colligi : Ergo repugnat institutioni cœnæ, Sanctorum commemoratio. Præterea etiamsi Dominus dixisset, Hoc facite in mei solius commemorationem ; adhuc nihil adversarii obtinerent : loquitur enim Dominus non de qualibet commemoratione, sed de ea, qua per mysterium cœnæ representatur ipsius passio, et mors ; quo genere commemorationis non solet, nec potest Ecclesia Sanctorum memoriam in Missa facere : non enim Eucharistia est symbolum passionis Sanctorum, sed Christi solius. Alia igitur est memoria Sanctorum, quam in sacrificio celebramus : nimirum enim Sanctos nominamus, ut pro eorum victoria Deo sacrificium gratiarum actionis offeramus, ut supra diximus.

Ad aliam partem argumenti respondemus, aliter per Christi intercessionem, et merita, et aliter per Sanctorum merita, et preces, nos a Deo misericordiam expectare, ac petere. Nam per Christi merita immediate a Deo misericordiam petimus ; ipse enim solus est im-

mediatus intercessor noster apud Deum. Per Sanctorum autem merita, et preces a Deo misericordiam petimus, eodem Christo mediante : nam et ipsi cum pro nobis orant, per Christum orant. Itaque sicut nostra oratio pro nobis ad Deum, non est supervacanea, nec injuriam Christo facit, licet ipse sit apud Deum advocatus noster, quia nos per illum pro nobis Deum oramus : ita Sanctorum preces pro nobis non sunt vel supervacaneæ, vel in Christi injuriam, licet Christus sit noster advocatus, quia ipsi per Christum petunt. Et sicut sancti pro nobis Deum orare possunt, non obstante Christi intercessione ; ita et nos possumus ab eis petere, ut pro nobis orent, et a Deo petere, ut illos ad orandum impellat, et orantes exaudiat, non obstante Christi intercessione.

Secunda objectio ex Augustino, qui lib. xxii. de civit. Dei, cap. 10. dicit, in administratione cœnæ Dominicæ a sacerdote Sanctos quidem nominari, nullo modo autem a sacerdote invocari.

Respondeo : Verba Augustini Kemnitius si citasset, fraudem suam etiam nobis tacentibus, omnibus patefecisset. Hæc autem sunt illius verba : « Uni Deo, et Martyrum, et nostro sacrificium immolamus : ad quod sacrificium, sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco, et ordine nominantur : non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. »

Vides hic primo, Augustinum non dicere : « In administratione cœnæ Domini, sed in sacrificio quod immolamus ; » et bis, terve repetere, sacerdotem sacrificare Deo sacrificium, non cœnam administrare. Secundo vides, Augustinum apertissime dicere, sacrificium fieri in memoriam Sanctorum, et Sanctos in eo nominari : quod non solum est contra horum sectariorum novitates, qui in sua cœna nullam Sanctorum mentionem faciunt, sed est expresse contra Kemnitium, qui paulo ante disputabat Christum dixisse : Hoc facite, non in Sanctorum commemorationem. Tertio vides, Augustinum, cum is negat Sanctos invocari, loqui de invocatione per sacrificium, id est, de oblatione, quæ, ut supra diximus, est efficacissima invocatio : nam formaliter loquitur, cum ait : « Non tamen a sacerdote, qui sacrificat, invocantur, » ut patet ex verbis sequentibus : « Deo quip-

pe, non ipsis sacrificat, quia Dei sacerdos est, non ipsorum. »

Quod autem Augustinus non neget, posse ac debere Sanctos invocari in Missa, eo modo, quo facit Ecclesia Catholica, patet ex tract. 84. in Joannem a nobis supra citato, ubi dicit, Sanctos ad mensam Domini commemorari, non ut nos pro eis oremus, sed ut ipsi orent pro nobis. Ex his apparet, quam inaniter propter locum Augustini Kemnitius exultaverit, et quam immerito, et procaciter Synodum Tridentinam Thaidem Babyloniam appellaverit.

Tertia objectio ex historia antiquitatis; colligit autem Kemnitius hoc modo progressum antiquitatis. Primo dicit, in primitiva Ecclesia morem fuisse, ut annua memoria Martyrum solemniter celebraretur in ipsis locis, ubi corpora Martyrum sepulta erant: idque probat ex epistola Ecclesiae Smyrnen-sis apud Eusebium lib. iv. histor. cap. 15. Secundo dicit, progressu temporis id accessisse, ut corpora Sanctorum sub ipsis mensis ponerentur: et probat ex Ambrosio lib. x. epist. 85. Tertio dicit, in orationibus Ecclesiae factam fuisse memoriam Martyrum, quia Ecclesia orabat, ut aliquando consors fieret in vita aeterna ipsorum Martyrum; id quod ex epistola supra citata Smyrnen-sium probat. Atque haec tria dicit esse secundum usum purioris Ecclesiae, et Scripturae consentanea. Quarto dicit, tempore Augustini ortas esse opiniones peregrinas, et vitiosas de singularibus Martyrum pro suis cultoribus intercessionibus, de meritis, et operationibus Martyrum. Quinto dicit, Augustinum has opiniones in medio reliquisse, tanquam nec veteres, nec certas: id quod probat ex libro xxii. de civit. Dei cap. 10. et de cura pro mortuis, cap. 16. Sexto dicit, Augustinum paulatim coepisse aliquid tribuere his opinionibus; sed Hieronymum, Basilium, Nazianzenum audaciores fuisse in hac quaestione. Septimo dicit, postremis temporibus, fabricatum esse articulum fidei de patrociniis, et meritis Sanctorum, et quod horribilius est, ipsam actionem coenae Domini, eo detorqueri coeptam.

Ex hac longa narratione Kemnitius simplicioribus persuadere nititur, rem esse novam, et a Papistis confictam, de invocatione Sanctorum in sacrificio Missae. At si quis paulo attentius rem expendat, ex hac ipsa disputatione Kemnitius, et ejus sodales aper-tissime refelluntur. Nam prima illa tria ca-

pita, quae fatetur adversarius fuisse in puriore Ecclesia, et esse consentanea Scripturae, contra nos nihil faciunt, cum non contineant aliquid contrarium nostrae doctrinae: at contra adversarios maxime faciunt, cum sint omnino contraria scriptis et factis ipsorum. Ipsi enim nec celebrant Sanctorum memoriam apud Sanctorum reliquias; nec Martyrum corpora sub sacra mensa reponunt, sed eji-ciunt potius; nec denique in precibus, et mysterio Eucharistiae ullam Sanctorum mentionem faciunt: quare testimonio Kemnitii, concludimus, Kemnitium, et ejus sodales recessisse ab usu primitivae purioris Ecclesiae, sacris litteris consentaneo.

Quartum caput falsum est, et ex sexto refelli potest. Nam si Basilius, Nazianzenus, et Hieronymus sequuntur eas opiniones de intercessionibus, et meritis Sanctorum, ut habet cap. 6, non igitur coeperunt illi opiniones Augustini aetate, ut habet c. 4; nam aetas Augustini posterior est Basillii, et Nazianzeni aetate. Adde, quod sententia Ecclesiae de invocatione Sanctorum, non coepit etiam Basillii aetate, sed longe antiquior est. Nam Eusebius Basilio antiquior lib. xiii. praeparat. Evangel. cap. 7: « Vota, inquit, Sanctis facimus, quorum intercessione apud Deum non parum juvari nos profitemur. » Et Irenaeus Eusebio antiquior lib. v. contra haereses: « Ut Virginis Evae, inquit, Virgo Maria fieret advocata. »

Quintum caput continet manifestum mendacium, et imposturam. Nam Augustinus in locis a Kemnitio citatis, non relinquit in medio tanquam rem incertam, an Sancti nos juvent sintque nostri intercessores et advocati, et ut tales a nobis invocandi; sed solum quomodo nos juvent, quando miracula apud eorum sepulchra fiunt. Ambigit enim Augustinus, an id fiat opera Angelorum, an per ipsos Martyrum spiritus, an alio modo; atque hoc in medio relicto, asserit rem esse indubitatum, quod a Sanctis juventur, qui illos invocant. Nam lib. 22. de civit. Dei, cap. 8. probat hoc ipsum innumerabilibus ferme exemplis, quae certissima esse affirmat.

Sextum caput non eget alia refutatione; nescio enim quis non videat, quantum praepudicium causae suae Kemnitius fecerit, cum tam aperte reprehendere ausus est quatuor illas Ecclesiae Graecae et Latinae columnas, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum et Augustinum.

Septimum caput falsissimum esse patet ex testimoniis a nobis citatis, Cyrilli, Basilii, Chrysostomi, et Augustini, qui apertissime scribunt, in sacrificio altaris peti a Deo Sanctorum intercessionem. Quanto enim mendacium postremis temporibus fabricatum fuisse fingitur, quod ante annos 1200. in usu Ecclesiae Catholicae fuit?

## CAPUT IX.

### *De Missis privatis.*

Sequitur controversia de Missa privata, de qua post Lutherum scripserunt Brentius in Confessione Wirtembergensi. cap. de Eucharistia, et Kemniti in 2. par. Exam. pag. 858. et seqq. et Philippus tum in Confess. Augustana, tum in Apologia in art. de Missa. Quam controversiam ita tractabimus, ut primum doceamus sex modis posse Missam dici privatam, et omnibus modis esse licitam. Deinde objectiones adversariorum refellamus.

Igitur primo dici potest Missa privata ratione loci; quæ enim celebrantur in privato aliquo oratorio, seu sacello, dici possunt privatae, si comparentur ad eas quæ celebrantur in publico templo. Ac de his non est magna controversia; nam etiamsi adversarii eas Missas odiose traducant, et angulares per contumeliam vocent: tamen habemus de his exempla manifestissima antiquitatis. Nam in primis Dominus primam Missam instituit, ac celebravit in privata domo: et Apostoli initio frangebant circa domos pauperum, Act. II. Ac deinde sancti Pontifices tempore persecutionis, non in domibus tantum privatis, sed etiam in cryptis, et foraminibus terræ sacra faciebant: imo S. Lucianus in carcere sacrificavit, et suo ipsius pectore pro altari usus est, cum jaceret onustus catenis, nec erigere seipsum posset. Refert id Nicephorus lib. VIII. histor. cap. 31.

Nec solum ob persecutiones, sed etiam aliis de causis aliquando veteres in privatis locis sacrificia offerebant. Gregorium Nazianzenum in exigua cellula extracto oratorio sacra fecisse ibidem, Sozomenus testatur, lib. VII. histor. cap. 5. quem locum Kemniti etiam citat. Sanctus Ambrosius,

teste Paulino in vita ipsius, in domo clarissimæ ejusdam fœminæ ab ea rogatus, sacrificium obtulit. Sanctus Augustinus lib. 22. de civit. Dei, cap. 8. testatur quemdam a suis presbyteris in domo rustica sacrificium corporis, et sanguinis Domini obtulisse. Theodoretus in historia religiosa, cap. 20. scribit, se in cellula Maris anachoretæ sacramentum celebrasse. Gregorius homil. 37. in Evangelia, scribit, Cassium Narniensem Episcopum, virum sanctissimum, aliquando in Episcopii oratorio Missam celebrasse, quod videlicet ad Ecclesiam morbo impeditus descendere non valeret; et lib. XV. epistol. 43. ad Joannem Syracusanum Episcopum, jubet ut non prohibeat in domo Venantii patritii Missas celebrari. S. Joannes Eleemosynarius, ut in ejus vita scribit. Leontius, cum populum de Ecclesia egredi videret, quo tempore sacra celebrabat, ad illos conversus ait: « Ego filii propter vos ad Ecclesiam descendo, nam mihi ipse in Episcopio Missas facere poteram. » Denique (ut alia exempla prætermittam) Joannes Damascenus in historia de Barlaam, et Josaphat, scribit, B. Barlaam presbyterum fuisse, et in sua cellula, solo præsentem Josaphat, Missæ sacrificium offerre solitum.

Secundo, Missa privata dici potest a tempore; ut publica sit, quæ festis diebus; privata, quæ profestis celebratur. Et quamquam adversarii non nisi raro admodum, ac fere solum in Dominicis, aut majoribus festis sacramentum faciunt; tamen non aperte reprehendunt usum Missæ quotidianæ: et certe nullo modo reprehendi potest. Nam in primis, ideo iuge sacrificium appellatur, Danielis XII, quia jugiter et quotidie celebrari deberet.

Deinde negari non potest, quin olim singulis diebus in multis locis Missæ celebrarentur. Nam Cassius singulis diebus Missam celebrabat, teste Gregorio loco cit. homil. 37. Augustinus epis. 23. dicit, Christum semel in cruce immolatum, omni die in Sacramento populis immolari. Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Ephesios scribit, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam. Hieronymus in cap. I. ad Titum dicit, sacerdotes quotidie pro peccatis populi, ac suis sacrificare. Hyppolitus Martyr in oratione de Antichristo scribit, Christum in die Judicii dicturum: « Venite Pontifices, qui pretiosum corpus meum quotidie immolastis. » Denique S. Andreas, ut in ejus historia legimus, sin-

gulis diebus aguum immaculatum sacrificabat. Sed neque de hac re jam adversarii multum laborant.

Tertio dici potest Missa privata a fine, quia nimirum pro aliquo particulari homine, vel negotio celebretur, ut pro hoc vel illo defuncto, pro ista, vel illa necessitate. Et quidem si Missa aliqua uni soli applicaretur, excludendo omnes alios homines, tum vere privata dici posset: sed talis nulla est; aut fuit unquam in Ecclesia. Nam omnis Missa offertur a ministro publico, et publico nomine pro tota Ecclesia, tum quæ in terris, tum quæ in cælis, vel in purgatorio est: nam horum omnium in qualibet Missa mentio habetur. Si autem Missa applicetur uni peculiariter, sic tamen ut non excludantur cæteri; tum privata Missa dici poterit, et erit, si comparetur ad alias, quæ nulli particulari applicantur.

Neque dubium est, ejusmodi Missas privatas fuisse in usu antiquæ Ecclesiæ, et licitas esse. Nam in Testamento veteri sacrificia fiebant plurima pro particularibus. Levitici iv. et v. præscribuntur sacrificia pro sacerdote, pro principe, pro quolibet privato, pro synogoga. Job i. habemus sacrificium pro filiis Job; et Job XLII. sacrificium pro amicis Job; II Machabæor. III. pro Heliodoro.

In Testamento novo Missæ in natalitiis Sanctorum, quas supra defendimus, omnes erant privatæ hoc tertio modo: et habemus insigne exemplum, præter ea quæ supra allata sunt, apud Bedam lib. iv. histor. cap. 14. ubi sancti Apostoli Petrus et Paulus cuidam apparentes, jusserunt Missas celebrari in die sancti Oswaldi regis, in memoriam ejusdem S. Oswaldi, et visionem illam fuisse verissimam manifeste patuit ex mirabili eventu rerum, quas iidem Apostoli futuras prædixerant. Pari ratione Missæ pro defunctis, ut plurimum particulares erant, et privatæ: sic enim scribit Augustinus de obitu matris suæ lib. ix. Confess. cap. 12: « Cum offerretur pro ea sacrificium prelii nostri, jam juxta sepulchrum posito cadavere etc. » Denique sacrificium illud a presbytero ejusdem Augustini oblatum pro liberatione domus a dæmonum vexatione lib. 22. de civit. Dei cap. 8. et alia id genus, sine dubio privata erant, nec reprehendi possunt, nisi tota antiquitas reprehendatur.

Quarto Missa privata dici potest a paucitate eorum qui intersunt; ut dicatur publica,

quæ fit coram populo, qualis et Missa quæ solet parochialis, vel conventualis, quæ non celebratur, nisi populus adsit: privata autem, ad quam non expectatur populus sed pro arbitrio sacerdotis habetur, sive multi adsint, sive pauci. Has Missas ita privatas adversarii non raro reprehendere solent. Certe Philippus in Apolog. Confess. accersit hinc inde argumenta, ut probet, non debere fieri nisi unam Missam, nimirum eam cui populus intersit: tamen alii ex adversariis non volunt de hac re contendere. Nam Brentius in Confessione Wirtembergensi cap. de Eucharistia contentus est, ut Missa celebretur si duo ut minimum adsint, unus qui consecret et ministret Sacramentum, et alter cui porrigatur. Et hoc ipsum probant testimonia allata pro Missis privatis ratione loci; et de his Missis privatis loquitur S. Gregorius lib. iv. epistol. 43, ad Castorium, ubi prohibet in Monasterio fieri Missas publicas, ne, ut ipse dicit, in recessibus servorum Dei fiant conventus populares. Ex quo loco colligitur Missas publicas vocari, quibus interest populi multitudo; privatas autem quæ sine conventu populi intra Monasteria, vel alibi celebrantur.

Quare fallitur apertissime Melancthon in Apologia Confess. cum dicit, ante Gregorii tempora nullam fieri mentionem privatarum Missarum. Nam si apud Gregorium privatæ Missæ censentur, quæ celebrantur absque populi conventu, ut ex hoc loco perspicuum est, Missa privata erat, quæ dicta est a presbytero Augustini in domo rustica, ipso teste lib. 22. de civit. Dei cap. 8. et ab Ambrosio in domo ejusdem matronæ Romæ, teste Paulino, et a Theodoro, in cellula S. Maris et a Luciano in carcere; imò ab Apostolis cum circa domos frangebant panem, ut supra citavimus: et ab ipso Christo, qui non convocavit populum, sed tantum primarios discipulos duodecim.

Quinto Missæ privatæ dici possunt, quæ dicuntur in eodem templo, eodem die, præter unam. Nam una tantum solet esse Missa publica et sollemnis, quæ dicitur in summo altari, cæteræ quæ dicuntur in minoribus altaribus eodem die, et privatæ dici possunt, licet multi interdum adsint auditores. Et quidem hanc multiplicationem Missarum valde oderunt, ac reprehendunt omnes adversarii, sed nos probamus licitam esse. Primum ex Testamento veteri, in quo plurima offerebantur sacrificia eodem die et loco.

Secundo, multi erant in eadem Ecclesia sacerdotes. Nam tempore S. Cornelii Papæ Romæ erant quadraginta Presbyteri, ut ipse scribit ad Fabium, teste Eusebio lib. vi. hist. cap. 33. ac deinceps semper magis, ac magis crevit sacerdotum multitudo. Multi autem quotidie celebrabant : ergo vel omnes alii cessabant a sacrificio offerendo, vel multi eodem die et loco sacra faciebant. Fuisse autem, qui quotidie sacrificium offerent, dubitari non potest ; id enim perspicuum est ex testimoniis supra citatis, ubi egimus de Missa privata ex parte temporis.

Tertio idem probat testimonium supra allatum ex Beda, lib. iv. Histor. cap. 14. ibi enim Apostoli præcipiunt in die S. Oswaldi celebrari Missas per omnia Monasterii oratoria. Simile est quod scribit Eusebius lib. iv. cap. 45. de vita Constantini, Episcopos invitatos ad templi dedicationem inruentis sacrificiis Deo oblatis, diem festum celebrasse.

Quarto idem probat antiquissima consuetudo, quæ est in Ecclesia, ut in die Natalis Domini singuli sacerdotes Missæ sacrificium ter offerant, cujus ritus meminit Gregorius in homilia de Natali Domini, et ante eum Telesphorus in epistola decretali. Quod si potest unus sacerdos uno in loco ter sacrificium eodem die offerre, cur non poterunt multi singula offerre sacrificia ?

Quinto idem probat altarium multitudo in eadem in Ecclesia. Ambrosius epist. 33 : « Irruere in altaria etc. » et loquitur de una Basilica. Gregorius lib. v. epist. 50. ad Palladium, scribit in una Ecclesia tredecim altaria fuisse, et Gulielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. i. cap. 12. in Ecclesia Monasterii S. Bernardi fuisse tria altaria, unum in memoriam B. Virginis, alterum S. Laurentii, tertium S. Benedicti. Vide etiam Petrum Damiani initio vitæ S. Romualdi. Quorsum autem tot altaria, si semel tantum in die sacrificium offerri poterat in una Ecclesia ?

Denique Prosper in libro de prædicationibus dimidii temporis, cap. 6. scribit, bis intra paucas horas uno in loco sacrificium oblatum. Leo epist. 81. ad Dioscorum, monet ut Alexandria servetur Romanus ritus de iterando sacrificio eodem die.

Ultimo privata Missa dici posse, in qua solus sacerdos communicat : et hæc est Missa privata, de qua potissimum adversarii altercantur, et quam nullo modo admittunt. Sed eam licitam esse, probatur primo ratione Concilii Tridentini. sess. 22. cap. 6. quæ

talis est : Missæ, in quibus solus sacerdos communicat, etiamsi privatæ dici possent, ratione communicantium Sacramentaliter, tamen absolute non privatæ, sed publicæ et communes sunt ; ergo non debent ut privatæ rejici, et damnari. Antecedens probatur a Concilio dupliciter. Primo, quia in ejusmodi Missis sæpe multi communicant spiritualiter, proinde fructus est publicus, et communis : et per hoc etiam Missa est ex hac parte publica, et communis. Secundo, quia sacerdos publicus est Minister, et pro tota Ecclesia sacrificium offert.

Hanc totam rationem refellere conatus est Kemnitius pag. 868. et sequentibus : sed non tam rationem Concilii refutavit, quam se mendacem, et ineptum demonstravit. Primo, miratur cur Concilium audeat vocare has Missas communes, et negare esse privatas, cum per multas annorum centurias sint a Catholicis appellatæ privatæ, et cum apud Gregorium in registro crebra fiat mentio privatæ Missæ ? et cum Glossa in Canonem, et hoc attendendum, de consecrat. dist. 4, eas privatas appellet.

Atqui hoc totum est mendacium : nam apud Gregorium nusquam exstat vocabulum Missæ privatæ. Exstat quidem semel vocabulum Missæ publicæ lib. 4. epist. 43. sed ut supra diximus, non vocat publicas Gregorius, in quibus communicatur, sed in quibus adest populi multitudo, et iis opponit Missas, in quibus non adest populus, sive in iis communicent aliqui, sive nulli. Eodem modo accipitur vocabulum Missæ publicæ, et peculiaris, seu privatæ in Canone, et in glossa citata.

Secundo, Kemnitius oppugnat argumentum Concilii ductum a spirituali Communionem ; et quia non poterat negare spirituales Communionem, affingit novo mendacio ipsi Concilio, quod affirmaverit per spirituales Communionem satisfieri institutioni, et præcepto Christi de sumenda Eucharistia.

Sed nihil ejusmodi in Concilio reperitur : imo sess. 13. can. 9. Concilium docet teneri fideles adultos saltem semel in anno ad Communionem Sacramentalem, nimirum, ut eo modo satisfaciant Christi institutioni, et præcepto.

Tertio, oppugnat alterum argumentum Concilii, sumptum ex eo quod sacerdos est publicus Minister, ac dicit argumentum non valere, quoniam Minister verbi, est etiam publicus Minister, et tamen non potest con-

cionari nisi populo præsente ; et qui baptizat est publicus Minister, et tamen non potest baptizare, nisi aliquis adsit baptizandus.

Sed hæc sunt meræ ineptiæ. Aliter enim est sacerdos Minister publicus sacrificando, aliter concionando, et Sacramenta ministrando. Nam sacrificando dirigit actionem suam ad Deum pro populo ; concionando, et Sacramenta ministrando, dirigit actionem suam ad populum propter Deum.

Et hinc nascitur alia ratio ex natura sacrificii nam si adversarii concederent Missam non solum esse Sacramentum, sed etiam sacrificium, fortasse in hac re facile convenirent : siquidem ad sacrificium, ut sacrificium est, nihil refert, si multi, vel pauci, vel nulli intersint, aut communicent, cum sacrificium offeratur Deo pro populo ; potest enim sacerdos pro populo offerre, etiamsi populus nec adsit, nec communicet. Et confirmatur ex lege veteri ; cum enim sacrificia offerebantur pro peccato, nihil inde manducabat is, pro quo offerebatur, ut patet Levit. 6. et 7. et tamen illi proderat. Et confirmatur rursus a simili ; nam sacrificium simile est orationi, ut supra diximus, imo est quædam realis et efficacissima oratio. Porro orationem prodesse ei, pro quo fit, etiamsi ille non adsit, nec sciat quid agatur, certum et exploratum est.

Tertio probatur ex consuetudine veterum. Nam etiamsi nusquam expresse legamus a veteribus oblatum sacrificium sine Communionem alicujus, vel aliquorum, præter ipsum sacerdotem : tamen id possumus ex conjecturis facile colligere. Prima conjectura ex Concilio Nannetensi, cap. 30. quod citatur ab Ivone in decret. par. 3. cap. 70. ubi jubentur presbyteri non celebrare soli Missam, nisi habeant saltem unum secum, qui respondeat. Ex quo intelligimus quosdam plane solos celebrare solitos Missæ sacrificium : et proinde sine communicantibus. Item ex Concilio Toletano XII. can. 5. ubi graviter reprehenduntur quidam sacerdotes, qui sacrificium offerentes non communicabant : « Quale erit, inquit Concilium, illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse dignoscitur ? » Quæ verba satis aperte indicant, in ejusmodi sacrificio nullum omnino fuisse, qui communicaret ; et tamen Concilium non requirit, nisi ut sacerdos ipse communicet : proinde admittit tanquam rata, et ut apparet, usitata sacrificia, in quibus solus communicat sacerdos. Est autem

(4) Luc. XXII. 19.

hoc Concilium ante annos circiter 900. celebratum.

Secunda conjectura. Quidam initiabantur sacris absque ulla certa procuracione animarum, qui proinde non poterant ulli Sacramentum administrare, et tamen sine dubio Missas celebrabant. Exemplum habemus in S. Paulino Nolano, qui presbyter ordinatus fuit, ut ipse scribit epist. 6. ad Severum, in sacerdotium Domini, sed nulli certæ Ecclesiæ alligatus.

Tertia conjectura. Plurimi sacerdotes quotidie celebrabant, ut supra ostendimus, et tamen populus in multis locis raro admodum communicabat, ut vel ex illa querimonia Chrysostomi cognosci potest, quæ habetur homil. 3. in epist. ad Ephes. « Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio, cum nemo sit, qui simul participet. » Et homil. 17. in epist. ad Hebr. scribit, plurimos tantum semel in anno ad Sacramenti Communionem accessisse. Ambrosius etiam lib. v. de Sacrament. cap. 4. dicit, Græcos post annum communicare solere.

Quarta conjectura. Multa sacra fiebant pro causa ita particulari, ut non sit ullo modo verisimile, ministratam fuisse Communionem in ejusmodi sacris : ut exempli causa, cum scribit Augustinus libro IX. Confess. cap. 12. oblatum sacrificium pro matre sua, cadavere juxta sepulchrum constituto ; et cum scribit. lib. XXII. civit. cap. 8. unum e suis presbyteris sacrificium obtulisse in domo rustica, ad eandem domum a malignorum spirituum vexatione liberandam. Sed adversariorum argumenta solvamus.

## CAPUT X.

*Solvuntur argumenta contra Missas privatas.*

Prima objectio Kemnitii in 2. par. Exam. pag 862. (nam quæ ipse fabulatur de origine Missæ privatæ, quia nullo argumento probavit, omitto) sumitur ex illis verbis Luc. XXII : *Hoc facite in meam commemorationem* (4). Jubet enim Christus, ut faciamus quod ipse fecit ; ipse autem non solum consecravit, sed etiam dedit Sacramentum, iis qui aderant manducandum ; quare consecrare, et non distribuere, est ipsam Cœnam Domini profanare.

Respondeo : Jussit Dominus fieri quod ipse fecit, sed pro loco, tempore, personis : ea enim est vis affirmativorum præceptorum. Et sine dubio non jussit Sacramentum dispensari invitis, aut indignis. Quare si forte nulli sint, qui velint, aut possint communicare, non tenemur Sacramentum ministrare, nec tamen ideo prohibemur a celebratione cessare.

Dices : Si licet dividere actiones, quas Dominus exemplo suo conjunxit, et Sacramentum aliquando consecrare, et nemini ministrare, licet etiam consecrare, vel ministrare, et non sumere.

Respondeo : Non est eadem ratio omnium illarum actionum. Nam consecratio et consummatio, de essentia sacrificii sunt, ideo nullo modo possunt omitti : at dispensatio, nec est de essentia, nec de integritate, sed solum affirmativo Domini præcepto necessaria ; et ideo facienda quidem est, sed pro loco et tempore, ut diximus.

Secunda objectio. Apostolorum Synaxis describitur Act. II. per fractionem panis ; ergo distributio, et dispensatio Sacramenti fuit in usu primitivæ Ecclesiæ in celebratione Cœnæ Domini.

Respondeo : Nihil verius dici potest ; sed non inde sequitur non posse unquam sacrificium sine dispensatione offerri. Nam et apud nos in templis omnibus celebratur Synaxis cum dispensatione Sacramenti, et tamen non ideo damnantur sacra, quæ in privatis oratoriis, vel sacellis sine tali dispensatione celebrantur.

Tertia objectio. B. Paulus I Corint. x. describens ritum Cœnæ Domini, aperte scribit, corpus Domini communicari, et distribui fidelibus, et fideles participes esse mensæ Domini, non spectando unum manducantem, sed manducando.

Respondeo : Apostolus eo loco non describit ritum Cœnæ Domini, ut declaret quid sit ipsa celebratio hujus mysterii, vel in quo præcipue consistat, sed tantum ut ostendat, eos qui Eucharistiam sumunt, participes esse mensæ Domini, et socios Christi fieri : quemadmodum fiunt socii dæmoniorum, et participes sunt altaris idolorum, qui scienter manducant idolothyta. Ex quo non sequitur, Missam sine Communionem populi esse illicitam vel eos, qui Missæ intersunt, et non communicant, nihil utilitatis capere. Nam ista affirmans propositio verissima est, et ex Paulo colligitur : Qui reipsa Eucharistiam mandu-

cat, cum Christo conjungitur : ista autem negans falsa est nec habetur in Paulo : Qui non sumit reipsa Eucharistiam, sed solo voto ac desiderio, nullo modo cum Christo jungitur, aut frustra interest sacrificio.

Quarto objectio. Apostolus I. Corinth XI opponit inter se Dominicam Cœnam, et privatam Cœnam ; et quidem ita, ut confirmet, ubi privata Cœna agitur, ibi non posse Dominicam Cœnam celebrari. Definit autem privatam Cœnam, ubi quis privatim, quod Cœnæ Dominicæ est, manducat, præoccupat non simul participantibus aliis : et dicit, non dissimile esse, ac si instrueretur talis cœna, ubi unus saturaretur, alter vero cogeretur esurire : « Hic certe locus tanquam fulmen, » inquit Kemniti, « prosternit privatas Pontificiorum Missas, in quibus solus Sacerdos celebrans sacramentaliter communicat : et clarissima est Chrysostomi sententia in illum Pauli locum : Quod Dominicum est, privatim fecerunt ; Cœna enim Domini debet esse communis etc. »

Respondeo : Primum cum Paulus opponit Cœnam Domini cœnæ privatæ, non loquitur de Eucharistia, sed de convivio, quod in Ecclesia olim in pauperum refrigerium fieri solebat, quod convivium, vocat Cœnam Domini, ut Chrysostomus interpretatur quia fiebat ad representandam Cœnam Domini ultimam cum discipulis ; et etiam quia fiebat in loco sacro, et denique quia conjungebatur cum Eucharistiæ communicatione. Quod autem per Cœnam Domini intelligatur convivium illud, perspicuum est ex illis verbis : « Unus esurit, alius autem ebrius est ». Non enim in communicatione Eucharistiæ poterat esuries, aut ebrietas inveniri, cum illa sit cibus mentis, non ventris. Deinde idem patet, ex proposito Pauli. Vult enim ipse (Chrysostomo, et omnibus aliis exponentibus) Corinthios reprehendere, quod non amplius convivia illa faciant, sicut oportet, sed divites seorsim et laute conviventur, pauperes autem etiam seorsim, et vix ad satietatem reficiantur : hunc autem abusum reprehendit illis verbis : « Jam non est Dominicam Cœnam manducare ; unus quisque enim suam cœnam præsumit, etc. » Hoc est : Vestra ista convivia, ut nunc celebrantur, non representant amplius cœnam Dominicam. Dominus enim simul cum discipulis in eadem mensa accubuit, etiamsi ipse Dominus, illi servi essent ; vos autem fratres vestros, quod pauperes sint, a mensa

vestra excluditis etc. Quæ omnia ad convivia illa pertinent, non ad Eucharistiam : nam quod attinet ad Eucharistiam, omnes æque sobrie, et æque laute epulabantur, cum omnibus daretur corpus Dominicum in modica specie panis. Itaque totum argumentum Kemnitii in æquivocatione laborat.

Secundo, etiamsi B. Paulus de Eucharistia loqueretur, cum cœnam communem privatæ opponit, ut Theodoretus, et aliqui alii veterum probabiliter docent : nihil inde colligi posset pro adversariis. Paulus enim reprehendit cœnam privatam, a qua excluduntur alii, non ad quam non coguntur. Porro Missæ nostræ non excludunt communicantes ; imo ut Concilium Tridentinum affirmat sess. 22. can. 6. optat Ecclesia, ut in singulis Missis, qui adstant, communicent ; sed si nulli sunt qui communicare velint, nulla culpa est sacerdotis, nec potest reprehendi, quasi solus participare velit cœnam Domini-cam.

Quinta objectio. In veteri Ecclesia semper in actione Cœnæ Domini fiebat distributio Sacramenti, ut patet ex descriptione omnium Liturgiæ, quæ apud Patres exstant.

Respondeo : Contrarium colligitur ex tam multis exemplis, quæ nos supra attulimus. Porro in Liturgiis fit mentio distributionis : quia, ut diximus, semper fieri potest, ac debet Sacramenti distributio in Missa eorum sacerdotum, qui curam animarum ex officio gerunt, si sint aliqui parati ad communicandum. Sed non ideo cessandum est a sacrificio, si nulli sint, qui communicare velint.

Sexta objectio. Commentum, quod celebratio Cœnæ Dominicæ prosit illis, qui non communicant, sed tantum intersunt, et audiunt, et cum devotione spectant quod sacerdos agit, non tantum ignotum est antiquitati, sed serio, et graviter a veteribus reprehenditur. Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Ephes. : « Frustra, inquit, habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui simul participet. » Et infra : « Quisquis mysteriorum consors non est, impudens, et improbus adstat. » Et rursus : « Si quis, inquit, ad convivium vocatus, manus quidem laverit, et accubuerit, et tamen nihil ciborum gustaverit, nonne infert contumeliam convivatori a quo fuerat vocatus ? an non satius fuerit, cum qui talis est, prorsus non comparuisse ? Audis, subjungit Kemnitius, non verba, sed fulmina contra Pontificiam persuasionem de spectaculo privatarum Missarum. »

Respondeo, veteribus non fuisse incognitum usum assistendi Missæ sacrificio, et tamen in iis non communicandi Sacramentaliter, perspicuum est ex Concilio Agathensi ante 4000. annos celebrato. Nam can. 18. jubentur omnes laici saltem ter in anno communicare, in Natali, Pascha, et Pentecosta : et tamen can. 47. jubentur iidem laici singulis diebus Dominicis Missæ interesse, idque usque ad sacerdotis benedictionem, quæ datur in fine Missæ. Præterea non dubitasse veteres, Missam prodesse adstantibus, licet non communicarent, certissimum est ex iis, quæ supra diximus de Missis pro defunctis, et pro qualibet necessitate. Si enim Missa prodest defunctis, ut omnes Patres uno ore fatentur, nec non viventibus, absentibus, ægrotis, iter facientibus, imo etiam infidelibus, et hæreticis, quanto magis proderit fidelibus præsentibus, et simul voto, ac desiderio offerentibus ?

Ad locum Chrysostomi dico, illa verba : « Frustra fit oblatio quotidiana », non significare absolute oblationem frustra fieri, sed frustra quatenus ordinatur ad Communionem. Nam cum celebratio Missæ partim ordinetur ad sacrificium Deo offerendum, partim ad populum sacro illo pane reficiendum, cum nulli sunt, qui communicent, frustra fit, quatenus ordinatur ad posteriorem finem, sed non fit frustra quatenus ordinatur ad finem priorem. Itaque Chrysostomus, etiamsi dicat, frustra fieri non tamen propterea omittebat quotidie sacrificare : quod certe fecisset, si absolute frustra fieri existimasset.

Ad illud autem quod Chrysostomus dicit, melius esse non interesse sacrificio quam interesse, et non communicare, dico Chrysostomum, ut quædam alia, per excessum ita esse locutum, cum solum hortari cuperet homines ad frequenter, et digne communicandum. Nam quia videbat excusare se homines a Communionem, quod se indignos, et imparatos dicerent, ipse animadvertens negligentiam, et desidiam totius illius damni causam esse, vehementer illos arguit, ac dicit, indignos etiam esse, qui simul cum cæteris orent, imo dignos, qui ab Ecclesia ejiciantur tempore sacrificii, quomodo ejiciuntur pœnitentes, et Catechumeni ; et melius facturos si non venirent, et alia id genus, quæ certum est, dicta esse amplificandi gratia. Simile est quod ait Apostolus I Corinth. vi: *Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, hos constituite ad*



*judicandum* (1). Non enim revera jubet B. Paulus, ut contemptibiles iudices constituantur; sed ita loquitur, quia cuperet in Ecclesia nullas lites, aut tam sapientes, et bonos esse omnes Christianos, ut etiam minimi sufficerent ad dijudicandas temporales controversias.

Porro Chrysostomum non fuisse in ea sententia, ut putaret nihil prodesse sacrificium iis, qui adsunt, et non communicant, dubitari non potest, tum ex tam multis locis supra citatis, ubi scribit sacrificium prodesse defunctis, et viventibus absentibus; tum etiam ex hom. 3 de incomprehensibili natura Dei: ubi graviter reprehendit auditores suos quod finita concione recederent, et sacrificio non interessent. Ubi nihil de Communionem dicit, cum tamen sciret plurimos non communicare nisi rarissime; sed tantum hortatur ut maneat, et simul orent, ac spectent Christum, qui in mysteriis se ostendit.

Septima objectio. In veteri Ecclesia prohibita fuisse Missas privatas, in quibus solus sacerdos communicat, testatur Chrysostomus hom. 18. in II. ad Corinth. ubi scribit in celebratione Eucharistiæ non fieri, sicut fiebat in Testamento veteri, ubi solus sacerdos quædam comedebat.

Respondeo: Chrysostomus eo loco in eo solum ponit discrimen inter sacrificia Testamenti veteris et novi, quod in illis, aut solus sacerdos edebat victimas, aut ipse majorem partem, populus minorem obtinebat ex immolatis: in his autem totam victimam sacerdos, et totam populus edit, idem videlicet, et integrum Christi corpus, et sanguinem. Sed nihil hoc facit contra Missas privatas: quod enim nunc sæpe sacerdos solus victimam edat, non est culpa sacerdotum, aut natura sacrificii, sed populi negligentia.

Octava objectio. Canon decimus Apostolorum jubet excommunicari eos, qui non permanent in Ecclesia usque dum Missa peragitur, et non accipiunt sanctam Communionem: atque hic canon renovatur in Concilio Antiocheno, cap. 2, et exstat etiam decretum Anaclei in epistol. 1. et apud Gratianum, can. Peracta, de consecr. dist. 2.: « Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus: sic enim, et Apostoli statuerunt, et S. Romana tenet Ecclesia. » Ergo prohibita tunc erant Missæ privatae.

Respondeo: Primum isti canones jubent, ut fideles communicent in Missa; sed non prohibent sacerdoti sacrificare, si populus non adsit, aut communicare nolit. Deinde canon Apostolorum ita explicatur in Concilio Antiocheno, ut intelligamus non damnari eos, qui absolute non communicant, sed eos, qui de certa causa, nimirum ob aliquam superstitionem, aut pravam opinionem aversantur sacram Communionem. Decretum autem Anaclei, si epistola ejus consulatur, et non solum fragmentum, quod est apud Gratianum, solos obligat clericos Episcopo in diebus solemnibus sacrificanti solemniter ministrantes: quo circa si die aliquo non solemniter, aut sine aliorum clericorum solemniter ministerio quis sacrificet, non cogitur ex hoc decreto Communionem dare. Denique certum est, decreta ista, quæ sine dubio non divini, sed humani juris erant, si ad populum pertinebant progressu temporis abrogata fuisse; constat enim tempore Ambrosii, et Chrysostomi, ut supra citavimus, Græcos non nisi post annum communicare solitos esse.

Nona objectio. Humbertus contra Nicetam scribit, imperfectam esse Missam, in qua non simul fit consecratio, fractio, seu distributio, et communicatio; Walfridus in libro de rebus Ecclesiasticis, cap. 22., similiter docet illam esse legitimam Missam, in qua adsunt sacerdos, respondens, offerentes, et communicantes. Ad idem citantur, duo decreta, unum Soteris Papæ apud Gratianum, can. Hoc quoque, de consecr. dist. 1. alterum Concilii Nannetensis apud Ivonem par. 3. decreti cap. 70.

Respondeo: Si Missa præcise accipiatur pro sacrificio, perfectam, et legitimam esse constat, etiam sine communicantibus, modo sacrificium a sacerdote consumatur: quia tamen, ut diximus, Missæ celebratio non solum ad sacrificium Deo offerendum, sed etiam ad populum nutriendum spirituali pabulo ordinatur, propterea ex hac parte negari non potest, quin sit magis perfecta, et legitima Missa, ubi communicantes adsunt, quam ubi desunt, et hoc solum volunt auctores citati. Porro decreta illa Papæ Soteris, et Concilii Nannetensis ad rem non pertinent: non enim jubent, ut adsint qui communicent; sed tantum ut adsint, qui sacerdoti respondeant. Ubi obiter notandum est mendacium Kemnitii: scribit enim Kemnitius, Concilium illud ri-

(1) I Corinth. VI, 4.

diculum iudicasse, muris, et parietibus a sacerdote insusurrari, quæ ad populum pertinent. At Concilium non meminit populi, sed jubet, ut saltem unus adsit, qui respondeat in Missa, ne videatur sacerdos parietibus dicere: « Dominus vobiscum » et, « Orate fratres. »

Decima objectio. Ludibria sunt, quod in Missa, in qua nulli communicant, dicat sacerdos: « Quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus, et Sacramenta, quæ sumpsimus. » Item, quod hostia frangatur: fractio enim ad distribuendum ordinatur, ut Augustinus docet in epist. 59 ad Paulinum.

Respondeo: Illa verba dicuntur in numero multitudinis, tum propter præsentem communicantes, si qui adsint; tum etiam propter eos, qui alibi communicant: cum enim unum corpus simus, non solum præsentem, sed etiam absentes pro omnibus oramus. Simile est in oratione Dominica, quam quisque potest etiam solus in suo cubiculo recitare, et tamen ita composita est, ac si dicenda esset solum a multitudine congregata.

Quot attinet ad fractionem, ea non solum ad distribuendum, sed etiam ad significandum ordinatur. Nam in Missa Chrysostomi fit confractio, in quatuor partes in modum crucis, et una ex illis particulis, in calicem immittitur cum certa verborum recitatione: ut etiam Latini faciunt. Quare Kemnitius cum cæremoniæ fractionis ludibrium appellat, et aperte irridet, antiquam, et veram Ecclesiam, Græcam, et Latinam irridet. Atque hactenus de objectionibus Kemnitii.

Undecima objectio, est Joan. Brentii in Confess. Witembergensi cap. de Eucharistiæ: ubi præter ea, quæ illi sunt communia cum Kemnitio, facit hoc argumentum: « Christus instituit cœnam suam, non ut esset privata actio sacrificii, sed communis totius Ecclesiæ; non igitur licitæ sunt privatæ illæ Missæ, in quibus sacerdos sibi soli legit verba Cœnæ, et Eucharistiam consecrat. »

Respondeo: Missa Catholicorum nunquam est privata actio sacerdotis, sed semper est communis toti Ecclesiæ, qui a communi ministro pro communi omnium utilitate offertur: proinde semper est in Missa communio Ecclesiæ, si per communionem intelligas fructum communem sacrificii. Quod si per communionem intelligas Eucharistiæ manducationem: fatemur Christum instituisse Cœnam, ut esset simul et sacrificium et communio, sed non jussisse ut illa duo nunquam

separarentur, quasi non possit Deo sacrificium offerri, quando nulli adsunt, qui communicare velint.

Duodecima objectio est Philippi in Apologia Confess. Augustanæ in articulo de Missa, ubi producit epistolam quamdam sancti Francisci ad omnes fratres suos, in qua jubet unam tantum Missam uno in loco celebrari, etiamsi plures adsint sacerdotes.

Respondet Joannes Eckius in Enchiridio, epistolam illam non agnoscere a fratribus Ordinibus Minorum, pro vera sancti Francisci Epistola. Addit præterea, auctorem illius epistolæ loqui solum de feria 5. in Cœna Domini, non de aliis diebus; et sane si epistola illa de quovis die loqueretur, falsum apertissime contineret. Scribit enim auctor epistolæ, secundum usum Romanæ Ecclesiæ unam Missam duntaxat uno in loco celebrari. At Honorius Papa III, qui sedit Romæ tempore sancti Francisci. cap. Cum creatura, de celebrat. Missarum, jubet non omitti anniversaria sacra pro defunctis, ob festum, vel feriam occurrentem, sed utraque sacra eodem die celebrari.

Ultima objectio est aliorum, quam recitat Eckius ex Basilio in Psal. 115. prope finem, ubi dicit: « Non in latebris dilitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium. » Et infra dicit: unum esse altare Ecclesiæ. Et confirmatur ex Hieronymo in cap. 3. Amos, ubi dicit unum esse altare in Ecclesia.

Respondet recte Eckius, Basilium per sacrificium occultum intelligere sacrificium schismaticorum, qui se ab Ecclesia segregant, et in suis conventiculis sacrificia offerre præsumunt, et ideo etiam unum altare agnoscere, id est, unum sacerdotium, unum ritum etc. Nam subjungit ibidem Basilius: « Audite qui Ecclesiam relinquitis, et in publicis domibus versati, miseras facitis corporis pretiosi scissuras. » Et infra: « Tu aram erigis ex adverso altaris tibi à Patribus constituti. » Quemadmodum etiam Augustinus, Optatus, Cyprianus, et alii passim schismaticos describunt, cum dicunt, quosdam erigere altare contra altare. Hieronymus quoque distinguit unum altare Ecclesiæ a multis altaribus hæreticorum, quia ut ipse dicit, tot habent altaria quot schismata. Alioqui multa fuisse in Ecclesia altaria materialia, supra ostendimus ex Ambrosio, Gregorio, et aliis: unde Tertullianus in libro de pœnitentia, ponit inter alias pœnitentium cæremônias, aris Dei aggeniculari.

## CAPUT XI.

*De genere linguæ.*

Sequitur controversia de genere linguæ, an scilicet necessarium sit Missam vulgari lingua recitari: id enim contendunt adversarii, et maxime Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 883. et sequentibus. Sed istam quæstionem maxima ex parte tractavimus partim libro II. de verbo Dei, extremo, partim lib. II. de Sacramentis in genere, extremo. Nam tria quædam ad Missam pertinent. Primo, lectio Scripturarum, et publica oratio. Secundo, Sacramenti Eucharistiæ consecratio, et dispensatio. Tertio sacrificii oblatio De lectione, et oratione disseruimus in lib. de verbo Dei, loco citato: De Sacramenti consecratione, et dispensatione tractatum est in libris de Sacramentis in genere, ut jam diximus: solum igitur superest disputatio de ipsa sacrificii oblatione.

Sed ea facillima est. Nam in primis sacrificii oblatio magis in re, quam in verbis consistit. Nam ut supra diximus, illa actio, qua corpus Domini super altare ponitur ad Dei honorem, vera ac realis oblatio est, etiamsi verbis non dicatur, Offerro: vel offerimus. Porro illa actio verba quidem aliqua necessario requirit, nimirum verba consecrationis: sed illa verba non diriguntur ad instruendos auditores, sed ad elementum consecrandum, ut notum est. Elementum autem nullam linguam intelligit; quare impertinens est ad realem oblationem, utrum Missa dicatur lingua vulgari, vel non vulgari.

Secundo, licet oblatio ipsa necessario verbis exprimenda esset, ut jam re ipsa in Missa exprimitur, tamen adhuc impertinens esset, qua lingua id fieret; siquidem oblationis verba diriguntur ad Deum, non ad populum; Deus autem omnes linguas intelligit.

Tertio, verba oblationis submissa voce pronuntianda sunt, ut in sequenti capite demonstrabimus: non igitur necesse est, ut ea lingua recitentur, quam intelligit populus. Quid enim prodest nosse quid verba significant, si sonum vocis exaudire non valeas?

Quarto, sacrificium non offertur ad populum instruendum, si de primario, et proprio fine agatur, sed ad Deum colendum, et ad

impetranda populo beneficia: non igitur id requiritur, ut populus intelligat id quod dicitur, sed satis est si Deus intelligat.

Quinto, si lingua vulgari sacrificium offerendum esset, duo gravissima incommoda sequerentur. Unum, quod oporteret frequenter mutare verba sacrificii, cum vocabula, quæ uno tempore sunt vulgaria, non diu post desinant esse vulgaria. Alterum, quod tolleretur communicatio Ecclesiarum: nec enim posset sacerdos Italus in Gallia, neque Gallus in Italia, neque Italus aut Gallus in Germania, neque Germanus in Italia, aut Gallia sacrificium offerre; quod idem de Hispania, Anglia, Polonia, aliisque regionibus intelligendum est.

Sexto, accedit antiquissima Ecclesiæ consuetudo. Nam in toto Oriente non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi Græcæ, aut Caldaicæ: in toto autem Occidente antiquæ Liturgiæ nullæ sunt nisi Latinæ; et tamen a multis jam sæculis desierunt omnes istæ linguæ esse vulgares, imo Germanis, Francis, Anglis, Polonis, nunquam fuit lingua latina vulgaris: recte igitur Concilium Tridentinum sess. XXII, can. ult., statuit Missam non esse lingua vulgari celebrandam. Argumenta quæ adversarii contra objiciunt, sunt a nobis omnia refutata in duobus locis paulo ante notatis. Quare non putavi operæ pretium esse illa repetere; præsertim cum non pugnent contra sacrificii actionem.

## CAPUT XII.

*Non esse omnia necessario in Missa alta voce pronuntianda.*

Alia quæstio est superiori non multum ab-similis, de modo vocis. Accusant enim adversarii Ecclesiam Latinam, quod pleraque in Missa submissa voce pronuntiari jubeat: de qua re exstat canon 9. in sess. 22. Concilii Tridentini. Ubi illud initio est observandum, non esse quæstionem, an sit per se illicitum totam Missam alta voce celebrare; nec enim ignoramus modum vocis non pertinere ad substantiam sacrificii, et posse ista omnia ad arbitrium Ecclesiæ immutari. Tota igitur quæstio in eo sita est: utrum consuetudo Latinæ Ecclesiæ, quædam submissa voce pronuntiandi, repugnet Christi institutioni,

ac proinde sit mala, et necessario corrigenda.

Et quidem Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 890. contendit contra Christi institutionem esse, ut quaedam submissa voce legantur in Missa: Concilium autem contra definit. Concilii vero sententiam verissimam esse hæ rationes ostendunt. Primo, utile est ad reverentiam tanti mysterii, ut non omnia alta voce dicantur: nam ut sanctus Basilius recte docet libro de spiritu sancto cap. 27. multum confert ad dignitatem, et reverentiam conservandam mysteriorum, ut non assuescant homines eadem sæpius audire, vel potius, ut non efferantur ad aures vulgi. Qualia enim mysteria sunt quæ ad omnium aures referuntur?

Secundo, habemus exemplum antiquæ Liturgiæ, tum Græcæ, tum Latinae. Liturgiæ, Basili, et Chrysostomi, quod etiam Kemnitius notavit, quaedam præscribunt dicenda subsilentio, et concludenda alta voce: quod idem nos servamus, cum secretas orationes concludimus, vocem attollendo in illis verbis: « Per omnia sæcula sæculorum. » Neque valet Kemnitii responsio, qui illud ita interpretatur, ac si Liturgiæ illæ præscriberent, quaedam pronuntiari moderata voce, sic tamen ut ab omnibus audiantur, concludi autem cum clamore, et cantu. Nam in Liturgia Chrysostomi, ubi legimus: « Sacerdos orat secreto, vox græca *μυσικῶς*; » non significat voce moderata: sed plane secreto, nec enim dicuntur mysteria, quæ moderata voce publicantur, sed quæ omnino celantur. Et præterea ibidem monetur sacerdos illas preces secreto recitare, dum Diaconus alta voce canit Litaniam, vel dum cantores alia quaedam concinunt: proinde non potest populus iis attendere, quæ dicit sacerdos, atque ideo vere et proprie secreta sunt.

De Latina autem Liturgia habemus testimonium Innocentii I in epistol. 1. ad Episcopum Eugubinum, cap. 1., ubi interrogatus de tempore, quo in mysterio Missæ pax danda est aperte indicat, præcipuam partem Missæ esse secretam: nec audet aperire quæ sint illa, quæ recitantur antequam pax detur. At si totus populus illa omnia audire consuevisset, certe nihil fuisset secretum, nihil arcanum, et facile potuissent litteris committi, quæ erant vulgo omnibus nota.

Tertio habemus exempla sacrificiorum veteris legis. Nam (ut omittam quod in sacrificiis plerumque sola mente orabant, sine

illis verbis) Levit. 16. describitur solemne sacrificium incensi, ac jubetur solus sacerdos intra velum ingredi, et sacrificare, atque orare pro se, et populo, omnibus aliis foris exspectantibus et, non modo non audientibus sed nec videntibus sacerdotem: quo etiam ritu sacrificasse Zachariam patrem Præcursoris, legimus Luc. 1.

Quarto Christus ipse in sacrificio crucis, quod exemplar fuit omnium sacrificiorum, in silentio oblationem peregit, nec trium horarum spatio locutus est audientibus circumstantibus, nisi septem brevissimas sententias: quot sunt etiam sententiæ, quæ in Canone nostræ Liturgiæ alta voce pronuntiantur.

Sed videamus quid pro sua sententia Kemnitius afferat. Primo objicit Christi institutionem, qui in sua Cœna jussit sui memoriam fieri, non per silentium, sed, ut Paulus explicat, per annuntiationem. Et posset argumentum confirmari Christi ipsius exemplo qui verba consecrationis alta voce pronuntiavit, ut omnes qui aderant, audire potuerint.

Respondeo: Christi memoria, et annuntiatio non tam verbis, quam re ipsa fieri debet; sic enim scribit Augustinus lib. xx. contra Faustum cap. 18: « Christiani, inquit, jam peracti sacrificii memoriam celebrant sacrosancta oblatione, et participatione corporis Christi etc. » Neque posset alio modo impleri quod Paulus præcipit, ut omnes annuntient mortem Domini: qualis enim confusio fieret, si omnis populus in Ecclesia mortem Domini verbis annuntiare deberet?

Quod attinet ad Christi exemplum, sciendum est, Christum non solum ea verba pronuntiasse ut consecraret, sed etiam ut Apostolos doceret ritum consecrandi: quocirca oportuit eum ita loqui, ut ab Apostolis audiretur. Quod etiam hoc tempore Episcopi servant, cum inter Missarum solemnia ordinant sacerdotes; sic enim pronuntiant verba consecrationis, ut omnes illi novi sacerdotes audire possint. Alia autem ratio est eorum, qui ad populum Missas celebrant.

Secunda objectio. Christus non ita Sacramenta instituit, ut actio quidem esset visibilis, et publica, verbum vero, quæ est præcipua pars Sacramentorum occultetur et sepeliatur. Respondeo: Alia ratio Sacramenti, alia sacrificii est: nunc enim de sacrificio proprie agimus. Sacrificium autem non

in verbis, sed in oblatione rei consistit : verba vero in sacrificio Missæ requiruntur, non ut sint ipsa sacrificium, vel pars sacrificii, sed solum ut victimæ præsentiam nobis exhibeant. Verbis enim consecrationis, ut supra ostendimus, id efficitur, ut corpus Christi vere adsit in altari : quare sacrificium erit vere externum et sensibile, etiamsi verba quibus id efficitur, sentiiri non possint. Adde, quod in Sacramentis quoque, ad quorum essentiam verba potissimum pertinent, non est necesse, ut verba ab iis percipiantur, qui Sacramenta suscipiunt, modo percipiantur ab iis, qui ea ministrant : alioqui Baptismus infantibus, amentibus, surdis, collatus, irritus esset, quod ne Kemnitius quidem admitteret. Ad argentum igitur respondemus, Christum non quidem instituisse, ut verba occultentur, et sepeliantur, sed neque instituisse ita pronuntiare, ut ab omnibus, qui adsunt, audiantur, sed solum instituisse re ipsa adhibeantur, libertate relicta Ecclesiæ, ut modum recitandi constituat. Id quod non solum Catholici docent, sed etiam Kemnitii præceptor et Propheta Lutherus in lib. de formula Missæ, ubi liberum permittit, ut verba Cœnæ, alta vel submissa voce pronuntientur.

Tertia objectio. Apostolus I Corinth. XIV diserte distinguit hæc duo in Ecclesia loqui de iis scilicet quæ ad publicum ministerium pertinent; et privatim sibi ipsi, et Deo loqui.

Respondeo : In Ecclesia loqui Beato Paulo est exhortari, et instruere Ecclesiam ; sibi et Deo loqui, est orare, vel laudare Deum : « In Ecclesia, » inquit, « volo quinque verba in sensu meo loqui, ut et alios instruam. » Et rursus : « Si non fuerit interpret, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, et Deo. » Itaque distinguit concionem ab oratione. Ad neutrum autem proprie pertinet sacrificium : sacrificare enim non est loqui, sed facere ; vel si quo modo loqui, est, non est de Ecclesia, vel Ecclesiæ loqui, sed Deo. Qui enim sacrificium Deo offert, cum Deo agit, non enim hominibus, licet non privatim, sed publice agat, quia non pro se tantum, sed pro Ecclesia universa agit.

Quarta objectio. In antiqua Ecclesia dimissis iis, qui non poterant interesse mysteriis, alta voce pronunciabantur preces, gratiarum actiones, et ipsa etiam verba consecrationis. Quod quidem de verbis consecrationis, tradit Bessarion Cardinalis in li-

bro de verbis Cœnæ, et idem patet ex ritu antiquo respondendi, « Amen, » ad verba consecrationis : cuius ritus meminerunt Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII. histor. cap. 9. et Augustinus in libro ad Orosium quæst. 49. Idem patet ex Chrysostomo homil. 18. in posteriorem ad Corinthios, ubi legimus preces, et gratiarum actiones in celebratione Eucharistiæ populo cum sacerdote fuisse communes. Denique idem colligitur ex Novella constitutione 123. Justiniani, ubi severe præcipitur sacerdotibus, ut quæ in oblationis celebratione recitanda sunt, alta voce pronuntient, ut populus exaudire possit.

Respondeo : Verba consecrationis in Ecclesia Orientali alta voce recitari consuevisse, non negamus, cum id apertissime constet ex Liturgia Chrysostomi. Neque nos id reprehendimus : non enim contendimus necessario ea verba submissa voce recitanda esse, Ecclesiæ statuere de eo ritu, et proinde neque Græcorum, neque Latinorum ritum reprehendi posse, aut debere. Sed quanquam verba consecrationis apud Græcos alta voce, ac plane secreto pronuntiata apud eos fuisse, ex eadem Chrysostomi Liturgia evidenter ostendimus. Ad testimonium igitur Bessarionis, et Dionysii Alexandrini, nihil opus est respondere.

Ad locum Augustini respondeo, nec librum illum esse Augustini, ut eruditi fatentur, nec ad rem facere : non enim loquitur ille auctor de consecratione, sed de dispensatione Sacramenti : id enim solum dicit, eos « Amen » respondere solitos, qui accipiunt sanguinem Domini, dicente videlicet sacerdote : « Sanguis Domini nostri Jesu Christi ». Cujus ritus meminit etiam Ambrosius lib. IV. de Sacramentis, cap. 5.

Ad locum Chrysostomi respondeo, Chrysostomum id potissimum velle, ut populus non otietur in templo, sed oret pro iis rebus, pro quibus et sacerdos orat : id quod potest fieri, etiamsi tunc sacerdos tunc populus in silentio oret. Imo Cyprianus in tractatu de oratione Dominica, scribit tempore sacrificii imitandam esse Annam matrem Samuelis, quæ ita orabat, ut labia moverentur, sed vox penitus non audiretur, I. Reg. 1. et eam typum Ecclesiæ gessisse dicit, dnm in silentio orabat. In nostra quoque Liturgia tunc dicitur populo : « Orate fratres », cum secreto est orandum. Adde, quod Chrysostomus non dicit omnes preces esse communes populo

cum sacerdote : quare etiamsi loqueretur de communione earumdem omnino precum, nihil tamen adversarii obtinerent. Nam in Liturgia Chrysostomi aperte distinguuntur, quæ ab omnibus, et quæ a solo sacerdote, et quidem secreto dicenda sunt.

Ad Novellam Justiniani responderi posset in primis non ad imperatorem pertinere de ritu sacrificandi leges ferre : proinde non multum referre quid ille sanxerit. Sed illud etiam respondamus, non esse legem illam sententiæ nostræ contrariam : solum enim ille jubet, ut quæ in Ecclesiis Orientalibus alta voce dici solebant, ab omnibus alta voce dicerentur. Errant enim quidam, ut ex illa ipsa Novella colligitur, qui submissa voce pronuntiabant ea, quæ ex recepta consuetudine alta voce pronuntianda erant, ut eo modo ignorantiam suam tegerent : qui quidem jure reprehenduntur, tum quod contra morem Ecclesiæ facerent, tum quod ex imperitia legendi id facerent.

Ultima objectio. Fatentur Pontificii, usum istum non esse antiquum. Scribunt enim Honorius, et Belet olim alta voce verba consecrationis pronuntiari consuevisse : sed postea imperatum fuisse, ut sub silentio dicerentur, hæc de causa. Cum verba illa ab omnibus audirentur, a multis etiam laicis memoria tenebantur : inde factum est, ut quidam pastores in agro super panem, et vinum ea verba pronuntiaverint. Continuo autem panis in corpus et vinum in sanguinem conversa sunt : et pastores illi divinitus percussi interierunt. Ex qua historia colligitur, usum recitandi verbum consecrationis sub silentio, non esse antiquum, et ex opinione superstitiosa natum, quasi verba illa magica essent.

Respondeo : Miraculum, cujus in hoc argumento mentio fit, vere accidit, sed aliter, et antiquiore tempore, quam a Kemnitio narretur. Scribit enim Sophronius in Prato spirituali, cap. 196. suo tempore hoc miraculum accidisse. Floruit autem Sophronius ante tempora VII. Synodi, et Joannis Damasceni ; nam citatur ejus liber, id est, Pratum spirituale a VII. Synodo actione 4. et a Damasceno in 3. oratione de cultu imaginum. Proinde contigit hoc miraculum ante annos plus minus 900. quod etiam breviter commemoratur ab Alcuino in libro de divinis officiis, cap. de celebratione Missæ : Floruit autem Alcuinus ante annos 800. Porro miraculum illud non convertit panem in carnem, nec pastores illos interfecit, ut Kem-

nitius ex obscuris, ac recentioribus auctoribus colligit ; sed igne de cœlo demisso, panem, et vinum et lapidem, super quem illa sita erant, absumpsit, et pastores illos obstupescit, ut ad longum tempus vix loqui possent. Neque scribit Sophronius istam esse causam, cur verba illa secreto nunc dicantur : quamquam si ista esset causa non video quid contra objici posset. Certe usus iste antiquissimus esset, etiamsi non ante cœpisset, quam post miraculum illud divinitus mundo ostensum.

### CAPUT XIII.

#### *De cæremoniis Missæ quid hæretici sentiant.*

De cæremoniis in genere disputatum est in II. lib. extremo de Sacramentis : nunc ea solum tractanda sunt, quæ proprie ad Missæ cæremonias pertinent. Duo potissimum hoc loco explicanda sunt. Primo aperiendum erit quid adversarii sentiant de cæremoniis Missæ, et quid in controversia sit. Secundo probanda erit veritas, et simul refellendæ objectiones.

Scribunt autem de cæremoniis, et partibus Missæ multi auctores. Primus videtur fuisse Gelasius, cujus librum de Missarum solemnibus coaretavit Gregorius I. ut scribit Joannes Diaconus lib. II. vitæ Gregorii, cap. 17. et ipse ejusdem libri meminit lib. VII. epist. 63. Secundus fuit Isidorus post annum Domini 600. cujus libri duo extant de divinis officiis. Tertius fuit auctor Ordinis Romani, qui floruisse videtur post annum Domini 700. Quartus fuit Alcuinus eodem sæculo, cujus extat liber de officiis Ecclesiasticis. Quintus Amalarius eodem sæculo, cujus etiam libri extant ejusdem tituli. Sextus fuit Rabanus Maurus post annum Domini 800. Septimus eodem sæculo Walfridus Strabo. Octavus post annum fortasse 900. Solitarius in lib. de gemina animæ. Nonus Micrologus post annum 1000. Decimus Rupertus Tuitiensis post annum 1100. Undecimus Hugo de S. Victore eodem sæculo. Duodecimus Innocentius III. post annum 1200. Decimus tertius Bonaventura, eodem sæculo. Decimus quartus Guilielmus Durandus post annum 1300. Decimus quintus Thomas Waldensis post annum. 1400. Decimus sextus Conradus Brunus post annum 1500. quo sæculo scripsit etiam

Rapsodiam Georgius Cassander, et nonnulla Beatus Rhenanus in annotationibus ad librum Tertulliani de corona militis : qui tamen auctor caute legendus est ; superior autem, etiamsi hæreticus fuerit, nihil tamen de suo addidisse videtur. Feruntur etiam multa collegisse de Liturgia Joann. Garetius et Jacobus Pamelius : sed eorum libros nondum videre potui.

His præmissis, ad illa, quæ proposuimus accedamus. Quod ad primum attinet, Calvinistæ omnes fere cæremonias Missæ execrantur, et abrogandas censent. Nam nec illis utuntur in sua Cœnæ Domini administratione : et Calvinus generatim eas reprehendit in lib. iv. Instit. cap. 17. §. 43. ubi admittit antiquissimas esse, imo scribit non longe ab ætate Apostolorum cœpisse ; sed eas rubiginem Cœnæ Domini appellat, et ait natas esse ex prociitate humanæ confidentiæ, quæ se continere non potest, quin in Dei mysteriis ludat, et lasciviat.

At Lutherus, et Lutherani non omnino cæremonias rejiciunt. Nam, et in suis Ecclesiis aliqua servant, et Philippus in Apologia Confess. art. de Missa in principio, dicit apud suos servari in Missa cæremonias consuetas : quod est verum de quibusdam, non de omnibus.

Porro Lutherus in lib. de captivitate Babylon. cap. de Eucharistia, tria de cæremoniis scribit. Primo, Missam eo esse magis Christianam, quo est simplicior, et similior Missæ Christi, in qua nulla fuit vestium, gestuum, cantuum, aliarumque cæremoniarum pompa ; quibus verbis oblique cæremonias reprehendit.

Secundo addit, non esse propterea calumniandam universam Ecclesiam, quæ multis aliis ritibus, et cæremoniis Missam ornavit, et ampliavit : et in libro de formula Missæ, permittit lumina, et incensum, et aliqua alia ejusmodi. Sed hoc dictum secundum non valde cohæret cum primo. Nam si pompa cæremoniarum faceret Missam minus Christianam, ut habet primum dictum, merito Ecclesia, quæ pompam illam invexit, reprehendi posset, ac deberet, cujus contrarium asserit hoc secundum dictum.

Tertio, dicit cæremonias sine fide esse irritabula impietatis potius, quam officia pietatis. Quod si Lutherus de fide Catholica loqueretur, qua credimus in Eucharistia vere esse præsens corpus Domini, et vere in sacrificium Deo offerri pro peccatis vivorum,

et mortuorum, non male dixisset, cæremonias sine fide esse irritabula impietatis : sed quia loquitur de fide quadam speciali, qua vult nos certo credere remissa esse peccata, ideo dictum illud ejus jure damnatur in Concilio Tridentino, sess. 22. can. ult. Cæremoniæ enim devotioni, et reverentiæ excitandæ serviunt, etiam in iis, qui non certo credunt sibi remissa esse peccata ; sed de hac fide alibi disserendum est.

Jam vero Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 852. ponit quadrimembrem partitionem cæremoniarum Missæ. Quasdam enim esse dicit, quæ habeant mandatum divinum, et exempla Scripturæ, et quæ substantialia sint, ut accipere panem, benedicere, manducare, mortem Domini nuntiare. Quasdam, quæ licet non habeant expressum mandatum neque omnino necessariae sint, tamen pias, et bonas esse, si ad ædificationem usurpentur, ut psalmos, lectiones, preces, confessionem fidei per symboli recitationem. Quasdam per se superstitionias, et impias, ut oblationem pro vivis, et mortuis, invocationem Sanctorum, satisfactionem pro animabus Purgatorii, Missam privatam, consecrationem salis, benedictionem aquæ. Alias denique adiaphoras ut vestes, vasa, ornamenta cætera, quæ verbo Dei non repugnant. Ex his docet eas, quæ sunt primi generis, omnino servandas ; quæ sunt tertii omnino abrogandas, quæ sunt secundi, et quarti retinendas esse, sed cum libertate, ac ut minime necessarias.

Nos cum Kemnitio in primo genere convenimus, in tertio ab illo dissentimus ; in secundo et quarto partim convenimus, partim dissentimus. Sed non sunt ista omnia hujus loci : nam non disputamus hoc loco de quibusvis cæremoniis, sed solum de illis, quæ sunt extra essentiam sacrificii, de quibus Concilium Tridentinum loquitur, quare non disputamus de primo genere. Deinde disputamus de cæremoniis proprie dictis, non de omnibus partibus, vel causis, vel effectis Missæ ; porro psalmi, lectiones, preces, non sunt proprie cæremoniæ, et per hoc non agimus de secundo genere. Pari ratione oblatio pro vivis, et mortuis, invocatio Sanctorum, satisfactio, Missa privata, et similia, non sunt cæremoniæ, neque de illis nunc disputamus. Solum ergo de quarto genere nunc quæstio est, adjuncta aqua benedicta, quam in tertio genere Kemnitius posuerat.

Porro de isto quarto genere, in tribus dis-

sidemus a Kemnitio, et cæteris Lutheranis. Primo, quod illi paucissimas, nos plures cæremonias in Missa adhibemus. Secundo, quod illi nullo modo admittunt cæremonias esse necessarias, vel posse imperari ab Ecclesia : nos etsi fateamur non esse ex se necessarias, tamen judicamus imperari posse, et hoc præcepto posito, non posse sine peccato omitti. Tertio, quod illi nullam vim tribuunt ulli cæremoniæ, et irrident consecrationes aquæ, salis, thuris, cereorum etc. nos quibusdam cæremoniis vim quamdam tribuimus ex consecratione, et precibus Ecclesiæ. Sed de his duobus postremis quæstionibus satis multa diximus in 2. lib. de Sacramentis in genere, et in aliis locis : idcirco solum hoc loco ostendendum erit, non solum paucas, illas cæremonias, quas Lutherani admittunt, sed omnes alias, quibus Ecclesia Catholica in Missa utitur, esse antiquas et pias.

Sed antequam ad cæremonias nostras veniamus, refellenda sunt mendacia, quibus plane scatet Kemnitii disputatio. Primo pag. 853. dicit, Concilium Tridentinũ sess. 22. cap. 5. sine distinctione omnes cæremonias approbare, sive piæ, sive superstitiosæ sint. At Concilium non loquitur nisi de his cæremoniis, quas Ecclesia instituit, ut ex ipso textu Concilii patet, et quæ ad quartum genus a Kemnitio positum, pertinent ; quas idem Kemnitius fatetur non esse superstitiosas.

Secundo ibidem dicit, a Concilio defini, omnes cæremonias quæ in Missa adhibentur, esse ex traditione Apostolica : et probat ipse hoc esse falsum, quia Dominus in ultima cœna, eas non adhibuit, neque earum meminit Paulus, cum describit Synaxim Apostolicam I Corinth. XI. At Concilium non dicit omnes, sed multas esse ex Apostolica traditione : et probatio Kemnitii ineptissima est. Nam traditio Apostolica cœpit post ascensionem Domini et ideo non mirum si in ultima cœna Domini cæremoniæ non fuerint adhibitæ : quia videlicet nondum eas Apostoli instituerant. Porro Paulus I Cor. XI. non refert totam Synaxim Apostolicam, sed solum narrat quid a Domino accepit.

Tertio dicit Pontificios veterum cæremonias cumulasse multis admixtis otiosis, et superstitiosis ritibus. At hoc falsissimum esse patet ex Liturgia Cræcorum, et ex Ambrosiana, quas non instituerunt Pontificii, et

tamen plures cæremonias habent, quam nostra Romana, quam Kemnitius Pontificiam vocat.

Quarto dicit, apud Catholicos ita necessariam existimari cæremoniarum observantiam, ut pronuncient mortaliter peccare, qui aliquid in illis neglexerint. At hoc etiam mendacium est : non enim apud nos quælibet negligentia peccatum est mortale, sed contemptus, aut notabilis negligentia in rebus gravibus.

Quinto dicit, Pontificios vix credere recte celebrari Cœnam Domini, si non adhibeatur totus ille cæremoniarum apparatus. At si per illud, *recte*, intelligat rectitudinem essentialem, ut videtur intelligere, mendacium est apertissimum : constanter enim Catholici docent, totam essentiam hujus sacrificii a Christo institutam, et proinde sine his cæremoniis, quas postea Ecclesia addidit, nemo dubitat sacrificium celebratum esse, verum et ratum. Si autem Kemnitius per illud « recte », intelligat rectitudinem accidentariam, nihil dicit : nam quis dubitet non recte fieri id, in quo faciendo aliqua omittuntur, quæ omittenda non erant ?

Sexto dicit, cæremoniis illis, et ritibus per se et absolute, tribui a Catholicis peculiariora merita. At hoc impudentissimum est mendacium : Catholici enim sine fide, et charitate nulla merita agnoscunt, neque ullus nisi plane insipiens diceret, attollere manus, vel curvare genua, et alia id genus, esse per se, et absolute meritoria.

#### CAPUT XIV.

*Cæremonias, quæ Missam præcedunt, esse antiquas, et pias.*

Nunc ut facilius Missæ cæremonias defendamus, ad quædam capita omnes revocabimus. Quædam enim sumuntur a persona, quædam a loco, aliæ a tempore, et hæc in rebus consistunt, et prærequiruntur ad sacrificium. Aliæ consistunt in actione, et adhibentur inter sacrificandum, partim erga Deum, partim erga populum, partim erga ipsum sacrificium. Ex parte personæ requiruntur vestes sacrae, ex parte loci requiruntur templa, altaria, vasa sacra, ut calix, discus, corporalia, item lumina. Ex parte temporis requiritur, ut fiat præcipue Dominicis



diebus, ut ante meridiem, ut ante omnem cibum. De his igitur singulis brevissime dicemus.

## DE VESTIBUS SACRIS.

Ac primum de vestibus sacris habemus exemplum Testamenti veteris, in quo sacerdos sacrificium oblaturus, certis vestibus a Deo præscriptis induebatur : fuisse autem eas vestes, typos ac figuras vestium sacram, quibus nunc induuntur sacerdotes Christiani, ostendunt auctores quos jam citabo, qui singulatim demonstrant, quæ ex nostris vestibus cui ex Judaicis respondeant.

Habemus deinde usum Ecclesiæ antiquissimum : nam omnia indumenta, quibus nunc utimur in Missa, enumerant, et significationes, eorum explicant, multi antiqui scriptores, ut Innocentius III. lib. 1. de mysteriis Missæ. Rupertus lib. 1. de divinis officiis. Bonaventura in libro de explicatione Missæ. Walfridus Strabo in lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 24. Hugo de S. Victore lib. 11. de Sacramentis par. 4. Amalarius lib. 11. de officiis Ecclesiasticis. Rabanus libro 1. de institutione Clericorum, et Alcuinus in libro de officiis Ecclesiasticis cap. de vestibus sacris. Floruerunt autem hi auctores alii ante annos 300, ut Innocentius, et Bonaventura : alii ante annos 400, ut Rupertus, et Hugo : alii ante annos 700, ut Walfridus, et Rabanus : denique Amalarius, et Alcuinus ante annos 800.

Præter hos auctores, qui omnia indumenta ordine enumerant, nec dicunt suo tempore incepisse, sed quod a majoribus acceperant, tradunt ; non desunt alii antiquiores, qui breviter aliquid attingant de ejusmodi vestibus. Nam Julianus Pomerius, qui ante annos 900 floruit, in vita S. Hildefonsi, quæ extat apud Surium tom. 1. scribit ab ipsa sanctissima Virgine de cælo allatam vestem sacerdotalem, ac S. Hildefonso donatam, qua uteretur in Missa.

Gregorius Papa ante annos circiter 1000. misit in Britanniam ad novam illam Ecclesiam præter sacra vasa, et reliquias sanctorum, ac altarium ornamenta, etiam vestimenta sacerdotalia, et clericalia, ut scribit Joannes Diaconus lib. 11. vite beati Gregorii, cap. 37. et Beda lib. 1. hist. cap. 29.

Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos, ultra medium, scribit, Episcopos, et Presbyteros, et omnem clerum in sacrificii admi-

nistracione candidis vestibus uti. Quod idem habet Chrysostomus hom. 83. in Matth. qui etiam initio Liturgiæ describit orationes, quæ dicuntur, dum sacerdos induit sacras vestes. Idem etiam Hieronymus in epistola ad Heliodorum de obitu Nepotiani, scribit sibi a Nepotiano presbytero moriente, relictam fuisse tunicam, quæ utebatur in ministerio Christi : floruit autem uterque ante annos 1100.

Concilium Carthaginense IV. tempore Augustini celebratum, prohibet canon. 41. ne Diaconi utantur alba, nisi in sacro ministerio.

Auctor quæstionum veteris, ac novi Testamenti, quæ habentur tom. 11. operum Augustini quæst. 46. scribit Diaconos uti solere dalmaticis : vixit autem hic auctor ante Augustinum, ut patet ex quæst. 44.

Sylvester ante annos 1200. ut in ejus vita refert Damasus, constituit ut Diaconi in Ecclesia dalmaticis uterentur, et palla lino-stima lævam cooperirent.

Denique huc referri potest, quod scribit Polycrates ante annos 1400. apud Eusebium libro 5. histor. cap. 24. ipsum etiam sanctum Joannem sacerdotale petalon gestasse.

Accedit etiam manifesta ratio. Nam ut reges, ac magistratus in publicis actionibus non vulgari utuntur vestitu, sed alio angustiore, et certis insignibus, quo et reverentia ipsis, concilietur, et simul imperium ipsorum, et potestas representetur : sic etiam omnino conveniebat, ut in hac publica totius Ecclesiæ actione, sacerdos sacro, ac peculiari habitu uteretur ; tum ad reverentiam mysterii, tum ad ipsam Christi passionem representandam idoneo.

## DE TEMPLIS ET ARIS.

Jam vero de templis et aris multa disputavimus in lib. 111. de Ecclesia triumphante cap. 1. et sequentibus ; et plena sunt scripta veterum, tum Patrum, tum Conciliorum, ubi fit mentio templi, et altaris ; et nos libro superiore cap. 14. non pauca testimonia adduximus. Et quia adversarii non tam rejiciunt templa, et altaria, quam mysticas consecrationes cum templi, tum altaris ; vide antiquissima testimonia ejusmodi consecrationis in Concilio V. Carthaginensi can. 6. et Agathensi can. 14. et in scriptis Patrum, Eusebii lib. 11. de vita Constantini ; Athanasii in Apologia ad Constantium ; Basilii

in Psalm. 114. Gregorii Nysseni in libro de Baptismo Ambrosii lib. 1. epistol. 5. ad Felicem; Gaudentii in tract. de dedicatione; Augustini serm. 251. et sequentibus de tempore; Gelasii I in epist. 1. et Felicis IV. in epist. decretali de Ecclesiarum, et altarium consecratione, qui Pontifex atavus S. Gregorii fuit, et non modo Ecclesias, et altaria consecrari debere confirmat, sed etiam, quod est hujus loci proprium, testatur antiquis Canonibus prohibitum, ne sacra Missarum solemniam alibi quam in locis Deo sacratis, magna necessitate excepta, ullus celebrare præsumat.

#### DE VASIS SACRIS.

De sacris autem vasis multa exstant antiquissima testimonia. Damasus in vita sancti Urbani Papæ et Martyris, meminit argenteorum vasorum, quæ jam tum erant in Ecclesia ad usum Sacramentorum. Sedit autem Urbanus circa annum Domini 230. Prudentius in hymno de sancto Laurentio, meminit aureorum vasorum, quæ erant tempore sancti Laurentii, id est, circa annum Domini 260. « Libent ut auro antistites ». Tempore autem Sylvestri circa annum Domini 300. plurimos fuisse aureos, et argenteos calices, patinas, candelabra, thuribula, testis est idem Damasus. Athanasius in 2. Apologia contra Arianos, multa scribit de mystico poculo, quod ab eo confractum calumniabantur Ariani: ex quo loco constat calices Eucharistiæ sacros fuisse, et non nisi ab initiatis tangi, nec sine sacrilegio pollui potuisse. Gregorius Nazianzenus in oratione seipso contra Arianos, scribit ab Arianis direpta sacra vasa laicis ad tangendum prohibita: et ideo comparat eos Nabuzardano, et Balthasari, quorum alter sacra vasa templi Hierosolymitani abstulit, alter profanavit. Optatus Milevitanus lib. vi. contra Parmenianum, queritur de Donatistis, quod sacra, et pretiosa, vasa Ecclesiæ, in quibus Christi sanguis continetur, diripuerint, conflaverint, et vendiderint, similiter pallas, et velamina. Ambrosius lib. ii. de officiis cap. 28. multa scribit de sacris Ecclesiæ vasis, atque ea aurea, et consecrata fuisse demonstrat. Augustinus in Psalm. 113: « Et nos, inquit, pleraque instrumenta, et vasa ex auro, et argento habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur ». Denique Chrysostomus ho-

mil. 4. in Matth. et fusius in libro de S. Babyla contra Gentiles, scribit Julianum Juliani Imperatoris avunculum, et alium quendam, qui quæstoris officio fungebatur, sacra Ecclesiæ vasa diripuisse, ac profanasse, sed continuo ultricem manum Domini sensit, ita ut Julianus vermibus corrosus interierit, quæstor autem subito medius crepuerit. Similia exempla refert Gregorius Turonensis de gloria Martyrum capite 85. quæ satis ostendunt cæremoniam istam sacrorum vasorum antiquissimam, et Deo gratam esse.

Sed Calvinus in præfatione Institutionis objicit duo loca Patrum. Unus est Ambrosii lib. ii. de officiis cap. 28. ubi sic legimus: « Aurum Sacramenta non quærent, neque auro placent, quæ auro non emuntur. » Alter est Acacii, quem refert Socrates lib. vii. histor. capite 21. sic aliquando locutum, cum accusaretur, quod sacra vasa propter pauperes vendidisset: « Deus noster, neque discis, neque calicibus eget, quia non comedit, neque bibit. »

Respondeo: Uterque locus nobis favet, nam in utroque loco legimus Ecclesiam abundasse vasis pretiosis, et sacris; et ea debuissent diligenter conservari, nisi urgeret summa pauperum necessitas. In tali autem necessitate volunt sancti illi Patres licere sacra vasa constare, et vendere, et rationem reddunt, quia vasa illa pretiosa non sunt absolute necessaria ad Sacramenta ministranda. Et hoc est, quod ait Ambrosius: « Aurum Sacramenta non quærent », id est, non necessario exigunt; et quod subdit: « Nec auro placent. » Non significat, in auro displicent, vel nullo modo placent magis in auro, quam in vitro: sed non ideo principaliter placent, quia ministrantur in auro. Nam si displicerent in auro, vel non magis placerent, quam in alia materia; Ambrosius ea non servasset usque ad illam necessitatem, sed nunquam eis usus fuisset.

Verba Acacii eundem sensum habent: significant enim vasa aurea nullam Deo afferre utilitatem, sed esse in Ecclesia ad honorem Dei, et utilitatem nostram; et ideo quando se offert occasio, quo possint nobis utiliora esse si vendantur, vendi debent, quia id etiam Deo gratius erit, qui misericordiam potius vult, quam sacrificium. Vide quæ diximus in 3. lib. de Ecclesia triumphante cap. 6.

## DE CEREIS.

De cereis autem quibus in Missa utimur, ac præsertim dum legimus Evangelium, non desunt antiqua testimonia. Athanasius in epistola ad omnes Orthodoxos non procul ab initio, scribit inter alia sacrilegia Ariatorum unum fuisse, quod cereos Ecclesiæ idolis adolerent. Hieronimus in lib. contra Vigilantium scribit in Ecclesia Catholica sole rutilante accendi cereos, dum legitur Evangelium, ad signum lætitiæ demonstrandum. Chrysostomus in Liturgia scribit, sacerdotem procedere ad altare, ministro præcedente cum lumine. Ordo etiam Romanus meminit cereorum, qui et ad Evangelium, et ad oblationem corporis Domini accenduntur. Concilium IV. Carthaginense can. 6. docet, Acolytho in sua ordinatione tradi ab Archidiacono cereum, ut sciat ad suum ministerium pertinere lumina accendere in Ecclesia. Quo autem tempore lumina ab Acolythis accendenda essent, explicat Isidorus lib. VII. Etymolog. cap. 12. ubi scribit, cum Evangelium legitur, et cum Christi corpus offertur, debere Acolyths accendere cereum in Ecclesia. Denique Micrologus cap. 11. asserit, Missam nunquam sine lumine celebrari, etiamsi in meridie celebretur.

## DE DIE CELEBRANDI.

Porro, quod attinet ad tempus sacrificii celebrandi, Catholici sentiunt die Dominico præcipue id faciendum; neque hæretici repugnant. Habemus in primis testimonium Scripturæ Actor. XX. : *Una Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem* (1). Nam per unam Sabbati, dies Dominica intelligitur, ut Chrysostomus, et Beda exponunt: et perspicuum est ex aliis similibus locis. Quod enim scribitur I. Corinth. 16: *Per unam Sabbati unusquisque apud se reponat etc.* (2) omnes interpretes Græci, et Latini exponunt de die Dominica, in qua Christiani convenire solebant in Ecclesiam. Marc. ultim. dicitur Christus una Sabbati resurrexisse: quo loco per unam Sabbati intelligi diem Dominicam, nemo unquam negavit. Dicitur autem dies Dominica una Sabbati, quia est prima dies hebdomadæ, phrasi enim He-

braica unum accipitur pro primo, et Sabbatum pro hebdomada.

Deinde Justinus Martyr in 2. Apologia extrema, aperte scribit, die solis, id est, die Dominica Christianos solitos fuisse ad sacrificium Eucharistiæ convenire. Augustinus in epist. 118. scribit in quibusdam locis sacrificium omni die offerri solere, alibi solum die Dominica, et Sabbato, alibi die solum Dominica. Ex quo intelligimus nullos unquam dubitasse, quin dies Dominica aptissima esset ad hoc sacrificium celebrandum.

## DE HORA CELEBRANDI, ET DE JEJUNIO NECESSARIO AD SACRIFICIUM CELEBRANDUM.

De hora diei convenit apud Catholicos sacrificium celebrandum esse horis antemeridianis, et ante omnem cibum; et quidem veteres sacra faciebant ab hora 3. usque ad 9. quia eo tempore ad horam nonam protrahatur jejunium: aliquando etiam sub vesperam celebrabant, ut feria V. in Cœna Domini, et in Sabbato sancto; aliquando media nocte, ut in Natali Domini. Vide Walfridum cap. 23. Nunc excepta Missa, quæ adhuc media nocte canitur in Natali Domini, ordinarie ab hora prima sive ab aurora, usque ad sextam, id est, ad meridiem sacra celebrantur, et jejunia de more protahuntur.

Lutherani, et Calvinistæ ista plane contemnunt: scribit enim Lutherus in lib. contra Regem Angliæ, edito anno 1522. esse articulum Papæ, tantum mane, et ante omnem cibum esse communicandum, et addit: « Nos autem istos mere fatuos, et stolidos appellamus, et Communionem liberam habemus, sive per diem, sive per noctem, sive mane, sive vesperi. Apud nos non peccat, qui modeste ederit, et biberit ante Communionem. » Et in libro de formula Missæ, liberum permittit jejunium ante Communionem, et solum necessario requirit, ut sobrie accedatur, id est, ut ipse exponit, ne quis crapula ructet, aut distento ventre pigrescat. Similia habet in libro de abroganda Missa privata: ubi tamen falso Catholicis affingit, quod doceant eum indignum esse Communionem, qui guttulam unam aquæ imprudens sorbuerit. Neque enim tam rigide Catholici jejunium hoc exponunt: imo

(1) Act. XX, 7. — (2) I Corinth. XVI, 2.

in casu necessitatis permittunt etiam post cibum Communionem sumere, ut quando ægrotus aliquis de vita periclitatur, et nondum viaticum accepit, et periculum est in mora, tunc enim quacumque hora dari solet Communio : et extra hunc casum, qui inter abluendum aliquas aquæ guttas trajecerit cum saliva fortuito ad stomachum, non censetur solvisse jejunium, nec prohibetur a sacro faciendo, vel Communionem sumenda, de qua re vide S. Thomam 3. par. quæst. 80. art. 8.

Quod autem nostra consuetudo sine dubio antiquissima, et Apostolica sit, et necessario servanda, excepto casu necessitatis, facile demonstrari potest. Tertullianus in II. lib. ad uxorem : « Non sciet, inquit maritus quid ante omnem cibum sumas etc. » et loquitur omnium consensu de Eucharistia. Cyprianus lib. 2. epistol. 3. prope extrema, objicit sibi argumentum quod postea fecit Lutherus, nimirum ab exemplo Christi, qui post cœnam sacrificium obtulit, et respondet, Christum certa de causa obtulisse ad vesperam, et post cœnam, quia sic prædictum fuerat a Prophetis : nos tamen mane offerre debere, quia resurrectionem Domini celebramus : et ibidem tanquam rem valde absurdam infert : « Numquid ergo post cœnam Dominicam celebrare debemus ? » Joannes Chrysostomus hom. 7. in priorem ad Corinthios non procul a fine : « Tu, inquit, priusquam accipias, jejunas, ut aliquo modo dignus Communicatione videaris ». Idem Chrysostomus in epistol. 3. ad Cyprianum Episcopum scribit, se accusatum, quod non jejunis Communionem præbuerit, ac jurat id se non fecisse : « Si id feci, inquit, abjiciat me Christus a regno suo ».

Augustinus in epist. 118, cap. 6. proponit argumentum, quod supra a Cypriano solum diximus : « Et liquide, inquit, apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus, et sanguinem Christi, non eos accepisse jejunos ; numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur ? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi : nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia Dominus post cibos dedit, propterea prausi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent ; aut sicut faciebant, quos Apostolus

arguit, et emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus, et memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat : et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum. » Ex hoc testimonio habemus multa. Primo, Dominum nihil de hac re præcepisse. Secundo, Apostolos Spiritu sancto inspiratos instituisse, ut a jejunis Eucharistia sumeretur. Tertio, id servari in toto orbe terrarum ab omni Christi Ecclesia. Quarto, rationem hujus rei fuisse ob honorem tanti Sacramenti : quam eandem rationem attingunt etiam posteriores auctores, ut Isidorus lib. 1. de officiis divinis cap. 18. et Amalarius lib. III. de officiis Ecclesiasticis cap. 34. et Walfridus Strabo, lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 19.

Sed Lutherus, ut erat omnium hominum impudentissimus, tanti Doctoris testimonium irridet in lib. de abroganda Missa par. 2. his verbis : « Indignum est, inquit, ut in os Christiani aliud intret, priusquam corpus Domini intraverit. O festiva ratio, forte nec nebulam, nec aerem prius intrare licet os Christiani, quam corpus Domini intraverit, ut sacerdotibus respiratione, et vita interdicator, usque post Missam, et Communionem. » Hæc ille.

Horrenda sane, et plane diabolica audacia, toti Ecclesiæ insultare non solida aliqua ratione, sed depravato loco Augustini. Non enim Augustinus ait, indignum esse, ut aliud prius intret in os Christiani, quam Christi corpus : sed ut alius cibus prius intret, quam sacratissimus cibus carnis Domini. Non igitur prohibemur aerem inspirare, ut iugatur Lutherus, sed cibum aliquem sumere.

Præter hæc Patrum testimonia, habemus etiam decreta Conciliorum antiquorum in variis mundi partibus celebratorum. Concilium III Carthaginense in Africa celebratum ante annos 1100, can. 29. ita decrevit : « Ut Sacramenta altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur. » Idem repetitur canon. 48. et rursus in Concilio Africano canon. 8. Concilium Matisconense II. in Gallia celebratum ante annos 1000. canon. 6. renovat canonem Concilii Carthaginensis, et addit penam depositionis a propria dignitate. Ibi dem etiam statuit, ut reliquiæ corporis Domini dentur pueris manducandæ, indieto eis

jejunio : quem usum fuisse olim in Græcia testatur Evagrius lib. iv. histor. cap. 35. Concilium Bracarense I. celebratum in Lusitania ante annos 900. can. 16. statuit, ut etiam feria 5. in cœna Domini, Missæ a jejunis celebrentur. Concilium Toletanum VII. celebratum in Hispania ante annos item 900. can. 2. pœnam excommunicationis statuit in eos, qui post sumptum cibum quamlibet exiguum, Missam facere audent. Concilium Constantiense in Germania celebratum, annis centum ante Lutheri hæresim exortam sess. 13. damnat errorem, sive abusum quorundam, qui Sacramentum altaris post cibum sumptum celebrare audebant.

Huc demum accedat horribilis vindicta, quam Deus exercuit in presbyterum quemdam, qui in die Natalis Domini Missas celebrare præsumpsit non jejunus : de qua re vide Gregorium Turonicum capite 86. libri de gloria Martyrum.

Sed argumenta Lutheri videamus. Primo objicit exemplum Christi, qui post cœnam Sacramentum instituit, et ministravit. Sed hoc est jam solutum a Cypriano : et Augustino, quibus addere possumus, Christum non post quamlibet cœnam sed post cœnam agni Paschalis Eucharistiam instituisse, et ministrasse, ut indicaret unam cœnam alterius umbram, et figuram fuisse ; nobis autem jam non licet cœnam illam Judaicam præmittere, cum sit abrogata, quemadmodum etiam Christus post Circumcisionem acceptam suscepit Baptismum, nec tamen Christiani jam debent Circumcisionem accipere antequam baptizentur.

Secundo objicit testimonium Apostoli I Corinth. xi : *Si quis esurit, domu manducet* (1) ; ubi videtur Apostolus permittere, ut qui jejunium ferre non valent, aut non volunt, post cibum domi sumptum ad Ecclesiam communicaturi accedant.

Respondeo : Duobus modis hic locus exponi solet. Primo, ut sensus sit : si quis non potest tamdiu jejunus in Ecclesia permanere, prius domi suæ cibum sumat, et sic ad Ecclesiam veniat : ita exponit Anselmus, qui tamen addit, cum qui cibo sumpto ad Ecclesiam venit, non debere Eucharistiam sumere. Secundo, ut sensus sit ; si quis in Ecclesia constitutus, famem tolerare non potest, egrediatur ; et domum redeat, atque ibi manducet, non in Ecclesia. Quæ tamen non di-

cuntur ab Apostolo, ut ita fiat, sed ut confundantur ejusmodi homines, gulæ addicti, tanquam qui indigni sacra communione, ab Ecclesia expellantur, et ad suas domos amendantur : ita exponunt Chrysostomus, et Theophylactus, et alii ; quæ expositio videtur omnino verior, sed neutra pro Luthero facit.

Tertio objicit, moderato cibo sumpto, hominem esse aptiorem ad Communionem, quam jejunum, quia post cibum sumptum caput solet esse purgatius, os mundius, halitus incorruptior etc. Respondeo : Magis nos movere debent Apostolica traditio, et totius Ecclesiæ consuetudo, quam ista Lutheri Philosophia. Falsum præterea Lutherus assumit, nam etiamsi ad opera corporis cibus prosit, non tamen ad opera spiritus. Ac præcipue ad orationem multum conferre jejunium, ex Scriptura divina perspicuum est, quæ ubique fere conjungit orationem cum jejunio. Tob. xii. *Bona est oratio cum jejunio.* Judith. iv. *In jejunis, et orationibus.* Luc. ii. *Jejunis, et orationibus serviens Deo.* Matth. xvii. *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem, et jejunium* (2).

Ultimo objicit, Christum id liberum reliquisse, proinde liberum esse debere. Respondeo : Multa Christus per se non præcepit quæ tamen libera esse noluit, siquidem ea per Apostolos, aut eorum successores præcepit, et de illis dixit Lucæ x : *Qui vos audit, me audit* (3).

## CAPUT XV.

*De caeremoniis, quæ fiunt in Missa, et in actione consistunt.*

Nunc de caeremoniis illis breviter est dicendum, quæ in ipsa Missæ celebratione adhibentur, quæ ad quinque capita revocari possunt. Aliæ enim ad Deum referuntur, ut elevatio manuum, elevatio oculorum, adoratio per inclinationem corporis totius, aut per genuum curvationem. Aliæ ad sacrificium, ut elevatio, ostensio, fractio, commixtio. Aliæ ad sacerdotem celebrantem, ut tussio pectoris, et lotio manuum. Aliæ ad populum, ut salutatio, et dimissio. Aliæ ad

(1) I Cor. XI, 34. — (2) Tob. XII, 8; Jud. IV, 12; Luc. II, 37; Matth. XVII, 20. — (3) Luc. X, 16.

ea, quæ leguntur in Missa, ut cantus, et instrumenta musica. Præter has, quædam aliæ sunt communes multis rebus, ut signum crucis, aspersio aquæ, thurificatio, osculum.

Prima igitur cæremonia erga Deum, id est, elevatio manuum, exemplum habet in divinis litteris. Nam Exodi xvii, Moses elevatis manibus orans impetravit. Item III Reg. viii. Salomon oraturus expandit manus in cælum. David Psalm. cxi: *Elevatio manuum earum sacrificium vespertinum*. Apostolus I Timoth. ii: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus* (1). Denique naturalis hæc cæremonia esse videtur, cum etiam apud ethnicos passim legantur, qui orabant, ad cælum manus extendisse.

Secunda quæ est elevatio oculorum, Christo familiaris fuit: nam in plurimis locis oculos ad cælum levasse dicitur, ut patet Matth. xiv. Marc. vi. et vii. Luc. ix. Joan. vi. xi. et xvii. Et quamvis in actione Cœnæ non legatur expresse in Evangelio, oculos ad cælum sustulisse, id tamen constanter asserunt eum fecisse, S. Jacobus in sua Liturgia, et S. Ambrosius lib. iv. de Sacramentis cap. v. Tertullianus in Apologetica cap. 30. scribit Christianos cælum intuentes, manibus extensis, nudo capite orare solitos.

Tertia, quæ est inclinatio corporis, aut genuum incurvatio, index est humilitatis, et reverentiæ, et passim a Sanctis usurpata. II Paralip. vi, Salomon flexis genibus orabat. Luc. xxii, Dominus ipse positus genibus orabat. Act. xxi. Paulus positus genibus oravit cum omnibus, qui secum erant. Neque possunt hæc cæremoniæ erga Deum ullo modo reprehendi: nam ut S. Cyprianus docet in serm. de orat. Dominica, placendum est divinis oculis etiam habitu corporis. Non solum autem inter sacrificandum sacerdos inclinat caput Deo, sed etiam cruci, aut imagini crucifixi, et ipsi etiam altari, et id sæpius: quam cæremoniam antiquissimam esse intelligi potest ex Liturgia Chrysostomi; ubi habentur hæc verba: « Sacerdos egreditur ex parvo ostio, et conversus ad Christi imaginem, inflexo capite cum exclamatione dicit hanc orationem etc. »

Prima cæremonia erga sacrificium, est elevatio hostiæ consecrandæ coram Deo, quæ fit in offertorio; quæ cæremonia non potest reprehendi, si concedatur oblatio, quam in libro superiore defendimus. Nam si licet

offerre Deo sacrificium visibile; cur non liceat id ipsum elevare in signum oblationis? Habemus etiam in Scriptura exemplum, siquidem Lev. viii. ix. x. et alibi, sacerdos elevat coram Deo id quod offertur. Denique habetur in antiquis Liturgiis

Secunda, quæ est ostensio Sacramenti ad populum, antiquissima est: habetur enim in primis in Liturgiis Basilii, et Chrysostomi, et apud Dionysium cap. 3. Ecclesiast. hierarch. Et præterea meminit ejus ut Apostolicæ traditionis, S. Basilii in lib. de Spiritu sancto cap. 27: « Verba, inquit, invocationis cum ostenditur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? » Chrysostomus crebram facit mentionem illius ritus, qui apud Græcos erat, ut Eucharistia consecraretur ad altare velis obducta, ac deinde reductis velis populo ostenderetur. Hom. lxi. ad populum Antiochenum: « Cum vela, inquit, videris retrahi, tunc superne cælum aperiri cogita etc. » Idem habet hom. 36. in I Corinth. et hom. 3, in epist. ad Ephes.

Tertia, quæ est fractio et commixtio, habetur expresse in Liturgia Jacobi, et in Liturgia Chrysostomi: quare ipsa quoque antiquissima est. Unde Chrysostomus hom. 24. in priorem ad Corinth. scribit Christum in altari confractionem pati, quam in cruce pati noluit.

Alia est cæremonia erga sacrificium, mixtio aquæ, et vini, de qua nihil hic dicimus, quia in 4. lib. de Eucharistia copiose de ea tractavimus.

Prima cæremonia, quam erga seipsum sacerdos adhibet, est tussio pectoris: ea enim utitur in confessione, quæ fit ad initium Missæ, et ad illam precem: « Agnus Dei qui tollis peccata mundi etc. » Et ad illa verba: « Domine non sum dignus. » Hæc autem cæremonia poenitentiam indicat, et naturalis est, atque in Evangelio exemplum habet. Nam Lucæ xviii, publicanus orans percutiebat pectus suam, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Et Lucæ xxii: *Revertebantur percutientes pectora sua*.

Secunda est lotio manuum, paulo ante consecrationem, quæ habetur etiam in Liturgiis Græcorum: ejusdem cæremoniæ meminit Dionysius cap. 3. Ecclesiast. hierarch. et Clemens lib. viii. const. cap. 5. et Cyrillus catechesi 5. mystag.: « Vidisti, inquit,

(1) Psalm. CXL, 2. — (2) I Thimoth. II, 8.

Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem sacerdoti ? » Et ibidem reddit causam hujus cæremoniae, ac dicit, non adhiberi eam lotionem ad sordes corporis abluendas, cum nemo in Ecclesiam sordidis manibus accedere audeat : sed ob symbolum puritatis animi, qua pollere debent, qui tantum peragunt sacrificium.

Prima cæremonia erga populum, est saluatio per « Dominus vobiscum » : de qua in sequenti capite disseremus.

Secunda cæremonia est dimissio populi per « Ite missa est », de qua etiam infra dicemus : nam istæ cæremoniae in verbis consistunt, non in actione tantum.

Prima cæremonia erga ea, quæ leguntur in Missa, est cantus : de qua non est hoc tempore magna controversia ; nam ipsi etiam hæretici passim canunt. Et præterea habemus ipsius Domini exemplum. Nam Matth. 26. legimus Dominum in ultima Cœna, in qua prima Missæ institutio, et celebratio consistebat hymnum cecinisse : illa enim verba : « Et hymno dicto », græce ὑμνήσαντες, proprie cantum significant. Nam ut Augustinus docet, in titulum Psal. LXXII. usque adeo de ratione hymni est cantus, ut nisi cantetur, hymnus dici non possit. Unde etiam Concilium Toletanum IV. can. 12. de hymnis canendis in sacro officio, dicit nos exemplum Domini habere : ex quo falsum esse colligimus quod scribit Lutherus in lib. de captivit. Babylon. cap. 1. Missam Domini sine cantu celebratam esse. In disputatione de horis Canonicis tom. 3. de hac re copiosius disseremus.

Secunda cæremonia, sunt instrumenta Musica, quæ in Ecclesia adhiberi cœpta sunt in sacro officio, tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. ut ex Pontificali refert Platina ; vel ut mavult Aimoinus lib. IV. de gestis Francorum cap. 114. post annum Domini 820. tempore Ludovici Pii. Licita autem esse, et utilia ejusmodi instrumenta, si sobrie, et graviter eis utamur, negari certe non potest, cum et habeamus exemplum Testamenti veteris, et experiamur devotionem per ea excitari, et tædium minui, quod ex longitudine, et gravitate officiorum alioqui oriretur.

Neque valet responsio Petri Martyris ad exemplum Testamenti veteris : scribit Petrus Martyr, in cap. 14. prioris ad Corinth. instrumenta musica pertinere ad Judaicas cæremonias, neque nobis magis convenire,

quam Circumsionem, et neomenias. Sed fallitur apertissime. Siquidem Judaicæ cæremoniae duplices erant.

Quædam ipsorum propriæ, quæ videlicet ad aliud futurum significandum erant institutæ, ut Circumcisio, et similes : et hæ nobis vere non conveniunt. Aliæ erant communes ipsis cum aliis Gentibus, cæ scilicet, quæ naturali ratione nituntur, non autem significatione rerum futurarum, ut genua flectere, pectus tundere etc. Et hæ nobis etiam conveniunt, atque ad hoc genus pertinent musica instrumenta, quippe quæ in Dei laudibus adhibentur, propter infirmos, quorum non pauci in Ecclesia numerantur, juvant enim, ut dixi, tum ad excitandam pietatem, tum ad fastidium, ac tædium minuendum.

Ex cæremoniis communibus. Prima est, aspersio aquæ benedictæ. Nam in Dominicis diebus ante initium solemnissimæ Missæ, Sacerdos aquam benedicit, ac deinde aspergit se, et Ministros, et altare, et populum : quæ aspersio est quædam expiatio, et præparatio ad futurum sacrificium. De aqua benedicta fuse tractavimus in III. lib. de Ecclesia triumphante cap. 7. Hic solum annotasse sufficet aquæ benedictionem a S. Basilio inter Apostolicas traditiones numerari lib. de Spiritu sancto cap. 27. et Dominicis diebus ad Missam adhiberi solitam aquæ aspersionem, colligi ex Micrologo in lib. de observationibus Ecclesiasticis cap. 46.

Secunda cæremonia communis, est thurificatio : nam thus adoletur in Missa, tum ad altare, tum ad Evangelium, tum ad Sacerdotem, tum etiam ad clerum, et populum ; et quidem hæc cæremonia antiquissima est. Nam can. 4. Apostolorum dicitur thymiamata, seu incensum offerendum ad altare, cum sacra celebratur oblatio. Dionysius cap. 3. Ecclesiast. hierarch. describens ritum celebrandi sacrificii Euchariæ, meminit etiam thuris. In Liturgiis Jacobi, et Chrysostomi, mentio fit benedictionis thuris, et thurificationis ad altare. Præterea Damasus in Pontificali in vita Soteris et Sylvestri Pontificum, inter alia sacra vasa Ecclesiæ numerat thuribula, seu thymiamateria : quare falsum est, quod Platina in vita Sixti I. et Polidorus Virgilius in lib. de inventoribus rerum scribunt, Leonem III. qui sedit anno 800 fuisse primum, qui thus in Missa adhibuit.

Quod autem Arnobius scribit lib. VII. contra Gentes, religionem thuris novellam esse : intelligi debet de consuetudine Gentilium :

Nam apud populum Dei, antiquissima consuetudo est, thuris adhibendi in sacrificio divino, ut patet ex lib. Exodi 25. et 30 et sequentibus. Porro Christiani thuris religionem non a Gentilibus, sed ab Hebræis acceperunt.

Causa vero cur thuris odor, ac fumus in sacrificio adhibeatur, ut colligitur ex precibus Liturgiæ tum Græcæ, tum Latinæ, est, tum ut significetur bonus odor Evangelii, et eorum qui Evangelium prædicare debent; tum ob similitudinem, quam habet incensum cum oratione; unde dicitur in Psal. 140: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Et Apocalyp. 9 incensum Deo oblatum interpretatur Joannes esse orationes Sanctorum: tum etiam ad gloriam Dei representandam. Deus enim in nebula se ostendere solebat in Testamento veteri: tum denique ad tetrum odorem, si quis ex multitudine hominum in Ecclesia existeret, abstergendum.

Tertia cæremonia communis, est osculum: osculatur enim Sacerdos frequenter ipsum altare, deinde librum Evangelii; tum Ministrum suum, et per eum in universum clerum, et populum pacem diffundit. Quæ cæremonia habetur in Liturgiis omnibus, tum Græcis, tum Latinis; et ejusdem meminit Justinus in fine 2. Apologiæ. Tertullianus lib. de orat. cap. ult. Cyrillus Catechesi 5. mystagog. et Chrysostomus hom. 77. in Joan. Duplex autem ratio est hujus osculi: nam altare, et librum in signum reverentiæ osculamur, fratres autem in signum charitatis, et pacis.

Quarta cæremonia est, signum crucis: quæ omnium communissima, et antiquissima est. Nam signo crucis seipsum Sacerdos consignat, item librum, altare, res offerendas, et oblatas, ac denique populum dum ei benedicit.

Notat autem Micrologus lib. de observationibus Ecclesiasticis cap. 14. signum crucis aut semel, aut ter, aut quinquies exprimi solere super oblationem, non autem bis, aut quater: quia semel exprimitur ad essentiæ divinæ unitatem, ter ad personarum Trinitatem, quinquies ad quinque plagas Domini representandas.

Esse autem antiquissimam cæremoniam perspicuum est. Primo, ex Liturgiis S. Jacobi et aliorum, quæ plenæ sunt ejusmodi consignationibus. Secundo, ex Chrysostomo

hom. 55. in Matthæum, et Augustino tract. 118. in Joan. qui dicunt omnia Sacramenta, et ipsum divinum sacrificium signo crucis perfici. Tertio, ex Tertulliano in lib. de Corona militis. Cyrillo Catechesi 4. et 13. et Hieronymo in Epist. ad Eustochium de custodia Virginitatis, qui docent, in omni negotio signum crucis adhibendum. Quod si in omni negotio, cur non in actione tremendi sacrificii?

## CAPUT XVI.

### *De iis, quæ recitantur in Missa Catechumenorum*

Restat postrema controversia de veritate Canonis, et aliorum, quæ in Missa recitantur. Ubi illud est observandum, Missam in quatuor partes dividi solere. Prima est, ab initio usque ad Offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum. Secunda, ab Offertorio usque ad Consecrationem, quæ dicitur a Græcis *ἀναφορά*, a Latinis nonnullis Canon minor. Tertia, a Consecratione usque ad Communionem, quæ dicitur Canon major. Quarta, a Communione usque ad finem.

### DE PSALMO *Judica*, ET CONFESIONE.

Primum igitur arte Missæ initium pronuntiatur Psal. 42. *Judica me Deus*, et fit generalis confessio. Et quidem Psalmum reprehendere nemo potest, neque etiam confessionem, quatenus fit Deo et proximis adstantibus, sed quatenus fit Sanctis, adversarii eam non probant, quod existiment Sanctos eam audire non posse, cum tam procul absint. Sed Ecclesia Catholica nihil dubitat, Sanctos cognoscere, ut orationes, ita etiam confessiones nostras, tum ex ritu invocationis Sanctorum, qui semper fuit in usu apud veros Christianos, ut fuse docuimus in 1. lib. de Ecclesia triumphante, tum ex miraculis, quæ omnibus sæculis facta sunt ad Sanctorum invocationem, quorum multa refert Augustinus XII. de Civ. Dei cap. 8. Nos igitur confitemur Deo, Sanctis, et Ecclesiæ præsentī, quia omnes offendimus, cum peccamus, ut ille etiam dicebat, Lucæ xv: *Peccavit in cælum et coram te* (3).

(1) Psal. CXL, 2. — (2) Psal. XLII, 4. — (3) Luc. XV, 21.



Usus autem confessionis antiquum esse ante Introitum Missæ patet tum ex Micrologo cap. 1. ubi aperte dicit, præmitti solere confessionem, tum etiam ex Liturgia sancti Jacobi, quæ a confessione incipit.

## DE INTROITU.

Sequitur Introitus, qui constat ex Antiphona, et Psalmo, cum « Gloria Patri. » Dicitur introitus, quia canitur a choro in introitu Sacerdotis ad altare, ut vult Micrologus, cap. 1 vel ut Conradus Brunus, lib. 11. cap. 1 et alii volunt, quia est Introitus, id est, initium Missæ. Convenit fere inter auctores, usum Introitus introductum esse a Cœlestino I. Pontifice: sic enim scribit Walfridus cap. 22. Micrologus cap. 1. et alii passim. Sed non est hoc ita simpliciter accipiendum.

Nam in primis non instituit ipse usus canendi unum versiculum, ut nunc facimus, sed ut Psalmi Davidis 150. antiphonatim canerentur per ordinem ante sacrificium: ut in ejus vita scribit Anastasius Bibliothecarius. Sed postea vitandæ prolixitatis causa selecti sunt versiculi aliqui, qui ad excitandam devotionem viderentur aptiores: et Psalmi integri relictis sunt horis Canonicis. Deinde, Cœlestinus non fuit absolute primus, qui Psalmos ad sacrificium adhibuit, sed forte primus fuit, qui Romæ id observari voluit.

Nam alioqui Dionysius Areopagita cap. 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, meminit Psalmorum, qui ad initium Missæ canebantur: et S. Basilius in sua Liturgia circa initium jubet tres aut quatuor versiculos Psalmi decantari. Sed etiamsi, a Cœlestino hæc institutio ortum habuisset, reprehendi non posset, cum Introitus fere semper ex divina Scriptura sumatur, et ab universa Ecclesia iste usus ab annis amplius mille retentus sit.

## DE « GLORIA PATRI, ETC. »

Versiculus: « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto etc. » qui additur ad Introitum, putatur a nonnullis a S. Hieronymo compositus, rogatur Damasi Papæ: in qua opitione est Alcuinus, in lib. de officiis divinis: sed verius est, quod scribit Walfridus in lib. de observationibus Ecclesiasticis, cap. 25. compositum cum versiculum fuisse a Nicæno Concilio. Nam ante Hieronymi, et Damasi tempus fuisse usum in Ecclesia ca-

nendi eum versiculum ad finem Psalmorum, patet ex Theodoro, lib. 11. hist. cap. 24. et Sozomeno, lib. 111. cap. 19. qui scribunt Antiochiæ temporibus Constantii Imperatoris Catholicos, et Arianos in psalmorum fine discerni solitos, quod illi canerent: » Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, » isti autem: « Gloria Patri, per Filium in Spiritu sancto ». Basilius etiam de hoc versiculo, « Gloria Patri etc. » disputat in lib. de Spiritu sancto, cap. 28. Testatur quoque Concilium Vasense, quod ante annos 1100. celebratum est, can. 5. non solum Romæ, sed etiam in toto Oriente, et per Africam, post « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, » subjungi solitum: « Sicut erat in principio etc. » Porro epistolæ duæ, quæ circumferuntur de hac re, Damasi ad Hieronymum, et Hieronymi ad Damasum, supposititiæ, et ineptissimæ sunt, et ideo ad tomum IV merito relegatæ.

## DE « KYRIE ELEISON. »

Sequitur invocatio « Kyrie eleison », quam Græci Litaniam vocant, a verbo Græco *κτενεειν*, quod est, supplicare. Esse autem antiquissimam hanc Missæ partem, patet ex Liturgiis, Jacobi, Basili, et Chrysostomi. Describit etiam de hac supplicatione Basilius in epist. 63. quam scribit ad Neocæsarienses. Apud Latinos etiam antiquissima consuetudo est, eandem Litaniam Græcis vocibus canendi. Nam sanctus Gregorius, lib. VII. epist. 63. cum accusaretur, quod Kyrie eleison, et alia nonnulla ex Græcorum cæremoniis in Latinam Ecclesiam invexisset: respondit se cæremonias antiquas Ecclesiæ Romanæ conservare, vel renovare, non autem a Græcis accipere; id quod etiam ex eo probat, quod apud Græcos dicatur Kyrie eleison a populo, apud Latinos a Sacerdote; et quod Græci non interponant Christe eleison, ut Latini faciunt, sed simpliciter dicant, Kyrie eleison. Esse autem verissimum, quod sanctus Gregorius dicit, non a se introductam in Latinam Ecclesiam, hanc supplicandi formam, intelligi potest ex Concilio Vasensi, quod annis centum, et quinquaginta ante Gregorii ætatem celebratum est. Nam in eo Concilio can. 3. jubentur Sacerdotes in Galliis ad Missam dicere Kyrie eleison, et ratio redditur, quod in sede Apostolica, et per omnem Italianam supplicatio illa ad Missas diceretur. Sanctus etiam Augustinus in altercatione cum Pa-

scentio, quæ habetur inter epistolas numero 178. dicit ab omnibus Christianis Græcis, Latinis, Barbaris, supplicari Deo ut misceretur, lingua Græca.

DE « GLORIA IN EXCELSIS. »

De « Gloria in excelsis Deo, » qui Angelicus hymnus nominatur, tradunt fere omnes, institutionem esse sancti Telesphori Papæ, ut hic hymnus ad Missas dicatur. Ita Walfridus cap. 22. de observationibus Ecclesiasticis, et omnes alii. Et quidem quod attinet ad prima verba, ea in Evangelio habentur, Lucæ II. et recitantur etiam in antiquissima sancti Jacobi Liturgia: sed quis adjecerit cætera, non est usque adeo certum. Innocentius III. lib. II. de mysteriis Missæ cap. 20. scribit eam additionem a nonnullis tribui Telesphoro, sed a pluribus tamen tribui Hilario Pietaviensi: sed quicumque tandem auctor fuerit, nihil omnino offensionis habet, unde etiam Luthero placuit, ut patet ex ejus lib. de formula Missæ.

DE « DOMINUS VOBISCUM. »

Sequitur salutatio: « Dominus vobiscum », qua cæremonia utimur, quotiescumque populum excitamus, vel ad orandum, vel ad audiendum: unde præmittitur ante « Oremus » et ante Evangelium, et præfationem, et alia hujusmodi. Itaque est quædam religiosa excitatio, seu invitatio, et servit loco adverbii vocandi, quomodo religiosi olim, Augustino teste in Psalm. 32. cum alium vocarent, dicere solebant: « Deo gratias », quod etiam nunc a multis servatur: quomodo etiam sancta Paula ad virgines convocandas utebatur illa voce: « Alleluia », ut in ejus vita scribit sanctus Hieronymus: et nunc in Monasteriis virginum dicitur: « Ave Maria ». Porro hæc salutatio « Dominus vobiscum, » sumpta est ex more Hebræorum, qui salutantes dicebant, Dominus tecum, aut vobiscum, ut patet Judicum VI. Ruth. II. II Paral. XXVII. et Luc. I.

Scribit de hac salutatione integrum librum Petrus Damianus, qui inscribitur, De Dominus vobiscum, ubi probat debere dici etiam ab iis, qui recitant soli Horas Canonicas: ubi etiam monet in Missa ab Episcopis dici debere: « Pax vobis, » loco Dominus vobiscum, quia Dominus, Matth. X. docuit Apostolos, quibus Episcopi succedunt, ut pacem

annuntiarent cum ingrederentur aliquem locum. Et quamvis Concilium Bracarense I. can. 21 jubeat omnes tum Episcopos, tum Presbyteros in Missa eodem modo populum salutare; tamen servanda est ejusmodi Ecclesiarum consuetudo.

Esse autem antiquissimam cæremoniam in Missa, ut Sacerdos populum salutet, perspicuum est, non solum ex Concilio citato, quod ante annos 900. celebratum est, sed etiam ex vetustissimis Liturgiis, Jacobi, Basilii, Chrysostomi, et aliorum, in quibus passim legimus, aut « Pax vobis, » aut Dominus vobiscum, et ad utrumque respondetur: « Et cum spiritu tuo. »

DE COLLECTA.

Post salutationem dicitur Collecta, de qua tria dicenda sunt. Primo, de nomine. Secundo, de antiquitate. Tertio, de forma. De nomine multi multa non admodum probabiliter scripserunt: duæ sunt veriores opiniones. Una, quod Collecta dicatur, quia paucissimis verbis colligit quidquid pro toto populo a Deo postulandum est. Ita docent Strabo, cap. 22. et Micrologus, cap. 3. Altera opinio, quæ fortasse verior est, vult preces illas dici Collectas, per intellectionis figuram ab ipsa Missæ celebratione, quæ ab antiquis dicebatur Collecta, quia ad eam populus colligebatur: fuisse enim ab antiquis Missæ celebrationem appellatam Collectam patet ex illis verbis S. Augustini in breviculo collationis, collatione tertii diei: « Confitebantur se Collectam, et Dominicum egisse. » Exstant apud Surium in fine primi tomi acta Martyrum quorundam, et videntur esse illa, quæ Augustinus citat, in quibus frequentissime legimus, Collectam facere, seu celebrare, pro eo, quod est Missam celebrare. Hinc etiam Tertullianus in lib. de fuga in persecutione, extremo: « Quomodo colligemus, inquit, quomodo Dominica solemnia celebrabimus? » Hinc igitur oratio, quæ dicitur in Missa, Collecta dicta esse videtur, quia est finis; imo etiam principium, et medium totius illius actionis, quæ Collecta dicebatur. Orationes enim dicuntur eodem numero et ordine initio Missæ, in medio, et in fine: qua etiam ratione aliquando eadem Collectæ, dicuntur Missæ, quia sunt pars quædam, eaque non minima Missæ. Hæc de nomine.

Porro antiquitas inde cognosci potest,

quod usus semper fuit in Ecclesia, ut numquam Christiani congregarentur, quin finis esset oratio, ut patet ex Justino Apologia 2. extrema, et Tertulliano in Apologetico cap. 39. imo et Apóstolo hoc præcipiente I Tim. II. Collectæ autem nostri Missalis, quæ sane pulcherrimæ sunt, ab antiquis Pontificibus compositæ, et a S. Gregorio in unum congregatæ creduntur, ut Walfridus Strabò significat cap. 22.

Quod ad formam attinet, præscribitur in Concilio III. Carthaginensi, cap. 23. ut oratio, quæ in Missa dicitur, dirigatur ad Patrem, nec tamen inde sequitur, Filium, et Spiritum sanctum non esse invocandos, vel in Missa non invocari. Nam ut Tertullianus in lib. de orat. recte docet, propter essentiæ unitatem, semper in Patre intelliguntur Filius, et Spiritus sanctus. Idem videmus in oblatione sacrificii, quæ proprie ad Patrem dirigitur, ut patet ex illo initio Canonis: « Te igitur, elementissime Pater, per Jesum Christum », et tamen sacrificium toti Trinitati offertur, ut probat S. Fulgentius lib. II. ad Monimum cap. 2. 3. 4. et 5. imo ex conclusione Collectæ aperte colligitur, cum Patre simul invocari Filium, et Spiritum sanctum: dum enim dicimus Filium, et Spiritum sanctum cum Patre vivere et regnare per omnia sæcula sæculorum; simul indicamus nos cum Patre Filium et Spiritum sanctum invocare.

Cur autem Collectæ ordinariæ dirigantur ad Patrem, non ad Trinitatem, duæ sunt causæ. Una, quia Dominus ita docuit nos orare Matth. VI: *Pater noster qui es in cœlis*, et Joan. XVI: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo*. Altera, quia debet semper oratio concludi per Christum, cum sit ille advocatus noster, per quem omnia petimus. Incommodum autem fuisset dirigere orationem ad Trinitatem, et concludere: « Per Filium tuum, etc. » videremur enim eo modo facere Christum Filium Trinitatis; quod si ommissa voce Filii, diceremus: « Per Christum Dominum nostrum, » videremur dividere Christi personas, nam unam includeremus in Trinitate, quam invocamus, alteram excluderemus, per quam invocamus. Tolluntur autem omnia incommoda, cum diriguntur ad unam personam: et quia persona Patris est prima, et ab illa cæteræ originem ducunt; visum est optimum, ut quando ad u-

nam personam dirigendæ erant, ad Patrem dirigerentur. Sunt tamen quædam Collectæ, quæ diriguntur ad Filium, et concluduntur: « Qui vivis et regnas etc. » Sed hæ paucæ sunt, et fortasse non tam antiquæ, quam aliæ; fortasse etiam dedita opera voluit Ecclesia aliquas Collectas dirigi ad Filium, ne homines crederent, non posse disertis verbis invocari nisi Patrem.

Finita oratione, respondetur, Amen, quod significat, vere, seu fideliter: a verbo Hæbræo אָמֵן, quod in Hiphil significat credere, et in Niphal, stabilem esse. Græci veteres solent γεινοῦτο, fiat: optat enim qui id respondet, vere et fideliter ita fieri, ut in oratione postulatur. Esse autem usum antiquissimum respondendi « Amen, » patet ex Apostolo I Corinth. XIV: *Qui supplet locum idiotæ quomodo respondebit, Amen?* (2) Idem patet ex Justino in 2. Apologia extrema. Hieronymo in Prologo lib. II. in epistola ad Galatas: et Augustino in epistola 107. ad Vitalem.

## DE EPISTOLA.

Post Collectam sequitur lectio ex Propheta, vel Apostolo: quem morem antiquissimum esse, patet ex Justino Apologia 2. citata, ubi dicit, in Synaxi lectiones ex Prophetis, et Apostolis legi consuevisse. Idem patet ex Tertulliano in Apologetico cap. 39. ex Dionysio, cap. 3. de Ecclesiast. hierarch. Videtur autem hic mos ab Hæbræis acceptus, apud quos per omne Sabbatum, adhuc hodie leguntur in Synagogis lectiones ex Prophetis. Vide Luc. 4. Actor. 13. 15. 17. et 18.

DE GRADUALI, ALLELUIA, TRACTU,  
PROSA.

Lectio finita, leguntur aliquot versiculi, qui ut plurimum ex Scripturis sumuntur. Et quidem in Græcorum Ecclesia, antiquissima consuetudo est aliquid interserendi inter Epistolam, et Evangelium, ut patet ex Liturgia Chrysostomi: apud Latinos non videtur usque adeo antiqua universalis consuetudo. Nam in Concilio Toletano IV. celebrato ante annos 900. canon. II. prohibentur Laudes post Epistolam, tamen postea Romana consuetudo interserendi Gradualia, et alia ejusmodi, paulatim omnibus placuit, et

(1) Matth. VI, 9; Joan. XVI 23. — (2) I Corinth. XVI, 16.

ubique recepta ; et approbata fuit, ut scribit Walfridus cap. 22.

Sunt autem quatuor genera horum versiculorum : nam alii dicuntur Responsorium seu Graduale, alii Alleluia, alii Tractus, alii Sequentia, seu Prosa. Responsorium dicitur, quia uno incipiente alii respondent, ut scribit Rabanus lib. II. de Institut. Clericorum cap. 51.

Cur autem Graduale dicatur, non eodem modo ab omnibus traditur : vera ratio esse videtur, quam tradit B. Rhenanus in annotationibus ad librum Tertulliani de Corona militis, quod scilicet dicatur Graduale, quia canebatur dum Diaconus gradus ascenderet ad Evangelium decantandum. Ex quo etiam intelligi potest, cur ejusmodi versiculi decantentur, nimirum ne otiose transigeretur tempus illud, quod necessario interponendum erat inter Epistolam, et Evangelium, dum se Diaconus ad illud cantandum præparabat. Fuisse autem morem Ecclesie, ut Evangelium ex loco altiore caneretur, quod etiam nunc in multis loci observatur, perspicuum est ex illis verbis Ordinis Romani : « Cum ascendit Diaconus ad legendum Evangelium, solus ascendit ultimum gradum. » Et Cypriano lib. II. epist. 5. ubi de Aurelio Confessore, quem ad legendum in Ecclesia Evangelium ordinaverat, dicit eum ad pulpitem post catastam venire. Denique in antiquis Ecclesiis ubique inveniuntur lapidea pulpita in usum Evangelii legendi instituta : quæ a Micrologo cap. 9. et ab aliis dicuntur Ambones, Græco vocabulo ; nam ab ἀμβάινω, ascendo, fit ἀμβών, quod in Concilio Laodicensi cap. 15. Latinus interpres vertit, pulpitem.

Porro Alleluia, quod significat, Laudate Dominum, canitur post Graduale, teste Walfrido cap. 22. et ejus loco in diebus jejuniorum dici solet Tractus, qui sunt alii versiculi ex Scripturis desumpti ; dicuntur autem hi versiculi Tractus, quia graviter, et tractim cani debent in signum mœstitiæ, ut placet Durando. Denique in festis sollemnissimis, ut in Paschate, et Pentecoste addi solet Sequentia, seu Prosa, qui sunt versus quidam rhythmici.

Nilil horum a Luthero reprehenditur, nisi quod non dicamus semper Alleluia : quocirca statuit ipse in formula Missæ ; ut etiam in Quadragesima, et in ipsa Hebdomada sancta

decantetur Alleluia. Sed recedit in hac re omnino temere ab usu antiquitatis. Nam in primis in Concilio Toletano IV. can. 10. expresse cavetur, ne in Quadragesima cantetur Alleluia. Augustinus in epistol. 119. cap. 15. dicit, usum fuisse celeberrimum, ut solum a Paschate, usque ad Pentecosten quotidie, et in Dominicis diebus caneretur Alleluia, in signum lætitiæ, ob Christi resurrectionem. Et S. Gregorius aliquando reprehensus fuit, quod extra tempus Pentecostes ad Missas cani juberet Alleluia ; nimirum in omnibus festis ; exceptis iis, quæ incidunt inter Septuagesimam, et Pascha ; quibus ipse respondet, usum istum non a se incipere, sed introductum tempore Damasi, auctore S. Hieronymo. Vide lib. VII. epist. 63. ad Joann. Syracusanum Episcopum. Esse autem canticum lætitiæ Alleluia, et merito intermitteri in diebus pœnitentiæ et luctus, patet ex Scriptura divina. Nam Tobie 13. ubi describitur gloria cœlestis Hierusalem, inter alia legimus : *Et per vicus ejus Alleluia cantabitur* (1). Et Apocalyp. XIX. describitur lætitia Sanctorum, quæ erit in cœlo post diem Judicii : *Et audivi, inquit, quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium, Alleluia, gaudeamus, et exultemus etc.* (2)

Unum hic addi potest ex Ruperto lib. I. de divinis officiis cap. 34. Graduale, esse versiculos ad pœnitentiam pertinentes : et ideo tempore Paschali omitti, et ejus loco duplicari Alleluia, quia totum illud tempus remissionis, et lætitiæ est : sicut e contrario a Septuagesima usque ad Pascha omitti Alleluia, et duplicari ea, quæ ad luctum, et pœnitentiam pertinent.

Sequitur deinde lectio Evangelica, quam antiquissimam esse constat, non solum ex omnibus Liturgiis, sed etiam ex Concilio Laodicensi cap. 16. Carthagineensi IV. can. 84. et Valentino can. 2. Item ex Patribus, Chrysostomo hom. 6. de pœnitentia, et hom. 3. in posteriorem ad Thessalonicenses, Augustino præfat. in epist. Joan. ubi meminit certarum lectionum ex Evangelio, quæ pro festorum diversitate legebantur, Hieronymo in epistola ad Sabinianum Diaconum, ac demum ex epist. decretali Anastasii Papæ I. ubi jubentur omnes stantes Evangelium audire, ob reverentiam Domini loquentis. Quam ceremoniam non ipse primus instituit, ut multi

(1) Tob. XIII, 22. — (2) Apocal. XIX, 6, 7.

putant, sed confirmavit, et observari mandavit, etiam in his locis, ubi non servabatur. Clemens enim lib. II. constitut. cap. 57. alias 61. dicit, Apostolos hoc præcepisse, ut omnes cum clericis, tum laici assurgant, cum legitur Evangelium.

Porro caeremoniæ petendæ benedictionis ante Evangelium, et excitatio populi, per illa verba : « Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum » ; et responsio : « Gloria tibi Domine, » habentur etiam in Missa S. Joannis Chrysostomi ; et apud Amalarium lib. de officio Missæ cap. 18. et Alcuinum in lib. de officiis divinis.

## DE SYMBOLO.

Symbolum recte post Evangelium pronuntiatur, quia fides ex auditu verbi Dei sequitur. Usus autem Symbolum Constantinopolitanum in Missa canendi, apud Orientales antiquior est, quam apud Occidentales : nam in Missa Chrysostomi expresse habetur, et idem ex Concilio III. Toletano colligitur, quod tamen Concilium ante annos circiter 1000. celebratum est ; in eo enim Concilio can. 2. statuitur, ut juxta morem Orientalium Symbolum dicatur ad Missam singulis Dominicis diebus. Scribit etiam Walfridus Strabo cap. 22. apud Germanos, et Gallos, usum Symboli ad Missas recitandi, tempore Caroli Magni potissimum invaluisse, occasione Felicis Urgelitani Episcopi, qui eo tempore hæreseos damnatus fuerat.

## CAPUT XVII.

*De Offertorio, et Prefatione.*

## DE OFFERTORIO.

Offertorium ordine sequitur quod ex Scripturis perpetuo sumitur, et inde nomen accepit, quod caneretur dum populus offerebat, ut Walfridus tradit cap. 22. et Micrologus cap. 10. Quinque autem illæ orationes : « Suscipe sancte Pater : Offerimus tibi Domine : Veni sanctificator : In spiritu humilitatis, et : Suscipe sancta Trinitas ; » Neque antiquæ admodum sunt, neque in Romana Ecclesia ante quingentos annos legebantur,

scribit enim Micrologus cap. 11 illas preces : « Veni sanctificator », et : « Suscipe sancta Trinitas, » juxta ordinem Gallicanum recitari, sed in Ordine Romano nullas orationes esse institutas inter Offertorium, et Secretas. Unde etiam Walfridus, Amalarius, Rupertus, Alcuinus, imo etiam Innocentius III. et alii veteres, non meminerunt illarum orationum, sed transeunt ab Offertorio ad Secretas : Quia tamen nihil continent, quod offendant, paulatim ab omnibus receptæ sunt.

Sed objectiunculæ quædam solvendæ sunt, quas Georgius Major in preces illas evomuit. Primo objicit, cur dicatur calix salutaris, in quo nihil est nisi vinum. Respondeo : non vocamus calicem salutarem, sed calicem salutaris ; est autem calix ille vini, calix salutaris, id est, Christi, quia Christus Salvator eum calicem offerendum et consecrandum instituit. Præterea possemus etiam recte vocare calicem salutarem, calicem illum vini, tum quia salutem est allaturus post consecrationem, tum quia ipsum etiam vinum significando, et repræsentando salutem affert, quomodo verba Dei dicuntur salutaria, quia salvant significando et fidem excitando.

Secundo objicit, cur Sacerdos oret pro calice, et non potius pro se ? Respondeo : Non orat Sacerdos pro calice, sed pro se et universo mundo, cum petit, ut oblatio illa ascendat ad Deum cum odore suavitatis. Nam statim addit : « Pro nostra, et totius mundi salute. » Et etiamsi hoc non exprimeretur, per se posset intelligi : nam oblationem acceptari a Deo, non est utile oblationi, sed nobis.

Tertio objicit, cur in illa oratione : « In spiritu humilitatis », petat Sacerdos, ut oblatio placeat, postquam illam obtulit : id enim signum est, eum dubitare an placeat, et proinde peccasse, offerendo sine fide. Respondeo : Non dubitat Sacerdos, quin placeat Deo sacrificium Missæ ex se, sive ex Christi instituto, et ideo certissima fide offert sacrificium Deo gratissimum, sed dubitat de propria dispositione, et ideo petit sibi spiritum humilitatis, et contritionis, ut sacrificium inchoatum ita peragat, ut etiam ex parte sua Deo placeat : neque peccat offerendo sine certa fide proprie dignitatis, quia non tenetur habere istam certitudinem, sed solum tenetur non habere conscientiam peccati, dicente Paulo : *Probet seipsum homo etc.* (1).

(1) I Corinth. XI, 18.

Quarto objicit, cur dicatur in illa oratione : « Veni sanctificator etc. » sacrificium præparari cum jam ante sit oblatum. Respondeo : Illa prior oblatio, præparatio fuit ad posteriorem oblationem, in qua proprie sacrificium consistit, proinde recte dicitur præparatum sacrificium, quando materia sacrandæ Deo, per quamdam oblationem est dedicata.

## DE PRÆFATIONE.

Offertorio finito, et materia sacrificii præparata, lotisque manibus, et oblatione Deo commendata per secretas Collectas, dicitur Præfatio, quæ quidem hoc nomine appellatur, quia est præparatio, et excitatio populi ad illam actionem, in qua proprie sacrificium consistit. Ac primum illa verba : « Per omnia sæcula sæculorum, » pertinent ad superiores orationes silentio recitatas, sed dicitur alta voce ista conclusio, ut populus respondere possit, « Amen » ; et ea voce confirmet superiores orationes, ita scribit Micrologus, cap. 7.

Deinde incipit Præfatio per illud : « Dominus vobiscum, » et usque ad ea verba : « Vere dignum, et justum est, » habetur in antiquissimis auctoribus Græcis, et Latinis. Nam ut omittam Liturgias, in quarum nulla deest hæc præfatio, meminerunt horum verborum Clemens lib. viii. constit. cap. 16. Cyprianus in serm. 6. de orat. Dominica. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogica. Chrysostomus passim, ut hom. de Eucharistia : « Quid facis, o homo, non promisisti Sacerdoti, qui dixit, Sursum corda, et dixisti, Habemus ad Dominum ? » Vide etiam homil. 4. de natura Dei, et Augustinus non minus frequenter, ut in epistola 57. ad Dardanum, et 120. ad Honoratum, et 156. ad Probam, lib. de spiritu, et littera, cap. 11. lib. ii. de bono perseverantiæ cap. 13.

Reliqua verba, usque ad illum versum : « Sanctus, Sanctus etc. » non sunt eadem in Græcis, et Latinis Liturgiis : tamen quæ in nostra, id est, Romanæ Ecclesiæ Liturgia habentur, certum est antiquissima esse. Nam ante annos 1000. Pelagius II. Papa interrogatus ab Episcopis Germaniæ, et Galliæ, quænam essent, et quot authenticæ Præfationes, respondit esse novem. Primam, de Natali Domini. Secundam, de Epiphania. Tertiam, de Quadragesima. Quartam, de Cruce. Quintam, de Pascha. Sextam, de As-

ensione. Septimam, de Pentecoste. Octavam, de Trinitate. Nonam, de Apostolis. Vide epistolam Pelagii, et Gratianum can. Inveninus, de consecrat. dist. 1. Decimam Præfationem, quæ est de S. Maria, addidit Urbanus II. in Concilio Placentino circa annum Domini 1080. teste Gratiano, cau. Sanctorum, dist. 70.

## SANCTUS, SANCTUS, ETC.

Finita Præfatione dicitur Canticum : « Sanctus, Sanctus etc. » quod quidem partim desumptum est ex hymno Angelorum, quem Isaias cap. vi. audivisse se narrat : partim ex cantico Hebræorum, quod Christo cecinerunt, cum in die Palmarum intraret in Hierusalem, Matth. 21. et habetur in antiquis Liturgiis, Jacobi, Basilii, et Chrysostomi : et de eo exstat peculiaris Canon in Concilio Vasensi, can. 4 alias cau. 6.

## CAPUT XVIII.

*De nomine Canonis.*

Nunc ad sacrum Canonem a morsibus impiorum Lutheranorum defendendum aggredimur : quem quidem ut summa veneratione semper Catholici retinuerunt, ita incredibili furori hæretici hujus temporis lacerant.

Lutherus in lib. de abrog. Missa, ut se ex malitia, non ex ignorantia peccare ostenderet, ita loquitur : « Et quamquam habeam, quod pro sano sensu Canonis dicere possim, ut alias feci, tamen nunc non dignabor eum tali honore, » et ibidem multa scommata, et jocos plane impios, et blasphemos jactat in sacrum illud mysterium. Sed longe adhuc furiosius agit in lib. de abominatione Canonis, ubi ita rem amplificat, ut velit homines audito nomine Canonis signare se cruce, et fugere, ac si illis diabolus occurrisset.

Martinus Kemnitus in. 2. par. Exam. pag. 825. et sequentibus, de Canone disputat, ac quatuor sunt, quæ præcipue reprehendit. Primo, quod ritum illum celebrandæ Missæ Canonem esse velimus, id est, regulam fixam, et stabilem : vellet enim ipse, liberum esse debere uti his, aut illis precibus. Secundo, quod auctorem Canonis Tridenti-

num Concilium faciat partim Christum, partim Apostolos, partim antiquos Romanos Pontifices : ipse autem probat auctorem fuisse quemdam Scholasticum, teste S. Gregorio. Tertio, quod antiquum esse affirmemus : « Fumi, inquit, et nugæ sunt, quod de antiquitate Canonis fabulantur. » Quarto, quod nullum errorem in toto Canone inveniri pronuntiemus : enumerat autem ipse errores septemdecim.

Scripsit etiam multa contra Canonem Missæ Georgius Major, Zwinglius, Illyricus, et alii. Nos igitur primo, de nomine Canonis. Tum de auctore. Deinde, de antiquitate. Postremo, de veritate ejusdem, et singularum ejus partium disseremus.

Quod ad primum attinet, exstat hoc nomen in hac significatione apud S. Gregorium lib. VII. epist. 63. ubi rationem reddit, cur post Canonem recitari voluerit orationem Dominicam. Apud Ambrosium, seu quicumque fuit auctor in comment. cap. II. epist. prioris ad Timotheum, vocatur regula Ecclesiastica, qua omnes Sacerdotes utuntur apud Optatum Milevitanum Ambrosii æqualem lib. II. contra Parmenianum, vocatur Legitimum : « Nam quis dubitat, inquit, vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ una est etc. » Ubi legitimum vocat statum, et certum ordinem precum, quibus in consecranda Eucharistia utimur, in cujus ordinis initio offerre nos dicimus pro Ecclesia, Isidorus lib. I. de officiis divinis cap. 15. vocat Ordinem precum, quo oblata Deo sacrificia consecrantur. Walfridus cap. 22. vocat tum Actionem, tum Canonem, quibus duabus vocibus omnes posteriores utuntur : dicitur autem Actio illa pars Missæ, quia in ea celebratur actio sacrificii; cætera enim verba sunt potius, quam actiones. Porro hæc nomina, Canon, Regula, Legitimum, Ordo, satis aperte indicant, apud veteres ordinem celebrandi non fuisse arbitrarium, ut Kemnitius vellet, sed ab Ecclesia ita præscriptum, ut qui secus facerent, plane prævaricari legem judicaretur.

Sed objicit Kemnitius pag. 835. duo argumenta. Unum ex Concilio Africano. can. 70. et Milevitano, can. 12. ubi præscribitur, ut in Missa non dicantur preces, nisi quæ prius sint cum prudentioribus viris collatæ, aut a Synodo approbatæ, ne forte aliquid contra fidem contineant : hinc enim colligitur, non

fuisse antiquo tempore præscriptum certum Canonem orationum, qui omnes obligaret, sed permissum fuisse, ut quisque componeret preces, modo eæ analogæ essent fidei. Alterum argumentum sumit ex diversitate Liturgiæ, Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, Gregorii, Isidori.

Sed hæc argumenta nihil concludunt. Nam in primis Canones Conciliorum citatorum non loquuntur de Canone Missæ; sed de Collectis, quæ semper fuerunt multiplices et variæ. De Canone enim Missæ jam audivimus Optatum Episcopum Milevitanum dicentem, legitimum esse, et prætermitti non posse.

Neque negamus verba Canonis diversa fuisse, et etiam hodie esse apud Græcos, et apud quasdam Latinorum Ecclesias; neque cogit Romana Ecclesia, ut Kemnitius mentitur pagina 836. ut omnes Canonem Missæ Romanæ tanquam necessarium omnino ad Eucharistiam consecrandam servant : Nam et in ipsa Urbe Roma, et alibi per Italiam, videmus Romano Pontifice consentiente, a Græcis retineri Liturgiæ Basilii, vel Chrysostomi, et Mediolani, Ambrosianam, et Tolleti in Hispania, quam dicunt, Mozarabam.

Sed quod asserimus, est, ordinem sacrificii celebrandi rectissime Canonem nominari, quod debeat esse certus, et ab iis præscriptus, qui legitime in Ecclesia præsent, non autem in arbitrio cujusvis positus. Quocirca merito reprehendimus, Lutherum et Calvinum, et similes, qui propria auctoritate, cum revera privati homines essent, ausi sunt mutare ordinem a summis Pontificibus institutum, et in Ecclesiis Germaniæ, et Galliæ ab annis, ut minimum 800. conservatum.

## CAPUT XIX.

### *De Auctore Canonis.*

Jam vero, quod attinet ad auctorem, non est unius auctoris totus Canon Missæ Romanæ, sed ut Concilium Træidentinum recte docet, session. 22. cap. 4. partim constat verbis Domini, partim Apostolica traditione, partim sanctorum Pontificum institutione.

Primus quidem, qui formam aliquam sacrificii celebrandi, adjunctis nimirum ad verba Domini certis precibus, et ritibus, Romanæ Ecclesiæ dedit, S. Petrus fuit, ut Isi-

dorus testatur lib. 1. de officiis cap. 15. sed postea tamen diversi Pontifices preces diversas addiderunt, usque ad Gregorium I. qui fuit ultimus eorum, qui ad Canonem aliquid adjunxerunt, ut ex Walfrido colligi potest, lib. de observationibus Ecclesiasticis cap. 22.

Ubi illud etiam est observandum, quod licet quaedam Liturgia dicatur Basili, alia Chrysostomi, alia Ambrosii, alia Gelasii, seu Gregorii, nostra videlicet Romana, alia Isidori: non tamen isti auctores Liturgiam de integro composuerunt, sed solum eam, quae suo tempore erat in usu, ad meliorem formam redegerunt, vel detrahendo, si quid irrepererat minus conveniens, vel addendo aliquid pro temporum varietate, vel denique ob tedium vitandum aliquid inde subtrahendo, sic tamen, ut substantiales partes Liturgiae ab Apostolis institutae, integre permanerent. Nam S. Gregorius Gelasianum codicem coarctavit; ut scribit Joannes Diaconus, lib. II. vitae Gregorii cap. 47. et ipse epist. 73. lib. VII. asserit, se restituisse in Missa antiquas consuetudines, et sustulisse quaedam, quae postea irrepererant: itaque fuit auctor non institutionis, sed reformationis Liturgiae. Gregorius item VII. iterum emendavit officium Ecclesiasticum, sed (ut ipse testatur, canone In die, de consecrat. distinct. 5.) non novum instituit, sed antiquum reduxit: quod nostris diebus fecit etiam Pius V. tum in Breviario, tum in Missali restituendo, unde dicitur Missale Pii V. seu Missale novum, cum tamen non sit absolute novum, sed antiqui emendatio, et restitutio.

Sed in his quae diximus de auctore, Kennitius primo reprehendit, quod habeamus Canonem ab auctoribus multis compositum.

At inanis est ista reprehensio. Nam etiam Symbolum Apostolicum est una simplex fidei confessio, et tamen composita est a duodecim Apostolis, singulis sententiam suam adjicientibus, ut S. Leo scribit in epist. 13. ad Pulcheriam, et ante Leonem Ruffinus in explicatione Symboli, et Augustinus sermon. 115. de tempore. Et deinde idem Symbolum auctum, siye explicatum fuit in Concilio Nicæno, et Constantinopolitano, unde tandem prodiit, symbolum illud plenius, quod proprie Constantinopolitanum vocatur. Liber item Psalmorum multos auctores habet, si sancto Hieronymo credimus, in epi-

stol. ad Sophronium, et in alia ad Cyprianum, cum tamen unicus liber censeatur. Denique id est maxime admirandum, et commendandum, quod Canon Missae sit multorum auctorum, et tamen ita apte partes omnes inter se jungantur, et cohaereant, ut unius auctoris videatur.

Secundo objicit Kennitius S. Gregorii testimonium lib. VII. epist. 63. ubi duo quaedam scribit sententiae nostrae, ut apparet, contraria. Unum est, Apostolos ad solam Dominicam orationem Eucharistiam consecrare solitos; ex quo refelli videtur, id quod nos diximus, auctorem nostri Canonis fuisse Beatum Petrum, et multa in Canone haberi ex Apostolica traditione. Alterum est, Canonem compositum a Scholastico quodam: Scholasticum autem esse nomen proprium alicujus hominis, probat Kennitius ex eodem Gregorio lib. II. epist. 54. et lib. IX. epistola 14. Quod si Scholasticus auctor Canonis fuit, non igitur verum est, quod nos cum Tridentino Concilio diximus, Canonem partim a Christo, et Apostolis, partim a sanctis Pontificibus compositum fuisse: nullus enim Apostolus, aut Pontifex fuit, qui proprio nomine Scholasticus diceretur.

Hoc argumentum pene totum accepit Kennitius ex Beato Rhenano in annotationibus ad librum Tertulliani de Corona militis: sed non erit difficile respondere. Ac primum non desunt, qui negent Apostolos unquam ad solam Dominicam orationem Eucharistiae mysterium celebrasse. Videtur enim Gregorius id accepisse ex Hieronymo in lib. contra Pelagianos: sed Hieronymus dicit, Apostolos Dominico praeepto ad celebrationem Eucharistiae adhibuisse orationem Dominicam, non autem dicit solam Dominicam orationem adhibuisse.

Sed quidquid de hoc sit (non enim facile repudiandum est, quod S. Gregorius scripsit, neque est verisimile tantum virum non animadvertisse, quid Hieronymus ante scripserit) respondeo, quod non semel supra docuimus, Apostolos initio solam Dominicam orationem ad verba consecrationis in mysterio Eucharistiae addere solitos, tamen postea eosdem Apostolos multa alia adjunxisse: nam certe orationem pro defunctis in sacrificio Missae ex Apostolica traditione descendere, constanter docet S. Joannes Chrysostomus, homil. 3. in epist. ad Philippenses, et alibi.

Quod autem de Scholastico Gregorius



scribit contra sententiam nostram non pugnat. Nam in primis non constat, Scholasticum eo loco esse nomen proprium : non enim quia tempore Gregorii aliqui nomine proprio dicebantur Scholastici, ideo ubicumque invenitur hoc nomen, ita accipiendum est, ac si alicui esset proprium; quin potius longe probabilius est, per Scholasticum eo loco intelligi virum insignem eruditione, et eloquentia. Sic Hieronymus lib. de Scriptoribus in Serapione, scribit, Serapionem virum doctissimum, ob ingenii elegantiam, Scholastici cognomen adeptum. Sanctus Gregorius lib. x. epist. 2 vocat Matthæum Scholasticum virum clarissimum : et Gennadius in Catalogo scriptorum vocat Prosperum sermone Scholasticum, id est, eloquentia eruditione præstantem : et Honorius in Catalogo Scriptorum, vocat Alcuinum officio Scholasticum. In eodem sensu accipit Scholasticum in tractatu super Psalmum XLIV, sanctus Augustinus. Tales erant presbyteri quidem doctissimi, qui præficiebantur olim scholæ Christianæ, ad eos erudiendos, qui ex Judæis, aut Gentibus ad Ecclesiam veniebant : quales fuerunt Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, et alii. Denique adhuc hodie in quibusdam Ecclesiis, et nomen, et dignitas Scholastici perseverat, licet ipsa functio pene cessaverit.

Jam igitur si apud Gregorium accipiatur Scholastici nomen pro homine doctissimo in universum, admittere possumus, totum Canonem, exceptis verbis Domini, a Scholastico compositum, quia nimirum et S. Petrus, et cæteri sancti Pontifices Scholastici dici possunt. Neque hoc est alienum a sententia S. Gregorii : ille enim non loquitur de Scholastico per contemptum, sed eum opponit Christo, ut hominem Deo, ac si diceret : Si oratio ab homine composita super oblationem recitatur, quanto magis recitari debet oratio composita ab ipso Deo?

Si vero Gregorius per Scholasticum intelligat certum aliquem hominem, qui ætate ipsius vixerit, ut adversarii, contendunt, tum respondere cogimur, S. Gregorium non loqui de Canone, cum dicit, precem Scholastici recitari super oblationem, sed de aliqua alia prece extraordinaria, quales sunt tres illæ, quæ dicuntur ante Communionem, post « Agnus Dei », quæ ut scribit Micrologus, cap. 18, non sunt de Canone, neque ex ordinario præscribuntur; sed ex consuetudine religiosorum recitantur. Id autem ita

esse, certum est, quia orationes quæ sunt in Canone, inveniuntur magna ex parte apud Ambrosium, ut paulo post demonstrabimus, et proinde non potest fieri, ut compositæ fuerint tempore Gregorii, qui ducentis annis Ambrosio posterior fuit.

Neque hæc explicatio abhorret a verbis S. Gregorii : nam ille scribit se accusatum fuisse, quod jussisset orationem Dominicam recitari mox post Canonem; et respondet id se fecisse, quia indignum existimabat orationem a Scholastico compositam super oblationem dici, et ipsam Christi orationem super corpus ejus non dici : quibus verbis indicat Gregorius se non agere de Canone, sed de orationibus, quæ dicebantur post Canonem. Et quidem ante ipsius tempora post Canonem ante Communionem videtur in usu fuisse, ut diceretur aliqua oratio a Scholastico composita : oratio autem Dominica vel diceretur post Communionem, oblatione consumpta, vel non diceretur. Sed Gregorius hunc ordinem mutavit, et voluit, ut oratio Dominica diceretur mox post Canonem, adhuc in altari corpore Domini præsentem, oratio autem Scholastici sequeretur. Ex his duabus sententiis utraque probabilis est, et neutra contra nos facit.

## CAPUT XX.

### *De antiquitate Canonis.*

Superest nunc, ut de antiquitate dicamus. Ac primum, ridenda videtur Kemnitii levitas, qui pag. 828, nugas, et fumos esse dicit, quod Concilium scripserat, Canonem Missæ multis ante sæculis institutum, et tamen pag. 826. idem Kemnitius affirmaret Canonem absolutum intra primos sexcentos a Christo nato annos et pagina 827. scribit, Canonis auctorem vixisse circa annum Domini 590. quod etiam repetit pag. 828. ubi ultimum auctorem Canonis facit Gregorium anno 590. Nam si Canon anno Domini 590. absolutus est, quis non videt eum ante decem propemodum sæcula institutum, et proinde verum esse, quod ait Concilium, et Kemnitium sibi ipsum esse contrarium in eadem pagina? Deinde quærendum esset ab istis, qui negant, Canonem nostrum esse antiquum, ut ipsi sui Canonis vetustatem ostenderent : quale enim est, ut ii Canonem

nostrum tanquam novitium contemnant, quem ante annos prope mille editum esse fatentur; cum ipsi Canonem habeant, si tamen Canon dici meretur, hoc ipso nostro sæculo editum?

Sed his omissis, veram antiquitatem nostri Canonis ostendamus. Primum igitur illud constat, Canonem nostrum integrum, ut eum nunc in Missalibus habemus, fuisse in usu Ecclesiæ ante annum Domini 800. Nam extat in Ordine Romano, non procul ab initio, quem Ordinem citant Alcuinus, et Amalarius, qui tempore Caroli Magni vixerunt, Deinde Alcuinus in lib. de officiis Ecclesiasticis, cap. de celebratione Missæ, totum Canonem verbatim exponit: ac deinceps ab omnibus aliis posterioribus idem omnino Canon exponitur, ut ab Amalario, Hugone, Ruperto, Innocentio, et cæteris. Porro Ordo Romanus non instituit Canonem; sed refert, ut rem usitatam et celebrem in Ecclesia. Quare necesse est Canonem esse adhuc antiquiorem, quam sit Ordo Romanus.

Quamvis autem non exstet fortasse alius liber Ordine Romano antiquior, ubi totus Canon habeatur, tamen exstant libri multo antiquiores, ubi habentur partes Canonis, ex quibus conjectura fieri potest de reliquis.

Ac primum apud Ambrosium, lib. iv. de Sacrament. cap. 5. et 6. habetur verbis parum mutatis illa pars Canonis: « Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam etc. » Et illa: « Qui pridie, quam pateretur etc. » Et illa: « Unde et memores etc. » Et illa: « Supra quæ propitio etc. » Quæ sunt quatuor partes potissimæ totus Canonis: duæ enim proxime præcedunt, duæ proxime sequuntur consecrationem. Et quoniam S. Ambrosius non primus instituit has partes Canonis, sed eas allegat ex antiquo ritu Ecclesiæ ad confirmandum id, quod eo loco tractabat de veritate corporis Domini in Eucharistia: sequitur necessario, ut earum institutio Ambrosii ætatem præcesserit, proinde ante 400. annos in usu fuerit. Idem Ambros. lib. iv. de Sacramentis, cap. 4. aperte meminit primæ orationis Canonis, ubi oratur pro Ecclesia, et pro rege, licet ipsa verba non ponat: ejusdem etiam meminit Optatus, lib. ii. contra Parmenianum, ubi dicit, Legitimum esse, ut offeratur pro Ecclesia Catholica. Illius autem orationis, ubi nominantur et invocantur Sancti, et illius, ubi oratur pro

defunctis, meminit Augustinus tract. 84. in Joannem; imo earum orationum mentionem faciunt plurimi Patres, quos supra in propriis locis adduximus. Itaque totus Canon partim quoad sententiam, partim etiam quoad verba, invenitur in auctoribus, qui ante 400. vel 4200. annos floruerunt.

His accedunt aliquot conjecturæ insignes ad probandam Canonis antiquitatem. Prima conjectura est, quia in toto Canone nulla fit mentio Confessorum, aut Virginum non Martyrum, sed Martyrum tantum, seu virorum, seu foeminarum: quod etiam notavit Augustinus, lib. de sancta Virginitate, cap. 45. Hujus autem rei causa nulla est alia, nisi quam reddit Innocentius, lib. iii. cap. 10. de mysteriis Missæ, quia videlicet eo tempore Canon compositus est, quo nundum cœperant publice coli in Ecclesia sancti Confessores. Siquidem certum est, Martyres cœpisse publice invocari, et eorum nominibus dies festos coli, et Basilicas erigi, ab initio plane Ecclesiæ: Confessores autem multo serius hunc honorem in Ecclesia meruisse. Constat autem ex Concilio Moguntino, sub Carolo Magno celebrato, can. 36. festa Confessorum jam in usu fuisse anno 800. Siquidem in Catalogo festorum dierum ponuntur dies festi S. Martini, et S. Remigii: igitur ante annum Domini 800. Canonem compositum fuisse necesse esse.

Secunda conjectura est, quia veteres diligenter annotarunt pauca quædam verba, quæ aliqui Pontifices ad Canonem addiderunt. In vita Leonis I. scribit auctor Pontificalis, addita fuisse a Leone illa verba ad Canonem: « Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam »; cujus rei, ut valde notabilis, meminerunt etiam Strabo, cap. 22. et reliqui auctores, qui de Missa scribunt. Gregorius I. addidisse ad Canonem pauca illa verba: « Diesque nostros in tua pace disponas etc. » non solum annotarunt Strabo loco citato, et similes auctores, sed etiam Beda lib. ii. histor. Anglicanæ, cap. i. et Joannes Diaconus lib. ii. vitæ B. Gregorii, cap. 17. Hoc autem est argumentum certissimum, Canonem esse antiquiorem Leone et Gregorio, et habitum semper in maxima veneratione: alioqui enim cur tam diligenter historici annotassent, unum, vel alterum verbum a Leone, vel Gregorio additum, si Canon esset recens, et ab aliquo privato homine, qui Scholasticus diceretur, institutus?

Tertia conjectura est, ipsa ignoratio auctoris præcipuarum partium Canonis. Nam orationes illæ, quarum meminit Ambrosius : « Quam oblationem », et : « Unde et memores », et cæteræ, si fuissent ab aliquo Romano Pontifice compositæ, certe aliquis historicus id prodidisset : si enim non omiserunt, quis aliquas particulas addiderit, quanto magis non omisissent, qui vitas Pontificum scripserunt, quis totum fere Canonem composuerit? Relinquitur igitur, ut Canon sit omni memoria antiquior, et ab Apostolis, ut multa alia, per manus traditionem ad nos devenerit. Neque obstat, quod in Canone fit mentio Apostolorum, et Martyrum, qui primis trecentis annis flourerunt : nam ea nomina postea paulatim addita fuisse, dubium esse non potest.

Quarta conjectura est Walfridi, cap. 22. qui inde colligit Canonem esse antiquissimum, quia dum enumerantur Apostoli, non servatur ordo, qui est in Evangeliiis per Hieronymum emendatis : id enim argumento est, eam partem Canonis prius fuisse compositam, quam a Hieronymo Evangeliorum codices Latini ad vetera exemplaria Græca corrigerentur ; ipse enim Hieronymus in præfatione Evangeliorum ad Damasum, testatur magnam fuisse in antiquis Latinis codicibus confusionem.

## CAPUT XXI.

### *De veritate primæ orationis Canonis.*

Nunc demum veritas Canonis demonstranda est, quod facile fiet, si ad ea respondeamus, quæ adversarii contra singulas partes Canonis objiciunt.

Prima igitur oratio Canonis, quæ incipit : « Te igitur, elementissime Pater », extenditur usque ad illud : « Hanc igitur oblationem » ; illud enim : « Memento, Domine », et illud : « Communicantes, et memoriam venerantes », non sunt diversæ orationes, sed partes sunt primæ orationis, ut colligitur, tum ex conclusione, « Per eundem Dominum nostrum », quæ ponitur in fine harum omnium precum ; tum etiam, quia illud : « Communicantes, » non haberet ullum sensum, nisi continuaretur cum præcedentibus verbis. Itaque prima oratio Canonis continet nomi-

na eorum, pro quibus offertur, et in quorum honorem offertur sacrificium, id est, mortali-um, qui sunt in Ecclesia militanti, et etiam Sanctorum, qui cum Christo regnant in cœlis. Ac primum nominatur Ecclesia. Secundo, Papa. Tertio, Episcopus loci. Quarto, rex, in quibusdam Ecclesiis. Quinto, omnes Orthodoxi in genere. Sexto, particulares personæ, sed secreto. Septimo et ultimo, S. Apostoli, et Martyres.

Ubi est observandum, orationem pro Ecclesia, haberi in omnibus Liturgiis, et ut supra ostendimus, nominatim id notatur ab Optato Milevitano, lib. 2. contra Parmenianum : sic etiam pro Episcopo loci, habetur in Liturgiis omnibus.

Papæ nomen non habetur in antiquis Græcis Liturgiis, sed in Liturgia Chrysostomi a Leone Tusco latine reddita, invenitur nomen Nicolai Papæ : ex quo intelligimus etiam Græcos posterioribus temporibus illud addere solitos. Apud Latinos videtur esse antiquissima consuetudo : nam non solum Alcuinus ante annos 800. in lib. de officiis, Canonem explicans, meminit hujus rei, et causas reddit, cur post Ecclesiam subjungatur nomen Papæ ; sed etiam Vasense Concilium ante annos 1100. celebratum, canon. 4. alias 6. constituit, ut in Gallicanis Ecclesiis nomen Papæ Urbis Romæ in omnibus Missis recitetur.

Nomen regis recte etiam adjungitur in iis locis, quæ regibus subsunt : nam et Innocentius III. et Bonaventura in explicatione Canonis agnoscunt hanc vocem ; et omnes antiquæ Liturgiæ id servant, et ex Apostolo, I Timoth. II, id colligunt Ambrosius lib. IV. de Sacramentis, cap. 4. et Augustinus epist. 59. ad Paulinum.

Quod sequitur : « Pro omnibus Orthodoxis », Micrologus cap. 13. scripit, esse superfluum et non haberi in emendatioribus libris : tamen habetur apud Alcuinum loco notato, qui vixit 300. annis ante Micrologum, et apud Innocentium III et alios omnes ; quocirca usu ipso auctoritatem obtinuit, nec debet omitti. Intelligimus autem hic per omnes Orthodoxos ut sanctus Bonaventura exponit, non omnes omnino fideles ; tunc enim vere esset superflua hæc particula, cum idem sit offerre pro tota Ecclesia, et omnibus Orthodoxis : sed omnes alios præter Papam, Episcopum proprium, et regem proprium, ac si diceremus : Offerimus primo pro omni Ecclesia in universum, deinde in particulari pro Papa, pro

Episcopo, pro rege, et pro omnibus aliis fidelibus, sive principibus, sive privatis.

Adversus hanc primam orationem, prima objectio est Lutheri in lib. de abroganda Missa : « Quis non videat, inquit, Canonem esse compositum ab aliquo verboso, et parum spirituali? quid enim attinet verbis ita superfluere : Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia? » Similis objectio est in libro contra abominationem Canonis, ubi reprehendit illud : « Omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, et Apostolicæ fidei cultoribus » ; idem enim esse videtur pro Orthodoxis et pro Catholicæ fidei cultoribus.

Respondeo : Satis apparet, Lutherum solum calumniandi libidine hæc objecisse ; nam alioqui non poterat ignorare, ad effectum explicandum, multum facere repetitionem ejusdem rei, præsertim vocibus diversis. Certe Liturgiæ Basilii, et Chrysostoni plenæ sunt ejusmodi repetitionibus. Confessiones item Augustini, quæ ad effectum excitandum potissimum diriguntur, passim inculcant eadem multis vocabulis. Cantica Scripturarum, et Psalmi, vix aliquid semel pronunciant, quod non iterum aliis verbis repetant, Psalm. x : *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt.* Psalm. cxv. *Ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ* (1) ; imò Psalm. ille cxviii. qui est omnium longissimus, idem fere omnibus versiculis repetit, Lucas cap. xviii. cum narrasset Dominum prædixisse Apostolis mortem suam propinquare, sub jungit : *Et ipsi nihil horum intellexerunt ; et erat verbum istud absconditum ab eis : et non intelligebant quæ dicebantur* (2). Si Lutherum consulamus, verbosum Lucam, et parum spirituales appellabit : at ipse Spiritu sancto dictante illa verba multiplicavit, ut intelligeremus, Apostolos eo tempore longissime abfuisse ab ea cogitatione, ut existimarent, Christum moriturum. Apostolus etiam II Corinth. xi. cum ait : *Hebræi sunt, et ego ; Israelitæ sunt, et ego ; semen Arahæ sunt, et ego* (3) : certe idem ter repetit, nec tamen frustra, quia repetitio illa magnam emphasim habet.

Secunda objectio ejusdem Lutheri in eodem loco. Ante consecrationem vocantur panis et vinum sacrificia sancta, et illibata, quod videtur absurdum, quia si sancta sunt, cur petitur in eadem oratione a Deo, ut illa be-

nedicat? Si sacrificia; ergo panem, et vinum Deo sacrificamus.

Respondeo : Panis, et vinum recte dici possunt paulo ante consecrationem, sacrificia sancta, et illibata. Sacrificia quidem, quia sunt materia sacrificii, et jam dedicata, et parata, ut ex iis fiat sacrificium ; nam et in lege veteri dicebantur passim sacrificia oves adhuc viventes, quando scilicet adducebantur, ut immolarentur ; unde est illud Capriani in serm. de elemos. : « Dives, et locuples in Dominicum sine sacrificio venis? » Dicuntur autem merito sancta, et illibata, quia jam dedicata, et consecrata ad usum divinum per priorem oblationem sunt : et etiam quia pura, et sancta intentione offeruntur ab Ecclesia. Sed quamquam eo modo sancta sint tamen sanctiora fieri debent per mutationem in corpus, et sanguinem Christi, et ideo recte petimus, ut Deus illis benedicat, eaque sanctificet, nimirum ut sic fiant nobis corpus, et sanguis Christi, ut infra in alia oratione petimus.

Tertia objectio ejusdem ibidem. In Canone dicitur : « Quæ tibi offerimus in primis pro Ecclesia tua. » At illa sacrificia ex mero pane et vino constant ; ergo panem, et vinum Deo offerimus pro Ecclesia. Neque potest responderi, illud, « offerimus, » accipi pro futuro et referendum ad hostiam consecratam, quasi sensus sit, Offerimus, id est, mox offeremus : nam repugnat huic solutioni demonstrativa particula : « Hæc dona, hæc numera etc. » dicimus enim nos offerre illa dona, quæ ad sensum tunc ostenduntur.

Respondeo : Mira est hæreticorum levitas. Nam idem Lutherus qui in hoc libro de abominatione Canonis, tanquam rem valde absurdam ex Canone colligit, quod videamur Deo panem offerre, non Christum : idem in libro de captiv. Babyl. cap. de Eucharistia, dicit, Catholicos existimare se Christum Patri offerre ; et ibidem monet sacerdotes, ut intentionem suam dirigant ab panem offerendum, non ad Eucharistiam : « Observent, inquit, se Sacerdotes hoc perdito, et periculosissimo sæculo, qui sacrificant, ut verba Canonis majoris, et minoris, cum Collectis, quæ nimis aperte sonant sacrificium, dirigant non ad Sacramentum, sed ad ipsum panem, et vinum consecrandum : nam panis, et vinum antea offeruntur ad benedicendum

(1) Psal. CXI, 10 ; Plal. CXV, 16. — (2) Luc. XVIII, 34. — (3) II Corinth. XI, 22.

sed postquam est benedictus, et consecratus, jam non debet offerri. »

Sed ad argumentum respondeo, panem recte dici offerri pro Ecclesia, non quod ista oblatio sit proprie sacrificium propitiatorium sed quia est dedicatio rei, ex qua faciendum est sacrificium propitiatorium : sicut paulo ante dicebamus de nomine sacrificii, quod tribuitur pani, quia est materia sacrificii. Quare cum dicimus, nos offerre panem Deo pro Ecclesia, sensus est, nos offerre Deo panem consecrandum, et ex quo per consecrationem verum sacrificium Deo immolandum est pro Ecclesia. Neque alienum est hoc a modo loquendi Scripturæ divinæ, siquidem Levit. iv. v. vi. et alibi, jubentur singuli quique de populo offerre agnum, vel aliquid ejusmodi in sacrificium pro peccato, et tamen non quilibet de populo proprie sacrificabat : id enim erat solius Sacerdotis munus, sed dicebantur illi offerre sacrificium pro peccato, quia offerebant materiam, ex qua sacrificium pro peccato faciendum erat.

Quarta objectio Lutheri ibidem. In prima oratione Canonis dicitur : « Quæ tibi offerimus, vel qui tibi offerunt pro redemptione animarum suarum. » Et ibidem de iisdem offerentibus dicitur : « Quorum tibi fides cognita est, et nota devotio. » Si igitur isti fideles et devoti sunt, certe redempti sunt si redempti sunt, quorsum offerunt pro redemptione animarum suarum ? nonne idem est, ac si diceretur, redemptos Christi sanguine non esse vere redemptos, sed indigere iterum redimi uno panis frustulo ?

Respondeo : Quod attinet ad frustum panis, jam diximus panem non offerri, ut sit sacrificium propitiatorium, sed ut sit materia sacrificii propitiatorii. Quantum ad redemptionem fidelium et devotorum, apud Lutheranos quidem nulli putantur esse fideles, et devoti, qui simul justii sint, proinde redempti, quoad animam : apud Catholicos tamen, qui fidem sine charitate esse posse sentiunt, non dubitantur esse multi fideles, et etiam devoti imperfecta quadam devotione, qui tamen nondum justificati, et per hoc nec redempti sint, eo modo, quem mox explicabimus, quales sunt, qui pœnitentiam agere incipiunt, et cupiunt quidem ad Deum converti, et pro hac re orant, et Missas devote

exposcunt, licet nondum ad perfectam contritionem pervenerint. De his igitur verba Canonis commode accipi possunt.

Sed præterea, ut Lutherani intelligant non esse absurdum, si redempti redemptione alia indigere dicantur, Animadvertendum est, in Scriptura quinque modis accipi redemptionem, et proinde posse eos, qui uno modo redempti sunt, opus habere, ut aliis modis redimantur. Prima dicitur redemptio ab omni malo culpæ, et pœnæ, per solutionem pretii sufficientis : et hoc modo omnes omnino homines redempti sunt per Christi crucem, juxta illud Apostoli I. Timoth. II. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1).

Secunda est redemptio a malo culpæ per applicationem illius pretii in cruce soluti : et hæc redemptio est ipsa justificatio. Rom. III. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu* (2) ; et hac redemptione plurimum egent, etiamsi prima redemptione redempti sint.

Tertia redemptio est a debito pœnæ, quod sæpe manet dimissa culpa, juxta illud Proverb. XIII : *Redemptio animæ viri, divitiarum suarum* (3) : divitiæ enim cum in pauperes expenduntur, a pœna liberant homines ; et hac redemptione sæpe indigent illi etiam, qui primo et secundo modo redempti sunt.

Quarta redemptio est a peccato futuro ; dicitur enim Deus redimere eos, quos præservat a peccato, in quod alioqui incidissent. Psalm. XXXIII. *Redimet Dominus animas servorum suorum, et non delinquent omnes, qui sperant in eo* (4).

Quinta redemptio est a corruptione, et ærnmnis omnibus hujus vitæ, quæ fiet tandem in ultima resurrectione. Luc. XXI. *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra* (5) ; et hac ultima, ut etiam superiore redemptione, omnes egent quamvis sanctissimi sint. Porro prima redemptio non obtinetur per Missam, quia in cruce peracta est, tamen in Missa representatur, et applicatur : ad reliquas omnes obtinendas Missa non parum confert, et ideo nihil est mirum, si dicatur offerri pro redemptione fidelium, et devotorum.

Quinta objectio est ejusdem Lutheri ibidem qui reprehendit illud : « Communicantes, et memoriam venerantes. » Christus enim in-

(1) I Tim. II, 6. — (2) Rom. III, 24. — (3) Prov. XIII, 8. — (4) Psal. XXXIII, 23. — (5) Luc. XXI, 28.

stituit Coenam, ut esset Communio vivorum; auctor autem Canonis facit etiam mortuos communicantes.

Respondeo: Illud, « Communicantes, » dupliciter exponitur a veteribus. Quidam, ut Alcuinus, Amalarius, et alii, referunt illud, ad Communionem cum Sanctis, ut sensus sit: Offerimus hoc sacrificium communicantes memoriis Sanctorum, et eosdem Sanctos venerantes: ubi non fit mentio Communionis per manducationem Eucharistiæ, quæ non convenit mortuis: sed Communionis per societatem, et conjunctionem in corpore Christi mystico. Alii, inter quos est Micrologus, cap. 12. et Hugo Victorinus lib. II. de officiis, cap. 29. volunt illud (Communicantes), referri ad offerentes inter se, non cum Sanctis, ut sensus sit: Offerimus communicantes, id est, inter nos uniti, et conjuncti, ut decet membra ejusdem corporis; et præterea memoriam Sanctorum venerantes. Id probat Micrologus optima ratione; nam in Natali, Epiphania, Pascha, Ascensione, et Pentecoste, post illud « Communicantes », additur, « et diem sacratissimum celebrantes etc. » et paulo post, « sed et memoriam venerantes etc. » Ubi aperte videmus illud, « Communicantes, » non conjungi cum memoria Sanctorum, sed per se manere, et ad solos offerentes referendum esse.

Sexta objectio est Georgii Majoris, qui ordinem reprehendit illorum verborum: « Ut accepta habeas, et benedicas hæc dona »; prius enim debent esse benedicta, quam acceptentur a Deo.

Sed facilis est solutio. Nam ut est oblatio duplex, ut supra diximus, una rei consecrandæ, altera rei consecratæ; ita est acceptatio duplex; benedictio autem, et sanctificatio unam earum oblationum, et acceptationum sequitur, alteram præcedit. Unde sicut hoc loco, ubi agitur de prima acceptatione, postponitur benedictio: ita paulo post in illa oratione: « Quam oblationem tu Deus in omnibus, benedictam, adscriptam, ratam, acceptabilem facere digneris »; ubi agitur de posteriore acceptatione, præponitur benedictio.

Septima objectio est Zwinglii, qui non probat illud: « Memento Domine famulorum, etc. » « Videmur enim, ut ipse ait, metuere, ne Deus obliviosus sit, et ideo tanquam immemorem cum commonefacere velle. »

Sed videtur ipse potius oblivioni mandasse Scripturarum locutiones, aut certe si earum

meminerat, Spiritum sanctum corrigere, voluisse: quid enim in Scriptura frequentius occurrit, quam Memento, vel recordare Domine? Vide Exod. xxxii. v. 13. Deuter. ix. v. 27. Judic. xvi. v. 28., iv. Reg. xx, v. 3., II Esdræ v. v 19. Psalm. cxxxii. v. 1. Lucæ xxiii. v. 42. et alibi. Nec solum in Scriptura passim legimus: *Memento Domine*, sed etiam quod videtur mirabilius: *Ne obliviscaris*, vel *Quare oblivisceris*, ut Psal. ix. v. 32. Ps. xii. v. 2. Psalm. xli. v. 50. et alibi in Psalmis potissimum. Porro dicitur Deus per metaphoram oblivisci, quando non juvat, et contra recordari, quando juvare incipit.

Octava objectio est ejusdem majoris, qui ponderat illa verba: « Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt », ac dicit, illam correctionem: « vel qui tibi offerunt », aperte monstrare Canonem loqui de eleemosynis, quas populus offerebat ad altare pro pauperibus: proinde non recte nunc ista detorqueri ad sacrificium Eucharistiæ.

Huc etiam pertinet prima objectio Kemnitii ex illis septemdecim, quas facit contra Canonem in 2. par. Examinis, pag. 839. et sequentibus. Nam prima objectio solum id habet, olim verba Canonis dirigi consuevisse ad benedicendas et commendandas eleemosynas; nunc autem perperam trahi ad mimicam representationem sacrificuli: et præterea non recte offerri Deo panem pro Ecclesia. Cujus objectionis pars prior desumpta est ex argumento Majoris, quod jam refellimus: pars posterior ex argumento Lutheri, quod paulo ante solutum est.

Respondeo: Non est illa correctio, sed disjunctiva sententia propter duos ordines eorum, quos sacerdos Deo commendaverat: alii enim sunt absentes, pro quibus offertur, sed ipsi actu non offerunt; alii sunt præsentibus, qui simul cum sacerdote offerunt astando, et consentiendo. Hic igitur est sensus eorum verborum: Memento Domine talium, et talium absentium, et omnium etiam circumstantium, atque præsentium, pro quibus offerimus pro iis videlicet, qui ab ista Ecclesia nunc absunt, vel etiam qui simul nobiscum desiderio, et consensu offerunt. Non pertinere autem preces ullas Canonis ad commendandas eleemosynas, quod falso assumunt Major, et Kemnitius, ex toto contextu Canonis cognosci potest. Nam in primis hæc dona, quæ nominantur in Canone, dicuntur offerri Deo pro Ecclesia, pro Papa, pro rege, pro omnibus Orthodoxis:

at eleemosynæ non solent offerri, nisi pro iis, qui eas dederunt. Deinde de eadem oblatione, quæ nominata est in principio Canonis, quam isti volunt ad eleemosynas pertinere, subjungitur paulo infra : « Hanc igitur oblationem servitutis nostræ etc. ubi aperte ostenditur eam oblationem esse proprie sacrificium, quippe quæ per ministerium sacerdotum Domino offertur : et paulo post de eadem dicitur : « Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, etc. ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui etc. » ubi manifeste videmus in toto Canone de illa oblatione mentionem fieri, quæ per consecrationem efficitur corpus et sanguis Domini. Denique omnes expositores Liturgiæ, tum Græci, ut Germanus, et Cabasilas, tum Latini, ut Aleuinus, Amalarius, et cæteri, totum Canonem explicant de Eucharistia.

Nona objectio est Kemnitii, quam secundo loco ipse ponit ; ponderat enim ipse illud verbum : « Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis » ; ac vult canonem juxta antiquum ritum agere hoc loco de sacrificio spirituali, quod consistit in laude Dei, et gratiarum actione pro redemptione acquisita in cruce. Deinde hoc fundamento posito, reprehendit Catholicos, tum quod sacrificium laudis mutaverint in silentiarium murmur sacerdotis, tum quod sacrificium laudis pro redemptione in cruce acquisita detorsissent ad repræsentationem sacrificuli pro impetranda, et promerenda, redemptione animarum.

Respondeo : Hæc objectio, ut etiam superior, et aliquot sequentes, non sunt contra Canonem, sed contra intentionem sacerdotum, qui Canonem recitant : siquidem verba Canonis ipsemet dicit posse accipi de sacrificio laudis, vel de eleemosynis etc. Proinde istæ objectiones non multum ad rem faciunt ; siquidem propositum Kemnitio erat, demonstrare multos errores in ipso Canone inveniri, ut patet ex pag. 839. ubi sic loquitur : « Tanquam in tabella spectandum proponemus, quos errores, et quæ vitia Pontificius Canon contineat. » Hæc ibi. At ubi incœpit istos errores enumerare, non tam verba Canonis reprehendit, quam sacerdotes, qui ea, vel submissa voce recitant, vel detorquent ad repræsentationem.

Deinde falsa sunt ea, quæ in argumento

Kemnitius more suo assumit, et non probat. Primum enim falsum est, per sacrificium laudis, ejus in canone fit mentio, debere accipi sacrificium spirituale, quod in laude, et gratiarum actione consistit : significatur enim ea voce sacrificium veri corporis Domini, quod sacrificium laudis dicitur, quia per illud Deus magnopere laudatur, et gratiæ illi aguntur, pro summis ejus in nos beneficiis : unde etiam sacrificium Eucharisticum merito nominatur. Id ita esse patet. Primum ex ipso Canone ; nam de hoc sacrificio laudis paulo post loquens Ecclesia, a Deo petit ut hanc oblationem benedicere dignetur, et efficere corpus dilectissimi Filii sui. Deinde idem patet ex Augustino, qui ipsam Eucharistiam non semel appellat sacrificium laudis, ut lib. I. contra advers. leg. et prophet. cap. 20. ubi bis, terve sacrificium laudis vocat id, quod offerimus secundum ordinem Melchisedech, ex pane, vinoque confectum. Quod si sacrificium laudis, non sunt laudes, quæ recitentur voce, sed est ipsa oblatio corporis Dominici, inane est, et falsum quod Kemnitius dicit, nos convertisse sacrificium laudis in silentiarium murmur ; non enim in voce, sed in actione hoc sacrificium consistit. Et falsum est etiam, quod ultimo addit, nos detorsisse sacrificium laudis ad mimicam repræsentationem : non enim rei præteritæ repræsentatio, sed vera, et realis oblatio præsentis corporis Dominici est sacrificium, quod nos proprie in Ecclesia immolamus.

Decima objectio, et Kemnitii tertia est contra illa verba Canonis : « Reddunt tibi vota sua æterno Deo vivo et vero ». Dicit enim Kemnitius olim in Ecclesia usum fuisse, ut juxta illa verba Psalm. cxvi : *Vota mea Domino reddam* (1), gratiæ agerentur Deo pro beneficiis ; sed nunc sublato antiquo ritu, Canonem Missæ referre illa verba ad Missas votivas, quæ data pecunia celebrari jubentur.

Respondeo : Ista omnia calumniæ, et mendacia sunt : non enim Canon per vota intelligit Missas votivas, sed pia desideria, et oblationem adstantis populi : dicuntur enim hæc verba in omnibus Missis etiam non votivis, et ab iis, qui pecuniam nunquam accipiunt, vel acceperunt pro Missæ celebratione. Sed Kemnitius probare debuisset aliquo testimonio, quæ tam audacter affirmat.

(1) Psalm. CXVI, 18.

Undecima obiectio, quæ est Kemnitii quarta, est contra illud : « Et memoriam venerantes » ; obicit enim Kemnitius, quod olim in Ecclesia usus fuerit prædicandi memorias Martyrum, et certamina ac victorias ipsorum : nunc autem Canon Missæ solum præscribat memoriam per nominum recitationem, idque submissa voce.

Sed et in hac objectione, præter calumnias, et mendacia invenimus nihil. Veteres enim non in Liturgia, sed in concionibus, et lectionibus Martyres prædicabant, quod et nos facimus tum in concionibus ad populum, tum in lectionibus, quæ assidue decantantur in horis Canonicis : alioqui proferatur ex Liturgia Basilii, vel Chrysostomi, vel qualibet alia, iste usus prædicandi res gestas Martyrum ; certe nihil in eis nisi nomina inveniuntur, ut in nostra Liturgia cernimus.

Duodecima obiectio, quæ est quinta Kemnitii, pugnat contra invocationem, quæ annectitur memoriæ Sanctorum : sed nihil novi affert præter ea, quæ supra refutavimus, cum ageremus de Missis in honorem Sanctorum, cap. 8.

## CAPUT XXII.

### *De veritate secundæ orationis Canonis.*

Altera oratio Canonis incipit in illis verbis : « Hanc igitur oblationem servitutis nostræ etc. » in qua continentur quatuor petitiones. Prima, ut oblationem nostram Deus placatus accipiat. Secunda, ut dies nostros in sua pace disponat. Tertia, ut ab æterna damnatione nos eruat. Quarta, ut in electorum grege nos numeret.

Contra hanc orationem est prima obiectio Lutheri : « Hic rursus », inquit, « offert panem, et vinum, ut fideles liberentur ab æterna damnatione. Tantam efficaciam panis, et vino tribuunt : nam ad hanc redemptionem nullius est momenti mors, et passio Filii Dei. »

Respondeo : Calumniæ sunt, non argumenta, quæ hic a Lutero obijciuntur : non enim sacerdos orat, ut per oblationem panis, et vini liberemur ab æterna damnatione, sed orat Deum, ut ipsam oblationem panis, et vini accipiat, ut materiam sacrificii futuri, et eam videlicet benedicat, et sanctificet. Deinde adjungit alias tres petitiones supra

enumeratas, et non precatur eas impleri per oblationem panis, et vini, sed per eundem Christum Dominum nostrum.

Secunda obiectio est Kemnitii, sexta apud ipsum : « Vetus Ecclesia », inquit, « obtulit Deo in celebratione Eucharistiæ, preces pro impetrandis per Christum beneficiis temporalibus, et æternis : ad hoc sacrificium precum commode referri potuerunt hæc verba : Hanc oblationem placatus accipias etc. Pontificius vero Canon hæc transfert ad mimicam sacrificii representationem panis nondum consecrati, et orat, ut Deus illam ita accipiat, ut propter illam dies nostros in sua pace disponat, et a damnatione nos eripiat. »

Respondeo : Quod vetus Ecclesia obtulerit Deo preces pro beneficiis per Christum impetrandis, verissimum est, et idem nostra Ecclesia in hac ipsa oratione Canonis facit. Mendacium enim est apertissimum Kemnitii, et Lutheri, quod hic petamus beneficia propter oblationem panis : ipsa enim oratio non est obscura, neque ambigua, neque aliud continet, nisi quatuor petitiones : « Per Christum Dominum nostrum. »

Quod autem Kemnitius dicit, illud : « Hanc oblationem », posse commode referri ad sacrificium precum, et contra ipsum Kemnitium, et contra veritatem est. Contra ipsum Kemnitium, quia ipse in prima objectione referebat ad eleemosynas illa verba primæ orationis : « Hæc dona, hæc munera etc. » At de eadem oblatione loquitur Canon in prima et in secunda oratione, ut patet ex illa particula (Igitur) « Hanc igitur oblationem etc. » Quare si in prima oratione agebatur de eleemosynis, et in hac secunda agitur de eleemosyna : proinde Kemnitius sibi ipse repugnat. Est autem id totum contra veritatem, quia de eadem oblatione agitur in prima, secunda, et tertia oratione Canonis. In tertia autem perspicue ostenditur, per oblationem intelligi debere oblationem panis consecrandi, cum expresse dicatur, ut fiat nobis corpus, et sanguis etc. non igitur ad eleemosynam, nec ad orationem, sed ad Eucharistiæ sacrificium referendum est, quidquid dicitur in his orationibus.



## CAPUT XXIII.

*De veritate tertiæ orationis Canonis.*

Oratio tertia Canonis incipit ab illis verbis : « Quam oblationem tu Deus in omnibus » ; et continuatur usque ad finem consecrationis.

Prima objectio Lutheri est loco supra notato ; qui objicit nos hic orare pro Christo, et mediatores nos facere inter Christum, et Patrem, ac Deum rogare, ut benedicat, et sanctificet corpus, et sanguinem Christi.

At Lutherus non videtur memor fuisse verborum Canonis, cum hæc scriberet : non enim oramus pro Eucharistia consecrata, sed pro pane, et vino consecrando, neque petimus, ut Deus benedicat, et sanctificet corpus, et sanguinem Christi, sed ut benedicat, et sanctificet panem, et vinum, ut per eam benedictionem, et sanctificationem fiat corpus, et sanguis Domini.

Secunda objectio est ejusdem Lutheri ibidem contra illa verba : « Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris : « Portenta », inquit, « illa verborum, neque ego intelligo, nec stolidus ille, qui scripsit. »

At ista eadem verba habentur apud Ambrosium lib. vi. de Sacramentis cap. 5. et exponuntur multis, et variis modis elegantissime ab Alcuino, Amalario, Ruperto, Hugone, Innocentio, Bonaventura, et aliis. Literalis expositio, ut ex Alcuino, et Hugone atque Innocentio colligitur, hæc esse videtur : Petimus a Deo, ut ipse oblationem nostram consecrando benedictam ex profana efficiat ; eandem approbando, faciat adscriptam, id est, adscribat, et numeret inter dona, quæ ipsi probantur ; confirmando ratam efficiat, id est, stabilem, et firmam, ut fructum certum, et perpetuum ad nos referat : rationabilem quoque faciat, ut non solum bona, sed etiam bene, rationabiliter, et prudenter offeramus, ac sit rationabile obsequium nostrum, juxta Apostolum Rom. xii. Denique acceptabilem faciat, id est, ita undique bene se habentem, non solum ex parte doni, sed etiam ex parte Ministri offerentis ut digna sit, quæ a Deo acceptetur. Vide plura apud auctores allegatos.

Tertia objectio est Kemnitii septima apud ipsum. Scribit autem Kemnitius hanc orationem haberi quidem apud Ambrosium lib. iv. de Sacramentis, cap. 5. et apud Augustinum referente Gratiano canon. Utrum, de consecrat. dist. 2. sed alium sensum habere ista verba apud Ambrosium, et Augustinum, alium autem apud Pontificios : apud illos enim referri ad sumptionem Sacramenti, apud nos ad representationem.

Sed in multis peccat Kemnitius. Primo, quod non probat id, quod se probaturum suscepit. Volebat enim, ut supra notavimus, demonstrare errores Canonis ; quæ autem nunc affert, non pugnant contra Canonem, sed contra sensum, in quo illum Pontificii accipiunt.

Secundo, perperam allegat Augustinum ; nusquam enim illa exstant apud Augustinum, sed partim apud Ambrosium loco notato, partim apud Paschasium in lib. de corpore Christi, cap. 4. quamvis in hac re Gratianus quoque videatur fuisse deceptus.

Tertio, fallitur aperte, cum scribit, Augustinum illa verba : « Benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem etc. » interpretari de sumptione Eucharistiæ, quasi, juxta errorem Lutheranorum, in sola sumptione putaverit Augustinus panem fieri corpus Christi, per quod benedicimur, adscribimur in cælo. Nam Augustinus, ut dixi, nusquam habet aliquid ejusmodi. Ambrosius autem, ex quo Paschasius, et Gratianus acceperunt ; non de sumptione, sed de consecratione illa omnia exponit, ut patet legenti cap. 5. lib. iv. de Sacramentis. Neque obstant illa verba ejusdem Ambrosii, quæ falso Kemnitius Augustino tribuit : « Quia in Baptismo similitudinem quoque carnis, et sanguinis ejus sumamus. » Nam illa dicuntur ab Ambrosio alio loco, nimirum cap. 4. lib. iv. et ad alium finem.

Quarto, mentitur Kemnitius, nomen oblationis in ista oratione Canonis : « Quam oblationem tu, Deus, etc. » a Pontificiis detorqueri ad actionem sacrificuli, cum revera de pane, et vino dicatur. Nullus enim tam fuit unquam absurdus, vel stupidus, ut non videret nomen oblationis hoc loco ad panem, et vinum, non ad actionem posse referri ; siquidem a Deo petimus, ut hanc oblationem ita benedicat, ut ea fiat nobis corpus et sanguis Christi. Quis enim vel per somnium diceret, actionem debere fieri corpus Christi ? Sed bone fecit Kemnitius, cum ista mendacia de

Catholicis fingit, quod nullum citat, neque librum ullius nominatim indicat, ne videlicet mendacium statim deprehendatur.

## CAPUT XXIV.

### *De veritate quartæ orationis Canonis.*

Oratio quarta illa est, quæ proxime post consecrationem habetur in illis verbis : « Unde et memores Domine etc. » et extenditur usque ad illud : « Memento etiam Domine » ; nam ante Memento ponitur conclusio : « Per Christum Dominum nostrum. »

Prima objectio contra hanc orationem, est Lutheri : qui iterum objicit verbositatem, propter illam adjunctorum multiplicationem : « Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. »

Sed similia verba habentur apud Ambrosium lib. iv. de Sacramentis, cap. 6. et eodem plane spiritu Apostolus scripsit Rom. XII : *Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium* (1).

Secunda objectio ejusdem Lutheri, et omnium aliorum, qui calumniantur illa verba : « Supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris », dicunt enim nos hic orare pro Christo, et reconciliare velle Filium Patri. Suspiciantur etiam quidam illorum, hæc verba fuisse olim ante consecrationem, nunc autem ab indocto Canonis collectore posita esse post consecrationem.

Sed facilis responsio est ; nam in primis habentur ista etiam apud Ambrosium post consecrationem libro iv. de Sacramentis, cap. 6. Omnes item Græcæ Liturgiæ post verba consecrationis ponunt orationem pro donis pretiosis, et sanctificatis. Quare non est novus, sed antiquissimus ritus orandi pro oblatione jam consecrata. Neque hoc est orare pro Christi reconciliatione apud Patrem, sed pro nostra potius infirmitate : etsi enim oblatio consecrata ex parte rei, quæ offertur, et ex parte Christi principalis offerentis, semper Deo placeat ; tamen ex parte Ministri, vel populi adstantis, qui simul etiam offerunt, potest non placere. Id igitur est, quod petimus, ut Deus benigne

respiciat hoc munus, ut a nobis offertur. Si mile quid cerni potest in sacrificiis veterum Hebræorum : illi enim suppliciter postulabant, ut clementer Deus ipsorum sacrificia, ovium, et boum aspiceret, nec tamen orabant proprie pro ovibus, et bobus ; nec mediatores se constituebant inter oves et Deum, nec reconciliare pecora illa Deo volebant : sed pro se orabant, et obsequium suum in illis rebus offerendis Deo gratum esse cupiebant.

Tertia objectio Lutheri ibidem, ubi reprehendit illud : « Sicut accepta habere dignatus es mura pueri tui justî Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ. » Videmur enim non plus tribuere hoc loco efficaciam ipsi Christo pro nobis immolato, quam irrationali pecori.

Respondeo : Habentur ista quoque apud Ambrosium lib. iv. de Sacramentis, cap. 6. Porro comparatio non fit inter sacrificium nostrum, et sacrificium Abelis, et Abrahæ absolute, sed tantum ratione fidei, et devotionis offerentium. Id enim optamus, ut det nobis Deus tanta fide, et devotione sacrificium offerre, quanta Abel, et Abraham obtulerunt : et proinde, ut ex parte Ministri offerentis non minus placeat Deo sacrificium nostrum, quam illorum placuit. Fieri autem comparisonem inter sacrificium illorum, et nostrum ratione fidei, et devotionis, non absolute perspicuum est ex eo, quod sacrificia ovium et boum absolute, et per se nihil habent, unde placere Deo, eumque placare possint. Quare B. Paulus Hebr. xi. non ait sacrificium Abelis absolute placuisse, sed propter fidem : *Fide, inquit, plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit.* Et Genes. iv. Moses : *Respexit, inquit, Deus ad Abel, et ad munera ejus* (1).

Quarta objectio Lutheri, contra id quod sequitur : « Et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech. » Hic mendacii Canonem arguit Lutherus : « Mentiuntur », inquit, « in eo, quod asserunt Melchisedech sacrificasse panem et vinum. »

Respondeo : Non habet Canon Missæ, Melchisedech sacrificasse panem et vinum, sed solum sacrificium aliquod obtulisse : quod quidem qui mendacium esse dicit, mendacem facit Spiritum sanctum, qui per os Pauli Hebr. v, vi et vii. Melchisedech sacerdotem fuisse testatur ; et per eundem Paulum Hebr.

(1) Rom. XII, 1. — (2) Heb. XI, 4 ; Gen. IV, 4.

v et viii, docet, omnem sacerdotem aliquid habere debere, quod offerat. Adde, quod Melchisedech panem et vinum sacrificasse, satis a nobis libro superiori demonstratum est. Adde ultimo, quod hanc partem Canonis, ubi Melchisedech summus Sacerdos appellatur non solum agnoscit Ambrosius lib. iv. cap. 6. de Sacramentis, sed etiam auctor quæstionum novi ac veteris Testamenti apud Augustinum tom. iv quæst. 109. Est autem auctor ille Ambrosii æqualis, ut ex iisdem quæstionibus manifeste colligitur.

Quinta objectio ejusdem contra illud : « Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum ; » absurdum enim videtur, ut sacerdos petat deferri in cœlum, quod ipse paulo post consumpturus est. Nec minus videtur absurdum, ut altare aliquid esse cogitetur in cœlo.

Respondeo : Non tam crasse hæc intelligenda sunt, ut existimemus in cœlo altare aliquid corporale, et sensibile erectum esse, atque ad illud reipsa, et corporaliter Sacramentum corporis Domini manibus Angelorum oportere deferri : altare tamen aliquid spirituale videlicet, in cœlo esse, ut etiam tabernaculum, thronum, incensum, tubas, coronas, palmas, et alia id genus, nemo negare potest qui scripturas negare noluerit. Siquidem Apocal. vi, viii, ix et xiv, sæpe legitur, altare aureum in cœlo coram oculis Dei : Apocal. iv. leguntur in cœlo throni, tubæ, et coronæ : Apocal. vii. leguntur etiam palmæ in manibus Sanctorum : Apocal. viii. legitur thuribulum, et incensum : Apocal. xxi. legitur tabernaculum ; cujus etiam tabernaculi cœlestis meminit Christus, Lucæ xvi, et Paulus Hebr. viii et ix. Ejusdem altaris in cœlo positi meminerunt Irenæus lib. iv. cap. 34. et Augustinus in Psalm. xxv, in illud : *Lavabo inter innocentes manus meas* (3) ; non igitur somnium Catholicorum, sed ipsa divina Scriptura altare in cœlo constituit.

Porro altare istud cœleste, vel Christum ipsum significat, per quem ad Deum orationes et oblationes nostræ ascendunt : vel certe altare dicitur esse in cœlo, quia in cœlo recipiuntur sacrificia, quæ Deo vero immolantur in terris. Deferri autem sacrificia nostra ad Deum per manus Angeli, nihil est aliud, nisi Angelorum intercessione juvari, et commendari Deo nostrum obsequium et

cultum, quem illi immolando exhibere desideramus. Neque dissimile est, quod legimus Tobiae xii, et Apocal. viii. orationes nostras ab Anglis deferri ad Deum : neque enim Angeli voces, et verba nostra corporalia sursum deferunt, sed vota, et desideria nostra intercessione sua Deo commendant. Itaque frustra, et inepte argumentatur Lutherus non posse sacrificium deferri in cœlum, cum totum consummatur in terris.

Sexta objectio ejusdem contra illud : « Ut quotquot ex hac altaris participatione sumpserimus » ; reprehendit enim Lutherus, quod sacerdos loquatur quasi de multis communicantibus, cum solus ipse sit communicaturus.

Respondeo : Non loquitur absolute de multis, nec de uno : sed orat, ut quotquot sumpserint, sive unus, sive multi illi sint, utiliter sumant. Sed de hac re supra etiam aliquid diximus, cum ageremus de Missa privata.

Septima objectio est Georgii Majoris, qui reprehendit illud : « Panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ ; » quæ verba suspicatur adjecta ab aliquo indocto, et superstitioso, qui sibi persuaserat, Christum in Missa Deo Patri offerri. Id autem probat, quia cum paulo ante in eadem prece dicatur : « Offerimus de tuis donis, ac datis ; » quæ sine dubio ad eleemosynas, quæ a populo offeruntur, referenda sunt : non potuit nisi indoctus aliquis, sermonem de eleemosyna institutum, continuo transferre ad Christum.

Respondeo : Verba quæ adjecta ab aliquo indocto suspicatur Major, habentur etiam apud Ambrosium lib. iv. de Sacramentis, cap. 6. tanquam usitata, et recepta in tota Ecclesia ; et quædam similia habentur etiam in Liturgiis Græcis, Jacobi, Basilii et Chrysostomi, et apud Clementem lib. viii. Constitutionum Apostolic. cap. 17. Neque male coherent ista cum illis : « De tuis donis, ac datis » ; nam illa possunt referri ad panem et vinum, ex quibus fit Eucharistia, ut sensus sit : Offerimus tibi hostiam puram, panem sanctum, et calicem salutis, quem ex creaturis tuis a te datis, et donatis, ex pane scilicet et vino per consecrationem habemus : sic exponit Innocentius lib. v. cap. 3. de mysteriis Missæ. Possunt etiam referri omnia ad ipsam Eucharistiam, sive ad Christum

(4) Psal. XXV, 6.

ut in Eucharistia existentem : rectissime enim dicitur Christus, Dei datum : et donum. Sic enim loquitur Isaias, cap. ix. *Filius datus est nobis*; et ipse Christus Joan. III : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (1); et ipsum Sacramentum, et Sacrificium nonne verissimum est Dei donum, et datum ?

Octava obiectio est Kemnitii, qui fatetur illud : « Unde et memores », sumptum esse ex veteribus ; sed ait apud illos alta voce recitari consuevisse, cum Cyrillus dicat fuisse annuntiationem, et Dionysius utatur verbo ὑμνεῖν : in Canone autem Pontificio cautum esse, ut submissa voce legatur.

Respondeo : Neque hæc obiectio ullum in verbis Canonis errorem, aut vitium inesse demonstrat; quod tamen solum adversario propositum erat ; neque aliquid solidi affert. Nam illud : « Unde et memores », legitur post verba consecrationis secreto, non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos : in Missa enim Basilii notatur secreto id esse dicendum, et ea oratione finita, voce alta pronunciandum, « tua ex tuis ». Quod item de mutatione ista vocis in fine orationis, legimus in Missa Chrysostomi. Porro Cyrillus catechesi 5. mystagogica, ubi Liturgiam explicat, non meminit hujus orationis, neque enim omnia exponit : quare viderit Kemnitius ubi legerit, quod ex Cyrillo citavit. Sed neque negamus, in Missa annuntiari mortem Domini juxta Apostolum I Corint. xi. sed ut supra non semel diximus ex Augustino lib. xx. contra Faustum, cap. 18., id non tam verbis, quam oblatione, et participatione corporis Domini faciendum est. Dionysius vero de Ecclesiastica hierarchia, cap. 3. ubi ritum Liturgiæ describit, meminit quidem hymnorum, quibus laudantur Christi opera sed eos ponit ante verba consecrationis, et etiam in fine, cum aguntur gratiæ Deo post Communionem ; poinde non loquitur Dionysius de ista oratione : « Unde et memores ». Sed licet Kemnitio in Patribus ludere, et ex qualibet voce, quidlibet concludere.

Nona obiectio ejusdem Kemnitii : « Antiquitus », inquit, « de oblatiis a populo donis et datis sumebatur quod sanctificabatur verbo Christi, ut fieret Eucharistia corporis, et sanguinis Domini, et hæc sumptio, et sanctificatio dicebatur oblatio. Nunc cum mos ille non servetur, verba transferuntur ad repræsentationem sacrificuli. »

(1) Joan. III, 16.

Respondeo : Et hoc quid facit contra verba Canonis, quæ adversarius oppugnanda suscepit ? et nonne mendacium est apertissimum, quod verba transferantur a Catholicis ad repræsentationem sacrificuli ? omnes enim Catholici verba illa : « Offerimus præclaræ Majestati tuæ », de quibus adversarius loquitur, referunt ad ipsam hostiam puram et sanctam, confectam per consecrationem ex Dei donis, et datis, ut verba ipsa Canonis sonant, non ad aliquam repræsentationem. Impertinens autem est, utrum panis et vinum, unde fit Eucharistia, sint a populo data, an a sacerdote oblata : undecumque enim venerint, Dei dona et data rectissime nominantur, et Eucharistiæ materia esse possunt.

Decima obiectio ejusdem. Reprehendit illa verba : « Supra quæ propitio, ac sereno vultu etc. » ubi horrendam comparisonem fieri dicit inter Christum, et bruta animalia, quæ ab antiquis immolabantur. Et addit hanc orationem apud Basilium extare ante consecrationem, ubi comparatio fit sacrificii Abelis, Noe, Abraham, et aliorum veterum cum oblationibus panis et vini, quæ a populo afferuntur : sed imperitia auctoris Canonis, positam esse post consecrationem, et inde esse factum, ut intolerabilem errorem contineat.

Respondeo : Quod attinet ad comparisonem Christi cum brutis animalibus, jam ante solutum est argumentum in tertia objectione Lutheri. Quod vero ad transpositionem pertinet, falsum est hanc orationem esse transpositam ; constat enim ex Ambrosio lib. iv. de Sacramentis, cap. 6. eam fuisse post consecrationem, etiam tempore Basilii ; Ambrosius enim, qui eam legit post consecrationem, æqualis Basilii fuit. Neque obstat, quod apud Basilium alia quædam similis oratio habeatur ante consecrationem, nam in utroque loco ea oratio recte inseri potest. Unde in nostro Missali habetur quædam similis oratio ante consecrationem, ut idem Kemnitius annotavit, in Collecta secreta Dominicæ septimæ post Pentecosten : et tamen rursus habetur post consecrationem in loco, de quo nunc agimus.

Undecima obiectio ejusdem, est contra illa verba : « Inbe hæc perferri etc. » Nam in primis absurdissimum esse demonstrat Kemnitius, quod petamus Christi corpus nunc primum in cælum ab Angelis deferri,

cum Apostolus Hebr. ix. dicat, Christum jandudum in cœlum ingressum esse. Deinde affirmat, hæc verba debere ante consecrationem legi, et ad preces, et eleemosynas esse referendas. Id probat tum ex Irenæo, qui lib. iv. cap. 34, dicit, orationes et eleemosynas deferri ad altare, quod est in cœlo tum ex Augustino, can. Utrum, de consecrat. dist. 2. tum ex cap. 12. Tobiae, et cap. 5. Apocalypsis, ubi preces dicuntur ab angelis in cœlum deferri.

Respondeo : Fatemur absurdissime dici Christi corpus nunc primum in cœlum ab Angelis corporaliter oportere deferri. Sed nemo Catholicorum ita sentit, aut loquitur. Solum enim, ut paulo ante explicuimus, docemus oblationem corporis Christi ab Angelis in cœlum deferri, quatenus Angeli sua prece nostrum obsequium Deo commendant : quod idem Kemnitijs de precibus, et eleemosynis dicere cogitur, quas ab Angelis in cœlum deferri ex Tobia, Joanne, et Irenæo paulo ante docebat. Neque enim dicturus est eleemosynas reipsa, et corporaliter in cœlum deferri : quid enim pauperibus eleemosynæ prodesseut, si reipsa deferrentur in cœlum? aut quomodo deferri possunt in cœlum, si a pauperibus consumuntur? Non igitur est absurdum, vel, ut ipse loquitur, horrendum, sacrificium Eucharistiæ in cœlum ab Angelis deferri, si id spiritualiter, ut par est, intelligatur.

Quod attinet ad alteram partem objectionis, falsum est hæc verba fuisse olim posita in Canone ante consecrationem. Nam, et Ambrosius ea legit post consecrationem, lib. iv. de Sacramentis, cap. 6. et ita etiam habent Liturgiæ Jacobi, Clementis lib. viii. constitutionum, Basillii, et Chrysostomi, ut plane miranda sit audacia istorum novatorum, qui ob levissimas ratiunculas de iis rebus judicant, quas omnino ignorant. Locus enim Tobiae, et Apocalypsis nihil faciunt adversus sententiam nostram, sed eam potius explicant, et confirmant. Locus Irenæi depravate adducitur : non enim de eleemosyna, sed de Eucharistia loquitur Irenæus, ut supra ostendimus lib. i. de sacrificio, cap. 8. et etiamsi de eleemosyna Irenæus loqueretur : quid inde Kemnitijs lucraretur? Num quia Irenæus de eleemosyna alicubi scribit, eam in cœleste altare deferri solitam, ideo oratio ista Canonis de eleemosyna intelligenda erit, cum eam orationem Irenæus ne nominet quidem?

Quod autem adducitur est Augustino, ut supra dixi, non est Augustini testimonium, sed rapsodia quædam fragmentorum ex Ambrosio, Paschasio, et aliis : in qua rapsodia non servatur ordo Liturgiæ. Nam primo ille auctor meminit consecrationis, qua panis vertitur in carnem, et vinum transit in sanguinem : deinde allegat illa verba : « Jube hæc perferri etc. » tum subjungit illa : « Hanc oblationem benedictam, ratam etc. » Sicut igitur contendit Kemnitijs, illud : « Jube hæc perferri », fuisse olim ante consecrationem, quia ista verba ponuntur ab auctore illius Canonis ante illa : « Hanc oblationem benedictam, ratam etc. » ita nos contra demonstramus fuisse post consecrationem, quia ponuntur post ipsam consecrationem ab eodem auctore : sed veritas est, non servari ab illo auctore ordinem Liturgiæ.

Sed illud hoc loco minime prætereundum est, esse in isto testimonio duo quædam contra Kemnitijs. Primo exponitur in hoc testimonio illud : « Jube hæc perferri », de pane consecrato, ut nos existimamus, aut certe de consecrando, ut vult Kemnitijs : ergo non de eleemosyna intelligi debet, ut idem Kemnitijs intendit; proinde contra se hoc testimonium Kemnitijs attulit. Secundo in hoc testimonio aperte legimus, virtute Spiritus sancti ex pane fieri carnem, et vinum transire in sanguinem, quod est contra omnes Lutheranos, qui negant transubstantiationem.

## CAPUT XXV.

### *De veritate quintæ orationis Canonis.*

Quinta oratio illa est : « Memento etiam Domine etc, » in qua fit memoria defunctorum.

Prima objectio Lutheri est, qui hanc orationem secum ipsam pugnare, seque ipsam destruere affirmat. Nam hic oramus pro iis, qui dormiunt in somno pacis, et qui in Christo requiescunt : et tamen eis precamur locum refrigerii, lucis, et pacis. Si dormiunt, ac requiescunt, quid illis refrigerium petimus? si pacem habent, cur pacem illis optamus?

Respondeo : Pacem illi quamdam, et quietem habent, quia certi, ac securi sunt de præmio æternæ felicitatis, et quia liberi sunt a bello tentationum, et concupiscentiæ, et ab

omni opere malo : sed nondum pacem, et quietem habent a tormentis, et a desiderio visionis divinæ. Nec poterat aptius hæc oratio componi, ut solis iis conveniret, qui in purgatorio degunt. Nam qui sunt in gehenna, ii nullam pacem, et quietem habent : qui sunt in regno, omnem pacem, et quietem possident ; soli sunt ii, qui in purgatorio exercentur, qui ita in somno pacis requiescunt, ut adhuc refrigerio, et pace indigeant.

Secunda objectio, est Kemnitii duodecima, qui audacter affirmat, olim solam memoriam defunctorum fieri solitam, ad imitationem scilicet, et in testimonium, quod mortui apud Deum vivant, teste Dionysio : postea ad illam memoriam accessisse etiam preces pro defunctis : postremo sacrificium ipsum pro defunctis offerri coeptum ; ita nimirum paulatim veterum instituta in superstitiones degenerasse.

Respondeo : Multa de hac re supra diximus, cap. 7. ubi etiam ex Tertulliano antiquissimo auctore ostendimus usum offerendi pro defunctis, ut non possit non esse mendacium, quod hic scribit Kemnitius, instituta veterum paulatim degenerasse in abusum. Hoc loco solius Dionysii testimonium proferam, ut Kemnitius erubescat, si frontem habet, Dionysius igitur lib. de Ecclesiast. hierar. cap. 7. par. 3. « Accedens », inquit, « venerandus Antistes precem sacram super mortuum peragit, post quam precem, et ipse eum Præsul salutatur, et suo deinceps ordine, qui adstant omnes. Precatur oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumque in luce statuatur, et regione vivorum etc.

## CAPUT XXVI.

### *De sexta oratione Canonis.*

Sexta oratio, quæ et ultima est in canone proprie dicto, incipit ab illis verbis : « Nobis quoque peccatoribus », et extenditur usque ad « Per omnia sæcula sæculorum » ante Dominicam orationem : concluditur enim totus Canon alta voce illis verbis : « Per omnia sæcula sæculorum », ut populus totum confirmet respondendo, « Amen ». Quare feria VI.

majoris hebdomadæ, quia totus Canon, qui pertinet ad consecrationem omittitur, nulla harum sex orationum legitur, nec dicitur, « Per omnia sæcula sæculorum », sed immediate post lotionem manuum, fit transitus ad orationem Dominicam.

In hac oratione pro se ipso orat sacerdos, ac de suis meritis diffusus, precatur sibi ex divina misericordia partem, et societatem cum sanctis Apostolis, et Martyribus. Ubi illud est annotandum, hic nominari primo loco Joannem. Secundo Stephanum. Tertio Matthiam : de quibus multi dubitant cur solus Joannes hic repetatur ex iis, qui nominantur ante consecrationem ; et cur Stephanus Diaconus præponatur Matthiæ Apostolo, et cur Matthias in priore ordine non fuerit nominatus. Et quidem Innocentius, et quidam alii, respondent Joannem bis nominari, quia fuit Apostolus, et virgo ; et ideo etiam conjungi cum Stephano, qui excellere visus est continentiæ dono, cum viduis præpositus fuerit. Sed verior mihi videtur Walfridi sententia, cap. 22. qui Joannem, qui hoc loco nominatur, non Evangelistam, sed Baptistam esse dicit, qui Martyr etiam Domini fuit, et aliquo modo Apostolus, juxta illud Joan. I. *Fuit homo missus a Deo* (1).

Cur autem Stephanus Matthiæ præponatur, vera ratio est, quia servat hoc loco Ecclesia ordinem passionis, non dignitatis : prius autem passus est Joannes, quam Stephanus, et prius Stephanus, quam Matthias.

Cur vero Matthias ante consecrationem in Canone cum aliis apostolis non sit nominatus, existimo causam esse duplicem, tum ut esset etiam aliquis Apostolus ex duodecim in hoc secundo ordine, ac vere dici posset : « Cum tuis Apostolis, et Martyribus » ; tum etiam quia Matthias non fuit Apostolus ante passionem Domini, neque legitur in ordine Apostolorum in Evangeliiis. Neque obstat, quod Paulus quoque non fuerit Apostolus ante passionem Domini, neque in Evangelio nominetur, et tamen in priori ordine recenseatur ; nam id est Pauli privilegium, ut semper cum Petro conjungatur.

Jam contra hanc orationem, est objectio prima Lutheri, qui reprehendit sacerdotem, quod non precetur hoc loco se admitti ad consortium Christi, quasi eo non indigeat ; sed tantum ad consortium Sanctorum : et rursus, quod solum petat partem cum San-

(1) Joan. I, 6.

ctis, cum Christus non partem, sed totum thesaurum suum dare paratus sit.

Respondeo : Meræ calumniæ sunt. Nam consortium Sanctorum est Christi consortium id enim petimus, ut in regno Christi consortium Sanctorum habeamus, non in regno diaboli consortium impiorum. Quod attinet ad vocem, « Partem », ea desumpta est ex divinis litteris, quæ per partem cum Sanctis describunt omne bonum et felicitatem. Coloss. 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum.* Et Joan. XIII. 8. Dominus : *Si non laveris te, non habebis partem mecum* (1). Adde, quod hanc partem orationis, quam Lutherus ita reprehendit, ac ridet, e contrario Kemnitius vehementer laudat, pag. 843. « In altera, inquit, commemoratione Sanctorum in Canone verba sunt pulcherrima. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, etc., hæc absque dubio fuit formula veteris commemorationis Sanctorum. » Hæc ille. Vides igitur, Lector, quam bene conveniat discipulo Lutheri cum magistro suo.

Secunda objectio est Lutheri contra illud : « Per quem omnia semper bona ereas » : Objicit enim quod Christum nos creare existimus. Huc etiam pertinet objectio decima tertia Kemnitii, qui more suo contendit, hæc olim ante consecrationem dici consuevisse ad eleemosynas populi commendandas.

Respondeo : Hæc verba nusquam inveniuntur in Liturgiis, vel apud expositores, ante consecrationem posita : inveniuntur autem post consecrationem apud Alcuinum, et Amalarium lib. 3. de officiis Ecclesiasticis, cap. 26. et apud omnes posteriores ; quocirca inanis est Kemnitii conjectura.

Nihil autem absurdi hæc verba continent, sed potius aptissime conveniunt in Canonis conclusionem : commemorant enim brevissime omnia beneficia divina circa hoc Sacramentum, inchoando a prima productione materiæ, unde illud conficitur. Itaque dicimus a Deo per Christum hoc Sacramentum ratione materiæ. Primo creari, cum panis videlicet creatur. Secundo sanctificari, cum dedicatur per primam oblationem ad Sacramentum conficiendum. Tertio vivificari, cum efficitur mysterium vitæ, et in verum corpus Domini, et in ipsum Christum, qui est vita nostra, convertitur per consecrationem. Quarto benedici, cum omnis benedictionis effectum recipit, ut scilicet Sacramentali effica-

cia caput eum membris uniat. Quinto denique, nobis præstari, cum ad sumendum, ut ex eo vitam hauriamus, datur. Ita Alcuinus totum hunc locum exponit, et post eum Hugo lib. 2. de officiis divinis, cap. 36.

## CAPUT XXVII.

### *De oratione Dominica, et sequentibus orationibus.*

Post Canonem sequitur oratio Dominica, et quædam aliæ orationes, quibus ad Communionem præparamur, et hic incipit quarta pars Missæ. Quamvis enim Innocentius, et alii recentiores, includant intra Canonem etiam orationem Dominicam, et aliqua alia tamen Gregorius lib. VII. epist. 63. et Strabo cap. 22. scribunt, orationem Dominicam legi post Canonem. Porro Dominica oratio habetur in omnibus Liturgiis, et præterea legendam esse ad Missam, perspicuum est ex Cyrillo catechesi 5. mystagogica, ex Ambrosio lib. V. de Sacramentis, cap. 4. ex Hieronymo lib. III. contra Pelagianos, ex Augustino epistol. 59. ad Paulinum, et ex Gregorio lib. VII. epist. 63. et ex Concilio IV. Toletano, can. 47. Post eam orationem, subjungitur oratio quædam, quæ incipit : « Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis etc. » quam reprehendit Kemnitius objectione 14. quia in ea fit mentio intercessionis Sanctorum ; sed de hac re satis multa dicta sunt cap. 8. Adde, quod hæc oratio habetur apud Alcuinum, et alios veteres, proinde antiquissima est.

Sequitur deinde alia oratio dum hostia frangitur, et commiscetur corpus Domini cum sanguine : « Pax Domini etc. » et, « Hæc commixtio, et consecratio. » Et quidem : « Pax Domini », Luthero, et Kemnitio non displicet ; displicet autem valde id quod sequitur : « Hæc commixtio, et consecratio etc. »

Ac primum objicit Lutherus, blasphemum esse, quod hic dicitur de commixtione corporis Christi cum sanguine, cum unus sit Christus et indivisus.

Respondeo : Non intelligunt Catholici, corpus et sanguinem in propria specie commisceri : id enim sciunt fieri non posse, nisi

(1) Coloss. I, 12 ; Joan. XIII, 8.

Christus iterum vulneretur ; sed in specie panis, et vini. Quemadmodum enim ratione specierum, dicitur videri, tangi, et frangi, ita etiam ratione earundem dici potest commisceri.

Secundo objicit, absurdum esse ut dicatur cum ista mixtione fieri consecrationem, cum jam antea per verba Domini facta sit consecratio.

Respondeo : illud verbum, « Consecratio, » non habetur apud Amalarium lib. III. cap. 31. et apud Innocentium lib. V. sed solum : « fiat commixtio corporis etc. » Quocirca nonnulli supervacaneum esse credunt. At ordo Romanus distincte habet : « Commixtio, et consecratio » ; et eodem modo legit Micrologus, cap. 18. et fuit auctor Ordinis Romani antiquior Amalario, et Micrologus Innocentio. Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur : non enim petimus ut nunc fiat consecratio, sed ut consecratio antea facta, sit nobis ad vitam æternam salutaris. Posset etiam fortasse commode responderi, agi hoc loco de nova quadam consecratione, quæ ex commixtione nunc primum exurgit. Nam in Liturgia Jacobi, ubi fit cæremonia commixtionis, leguntur hæc verba : « Unitum est, et sanctificatum. » Porro hæc consecratio nihil est aliud, nisi nova quædam significatio Sacramentalis : ut enim consecrari dicitur, quod acquirit Sacramentalem, significationem ; ita etiam dicitur iterum consecrari, quod acquirit aliam significationem Sacramentalem. Significatur autem per illam commixtionem, resurrectio domini, ut Amalarius lib. 3. cap. 31. et omnes alii scribunt : nam in resurrectione iterum caro Domini cum sanguine suo conjuncta fuit. Itaque in illa commixtione, nova fit consecratio, dum species illæ, quæ divisæ, Christi mortem repræsentabant, nunc inter se conjunctæ, resurrectionem Domini repræsentant.

Tertio objicit idem Lutherus, non recte tribui isti commixtioni vim conferendæ æternæ vitæ : cum enim commixtio illa opus nostrum sit, si ea vim habet salutis conferendæ, certe opere nostro salutem consequemur.

Respondeo, non esse absurdum, si dicamur opere nostro ex divinæ gratiæ auxilio procedente, salutem nostram adipisci ; nam et Paulus habet : *Cum timore, et tremore*

*salutem vestram operamini*, Philip. II. et, *Ore autem confessio fit ad salutem*, Roman. X. (1). Sed hoc loco tamen non dicimur proprie salutem acquirere per commixtionem, et consecrationem, ut illa opera nostra sunt. Nam commixtio, et consecratio dicuntur fieri in nostram salutem, non quod ipsa actio commiscendi, et consecrandi nos salvet, sed quia res ipsæ commixtæ, et consecratæ dum a nobis devote suscipiuntur, multum prosunt ad salutem ; unde hic dicimus : « Fiat sumentibus nobis in vitam æternam ».

Quarto objicit Kemnitius (et est ejus objectio decima quarta) Canonem Missæ, dum istam commixtionem fieri jubet, non solum non convenire cum Scriptura, et Patribus, sed neque cum antiquis Romanis Pontificibus : extat enim prohibitio Julii Papæ apud Gratianum, canone, Cum omne, de consecratione, distinct. 2.

Respondeo : Julius Papa non prohibet commixtionem quæ fit in Missa, sed eam, quam nonnulli faciebant, cum populo Sacramentum Eucharistiæ porrigere volebant. Unde Micrologus cap. 18. describit commixtionem, quæ fit in Missa, ut antiquissimam, et legitimam : deinde cap. 19. reprehendit commixtionem illam, quam Julius reprehendit. Concilium Toletanum IV. can. 17. meminit commixtionis, quæ fit in Missa, eamque probat : Concilium autem Bracarense III. can. I. prohibet commixtionem, quam Julius prohibet. Non est autem verisimile in eadem Hispania, eodem fere tempore, contraria decreta condita fuisse : Concilia enim illa eodem fere tempore circa annum Domini 650. celebrata esse constat. Denique commixtio, quæ fit in calice, habetur in omnibus Liturgiis Græcis, et in Ordine Romano, nec non apud Aleuinum, Amalarium, et omnes alios. Quis autem credat, aut Julium damnasse usum omnium Ecclesiarum aut omnes Ecclesias, et Romanam in primis, obtemperare Julio noluisse ?

Sequitur postea : « Agnus Dei etc. » quod a Sergio Papa ante annos 900. institutum referunt Walfridus cap. 22. Micrologus cap. 18. et omnes alii. Neque adversariis displicet.

Tum sequuntur tres orationes ante communionem, quas (ut supra notavimus ex Micrologo, cap. 18.) non præscripsit ordo antiquus Missæ, sed devotio religiosorum in-

(1) Philip., II, 12 ; Rem. X, 10.



vexit. Earum primam reprehendit Lutherus, ob illa verba : « Non respicias peccata mea, sed fidem Ecclesie tuæ. » Dicit enim his verbis, sacerdotes damnare seipsos, quod affirmant se sine fide indigne, instar canum, tractare hoc Sacramentum : et hinc factum esse, ut Papistæ sentiant, hoc sacrificium placere Deo ex opere operato, sine bono motu utentis.

At hic ter peccat Lutherus. Primum enim non dicit sacerdos se non habere fidem, sed tantum se habere peccata. Potest autem quis non solum fidem, sed etiam eharitatem habere, et tamen agnoscere se peccatorem : alioqui nemo justus posset dicere in oratione Dominica : « Dimitte nobis debita nostra ». Sacerdos igitur fatetur se peccatorem, et non habere tantam fidem, quantam hoc mysterium requireret : unde etiam paulo post dicit : « Domine, non sum dignus ; » et ideo mavult, ut Deus ad fidem Ecclesie, quam ad suam propriam respiciat. Duplex enim dignitas circa hoc Sacramentum distinguitur. Una quam Sacramentum necessario requirit, et hæc in eo consistit, ut quis non habeat conscientiam peccati mortalis : et qui ista carent, dicuntur indigni I. Corinth. II. et gravissime peccant accedentes. Altera dignitas est, quem Sacramentum requireret, si non nostram imbecillitatem, sed ejus excellentiam respiciamus : et hæc in eo posita est, ut solis radiis, et ipsis etiam Angelis puriores simus ; et de hæc loquuntur sacerdotes, cum se indignos fatentur.

Deinde falsum est, Catholicos existimare sacrificium hoc placere Deo, sine bono motu utentis. Nam etiam si ipse minister offerens forte sit malus, et careat bono motu, tamen Christus principalis offerens non caret bono motu : imo ideo hic oramus, ut Deus respiciat fidem, id est, bonum motum Ecclesie, quia existimamus sive bono motu alicujus offerentis sacrificium Deo minime placiturum. Quod si forte Lutherus agat de bono motu ejus, pro quo sacrificium offertur, distinguendum est, de effectu sacrificii immediato, qui est placare Deum, et de mediato, qui est justificare hominem. Nam si de prioribus agatur, non est absurdum, sacrificium prodesse sine bono motu ejus, cui prodest. Quemadmodum enim orare possumus pro dormiente, et indevoto, vel etiam impœnitente, ita etiam sacrificium offerre ; et sicut oratio, ita et sacrificium illi prodesse poterit, licet ignoret quid agatur. At si de

posteriore, falsum est, sacrificium prodesse sine bono motu ejus, cum ad hoc potissimum sacrificium offeratur, ut Deus hoc sacrificio placatus, bonum illi motum, id est, conversionem inspiret.

Denique fallitur Lutherus, cum opus operatum ex sententia Catholicorum, opponit bono motui, quasi idem sit, sacrificium prodesse ex opere operato, et prodesse sine bono motu utentis. Nam Catholici omnes docent, Sacramenta vim habere ex opere operato : et tamen requirunt bonum motum, id est, fidem, et pœnitentiam ex parte suscipientis.

Sequitur illa oratio : « Quod ore sumpsimus etc. » Et illa : « Corpus tuum Domine, quod sumpsi » ; quas Lutherus etiam approbat in formula Missæ, Collectas autem solum reprehendit, quod in eis fiat mentio sacrificii, sed de hæc re satis multa dicta sunt.

Sequitur : « Ite Missa est ; » qua etiam dimissione utuntur Græci, sed per illa verba : « In pace Christi eamus » : et respondetur : « In nomine Domini », ut patet ex Liturgiis Jacobi, Basilii, et Chrysostomi. Porro : « Ite Missa est », ut Aalenus recte docet, nihil aliud significat, nisi, Ite, dimissio conceditur, de qua re initio primi libri disseruimus. Cur in quibusdam Missis, non dicatur, « Ite Missa est », sed, « Benedicamus Domino », causam reddit Micrologus, cap. 64. Scribit enim, in Missis festivis populum semper ad Missas convenire ; et ideo in fine publice dimissionem denuntiari : in diebus ferialibus non convenire, ut plurimum, nisi Clericos, et Monachos, quibus non esse dicendum, « Ite », sed potius invitandos ad permanendum in Dei laudibus, cum ipsorum officium sit, in precibus, et laudibus Domini occupari. Sunt tamen Missæ quædam solennes, et ad quas, populus concurret, et tamen in eis non dicitur : « Ite Missa est, » sed, « Benedicamus Domino », ut in Dominicis adventus, et Quadragesimæ. Sed hoc fit solum ad significandam mœstitiam illius temporis : videtur enim nescio quid lugubre præ se ferre, quod non publica denuntiatur dimissio, sed unusquisque per se discedit.

Sequitur postea : « Placeat tibi sancta Trinitas ». Quam orationem arguit Lutherus, quod dicat in ea rursus orari pro Christo : sed hoc solutum est supra in 2. objectione Lutheri contra 4. orationem Canonis.

Eandem orationem damnat Kemniti-  
 objectione 16. ubi dicit, hic proponi Deo  
 repræsentationem sacerdotis pro sacrificio  
 propitiatorio. Sed Kemniti-  
 in eodem luto : non enim repræsentationem  
 nostram, sed sacrificium corporis Domini,  
 reipsa oblatum, Domino commendamus ;  
 ut illud benignus accipiat, et nobis propitia-  
 bile esse concedat.

Sequitur Benedictio : « Benedicat vos  
 etc. » quem usum esse antiquissimum patet,  
 tum ex Lithurgiis Græcis, tum ex concilio  
 Agathensi, can. 47. ubi populis imperatur,  
 ut diebus Dominis Missæ celebrationi inter-

sint, neque inde ante Sacerdotis benedictio-  
 nem recedant. De hac benedictione vide  
 Micrologum, cap. 21. ubi probat non solis  
 Episcopis, sed etiam Presbyteris licere post  
 Missam populo benedicere; et ad epistolam  
 Damasi de cor episcopi, et ad canonem  
 44. Concilii Agathensis, ubi id Presbyteris  
 interdictum esse videtur, respondet ea de-  
 creta, aut intelligenda esse de benedictione  
 Presbyteri, Episcopo præsentem, aut certe  
 usu tandem abrogata fuisse. Atque hæc  
 de sacrificio, pro instituta brevitate, sint di-  
 cta.

FINIS LIBORUM DE SACRAMENTO EUCHARISTIE

AD HONOREM DEI

---

UNDECIMA CONTROVERSIA GENERALIS

DE SACRAMENTO

**PŒNITENTIÆ**

QUATUOR LIBRIS COMPREHNSA



## CONTROVERSIARUM

# DE PŒNITENTIA

## LIBER PRIMUS

### QUI EST DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

De Sacramento Pœnitentiæ quatuor sunt controversiæ principales, quas, prout Dominus, pro cuius solius gloria scribimus, dederit, explicabimus. *Prima* est de genere, an videlicet Pœnitentiæ sit Sacramentum proprie dictum, et quæ sint ejus partes. *Alter*a de Contritione, quæ prima pars est materialis Pœnitentiæ. *Tertia* de Confessione, quæ est pars secunda. *Quarta* de Satisfactione, quæ est pars tertia.

Sed antequam ad ipsas controversias accedamus, operæ pretium esse duximus, tria quædam præmittere : Qui auctores de hoc argumento scripserint ; quibus imposturis, et mendaciis veritatem involvere nitantur adversarii ; et quid nomine Pœnitentiæ cum apud Latinos, tum apud Hebræos, et Græcos intelligatur.

### CAPUT PRIMUM.

*Qui scripserint de Pœnitentia tum Catholici,  
tum Hæretici.*

Igitur ex Catholicis multi de Pœnitentia egregia volumina reliquerunt. Ac ut a veteribus incipiamus. Primus de Pœnitentia librum integrum scripsit Tertullianus, quem tamen inter Catholicos non numeramus. Deinde, S. Cyprianus de eodem argumento scripsit tum in sermon. 5. de lapsis, tum in lib. ad Novatianum. Tertio, scripsit Pacianus epistolas tres contra Novatianos, et Parænesim ad Pœnitentiam ; quæ omnia nunc habentur in primo tomo Biblioth. sanctorum Patrum. Quarto, sanctus Ephrem scripsit librum de Pœnitentia, et alterum de vera Pœnitentia. Quinto, S. Ambrosius scripsit libros duos de Pœnitentia adversus Novatianos,

Sexto, S. Joan. Chrysostomus scripsit homilias duodecim de Pœnitentia. Septimo, S. Augustinus scripsit homilias duas, quæ sunt 27. et 50. et in lib. l. homiliarum, quarum altera sub titulo libri de utilitate Pœnitentiæ ; altera sub titulo libri de Pœnitentiæ medicina, in tomo 9. etiam habentur. Octavo, Theodoretus in Epitome divinarum decretorum, de Pœnitentia proprium tractatum fecit. Nono, Victor Cartennensis insigne volumen scripsit de Pœnitentia. Decimo, Hugo de S. Victore lib. ii. de Sacramentis part. 14. Undecimo, Petrus Lombardus, et post eum Theologi Scholastici lib. iv sentent. dist. 14. et Gratianus, ac post eum Jureconsulti 33. quæst. 3.

Proprie autem adversus Hæreticos recentiores hi Theologi scripserunt. Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 135. et seq. Joannes Eckius in homiliis de Sacramentis, et in tribus libris de Pœnitentia. Joannes Roffensis in refutatione articulorum Lutheri. Albertus Pighius controversia nona.

Petrus a Soto de institutione sacerdotum. Ruardus Tapperus in explicatione articulo-  
rum Lovaniensium. Alphonsus a Castro in  
libris contra Hæreses. Dieghus Payva lib. VIII.  
Orthodoxarum explicationum. Jacobus Lato-  
mus in defensione articuli tertii Lovaniensium,  
et in lib. de Confessione secreta ; et in  
altero contra OEcolumpadium. Joannes Anto-  
nius Delfinus lib. II. de Ecclesia. Marianus  
Victorius historiam scripsit de Sacramento  
Confessionis. Hosius Cardinalis in Confessione  
Polonica cap. 44. et sequentibus. Wilhelmus  
Lindanus lib. IV. Panopliæ cap. 57. et  
sequentibus. Peresius Ajala in libro de tradi-  
tionibus part. 3. Andreas Vega lib. XIII.  
in Concilium Tridentinum. Joannes Cochlæus  
in discussione articulo-  
rum 41. et 43. Augustanæ Confessionis. Joannes  
a Daventria in refutatione eorundem articulo-  
rum. Joannes Hoffmeisterus in judicio de iisdem  
articulis. Alphonsus Virvesius Philippica 9. 10. et 11.  
Joannes Medina tractatu de Pœnitentia, Con-  
fessione et Satisfactione. Melchior Canus in  
relectione de Pœnitentia. Chrysostomus Ja-  
vellus lib. de Philosophia Christiana part. 5.  
tract. 5. Tilmannus in lib. de Sacramentis  
cap. 4.

Jam vero ex hæreticis nostri temporis,  
scripsit primus Martinus Lutherus de Pœ-  
nitentia in lib. de captivit. Babylon. cap. de  
Sacramento Pœnitentiæ ; in assertionibus  
articulo-  
rum suorum ; in disputationibus  
contra Antinomos. Philippus Melanchthon  
in Confessione Augustana, et ejus Apologia  
art. 11. et 12. in locis communibus, titulo de  
Pœnitentia, Contritione, Confessione et Satis-  
factione : et in disputatione quadam de Pœ-  
nitentia. Joannes OEcolumpadius in lib. de  
Confessione. Joannes Brentius in Confessione  
Wirtembergensi, et in ejus Apologia, et in  
homiliis de Pœnitentia. Joannes Calvinus  
lib. III. Institut. cap. 4. et lib. IV. cap. 19.  
Joannes Wigandus in lib. qui inscribitur  
Methodus doctrinæ Ecclesiæ Magdeburgensis  
cap. 18. Petrus Palladius in Admonitione de  
Pœnitentia et Justificatione. David Chy-  
træus in sua Catechesi, loco 8, Martinus  
Kemnitius in secunda parte Examin. Tri-  
dentini Concilii ad 14. sess. Theodorus Beza  
in sua Confessione fidei cap. 7.

## CAPUT II.

*Deteguntur imposturæ, et mendacia quædam  
crassiora Lutheri.*

Nunc ut ad mendacia veniamus : Luthe-  
rus in libello quem inscripsit : Adversus exe-  
crabilem Antichristi bullam, de 6. articul.  
disputans, sic ait : « Lege libros illorum So-  
phistarum de Pœnitentia, et videbis eos nec  
promissionis, nec fidei ullam mentionem fa-  
cere. Has enim partes Pœnitentiæ vivas  
omittunt, et solis mortuis contritionibus ho-  
mines exagitant. » Hæc ibi. Idem repetit his  
verbis, in lib. de captivit. Babylon. cap. de  
pœnitentia : « Non hoc contenta Babylona  
nostra, fidem quoque adeo extinxit, ut impu-  
denti fronte eam negaret necessariam esse in  
Sacramento isto, imo Antichristica impie-  
tate definiret hæresim esse, si fidem necessa-  
riam quis esse assereret. »

Hæc impudentissima calumnia non solum  
refutatur omnibus Catholicorum libris, qui  
primo loco fidem exigunt in justificatione  
adulorum : sed etiam ex ipsomet Lutero  
secum in eadem pagina intra septem lineas  
apertissime pugnante. Sic enim ait in libro  
supra citato adversus execrabilem Antichri-  
sti bullam, et in eadem ipsa pagina : « Hoc  
ea doctrina egi : pœnitentiam nullius esse  
momenti, nisi in fide, et charitate fieret ;  
quod ipsimet docent quoque, nisi quod nec  
quid fides, nec quid charitas sit, aut sciunt,  
aut docent. » Hæc ibi.

Secundum, idem Lutherus in eodem lib.  
de captiv. Babylonica cap. de Pœnitentia :  
« Principio, inquit, Contritionem sic docue-  
runt, ut eam fide promissionis priorem face-  
rent, et longe viliorem, ut quæ non esset fi-  
dei opus, sed meritum ; imo non memo-  
rantur eam. » Et infra : « His audaciores, et  
peiores finxerunt quamdam attritionem, quæ  
virtute Clavium, quam ignorant, fieret Con-  
tritio : eam donant impiis, et incredulis, ut  
sic universa Contritio aboleretur. O iram  
Dei insustentabilem. Hæccine in Ecclesia  
Christi doceri ? » Hæc ille.

At hæc omnia imposturæ, et calumniæ  
sunt. Nemo enim Catholicorum Contritionem  
priorem esse fide, neque ipsam etiam attri-  
tionem nisi fide præcedente ullo modo habe-  
ri posse docuit : fidem autem ita certi sumus

donum esse Dei, ut neque Contritione, quæ ex fide nascitur, neque ullo alio opere, tamquam ex merito acquiri posse constanter doceamus. Neque Lutherus ullum notare potuit auctorem ex nostris, id est Catholicum, qui ea scripserit, adversus quæ ipse adeo tragice vociferatur. Sed video unde occasionem acceperit calumniandi : fidem enim novus iste apostolus longe aliter definit, quam in epist. ad Hebræos B. Paulus definierit, et quam acceperit, hactenus Catholica Christi Ecclesia. Quia igitur inanem illam persuasionem, qua Lutherani jubent unumquemque firmissime credere sibi a Deo remissa esse peccata, nos Catholici non agnoscimus, ac ne fidei quidem Catholicæ nomine dignamur ; Lutherus ut simplicibus imponat, nos fidem simpliciter a Contritione separare, atque adeo de medio tollere calumniatur. At nos non fidem Christi, sed hæresim Lutheri minime necessariam ad Contritionem esse contendimus.

Tertio, idem Lutherus in 4. disput. adversus Antinomos propos. 3. docet, apud Catholicos pœnitentem oportere esse incertum de remissione peccatorum. Et in eadem disputatione, proposit. 9. affirmat Papistas cogere homines ut diffidant an Christus pro illorum peccatis sit mortuus. Et in serm. de Eucharistia, quem habuit anno 26. dicit, summe erratum esse ; quod nemo hactenus rationem Absolutionis habuerit, quod videlicet non certo crediderint se absolutos.

Ubi est aliquid breviter observandum, ut fundamentum harum calumniarum facilius detegatur. Cum tria concurrant ad remissionem peccatorum Christi meritum, virtus Sacramenti, et propria dispositio per ipsam pœnitentiam, quæ sine actu fidei, aliarumque virtutum haberi non potest : Catholici homines adeo non dubitant de Christi merito, et Sacramenti virtute, ut hæreticos censeant qui Christum non pro omnibus mortuum, aut ejus mortem non ad omnia omnium hominum peccata delendæ sufficere, aut Sacramenti virtutem inefficacem ; incertamve esse disputare ausi fuerint. De propria dispositione, an ea sit qualis requiritur, non immerito ambigi posse docent. Quod quidem ipsi etiam Lutherani fateri coguntur : nam fidem, et pœnitentiam requiri non negant : posse autem falli hominem in sua fide ac pœnitentia discernenda, concedunt. Sic enim Lutherus loquitur in serm. de Baptismo habito anno 1535 : « Ut Baptismus certus sit in

nobis, ideo non fundat eum Deus supra fidem nostram, cum illa possit incerta, et falsa esse, sed supra verbum et institutionem suam, » Et Joannes Calvinus lib. III. Instit. cap. 2. §. 10. de iis loquens, qui fidem se habere existimant, cum tamen non habeant : « Tot vanitatis, inquit, recessus habet, tot mendacii latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi obiectum est, ut seipsum sæpe fallat. At vero qui talibus fidei simulacris glorientur, intelligant diabolis nihilo se in hac parte præcellere. » Hæc ille.

Lutherus igitur, ut etiam Lutherani passim, cum intelligant Catholicos de consecutione remissionis peccatorum interdum non sine causa dubitare ob indispositionem propriam ; mira fraude, quod est unius causæ, ad aliam transferunt, et impudenter nobis affingunt, quod de mortis Christi pretio, aut de Sacramenti virtute, et efficacia dubitemus. Accedit, quod Catholici non docent oportere pœnitentes (ut Lutherus mentitur) esse incertos de remissione peccatorum, quin potius hortantur, ut ita vivant, et ea diligentia, eoque studio Sacramentum percipiant, ut certo confidere possint sibi remissa esse peccata, et testimonio pacatæ conscientiæ jucundissime perfruantur.

Sed duo sunt quæ Catholici docent, et in quibus ab adversariis dissidemus. Alterum, certitudinem quam de remissione peccatorum habere possumus, et plurimi fidelium post Sacramenta percepta habent, non esse certitudinem fidei Catholicæ, sed moralem et humanam, nec tam fidei, quam fiducia. Alterum, eos, qui hac certitudine carent, et ob suam infirmitatem metuunt ne forte Sacramenti fructum non perceperint, non esse propterea inter infideles et impios numerandos ; neque ideo inutiliter Sacramenta percipere, quia timent ne forte inutiliter Sacramenta percipiant.

Adversarii vero non minus certo credere jubent eos, quibus Sacramenta ministrant, sibi remissa esse peccata, quam Christum Deum esse, et eadem de causa qui de sua justificatione dubitant, impios et infideles judicant : in quo apertissime falluntur. Nam etiamsi ex verbo Dei certi simus, omnibus illis remitti peccata, qui ut oportet ad Pœnitentiæ Sacramentum accedunt, dicente Domino : *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Joan. xx, 23. Hunc tamen aut illum hominem, ut oportet, ad Sacramentum accedere, ex verbo Dei colligi non potest, sed

ex humanis tantum conjecturis, ac signis, proinde ad fidem Catholicam et divinam, quæ verbo Dei nititur, id pertinere nullo modo potest.

Quarto, idem Lutherus in lib. de Missa privata edito anno 34. scribit plerosque Catholicorum horribili, et satanica impudentia jam rursus docere, Christum tantum satisfecisse pro peccato originali : pro actualibus autem nos ipsos satisfacere oportere, et ita ex Christianis nos jam fieri Turcas et Ethnicos, consputato Christo. Idem in præfatione commentariorum in epist. ad Galat. anno 35. longius progreditur : dicit enim a Catholicis minoris Christum aestimari, quam a Judæis ; cum Judæi Christum habeant pro latrone merito in cruce suspensio : Catholici autem (ut ipse mentitur) Christum habeant pro fabula, et tanquam aliquod fictum numen apud Gentiles.

Mendacium hoc tam est crassum, et manifestum, ut nulla refutatione indigeat. Catholici enim Satisfactionem non ad ipsa peccata actualia delenda referunt, nisi forte per modum dispositionis ; sed ad pœnas temporales, quas divina sapientia remanere voluit remissa culpa : porro culpas ipsas actuales Catholici omnes per Sacramentum Pœnitentiæ, quod vim habet ex Christi sanguine, purgari affirmant. Id quod neque Lutherus ipse ignorare potuit : nam in disputatione Philippi de partibus Pœnitentiæ, cui Lutherus epistolam laudatoriam præfixit, ita habet propositio 10 : « Recte fatentur adversarii quod satisfactiones non mereantur remissionem culpæ », et idem repetit, Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ in art. de Confessione, et satisfactione. Adde, quod non solum Catholici docent Christum satisfecisse pro culpis omnibus, sed etiam pro omnibus pœnis : cæterum Christi satisfactionem non eodem modo nobis applicari pro culpa originali, et pro actuali ; neque eodem modo pro pœna æterna, et pro temporali, ut infra suo loco explicabimus.

Quinto, idem Lutherus in comment. epist. ad Galat. in illa verba II. cap : *Si enim quæ destruci, iterum hæc ædifico, etc.* scribit Catholicos in Confessionis Sacramento nullam mentionem facere meriti Christi, sed inculcare tantum humanas satisfactiones : id quod probat ex forma Absolutionis, qua utuntur religiosiores Papistæ.

Sed hoc mendacium non opinor Luthe-

rum vigilanda, sed dormiendo scripsisse : nam in ipsa forma Absolutionis, quam eo loco ponit, et quam etiam ex Luthero Tilmannus Heshusius recitat in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, loco 9, num. 57, prima verba sunt hæc : « Meritum passionis Christi, et meritum Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, etc. »

Sexto, idem Lutherus in captivit. Babyl. cap. de Sacramento Pœnitentiæ, in ipso principio sic ait : « Primum hujus Sacramenti, et capitale malum est, quod Sacramentum ipsum in totum aboleverunt, ne vestigio quidem ejus relicto. »

At si ita esset, ut Lutherus hoc loco dicit, certe non aestimarent Catholici ex Lutheri sententia, septem esse Sacramenta : non enim septem esse possunt si unum dematur. Idem autem Lutherus in ipso principio ejusdem libri de captivit. Babyl. cum dicit, neganda sibi esse septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, satis aperte significat apud Catholicos septem Sacramenta communiter numerari.

Septimo, idem Lutherus in lib. adversus Papatum Romæ fundatum, quem edidit anno 45. uno anno videlicet antequam de hæc vita migraret, ita impudenter mentitur, et obscœne, ac petulanter loquitur, ut mirum sit ab ipsis suis hominibus non pro scurra potius, quam pro Evangelista habitum. Audacter scribit Papam dicere : « Nemo extra me, meas Claves, et Missas, potest open ferre : Christus et fides hic nihil possunt conferre. » Item : « Christus est ebrius, stolidus, fatuus, et oblitus quantam potestatem ligandi cum Clavibus mihi tradiderit. » Item : « Qui non adorat ventris mei crepitus, peccatum mortale committit, et dignus est inferno. » Ibidem serio affirmat, Papam et omnes qui illi adherent, quos rudes, et stupidos, ac sceleratos asinos vocat, nihil omnino scire in sacris litteris, nihil nosse de Deo, de Christo, de Baptismo, de Eucharistia, de Clavibus, de bonis operibus : et extra dubitationem esse dicit, nullum Catholicorum scire unum ex decem Præceptis, vel unam petitionem orationis Dominicæ, vel aliquem articulum Symboli : imo neque ordinem Decalogi posse recensere, quæ apud suos Lutheranos etiam pueris quinque annorum notissima sunt.

Hæc si refellere velim, injuriam faciam vel ipsis Lutheranis, quasi eos tam hebetes,



et tardos esse censeam, ut hæc tam splendida mendacia sibi persuaderi passi fuerint.

Octavo, idem Lutherus in articulis Smalchaldicis, quos anno 1537. colligit, et in conventu suorum promulgavit, in 3. par. titulo de falsa Pœnitentia Papistarum, præter alia multa mendacia, quibus titulus ille scatet, Catholicis imponit, quod doceant eos qui recte Pœnitentiam agunt, mereri remissionem peccatorum. Item addit, apud Catholicos nullam fieri Christi, aut fidei mentionem, sed sperare unumquemque se propriis operibus abolere omnia peccata coram Deo : item Contritionem Catholicorum, esse fictam et simulatam cogitationem peccatorum ex propriis viribus profectam sine fide, et sine cognitione Christi.

Hæc et similia, quæ eo loco sæpius repetuntur, et inculcantur, tantum abest ut pro nostris agnoscamus, ut ea in Pelagianis hæreticis prorsus damnemus. Sed ut sæpe dixi, facile est sine teste quidlibet asserere, et proclive, ac familiare hæreticis mentiri.

### CAPUT III.

#### *Calumniæ et mendacia Melanchthonis.*

Philippus Melanchthon Confessionis, et Apologiæ auctor, et Confessionistarum quasi proprius parens, ut locum hunc de Pœnitentia præter cæteros diligenter muniret, variis imposturis, et calumniis fucandum censuit : ac primum in ipsa Confessione Augustana art. 12. mentitur, Catholicos non docere remissionem peccatorum per fidem contingere, sed per nostram delictionem, et opera ; et satisfactiones esse necessarias ad redimendas pœnas æternas.

Sed operæ pretium erit audire, quam varie hoc mendacium in variis editionibus expresserint. Nam in ipsa Confessione quam anno 1530. Imperatori Carolo exhibuerunt, ita legimus : « Rejiciuntur et isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed jubent nos mereri gratiam per satisfactiones nostras. » In editione autem Wirtembergensi anno 1531. ita mutarunt : « Rejiciuntur et isti, qui non docent remissionem peccatorum per fidem contingere, sed docent remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem, et opera. Reji-

ciuntur et isti, qui Canonicas satisfactiones docent necessarias esse ad redimendas pœnas æternas aut pœnas Purgatorii. » In editione anni 1540. ita posuerunt : « Damnant et illos, qui non docent remissionem peccatorum per fidem gratis propter Christum contingere : sed contendunt remissionem peccatorum contingere propter dignitatem Contritionis, Dilectionis, aut aliorum operum ; et jubent dubitare conscientias in Pœnitentia, an consequantur remissionem peccatorum, et affirmant hanc dubitationem non esse peccatum, etc. ». Eadem Confessio in articulo de Confessione, quæ est inter eos de abusibus, in editione anni 31 : « Antea, inquit, immodice extollebantur satisfactiones ; fidei vero, et meriti Christi, ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio. » Et in editione anni 40 : « Nusquam, inquit, Confessio quidquam certi, docent quomodo contingat remissio peccatorum : de fide prorsus est altissimum silentium, imo jubent perpetuo dubitare de remissione peccatorum. » Et infra : « Docti, inter Catholicos scilicet, fingunt per satisfactiones compensari æternam mortem : indocti putabant his operibus emi remissionem culpæ. »

Jam vero idem Philippus in Apologia ad art. 12. tot fraudes, et imposturas congressit, ut difficile sit vel numerum inire : quarum tamen partem aliquam refutavimus in eo libello, quem inscripsimus *Judicium de libro Concordiæ Lutheranorum*. Sed unum est mendacium tum in Confess. in art. de Confessione, editionis anni 1540. tum in Apologia ad articulum de Pœnitentia, quod nullo modo præterire possum. Gloriatur Philippus maximam huic loco a suis esse lucem allatam. In Confessione sic loquitur : « Fuit obruta ingenti acervo inutilium ac malarum opinionum simplex doctrina de Pœnitentia. » Et paulo post : « Ideo huic articulo maxime studuerunt nostri lumen afferre, quem quidem ita patefecerunt, atque illustraverunt, ut etiam adversarii saniores fateantur hac in re bene meritos esse de Ecclesia. » In Apologia vero hæc addit : « Omnes, inquit, boni viri omnium ordinum, ac Theologici ordinis etiam, haud dubie fatentur, ante Lutheri scripta confusissimam fuisse doctrinam Pœnitentiæ. Extant libri Sententiariorum, ubi sunt infinitæ quæstiones, quas nulli Theologi unquam satis explicare potuerunt : populus neque rei summam complecti potuit, nec videre quæ precipue requirerentur in

Pœnitentia, ubi quærenda esset pax conscientiæ. Prodeat nobis aliquid ex adversariis, qui dicat quando fiat remissio peccatorum : Bone Deus, quantæ tenebræ sunt. Dubitant utrum in Attritione, vel in Contritione fiat remissio peccatorum. » Et infra : « Nôs igitur, ut explicaremûs piâs conscientias ex his labyrinthis sophistarum, constituimus duas partes Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, et Fidem etc. »

At nos contra verissime dicere possumus, ante Lutheri defectionem, et scripta illa contentiosa, planissimam fuisse doctrinam de Pœnitentia, si ea spectentur, quæ ad hoc Sacramentum cum fructu suscipiendum et ministrandum pertinent, quæ sola a populo, et sacerdotibus communiter sciri necesse est. Sciebant enim, et fatebantur omnes, Pœnitentiam Sacramentum esse ; neque de ea re ulla controversia erat. Sciebant quo tempore necesse esset Pœnitentiam agere, atque ad hoc Sacramentum accedere. Sciebant quid esset agendum, ut Sacramentum hoc utiliter perciperetur, nimirum dolendum esse de peccato præterito, et propositum concipiendum vitæ melioris ; confitenda sacerdoti omnia peccata mortalia, quæ ad mentem post examen venirent : mulctam denique subeundam, quam sacerdos imposuisset. Sciebant per Absolutionem remitti peccata, Deo nimirum Christi merita per sacerdotum ministerium applicante : idque gratis, non ob meritum vel dignitatem Contritionis, nedum Attritionis, ut mendacissime Adversarii nobis imponunt. Sciebant denique a quo Pœnitentiæ Sacramentum petere deberent, a proprio videlicet animarum suarum Pastore, vel certe ab eo, qui a communi Pastore totius Ecclesiæ ad id munus facultatem haberet. Hæc omnia, et nota erant omnibus, et extra controversiam posita, et ad populi instructionem in Catechismis, aliisque communibus libris passim inveniebantur.

Quod si præterea quædam subtilius a Theologis disputabantur in scholis de Pœnitentiæ Sacramento, ea nihil populi fidem impediabant, quemadmodum nec disputationes de Trinitate, de Incarnatione, de peccato originis, aliisque fidei nostræ mysteriis impedimento sunt plebi, quo minus simplicem Symboli fidem ex concionibus, et Catechismis haurire possint.

At post Lutheri scripta et concertationes, ita confusa et obscurata sunt omnia, ut nihil certi jam habeant Lutherani de præcipuis

capitibus doctrinæ de Pœnitentia, ut mirum non sit, disputationes subtiliores scholasticorum apud eos cessasse, cum in primis elementis, et iis, quæ ab ipso etiam populo cognosci debent, nondum convenire potuerint. Contendunt enim adhuc, sitne ullum Pœnitentiæ Sacramentum ; an sit retinenda privata Confessio ; quæ peccata sint confitenda necessario ; quo tempore sit faciendâ Confessio ; cui sit faciendâ ; et num etiam fœminæ, ac pueri possint absolvere ; Fidesne Contritionem, an Contritio Fidem præcedere debeat. Nam Lutherus in captivit. Babylon. cap. de Pœnitentia, tragice vociferatur in eos, qui Contritionem Fide priorem faciunt, quique eam impiis, et infidelibus tribuunt : « O iram, inquit, Dei insustentabilem. Hæcine in Ecclesia Christi doceri ? » Et tamen Confessio Augustana artic. 12. qui est de Pœnitentia, et in art. de Confessione, et Apologia ad artic. 12. disertis verbis docent, Contritionem præcedere, Fidem autem subsequi ; ex quo sequitur, ut Contritio nunquam nisi in impiis, et infidelibus reperiat ; Ita in re primaria pugnat Confessio, quæ est Lutheranis loco novi cujusdam Evangelii, cum ipso Luthero, qui est iisdem loco novi cujusdam Evangelistæ. Sed his omissis, pergamus ad cætera.

Idem Philippus in disputatione de Pœnitentia, proposit. 7, sic ait : « Stulte, et impie docuerunt Scholastici, peccata remitti per Contritionem sine fide. » Et proposit. 14 : « Tota, inquit, doctrina de Pœnitentia apud scholasticos, plena est errorum, et impietatis, quia omittunt caput negotii ; videlicet fidem, quia non docent hominem fide accipere remissionem peccatorum. » Idem in alia disputat. cont. art. Lovanienses proposit. 9 : « Detrahunt, inquit, gloriæ Christi, quando dicunt remitti peccata propter nostra merita, non propter Christum. » Et proposit. seq. : « Hunc tetrum errorem, quo deletur præcipuus articulus fidei : Credo remissionem peccatorum, impie defendunt Lovanienses in suo decreto. » Idem in locis communibus ultimo editis. tit. de Confess. : « Monachi, inquit, finxerunt enumerationem peccatorum in Confessione esse cultum, et meritoriam remissionis. »

Hæc omnia mendacia sunt, neque alio testimonio probari possunt, nisi quia Luthero libuit ea confingere ; quod enim ille dixit, pro vero habendum, et sæpius repetendum est, licet alioqui falsissimum sit.

Denique in Locis communibus editis anno 1522. cum primitias spiritus Lutherici se habere gloriaretur Philippus, mendaciis et imposturis contemptum addebat antiquissimi et celeberrimi Concilii œcumenici Nicœni : sic enim scripsit in eo lib. tit. de humanis legibus : « In Synodo Nicœna constitutæ sunt quædam Pœnitentiæ formæ : non pronuntio quo spiritu decreverint Patres ; at video bonam Evangelii partem, imo vim germanam Evangelii obscuratam esse ea traditione ; nam inde primum natæ sunt satisfactiones. » Et infra : « Porro nostrorum temporum theologastri secuti priscam traditionem Synodi Nicœnæ, fecerunt ex satisfactionibus partem Pœnitentiæ ; quo errore plane non est alius nocentior. » Hæc ille.

In quibus verbis tria mihi animadvertenda esse videntur. Primo, incredibilis audacia hujus hominis, qui cum eo tempore juvenis esset, et sacras litteras vix attigisset, in scholis grammaticorum tantum versari solitus ; tamen jam spiritu hæretico ebrius, pronuntiare ausus sit, a Nicœna generali Synodo omnium antiquissima, et sanctissima, vim germanam Evangelii esse obscuratam.

Secundo, inscitia intolerabilis in eo, qui se censorem Nicœnæ Synodi profitebatur : neque enim verum est, ex Concilio Nicœno primum natas esse satisfactiones, cum Concilium Neocæsariense, et Ancyranum, quæ sunt Nicœno vetustiora, plena sint Canonibus pœnitentialibus : et S. Cypriani sermo de lapsis, ac Tertulliani liber de Pœnitentia (ut alios nunc omittam) nihil fere aliud sonent nisi satisfactiones. Floruisse autem S. Cyprianum annis circiter octoginta, et Tertullianum annis plus centum ante Synodum Nicœnam, nemo inficiari potest.

Tertio, admirabilis inconstantia. Nam cum doctrinam nostram de Pœnitentia, quam oppugnant, passim novam esse clamitent, et Papistarum commenta appellare soleant, hic Philippus affirmare non dubitavit, theologastros nostri temporis in eo quod Satisfactionem partem Pœnitentiæ fecerunt, secutos esse Patres Synodi Nicœnæ. Quod si ita est, antiquissimam fateri oportet Catholicorum doctrinam : novam autem, quæ illi repugnat, Lutheranorum.

## CAPUT IV.

*Calumniæ, et mendacia Tilmanni Heshusii.*

Tilmannus Heshusius, qui se Episcopum Sambiensem scribit, cum animadverteret multis jam annis Catholicos protestari, mendacia plurima a Luthero, Philippo, cæterisque sectariis esse conficta, ut doctrinam Catholicam, quam solidis rationibus confutare non poterant, imposturis saltem odiosam facerent, consilium cœpit indicandi auctores eorum omnium errorum, qui nobis a Lutheranis objiciuntur, ut auctoribus nostrarum sententiarum conspectis atque agnitis, desineremus aliquando Lutheranos tot mendaciorum, et calumniarum reos facere. Itaque librum scripsit de sexcentis erroribus, quos Romana Ecclesia contra Dei verbum furenter defendit : de quo libro in aliis locis non pauca diximus.

Nunc inspiciemus solum locum novum, qui est de Pœnitentia. In eo loco errores tres, et octoginta numeravit Heshusius, quos de Pœnitentia a Catholicis affirmari contendit.

Sed in his non inveniuntur, qui a Luthero, et Philippo passim nobis objiciebantur, ut quod fidem excludamus a Sacramento Pœnitentiæ, quod gratiam propriis meritis acquiramus, et alia id genus : non igitur indicavit auctores eorum errorum, quos nobis falso, et per summam impudentiam imponi contendimus. Deinde in erroribus quos Tilmannus enumerat, multi sunt nobis communes cum Lutheranis ; qui certe aut errores non erunt, aut Lutherani cum Papistis errabunt, vel etiam Papistæ dici poterunt : multi sunt item ad verbum deprompti ex libris veterum, ac sanctissimorum Patrum, qui ante mille annos floruerunt, qui debent similiter aut expungi ex catalogo illorum errorum, aut certe efficiuntur, veteres illos sanctissimosque Patres fuisse Papistas, et proinde Papistarum Ecclesiam, antiquam illam, et veram esse Ecclesiam, quæ ante annos mille florebat.

Sunt etiam non pauci, qui sententias adeo veras comprehendunt, ut necesse omnino fuerit, vel Heshusium non intellexisse Catholicorum sententiam, aut studiose ine-

ptire, ne dicam insanire voluisse. Sunt denique plurimi, qui manifestas calumnias, et mendacia continent. His autem omnibus de numero illo detractis, ad exiguum sane reducetur cumulum ille ingens acervus errorum.

Exempla primi generis hæc esse possunt. Octavus error apud Heshusium est, quod in Concilio Tridentino, sess. 14, cap. 1, Catholici asserant, Pœnitentiam ante Christi adventum Sacramentum non fuisse, neque etiam post illius adventum cuiquam esse ante Baptismum. In hac certe sententia nobiscum Lutherani conveniunt omnes: neque enim Lutherus, aut ullus unquam Lutheranus docuit Pœnitentiam Sacramentum esse, cum agitur ante Baptismum, aut in veteri Testamento ullum fuisse Sacramentum proprie dictum Pœnitentiæ.

Error 54. ab Heshusio notatur, quod idem Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 6. doceat, etiam eos sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per Spiritus sancti virtutem, in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere. Hæc sententia ita est communis Catholicis cum Lutheranis, ut in ipsa Confessione Augustana art. 8. damnentur Donatistæ et similes, qui negabant ministerium malorum in Sacramentis esse utile, atque efficax: et ibidem aperte asseratur, Sacramenta propter Ordinationem, et mandatum, Christi efficacia esse, etiamsi per malos exhibeantur. Vel igitur Heshusius errorem illum expugnat, vel se ut Donatistam ab ipsa Augustana Confessione damnatum esse fateatur.

Error 74. ponitur ab Heshusio, quod pro peccato originali non debeat fieri satisfactio: cujus erroris auctorem citat S. Thomam 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. At quis unquam Lutheranus non idem sensit? qui Satisfactionem universe de medio tollunt: an credibile est eos admissuros Satisfactionem ad expiandum originale peccatum?

Jam secundi generis hæc erunt exempla. Primus error esse dicitur, quod Pœnitentia sit præterita peccata plangere, et plangenda non admittere. Quæ verba apud S. Gregorium leguntur hom. 34. in Evangelia, et citantur similia nomine S. Ambrosii a Gratiano can. Ecce nunc, de Pœnitentia dist. 4, quare si iste error Papistarum est, ut Heshusius dicit, Gregorius et Ambrosius Papistæ, atque adeo Lutheranorum aversarii erunt.

Tertius error apud Heshusium hic est: « Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri. » At hæc ipsa verba S. Hieronymi sunt in epist. ad Pamachium et Oceanum, de erroribus Origenis, et similem sententiam idem auctor habet in epistola ad Demetriadem, et in altera ad Sabinianum et in cap. 3. Isai. Vides igitur lector, quam antiquum ac nobilem Papistam nobis concedat Heshusius, quem sexcentis Lutheris optimo jure anteferre possumus.

Error 15. est, quod Pœnitentiam esse dicamus Baptismum laboriosum, quodque in Tridentino Concilio sess. 14. cap. 2. asserant Patres, ad vitæ novitatem per Sacramentum Pœnitentiæ non sine magnis fletibus, et laboribus perveniri. Atqui hæc sententia non unius, aut alterius, sed omnium pene veterum scriptorum est, ut non possit hic error Papistarum dici, nisi omnes illi sanctissimi, atque antiquissimi Patres Papistæ concedantur fuisse.

Nam qui ita comparant Pœnitentiam cum Baptismo ut tabulam naufragii cum navigio integro, satis aperte indicant, Pœnitentiam Baptismum esse laboriosum. Sed præter Hieronymum in eandem sententiam scribunt S. Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Pacianus, Ambrosius, Theodoretus, Damascenus, et alii, quorum testimonia cap. 12. infra citantur.

Error 28. est, dolorem ex Contritione susceptum adeo vehementem, acrem, et intensum esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit. Hanc vero sententiam non solum Catechismus Romanus, quem Heshusius citat, sed etiam sanctissimus et doctissimus Martyr Cyprianus habet: sic enim scribit in serm. de lapsis extremo: « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulnere diligens, et longa medicina non desit: Pœnitentia crimine minor non sit ».

Error 40. est, quod confessio a morte liberet, Paradisum aperiat, et spem salutis tribuat: cujus erroris auctorem facit Heshusius Petrum Lombardum lib. iv. Sentent. distinct. 17. At verba, quæ Lombardus loquitur, non ipse sibi finxit, sed ex Ambrosio citavit in sermone quodam de Quadragesima. Atque hæc de secundo genere.

Tertii generis exempla hæc esse poterunt. Quintum errorem esse dicit, quod Pœnitentiam

tiae Sacramentum consistat essentialiter in actu ejus qui sanctificatur : quam sententiam Catholici sic intelligunt, ut velint Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quas partes materiales Sacramenti hujus appellant, in actione poenitentis consistere. Quod quidem verum esse, nemo sobrius negabit : cujus enim actio esse potest, dolere, confiteri, satisfacere, nisi ejus qui dolet, confitetur, satisfacit ? Sextum errorem esse dicit, quod Poenitentia secundum habitum debeat esse perpetua, secundum actum non item. Hanc vero sententiam quis neget, si eam intelligat ? nec enim Poenitentiam actu agere dum dormimus possumus (ut varia negotia, quæ Poenitentiae actionem impediunt, nunc omittam), proinde perpetuo illam agere minime possumus : habitu autem promptos, ac paratos ad Poenitentiam agendam, si res postulet, esse nos debere, ac posse, quis unquam inficiatus est ?

Errorem 13. esse dicit, quod fides non sit pars poenitentiae, sed eam antecedit. Et hanc sententiam, si per fidem intelligatur id quod Catholici intelligunt, firmus videlicet assensus ad ea omnia, quæ Deus verbo suo revelare dignatus est ; nec Lutherani, nec ulli omnino homines negare poterunt. Nisi enim quis Deum, peccatum, judicium, et alia id genus esse certo credat, fieri non potest, ut ad Poenitentiam adducatur : quare nisi fides præcedat, Poenitentia nunquam subsequetur.

Errorem 14. nunciat, quod duplex sit dolor in Contritione, unus rationalis, alter sensualis, quodque prior necessario ad Contritionem requiratur, posterior non item. Et hic quæ dubitatio fingi potest ? Negabit Tilmannus hominem, et mente, et carne dolorem posse concipere ? at si id neget, angelum, vel belluam, non hominem dabit. Negabit dolorem illum qui mente concipitur, sine dolore sensibili, atque externo esse posse ? At quam sæpe experimur ipsi in nobis, cum rem aliquam gravissime animo aversemur, ejusque nos valde poeniteat ; tamen lacrymam unam nos ipsos a nobis impetrare non posse ? quis vero Christianus ambigat ad peccati detestationem, cor contritum et spiritum contribulatum, etiam sine corporalibus lacrymis posse sufficere ?

Errorem 25. facit, quod perfectam Contritionem esse oportere dicamus, et tantum dolorem ex peccatis concipiendum, ut major nequeat cogitari : cujus erroris auctorem

facium Catechismus Romanum. Sed fallitur Heshusius : non enim sententiæ illius Catechismus Romanus, sed Spiritus sanctus est auctor, qui cum et Mosis, et Christi ipsius ore tam sæpe testatus sit, Deum tota mente, toto corde, atque omnibus viribus, id est, summo, et sincerissimo amore diligendum esse, ut nihil ei vel anteponamus, vel adæquemus : certe simul etiam nos admonuisse censendus est, ut de peccatis in Deum admissis, toto corde, tota mente ; atque omnibus viribus doleamus : neque ob ullius boni creati jacturam majori, aut æquali dolore afficiamur (amor enim doloris mensura est) nisi forte Heshusio videatur majorem esse dolorem ex pecuniæ amissione, quam ex Dei offensione concipiendum. Sed venio ad exempla ultimi generis, id est, ad calumnias, et mendacia.

In errore 12. notat ex Catechismo Romano haberi, quod vi, et efficacia Sacramenti Poenitentiae, quod consistit in actu externo hominis, sanguis Christi nostra peccata abluat, hoc est, sanguis Christi accipiat vim suam ab actu hominis ; quæ est horrenda blasphemia. At horrenda potius impudentia mentientis Heshusii, quam ulla Catechismi blasphemia hoc loco reperietur. Id enim solum Catechismus docet, vi Sacramenti, ut divini ejusdam instrumenti, Christi sanguinem ad nos derivari, quo peccata purgentur : non autem (ut mentitur Heshusius) Christi sanguinem vim suam a Sacramentis accipere, id enim nullus unquam neque scripsit, neque somniavit Catholicorum. Hæc autem sunt verba Catechismi, quæ citantur etiam ab adversario : « Cum nemo salutem nisi per Christum, ejusque passionis beneficium consequi possit, consentaneum, nobisque utilissimum fuit ejusmodi Sacramentum institui, cujus vi, et efficientia Christi sanguis ad nos defluens, peccata post Baptismum admissa elueret. » Quo loco non significat Catechismus, vi et efficientia Sacramenti, Christi sanguinem peccata eluere : sed Christi sanguinem, qui solus peccata nostra eluere potest, vi, et efficientia Sacramenti ad nos defluere. Ex quo non magis sequitur, Christi sanguinem a Sacramento vim eluendi peccata accipere, quam sequatur, aquam vim humectandi a canali accipere, quia per canalium descendit : vel certe lucernam lucendi vim mutuari a candelabro, quia per candelabrum defertur ad aulam.

In errore 19. notat ex Gratiano et Longo-

bardo, semel tantum Pœnitentiam agi posse. Sed more suo impostorem agit. Nam Gratianus distinct. 2. et 3. de Pœnitentia, et Longobardus lib. iv, Sentent. distinct. 14. proferunt varia Patrum testimonia, quæ in specie contraria esse videntur, cum alia semel tantum Pœnitentiam agi alia sæpius iterari posse concedant : sed iidem auctores Patrum dicta conciliant, ac docent Pœnitentiam solemnem non nisi semel, privatam sæpius concedi solitam. Heshusius autem ut simplicibus imponat, quæ auctores illi pro una parte quæstionis adducunt, ita citat, ac si ea sententia Catholicorum esset.

In errore 24. Catechismum Romanum, et Tapperum reprehendit, quod asserunt, Contritionem non esse opus Spiritus sancti, sed actum voluntatis, vi liberi arbitrii elicatum. Hic vero audacissimum impostorem agit : ubi enim, quæso, in toto Catechismo, aut in omnibus Tapperi libris invenietur illa negatio, non esse Contritionem opus Spiritus sancti ? Dicunt quidem auctor Catechismi et Tapperus Contritionem esse actum voluntatis, seu liberi arbitrii (quod solum Heshusius citat ; et verissimum est) sed actum esse solius liberi arbitrii, aut non esse simul Spiritus sancti donum, non dicunt. Et puerilis est illa Heshusii dialectica : Contritio est actus voluntatis, non igitur est opus Spiritus sancti ; quasi non possit idem opus a Deo simul, et a nostra voluntate fieri. S. Augustinus lib. de prædest. Sanctorum cap. 3. disserens de actibus credendi, et amandi : « Utrumque, inquit, nostrum est, propter arbitrium voluntatis, et utrumque datum est propter spiritum fidei, et charitatis. »

In errore 58. cujus auctorem Heshusius invenire non potuit, hæc verba habentur : « Docent absolutionem peccatorum non tantum in nomine Jesu Christi debere fieri, sed et B. Mariæ, et omnium sanctorum, et nostrorum etiam operum : unde est hæc communis, et blasphemix plena forma Absolutionis, qua in Monasteriis sunt usi. (Meritum passionis Domini nostri Jesu Christi : et B. Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, meritum ordinis, et gravamen Religionis, humilitas Confessionis, contritio cordis, bona opera, quæ fecisti, et facies pro amore Domini nostri Jesu Christi, cedant tibi in remissionem peccatorum in augmentum meriti et gratiæ, et in præmium vitæ æternæ) ».

Hæc ad verbum recitare volui, ut im-

prudencia hæreticorum : et mentiendi libido omnibus innotesceret, nam nec protulit, nec proferre potuit noster Heshusius ullum Catholicum auctorem, qui hæc verba pro forma absolutionis agnosceret. Forma enim vera, qua Catholici omnes utuntur, illa verba sunt : « Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti, Amen » : in qua forma nulla mentio fit B. Virginis Mariæ, aut Sanctorum cæterorum, sed solius Dei, cujus est proprium per se aut per Ministros suos, peccata remittere. Hanc autem esse formam Absolutionis, partim ex Conciliis, Tridentino et Florentino, et omnibus auctoribus, qui de iis rebus tractant, partim ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, omnes norunt. Porro illa, quæ citat Heshusius, non forma absolutionis, sed pia quædam precatio est, quam adhibere monnulli solent post Absolutionem a peccatis datam. Neque absurde precamur juvari ad pœnæ, quæ ex peccato relinquatur, remissionem, nec non ad gratiæ incrementum, et vitam æternam consequendam, meritis Christi, Sanctissimæ Deiparæ, omnium beatorum cum Christo regnantium, et nostris etiam propriis operibus ac laboribus, cum omnia suo modo prodesse valeant.

Sed jam de Heshusio satis diximus : neque enim omnia excutere, sed quædam solum exempli causa in medium adducere propositum fuerat.

## CAPUT V.

### *Calumniæ et mendacia Joannis Calvinii, et Theodori Bezæ.*

Nunc de Calvinii calumniis, et mendaciis, pauca quædam annotanda esse videntur. Primo igitur in III. lib. Instit. cap. 4. §. 1. ad hunc modum Calvinus loquitur : « Si sunt, Catholici, in externis exercitiis mordicus infixi, ut nihil aliud ex immensis voluminibus colligas, quam Pœnitentiam esse disciplinam, et austeritatem, quæ partim demandæ carni, partim castigandis, puniendisque vitiis serviat : de interiori mentis renovatione, quæ veram vitæ correctionem secum trahit, mirum silentium. » Hæc ille. Quæ sententia et iis repugnat, quæ continuo ab eodem auctore subjiciuntur, et apertum mendacium continet : sic enim ille in conse-

quentibus loquitur : « De contritione quidem et attritione, multus apud eos sermo. » At si de contritione, et attritione multus apud Catholicos sermo est, quo modo de interiori mentis renovatione mirum apud eosdem silentium est? ad Contritionem enim proprie pertinet celebris illa Pœnitentiæ definitio, quam iisdem Catholicis idem Calvinus attribuit. « Anteacta peccata deflere, et deflenda non committere ». Qui autem ita serio peccata deflet, ut propositum certissimum concipiat animo, nunquam deinceps ad peccata redeundi, is profecto internam illam mentis renovationem acquirit ; quæ veram vitæ correctionem secum trahit.

Quod vero paulo infra Calvinus subjicit, Catholicos levi cæremoniarum aspersione totam cordis amaritudinem sanare, nova calumnia est, et ipsius etiam Calvini testimonio refelli potest, si quidem paulo ante dixerat, Pœnitentiam apud Catholicos nihil esse aliud, nisi disciplinam, et austeritatem, quæ vitiis puniendis et castigandis serviat. Quod si apud nos ejusmodi requiritur in pœnitentibus austeritas, et satisfactionis gratia, jejunia, preces, eleemosynæ, peregrinationes, et alia id genus opera carni molesta, et laboriosa, a Sacerdotibus indicuntur : quomodo non mentitur, qui hoc ipsum agnoscit, et tamen scribit, omnem cordis amaritudinem levi cæremoniarum aspersione sanari?

Secundo, ibidem Calvinus Doctores Catholicos singularis cujusdam inscitiae arguere sibi videtur, quod se torqueant, et impediant tribus quibusdam, alioqui facillimis quæstionibus, An unius peccati Pœnitentia Deo placeat, ubi in aliis durat obstinatio ; An pœnæ divinitus inflictæ ad Satisfactionem valeant ; An sæpius iterari possit pro mortalibus peccatis Pœnitentia.

Sed ego nullum hactenus legi, qui his quæstionibus impeditus teneretur ; omnes enim continuo respondent, non placere Deo Pœnitentiam unius peccati, nec veram Pœnitentiam esse, ubi in aliis durat obstinatio ; et pro certo axiomate habent verbum illud Augustini, seu quicumque fuerit auctor in libro de vera, et falsa Pœnitentia cap. 9 : « Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus, et justitia est, dimidiam sperare veniam » ; nec minus consentiunt omnes flagella a Deo immissa, ad Satisfactionem valere : idque contra Hæreticos negantes defendunt, ut videre est in Concilio Tridentino sess. 14, can. 13 ; nemo denique Catholicorum est, qui dubitet

Pœnitentiam privatam (nam de solemni alia ratio est) toties iterari posse, quoties quis in peccatum lapsus fuerit.

Tertio, ibidem Calvinus impudenter mentitur, cum ait : « Turpiter, et impie definiunt, nonnisi de venialibus peccatis quotidie agi Pœnitentiam. » Qui enim, quæso, hoc definiunt ? cur nullus citatur hujus decreti auctor ? Scribunt quidem Catholicos, veritalia peccata quotidiana esse, et idcirco quotidianam quoque de eis Pœnitentiam esse agendam : neque solum recentiores, sed etiam S. Augustinus id verbis apertissimis docet in lib. L. homiliarum, homil. postrema cap. 8. at non posse, et interdum etiam oportere de mortalibus peccatis toto vitæ tempore Pœnitentiam agi, nemo Catholicus definivit.

Et contra potius extant multi veteres canones, qui Pœnitentiam perpetuam pro certis criminibus imperant ; et laudantur apud nos ii vehementer, qui ad expianda adolescentiæ suæ peccata, vel in eremo, vel monasteriis toto vitæ suæ tempore durissimum vitæ genus complexi Pœnitentiam agunt.

Quarto, idem Calvinus in eodem capite §. 2. scribit, exigere Catholicos a Pœnitentibus Contritionem adeo justam et perfectam, ut in trutina appendatur cum fiducia veniæ, et §. 3. id ipsum planius explicans scribit Catholicos velle, ut ea Contritio meritum sit remissionis peccatorum, cum tamen eam nemo habere possit : « Multum, inquit, interest, doceasne emereri remissionem peccatorum justa, et plena Contritione, qua nunquam defungi possit peccator ; an eum instituas ad esuriendam, et sitiendam Dei misericordiam etc. » Sed Catholicos non docent Contritione nos emereri remissionem peccatorum, ac per hoc nec illud docent, debere in trutina appendi cum fiducia veniæ doloris acerbiter : audiunt enim Catholicos omnes Synodum Tridentinam disertis verbis concionantem, nihil eorum quæ justificationem præcedunt, mereri gratiam justificationis, et ideo gratis per Christum homines justificari, sess. 6. cap. 8. Itaque Contritionem dispositionem esse volunt Catholicos, non meritum remissionis peccatorum.

Quod etiam Calvinus obiter dicit, nunquam posse hominem defungi justa, ac plena Contritione ; et neminem esse qui ex doctrina Catholica de Contritione, vel non sit ad desperationem adactus, vel simulationem doloris Deo pro vero dolore non opposuerit ; meræ calumniæ sunt. Nam etiamsi fidei

certitudine sciri non posse Catholici doceant, perfectamne contritionem habuerimus, an imperfectam : tamen perfectam haberi posse, et a plurimis reipsa haberi docemus ; neque ullum novimus qui ex hac doctrina ad separationem adactus sit, aut simulatum Deo dolorem pro vero dolore obtulerit. Sed frustra contendimus, cum adversarius sola sua affirmatione contentus, nullos testes adhibeat.

Quinto, in eodem cap. §. 16. 17. et 18. calumniatur doctrinam Catholicorum de enumeratione peccatorum in Confessione facienda : ac tandem addit, rem impossibilem ab illis præcipi : « Dicam, inquit, in summa, qualis lex illa fuerit. Simpliciter est impossibile. » Sed calumniam hanc esse nemo negabit, qui libros Catholicorum, aut certe Concilium ipsum Tridentinum, sess. 14. cap. 5. legere voluerit. Neque enim omnia omnino peccata enumerari oportere lex nostra jubet, sed ea solum, quæ post diligentiam in examine positam menti occurrerint : diligentiam autem moralem intelligimus, qualem in negotiis gravioribus adhibere solemus.

Quid, quod hoc idem eodem in loco ipse idem Calvinus docet? nam Deo peccata confitenda esse dicit non solum generatim, sed etiam singula : « Quid, inquit, ergone confitenda non sunt singula delicta? ergo nulla confessio Deo accepta, nisi duobus istis verbis conclusa, Peccator sum? imo vero danda potius opera, ut quantum in nobis est, totum cor effundamus coram Deo, nec modo nos peccatores esse, sed quanta sit, et quam varia peccatorum labes, tota cogitatione recognoscamus non modo nos immundos, sed qualis, et quanta, quamque in multis partibus nostra immundities ; non modo nos debiles sed quantis debitis gravati, et quot nominibus obstructi ; non modo vulneratos, sed etiam quam multis, et lethalibus plagis saucii simus. » Ac ne quis ei objiceret, id omnino fieri non posse, ut singula peccata Deo confiteamur, adjungit : « Hac tamen recognitione, cum se totum peccator coram Deo effuderit, serio ac sincere cogitet plura adhuc restare, ac profundiores esse malorum suorum recessus, quam quos penitus exenterare possit : atque adeo exclamet cum Davide : Errores quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine ». Hæc ille. Sicut igitur ipse non existimat legem esse impossibilem, qua jubemur singula peccata Deo confiteri ; quia non tenemur id facere, nisi quantum in nobis est : ita non debet legem impossibilem

judicare, qua jubemur singula peccata sacerdotibus confiteri ; quia non tenemur id facere nisi quantum recordari possumus ; et de reliquis cum Propheta supplicare debemus, ac dicere : « Delicta quis intelligit? ab occultis munda me, Domine. »

Sexto, idem Calvinus in eodem cap. §. 25. rursus mentitur, nos docere, veniam peccatorum meritis acquiri : « In hanc summam, inquit, recidunt omnia : nos quidem a Dei elementia delictorum veniam impetrare, sed intercedente merito operum ». Et infra §. 26. « Verum, inquit : qua sunt perversitate, et peccatorum remissionem, et reconciliationem fieri semel dicunt, cum in gratiam Dei per Christum in Baptismo precipimur : post Baptismum resurgendum esse per satisfactiones. » Quid facias huic calumniatori, qui dedita opera sententiam Catholicorum perperam exponit, ut odiosam reddat? quod enim Catholici dicunt satisfaciendum esse pro penis temporalibus, quæ post reconciliationem cum Deo, et culpæ ac pœnæ æternæ gratuitam remissionem, aliquando restant, id ipse trahit ad meritum reconciliationis. Tantum autem abest, ut Catholici sentiant, reconciliationem acquiri meritis satisfactionum, ut etiam doceant neminem posse Deo satisfacere, nisi reconciliatum. Ac ut intelligas, lector, Calvinum non ignorantia, sed malitia peccare, legas §. 29. et 30. ejusdem capituli : ibi enim faletur, Catholicos non referre Satisfactionem ad reconciliationem, sive, quod est idem, ad culpæ remissionem, sed solum ad expiandam pœnam, eamque temporalem : « Fingunt, inquit, §. 29. sibi distinctionem culpæ et pœnæ : culpam remitti fatentur Dei misericordia, sed culpa remissa pœnam restare, quam persolvi Dei justitia postulat. » Et §. 30. « Scio, inquit, subtilius adhuc ipsos elabi, dum inter æternam pœnam, et temporales distingunt. »

Septimo idem Calvinus lib. iv. Institut. cap. 19. §. 16. cum docuisset Catholicos multum laborare, et sudare, ut Sacramentum in Pœnitentia invenire possint, indicat eis in Absolutione Sacerdotis multo speciosius et facilius Sacramentum constitui potuisse, quam in actione pœnitentis : et miratur cæcitatem Scholasticorum, qui hoc non adverterint : « Sane, inquit, hallucinati sunt plusquam pueriliter, et cæci in sole fuerunt, qui cum multa difficultate æstuarent, rem planam adeo, et cuius obviam non perspexerunt. » Hæc ille : qui quidem impudentius mentiri



non poterat, nisi forte nullum scholasticum legerit. Nam ex scholasticis Scotus, Ockam et Gabr. in 4. sentent. dist. 14. Sacramentum Pœnitentiæ in sola Absolutione constituunt: cæteri omnes actus pœnitentis, Confessionem, Contritionem, et Satisfactionem, partem Sacramenti hujus esse volunt, sed non absque Absolutione, quam Sacramenti formam, ac per hoc primariam Sacramenti partem esse docent. Itaque quod nulli in mentem venisse Calvinus fingit, omnibus in mentem venit: et ipse plane hallucinatus est plusquam pueriliter, et cæcus in sole fuit, si libros scholasticorum legit, et rem planam adeo, et cuius obviam non perspexit.

Octavo, idem Calvinus in Antidoto articulorum Parisiensium, art. 3. introducit Catholicos ita loquentes: « Quantum vero pertinet ad Confessionem, notandum est quod materia sit de jure divino, forma autem de jure positivo. » Et paulo infra dicit, formam superinductam ab Innocentio Pontifice, qui statuit confitendum esse proprio Sacerdoti. Denique fingit sententiam esse Lutheranorum, et Catholicis contrariam: Nos reconciliari gratis per satisfactionem Christi. Sed hæc meræ sunt imposturæ: nam neque ullus Catholicus docuit formam Confessionis esse de jure positivo: neque formam Theologi vocant, confiteri proprio Sacerdoti, cum forma sit, omnium consensu, verbum Absolutionis: neque Innocentius instituit confitendum esse proprio Sacerdoti, sed explicuit, jure divino non convenire potestatem Sacramenti hujus administrandi, nisi iis, qui jurisdictionem in alios habent, quales sunt proprii Sacerdotes. Sententia autem illa: Nos reconciliari gratis per satisfactionem Christi non modo nobis contraria non est, neque absurda Catholicis ullis videtur, ut Calvino fingere placuit, sed anathema dicimus iis, qui illam negare voluerint: neque Calvinistæ proferunt unquam testimonia Doctorum Catholicorum, qui eadicant, quæ nobis Calvinus imposuit.

Similia mendacia habet etiam Theodorus Beza in sua Confessione, cap. 7. art. 11. ubi de Pœnitentia Papistarum disserit. Primo affirmat Catholicos non tam esse medicos, quam carnifices crudelissimos animarum, quod in omnibus adultis requirant, ut necessaria ad salutem, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, sed aut reipsa si potest quis ea præstare, aut certe in voto, ac desiderio. Quæ autem crudelitas est, exigere

desiderium confitendi, et multam impostam adimplendi.

Secundo affirmat exigere a nobis, ut perfecte tria illa præstentur: quod esse videtur promptum iter ad desperationem. At non exigimus perfecte, nisi quatenus vires humanæ a Deo adjunctæ se extendunt; neque enim requirimus confessionem, nisi eorum peccatorum, quæ memoria tenentur, neque multam imponimus, nisi quam unusquisque facile ferre possit. Itaque in tam prono itinere ad desperationem nullum videmus unquam desperasse.

Tertio, affirmat in his tribus nos ponere remissionem peccatorum, insigui cum Christi contumelia. At quæ contumelia Christo esse potest, si dicamus, meritum passionis ejus veram esse, atque unicam peccatorum medicinam, eamque applicari per verbum Absolutionis iis, qui per Contritionem et Confessionem, ac satisfaciendi propositum ad eam medicinam recipiendam rite præparantur? Vel si hæc contumelia est, cur non erit etiam contumelia, si quis dixerit, Baptismum aquæ lavaerum esse regenerationis? vel, in eo lavaero positam esse remissionem peccatorum, quod per id lavaerum applicetur nobis Christi meritum, quo peccata donantur?

Quarto, affirmat doctrinam Catholicorum de Contritione, blasphemam esse, quod eam partem esse velimus Satisfactionis pro nostris peccatis coram Deo, atque ita transferamus ad homines, quod unius Christi proprium est. At non hoc docent Catholici, neque enim proprie satisfieri posse credunt pro culpis in Deum admissis, quasi Contritio justum pretium sit, qua offensioni, atque iræ divinæ satisfiat: solum enim justificatos, atque amicos Dei per Christi meritum factos, docent, pro temporalibus penis posse ac debere satisfacere. Sed adversarii nostri non laborant ut Catholicam doctrinam intelligant, sed id solum quærunt, ut quovis modo eam reprehendant, ac in invidiam vocent. Sed de his hæcenus,

## CAPUT VI.

### *Calumniæ et mendaciæ Martini Kemnitii.*

Nunc tandem ad calumnias, et mendacia Kemnitii veniamus. Primum, ut se, ac suos

a Novatianorum hæresi asserat, illorum sententiam perperam exponit : sic enim loquitur in 2. par. Exam. pag. 900 : « Nequaquam sumus Novatiani, qui semel justificatis, si post Baptismum lapsi essent, omnem spem veniæ, et reconciliationis cum Deo vel prorsus negabant, vel in dubium revocabant, etiamsi rursus converterentur, et Pœnitentiam agerent. » Sed non fuisse hanc Novatianorum hæresim, multis argumentis probare possemus, si opus esset : verum Kemnitius hoc labore nos liberavit. Nam paulo infra, pag. 902. refert ex historia Tripartita, quæ fuerit Novatianorum opinio, his verbis : « Merito improbatur Acesii Novatiani dictum, qui in Tripart. lib. 1 cap. 13. ad Constantinum Imperatorem inquit, invitandos quidem lapsos ad Pœnitentiam ; spem vero remissionis non a Sacerdotibus, sed a Deo solummodo expectandam, qui solus potestatem habeat remittendi peccata. » Hic vides non negasse Novatianos spem veniæ, et reconciliationis cum Deo, ut supra falso scripsit Kemnitius, sed negasse in Sacerdotibus potestatem absolvendi, quippe quæ in solo Deo sit : quod etiam negant pertinacissime Lutherani, ut infra ostendemus.

Secundo, idem Kemnitius pag. 902. S. Ambrosii verba depravat, ut ea ad sententiam suam accommodet : « Ambrosius, inquit, Novatianorum opinionem ita describit : Pœnitentibus post lapsum non simpliciter sane præcidendam esse omnem spem veniæ, sed Sacerdotes nec posse nec debere illis, ministerio Evangelii remissionem peccatorum annuntiare, vel Absolutionem impertiri : ne Dei (sicut simulabant) partes audaci temeritate sibi usurparent. » Hæc ille. At nusquam in Ambrosio invenitur modus ille loquendi, Lutheranorum proprius : « Ministerio Evangelii remissionem peccatorum annuntiare. » Quod Ambrosius docet, ut ex lib. 1. de Pœnit. cap. 2. colligitur, id est, negasse Novatianos, potestatem remittendi peccata Sacerdotibus esse concessam : « Sed aiunt, inquit, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent etc. »

Tertio pag. 905 : « Peccatorem », inquit Kemnitius, « post Baptismum lapsum, quando quærit et ambit reconciliationem cum Deo, et remissionem peccatorum, Pontificii per Sacramentum suum Pœnitentiæ deducunt ad humana, seu propria opera, ut illa, accedente verbo absolutionis, fiant et sint

Sacramentum, hoc est, causa efficiens et conferens gratiam reconciliationis cum Deo, et remissionis peccatorum. » Hæc ille : ubi primum in eo errat, et secum ipse pugnat, quod Contritionem, et Confessionem vocat opera humana et propria, cum potius dona sint Dei, ut ipse idem Kemnitius confitetur pag. 955. ubi sic loquitur : « Est autem vera Contritio non opus liberi arbitrii, seu virium humanarum : sed Spiritus sanctus per verbum prædicatum, auditum, et cogitatum, illa in nobis excitat, inchoat, operatur, et efficit. » Cum igitur Contritio, et consequenter etiam Confessio, non sit nostrum tantum opus, sed etiam Dei qui illam nobis inspirat, falso Kemnitius paulo ante scribit, Pontificios deducere peccatores ad opera humana, et propria.

Deinde, Catholici etiamsi Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem ad partem materialem Sacramenti Pœnitentiæ pertinere velint, tamen causam efficientem remissionis peccatorum ut instrumentum Dei, vel solam Absolutionem faciunt, vel actiones pœnitentis cum Absolutione conjunctas, non ut actiones humanæ sunt, sed ut instrumenta Dei ; alioqui enim ipsa etiam Absolutio, et ablutio, et corporis Domini consecratio, ac distributio, actiones humanæ dici possent, cum non minus ab hominibus fiant, quam ipsa peccatorum enumeratio. Nihil igitur est cur Kemnitius clamitet, nos causam efficientem remissionis peccatorum in humano, ac proprio opere pœnitentis constituere, cum in ipso verbo, per Sacerdotem nomine Dei pronuntiato, constituamus.

Quarto, pag. 911. demonstrare Kemnitius volens, cur Pœnitentia, quam prædicavit Joan. Baptista, et post eum Christus, non sit apud Catholicos Sacramentum Pœnitentiæ, ita loquitur : « Quia in illa Pœnitentia, gratis sine operibus, fide propter Christum remittebantur peccata, quia etiam tam Baptista, quam Christus, fidem in Filium mediatorem, partem conversionis necessariam ad consequendam remissionem prædicarunt. Propter has causas talis Pœnitentia Pontificiis non est Sacramentum : id quod diligenter expendatur. » Hæc ille. O miseros Lutheranos, quorum ignorantia sic abutitur Kemnitius, ut palpabilia mendacia non solum eis impudenter obtrudat, sed etiam jubeat tanquam magna mysteria diligenter expendi. Scribit quidem Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. Sacramentum Pœni-

tentiæ institutum fuisse post Christi resurrectionem, et ea de causa sacramentalem Pœnitentiam non fuisse Catholici docent Pœnitentiam illam, quam Baptista et Christus prædicabant. At causas quas fingit Kemnitius, non modo nullus agnoscit Catholicus, sed plane omnes pro hæreticis haberemus, qui illis de causis Pœnitentiam sacramentum esse negarent. Tantum enim abest ut ideo pœnitentiam aliquam pro sacramento non habeamus, quia in ea gratis, sine operibus, fide propter Christum remittuntur peccata, vel quia fides in Christum pars conversionis, et quidem necessaria ad remissionem obtinendam prædicetur, ut contra potius ubi ista absiat, Sacramentum Pœnitentiæ aut nullum esse, aut inutiliter administrari dicamus.

Quinto, pag. 931. non minori audacia Kemnitius Tridentino Concilio imponit ea, quæ nunquam Patres ejus Concilii cogitarunt: « Sed », inquit, « aliud est, quod Tridentinum Concilium quærit, in Baptismo scilicet remissionem peccatorum gratis, sine nostris operibus, propter meritum Christi donari, et fide accipi, in lapsis vero post Baptismum Pœnitentiam impetrare veniam, non fide gratis, et sine operibus, sed per et propter opera Pœnitentiæ. » Et pag. sequenti: « Idem est, inquit, quod alibi dicunt, duplicem esse justificationem, quarum prior sit gratis, fide, sine operibus propter Christum: altera non gratis, sed per, et propter opera fiat. » Hæc ille. Porro, si ista mendacia non sunt, proferatur in medium vel unus aliquis scriptor Catholicus, ne dicam Concilii œcumenici, aut etiam particularis, decretum, in quo habeatur, justificationem in Sacramento Pœnitentiæ non donari gratis, per fidem sine operum merito, ob Christi denique passionem, et mortem? Neque enim quia requirimus Contritionem, et Confessionem, ac deinde etiam Satisfactionem, ideo non gratis et per Christum, sed ex operibus propriis justificamur; illa enim opera non merita sunt justificationis, sed dispositiones justificandi: alioqui etiam justificatio quæ fit in Baptismo, non gratis, sed ex operibus fieret, quia Pœnitentia quædam requiritur ante Baptismum, dicente Apostolo Petro Actor. 2: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unus quisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

Quid, quod idem Kemnitius ante confessus fuerat Catholicos agnoscere, per meritum

Christi, fieri remissionem in Sacramento Pœnitentiæ? sic enim scripsit pag. 903: « Pontificii asseverant Pœnitentiam, qua lapsi Deo reconciliantur, esse peculiare Sacramentum, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis Christi applicatur. » Hæc ille: cujus testimonium hoc loco prolatum, verum est, sed male cohærens cum his, quæ nobis falso passim imponit.

Sexto, pag. 935. auctorem primum Sacramenti Pœnitentiæ Kemnitius Petrum Lombardum facit, qui post annum Domini 1100. floruit: « Quia, » inquit, « Lombardus primum ex pœnitentia Sacramentum fecerat; cœperunt postea Scholastici quærere, quæ sit materia, et quæ forma, etc. » Hoc esse mendacium nemo dubitavit, qui aliquid in veteribus legerit; passim enim conjungunt veteres Pœnitentiam seu reconciliationem cum Baptismo, aliisque Sacramentis proprie dictis. Quæ testimonia suo loco adducuntur: nunc unum S. Augustini testimonium nobis sufficiet; is enim in epist. 180. ad Honoratum: « An non cogitamus », inquit, « cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius Pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem, et Sacramentorum confectionem, et erogationem? ubi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? »

Septimo, pag. 944. et 945. vix credi potest quanta impudentia Kemnitius tum mentiat, tum Concilii Tridentini sententiam omnino pervertat. Negaverat Concilium partes Pœnitentiæ esse terrores, et fidem: nam terrores et fides etiam in impœnitentibus esse possunt, cum Jacobus dicat, dæmones credere, et contremiscere, quos certum est Pœnitentiam nunquam acturos: de qua etiam re suo loco dicemus. At Kemnitius ex capite suo ita Concilii sententiam exponit: « Et terrores quidem, inquit, a Deo voce legis conscientiæ incussos, ideo nolunt esse partem Pœnitentiæ, quia Contritionem volunt esse dolorem voluntarie pro peccatis tanquam vindictam assumptum, qui hoc opere promereatur misericordiam Dei. » Sed mentitur in caput suum, non enim Concilium usquam dixit, Contritionem esse opus meritorium remissionis peccatorum, sed contra

potius sess. 6. canon. 8. disertis verbis pronuntiavit, ideo gratis per Christum nos justificari secundum Apostolum, quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.

Et quia Concilium sic negat fidem partem esse Pœnitentiæ, ut tamen ad Pœnitentiam fidem necessariam esse concedat, et Theologi fidem Pœnitentiæ fundamentum esse doceant, explicat Kemnitius mentem Concilii, ac Theologorum his verbis: « Quando dicunt fidem esse fundamentum Pœnitentiæ, intelligunt talem persuasionem: si actiones illas Pœnitentiæ a Pontificiis præscriptas quis susceperit, et præstiterit quod illis actionibus impetret veniam peccatorum, et reconcilietur Deo; et hoc est quod dicunt fidem esse fundamentum Pœnitentiæ. » At longealiter mentem suam ipsum Concilium explicat: sic enim loquitur sess. 6. cap. 6. ubi exponit quem locum fides habeat in negotio justificationis: « Disponuntur », inquit, « ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem etc. »

Ex his habemus, fidem, quæ est fundamentum Pœnitentiæ, non esse (ut mentitur Kemnitius) persuasionem, quod actionibus Pœnitentiæ impetremus veniam peccatorum, et reconciliationem, sed quod vera sint Dei promissa, et illud in primis, justificari impium per gratiam Dei per redemptionem, quæ est in Christo. Et simul habemus, non excludi fidem ac terrores a Pœnitentia, imò includi, non ut partes, sed ut causas præcedentes Pœnitentiam: neque enim credere et terri est pœnitere, sed ex fide et terroribus Pœnitentia gignitur. Neque multum refert, quod in loco jam citato Concilium explicat justificationem, quæ in Baptismo acquiritur, non eam quæ in Sacramento Pœnitentiæ; nam idem est dispositivum et conversionis

progressus, licet Pœnitentiæ opera multo faciliora ad Baptismum, quam ad reconciliationem exigantur.

Octavo, pag. 945, incredibilem malitia vel inscitia, ex can. 4. sess. 14. Concilii Tridentini Kemnitius colligit, totum Evangelium ex Pœnitentia a Catholicis tolli: « Quando », inquit, « quartus Canon anathemate damnat eos, qui dicunt fidem conceptam ex Evangelio, vel Absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa esse peccata, necessariam partem esse Pœnitentiæ ad consequendam remissionem peccatorum, quid aliud facit, quam quod totum Evangelium ex Pœnitentia tollit, et ipsam vocem Evangelii propriam, sicut a Prophetis, Christo, et Apostolis tradita est, damnat? » Et pag. 946: « Quid reliquum erit Evangelio, si tollas inde Christum, fidem in Christum, et remissionem peccatorum, quæ fide per Christum accipitur? et tamen Tridentinum Concilium non veretur anathemate damnare, si quis dixerit, partem Pœnitentiæ esse fidem ex Evangelio conceptam, qua quis credit sibi per Christum remissa esse peccata. » Et pag. 947: « Ad perpetuam », inquit, « rei memoriam notum sit veræ Ecclesiæ Dei Concilium Tridentinum promittere Pœnitentiæ reconciliationem cum Deo, et remissionem peccatorum, sine fide, quæ quidem ex Evangelio concepta sit, et qua quis credat per Christum sibi peccata remissa. » Hæc ille: qui quidem tam pueriliter errat, ut me sane pudeat hæc tam levia refutare, et non parum Kemnitii, quamvis adversarii, misereat. Neque enim Concilium negat, fidem ex Evangelio conceptam ad Pœnitentiam esse necessariam, sed negat, tum fidem partem esse Pœnitentiæ, cum ea potius (ut supra diximus) Pœnitentiam gignat, tum vero fidem, qua quis credit sibi remissa esse peccata, veram esse fidem ex Evangelio conceptam, cum nihil nisi figmentum Lutheri jure dici possit. Evangelium enim remissionem peccatorum omnibus vere Pœnitentibus promittit: sed utrum hic aut ille veram Pœnitentiam habeat, Evangelium nusquam dicit, quare ex Evangelio fides illa concipi non potest, qua quis certo credat sibi remissa esse peccata. Sperare quidem possumus et debemus, ut Concilium docet sess. 6. cap. 5. et sess. 14. cap. 4. Deum nobis propitium fore: sed certo id credere quo modo certo credimus articulos fidei, mera stultitia est.

Nono, pag. 958. falso tribuit S. Thomæ

quod scripserit ad remissionem peccati requiri actum nostrum, qui sit meritorius, quia cadat sub libero arbitrio. Id enim neque usquam S. Thomas scripsit, neque scribere potuit, nisi Theologiæ plane oblitus. Quis enim vel medioeris Theologus diceret, actum nostrum esse meritorium, quia cadat sub liberum arbitrium? quasi vero non possint multi actus sub liberum arbitrium cadere, nec tamen meritorii esse. Quid, quod S. Thomas in 1. 2. quæst. ultim. artic. 5. disertis verbis docet, neminem posse mereri gratiam justificationis; cujus contrarium Kemnitius illi imponit?

Decimo, similem omnino Kemnitius habet calumniam pag. 961. ubi sic ait: «Talis fides est Pontificiæ Pœnitentiæ, in nostra scilicet opera, non in Christum; talem misericordiam Dei volunt, non quæ sit gratuita, et gratis propter Christi meritum peccata remittat, sed quæ operibus nostris tribuat mercedem, reconciliationem scilicet cum Deo, et remissionem peccatorum.» Hæc ille. Sed tantum abest, ut hæc sit Catholicorum sententia, ut nullus sit Catholicorum qui non toto corde anathema scribere paratus sit iis, qui ita sentiunt, ut nos sentire Kemnitius fingit.

Undecimo, pag. 962, affirmat Scotum velle dilectionem Dei super omnia ex naturalibus viribus haberi posse, eamque esse dispositionem sufficientem immediatam et ultimam ad infusionem gratiæ. Deinde pagin. 963. addit: «Et hoc est dogma scholasticorum, ad quod stabiliendum factum est hoc decretum.» Hic duo mendacia sunt. Unum scholasticorum est illud dogma: nam Scotum, quem solum Kemnitius citat, longe aliter sensisse, fuse demonstrat Andreas Vega in lib. de Justific. quæst. 10; et deinde quidquid de Scoto sit, constat S. Thomam, et meliorem Scholæ partem, contrarium omnino docere. Alterum est mendacium luculentius: ad illud stabiliendum dogma, decretum Concilii Trident. esse formatum, quod habetur sess. 14. cap. 4. et can. 5. Concilium enim in hoc ipso loco, Attritionem quæ est imperfecta contritio, donum esse Spiritus sancti docet: ex quo recte colligitur, multo magis ipsam Contritionem perfectam, quæ dilectionem Dei super omnia includit, non ex solis naturæ viribus, sed Dei munere haberi. Et sess. 6. can. 3. his verbis sententiam istam damnat, quam ei Kemnitius affingere non veretur: «Si quis dixerit,

sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.»

Duodecimo, pag. 964. negat Kemnitius Lutherum docuisse id, quod in Bulla Leonis X. damnatum legimus, Attritionem facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, sed tantum scholasticorum sententiam reprehendisse, quæ detestationem peccatorum per liberum arbitrium solis naturæ viribus productam, facit dispositionem sufficientem ad gratiam. Atqui hæc est incredibilis audacia, cum verba Lutheri non uno in loco posita clarissima sint, neque ullam ejusmodi interpretationem admittant.

In sermone de Pœnitentia habito anno 1517. ex quo articuli illi deprompti sunt, quos Leo X. damnavit; ita Lutherus loquitur: «Contritio duplici via paratur. Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis (ut dicunt) recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, et alia, quæ possunt tristitiam, ac dolorem excitare. Hæc autem tristitia facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia solum timore præcepti, et dolore id facit: et tales omnes indigne absolvuntur.» Hæc ibi; ubi non damnatur Contritio, sive Attritio (ut Kemnitius dicit) quia sit ex solo libero arbitrio, sed quia nascitur ex timore præcepti, non ex amore justitiæ.

Rursus idem Lutherus in lib. contra bullam Antichristi, posteaquam recitavit art. 6. a Leone damnatum, ubi habetur ad verbum, quæ modo ex serm. de Pœnitentia citavimus, ita subjungit: «Meus certe est articulus, et Christianissimus, quem mihi ab innumerabilibus Papis et Papistis non sinam extorqueri.» Utri, quæso, magis credendum, Lutherone articulum suum agnoscenti, an Kemnitio impudenter mentienti, nunquam Lutherum ita sensisse?

In assertione quoque omnium articulorum suorum, iterum recitat eundem sextum articulum et suum esse fatetur, et multis argumentis confirmare nititur.

Denique in Resolutionibus super propositiones Lipsiæ disputatas, apertissime dicit hæresim esse Pelagianam, admittere, Pœni-

tentiam inchoari ante dilectionem justitiæ : ubi prorsus tollit primam partem Pœnitentiæ, quam Kemnitijs, et Lutherani cæteri constituunt in illis terroribus fidem præcedentibus. Proinde nunc Luthero teste, Lutherani Pelagiani facti sunt : et ideo non mirum, si Kemnitijs mavult impudenter Lutheri scripta negare, quam Pelagianus haberi.

Decimo tertio. Pagin. 967. mirabili stragemate Kemnitijs Catholicis affingit, quæ sunt Lutheri propria. Reprehendit enim Scholasticos, quod doceant, Contritionem, si non oriatur ex dilectione Dei, sed ex timore iræ et iudicii divini, etiamsi accedat fides petens, et statuens remitti nobis peccata propter Christum, tamen non esse salutarem sed Judæ Pœnitentiam. At hoc nunquam Scholastici docuerunt, sed Lutherum ita docentem Leo Pontifex, et Academiæ Catholicæ, et nuper Patres in Tridentino Concilio damnaverunt. Ita videlicet fideliter recitat sententias nostras Kemnitijs. Atque hæc de calumnijs et mendacijs sufficiant.

## CAPUT VII.

### *De nomine Pœnitentiæ.*

Explicatis Hæreticorum mendacijs et calumnijs, nunc ad nomen Pœnitentiæ veniamus. Adversarii ab ipso Pœnitentiæ nomine fundamenta jacere incipiunt errorum suorum : et quia Pœnitentia a pœna dicta videtur, et pœna referri potest tum ad dolorem de peccatis præteritis, quam nos Contritionem vocamus, tum ad eam mulctam, quæ indicitur pœnitentibus, quæque Satisfactio a Catholicis nominatur ; propterea illi non libenter hac voce utuntur, et pro ea in Scripturis fere ubique substituunt Resipiscentiam.

Laurentius Valla, qui veluti præcursor quidam Lutherani factionis videtur fuisse, in Annotatione ad cap. 7. posterioris ad Corinth., scribit, elegantiores voces esse *μετάνοια*, et *μεταμέλεια* græcas, quam Pœnitentiam, latinam, quia Pœnitentia significet tristitiam commissi, illæ mentis emendationem : atque inde colligit, nihil agere eos, qui ex eo Pauli loco triplicem inducant Pœnitentiam, unam quæ sit contritio, alteram quæ sit confessio, tertiam quæ sit satisfactio, cum apud Paulum duæ illæ voces

*μετάνοια*, et *μεταμέλεια* tantum inveniantur.

Erasmus, qui alter præcursor Lutheri dici potest, in Annotationibus novi Testamenti ad cap. 3. Matth. et alibi frequentissime, mavult, resipiscere et resipiscentiam, quam Pœnitere, et Pœnitentiam, esse vertendum, ubi legimus *μετανοεῖν*, et *μετάνοιαν*. « Nostrum vulgus », inquit, « putat esse Pœnitentiam agere, præscripta pœna quapiam, luere commissa : quod apud Christianos, qui publice peccassent, ejecti e consortio propalam affligerentur, eaque satisfactio sive pœna, pœnitentia vocari cœpta. Qua quidem ex re non mediocris error Theologis quibusdam obrepsit, qui quod Augustinus de Pœnitentia, hoc est, publica satisfactione scripsit, ad animi dolorem, quam contritionem vocant, detorquent. Alioqui *μετάνοια* dicta est a *μετανοεῖν*, hoc est, a posteriorius intelligendo, ubi quis lapsus, re peracta tum demum animadvertit erratum suum. » Et infra, non solum vocem Græcam *μετάνοιαν* resipiscentiam sonare contendit, quod multi alii fecerunt, et inter alios Lutherus ipsum Erasmum auctorem citans in Resolutionibus : sed etiam, Pœnitentiam, quod forte nullus est ausus in resipiscentiam transformare conatur. Vult enim et hoc loco in cap. 3. Mat. et infra in cap. 7. posterioris ad Cor., non a pœna, sed a pone tenendo, Pœnitentiam ductam ; quasi nihil sit aliud pœnitere, nisi posteriorius consilium tenere ; sive, ut ipse loquitur, intelligere post factum, unde et Græcis dicta est *Metanœa*.

Theodorus Beza annot. ad 3. cap. Matth. interpretationem eorum reprehendens, qui illud *μετανοεῖτε* non verterunt, resipiscite, sed Pœnitentiam agite, ita loquitur : « Quam interpretationem multas ob causas repudio, sed ob eam potissimum, quod multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de Satisfactione, quibus hodie agitur Ecclesia. » Hæc ille. Scilicet imperiti, et (ut Erasmus loquebatur) vulgus deputandi sunt omnes, qui fidei simplicitatem cum sanctis Patribus, et universa Ecclesia tenent. Sic olim Berengarius (Lanfranco teste in lib. de corpore Christi), Catholicorum sententiam, vulgi sententiam appellabat.

Porro distinguit Beza vocem *μετανοεῖν* a voce *μεταμέλεια*, ac *μετανοεῖν*, quæ vox in Scripturis passim occurrit, proprie significare dicit, post factum sapere, eique respondere latinam vocem, respicere, unde est resipi-

scientia, et vocem Hebraicam שׁוּב converti, unde est הַשׁוּבָה conversio : quod idem observavit Joan. Calvinus lib. III. Instit. cap. 3. §. 5. Vocem autem μεταμέλῃσθαι, proprie significare dicit, post rem aliquam factam sollicitum esse, et anxium ; atque huic voci, quæ nusquam fere in Scripturis occurrit, cum de conversione peccatoris agitur, respondere vult latinam vocem, pœnitere, unde est pœnitentia ; et hebraicam גַּהַם pœnitere, seu consolari.

Martinus Lutherus in epist. ad Vicarium sui Ordinis, quam scripsit anno 1518. et extat in primo tomo operum ejus, Wirtembergæ excusorum, dicit se studio eruditissimorum virorum tandem didicisse, vocem Pœnitentiæ non significare odium, vel dolorem de vita præterita, ut olim dicebatur, sed significare amorem justitiæ, et novæ vitæ, et hoc nomen nihil habere amarum, vel acerbum, sed omnia grata, et dulcissima. Similia indicat idem Lutherus in serm. de Pœnitentia, et in Resolutionibus suarum propositionum.

Sed in eo multum errant doctores isti grammatici potius quam theologi, qui vocum significationes ex etymologia potius ducunt, quam ex communi Scripturæ, et bonorum auctorum usu. Nam si non originem ac derivationem, sed usum spectemus harum vocum, videbimus non solum גַּהַם et μεταμέλῃσθαι, sed etiam שׁוּב, μετανοεῖν et ipsum præcipue pœnitere, velit nolit Erasmus, externum dolorem, ac pœnam ex interna conversione profectam significare, et idcirco latinum interpretem melius voce pœnitentiæ usum esse, quam fecisset, si voce resipiscentiæ uti voluisset.

Percurramus singulas voces. Ubi legimus in libro Job. cap. ult. *Ago Pœnitentiam in favilla, et cinere* (1), נַחֲמָתִי est in Hebræo. Ex quo intelligimus, verbum נַחֲמָתִי non aliquid dulce, ut Lutherus somniat, sed amarum dolorem, et eum non solum internam, sed etiam externam actionem comprehendere : id quod ne Beza quidem negare ausus est.

Apud Joelem cap. 2, ubi habemus : *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio et fletu, et planctu*, (2) vox שׁוּבָה non potest ad solam animi mutationem referri, cum tam perspicue Dominus jubeat eos converti in jejunio, fletu et planctu : proinde conversio

quam vox illa hebraica significat, internam et externam simul actionem comprehendit.

Sed veniamus ad græcam vocem μετάνοιαν de qua potissimum controversia est Matth. XI, et Lucæ X : *Si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cilicio et cinere Pœnitentiam egissent* (3). Apud utrumque Evangelistam est vox μετενόησαν, quam omnino absurde Beza reddidit : *Resipuissent*. Quid enim est in cilicio et cinere sedendo resipiscere ? certe resipiscentia, si proprie accipiatur, saccum et cinerem præcedit, nemo enim saccum induit, et in cinere sedet, nisi antea resipuerit : Dominus autem actionem pœnalem significat, quæ tum assumitur et exercetur, dum quis mœstus et dolens in sacco et cinere sedet. Itaque μετενόησαν eo loco nihil aliud significare potest, nisi corde simul et corpore aversari peccata præterita, et vindictam de illis a se met repetere.

Similis locus est Matth. XII, et Luc. XI. ubi Dominus Ninivitas laudat, quod egerint Pœnitentiam in prædicatione Jonæ, et utitur eodem verbo μετανοεῖν : quæ fuerit autem Pœnitentia Ninivitarum, scribitur Jonæ III, nimirum jejunia, cilicia, preces ad Deum.

Adhæc in posteriore ad Corinth. epist. cap. 12. extremo : *Metuo*, inquit Apostolus, *ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex vobis, qui ante peccaverunt, et non egerunt Pœnitentiam super immunditie, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt* (4). Hoc etiam loco verbum μετενοήσαντων vertitur a Beza : *Resipuerunt*. Omnino contra proprietatem græci, latinique sermonis. Nam nec latine dicitur, Resipiscere super peccatum ; et græce illud ἐπί conjunctum Dativo, ut hoc loco ἐπί τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ πορνείᾳ, causam significare solet, ac pro eo poni quod est ob vel propter. Si quis autem dicat, Pœnitentiam esse agendam ob peccatum commissum, rectissime dicet, est enim culpa causa pœnæ, cum ex culpa obligatio nascatur ad pœnam : ad resipiscendum ob culpam, non nisi absurde diceretur, non enim culpa resipiscentiæ causa haberi potest, cum non ex culpa, sed ex bona aliqua aspiratione resipiscentia oriatur.

Neque solum Scripturæ divinæ usus, sed etiam auctores tum Græci, tum Latini hanc vocem μετάνοια accipiunt non pro sola resipiscentia, sed etiam pro detestatione præ-

(1) Job. XLII, 6. — (2) Joel, II, 12. — (3) Matth. II, 21 ; Luc. X. 13. — (4) II Cor. XII, 22.

teritæ culpæ, et vindicta, quam quis de se ob eam culpam expetit. Sic accipit S. Basilius in oratione de fame et siccitate, ubi *μετάνοιαν* appellat externam pœnitentiam Ninivitarum: et Poeta Latinus Ausonius in illo epigrammate de occasione et pœnitentia, eodem modo accipit, cum ait:

Sum Dea, quæ facti non factique exigo pœnas:  
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.

Neque probabile est quod scribit Beza loco citato, Ausonium metri causa posuisse Metanœam pro Metamelia. Voluit enim Ausonius proprium nomen ejus simulaeri, quod vulgo Pœnitentia dicebatur, exprimere; et quia Latinum non extabat apud Ciceronem, et alios antiquos probatos auctores: « Sum Dea, inquit, cui nomen nec Cicero ipse dedit, » Græcum substituit pro Latino. Non est autem credibile, eum, qui proprium nomen reddere volebat, alienum supposuisse, præsertim cum facile potuerit poetica licentia dicere: « Nempe ut pœniteat, Metamelia vocor », producendo primam syllabam vocis « Metamelia, » ut similem produxit Virgilius: « Italiam fato profugus etc. » imo Græcis solemne est primam producere, cum tres breves in aliqua voce occurrunt.

Lactantius lib. vi. cap. 24, scribit quidem Metanœam latine reddi posse Resipiscentiam: sed explicat, per Resipiscentiam non debere intelligi solam mentis mutationem: « Resipiscit autem, inquit, quem errati piget, et seipsam castigat demeritæ, et confirmat ad rectius vivendum. » Atque hæc de græca voce.

Porro vox latina Pœnitentia non est quidem apud Ciceronem ut neque etiam Resipiscentia, tamen verbum Pœnitendi, unde sine dubio Pœnitentia dicta est, apud Ciceronem non eam vim habet, quam credit Erasmus, sed quam veteres grammatici, qui a pœna, non a pone, Pœnitere et Pœnitentiam derivarunt. In iv Tusculana extrema: « Quomodo, inquit Cicero, si naturalis esset ira, aut alius, alio magis iracundus esset; aut finem haberet prius quam esset ultra, ulciscendi libido; aut quemquam pœniteret, quod fecisset per iram? ut Alexandrum regem videmus qui cum interemisset Clytium familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit pœnitendi. » Quo loco vox Pœnitendi non significat solam agnitionem erroris, sed detestationem facti, cum desiderio puniendi.

Ovidius quoque in eadem significatione verbum, Pœnitere, accipit lib. i. de Ponto, cum ait:

Pœnitet o, si quid miserorum creditur ulli,  
Pœnitet, et facto torqueor ipse meo.  
Cumque sit exilium, magis est mihi culpa, dolori:  
Esque pati pœnam, quam meruisse, minus.

Jam vero apud Ecclesiasticos auctores, nomen Pœnitentiæ non pro sola erroris agnitione, et mentis mutatione, sed etiam pro vindicta, quam de se sumit peccator, sæpe numero usurpari, supervacaneum erit ostendere: ita passim testimonia Patrum occurrunt. Certe Tertullianus cum in lib. de Pœnitentia ait: « Confessione Pœnitentia nascitur, Pœnitentia Deus placatur, » non potest Pœnitentiam pro resipiscencia accipere; cum non ex confessione resipiscencia, sed confessio ex resipiscencia oriatur. Itaque Pœnitentiam, pœnam sponte assumptam ad peccatum puniendum vocavit: quo sensu scripsit etiam S. Cyprianus in serm. 5. de lapsis: « Pœnitentia crimine minor non sit. » Et S. Augustinus in epist. 108. ad Seleucianum: « Est, inquit, Pœnitentia, honorum et humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes: Dimitte nobis debita nostra. »

Denique unde vox, Pœnitentia, diphthongum haberet, quam habet vox Pœna, si a Pone, ut vult Erasmus, et non a Pœna derivaretur? Maneat igitur, omnes Pœnitentiæ voces, Hebraicam, Græcam et Latinam, secundum Scripturæ, et bonorum auctorum usum, non solam mentis mutationem, aut erroris agnitionem, sed etiam detestationem peccati, et vindictam sponte assumptam significare.

## CAPUT VIII.

### PROPONITUR CONTROVERSIA PRIMA.

*An Pœnitentia sit Sacramentum proprie dictum.*

Controversia prima, quæ est de genere, sitne videlicet Pœnitentia Sacramentum proprie dictum, quatuor partes habebit. Primo enim explicandus erit quæstionis status. Deinde afferendæ sententiæ adversariorum. Tertio afferenda et propugnanda veritas. Postremo objectiones contrariæ diluendæ.



Ut igitur controversiæ status aperiatur, illud initio ponimus, non de quavis Pœnitentia controversiam esse: potest enim, ut ad præsentem disputationem pertinet, vera Pœnitentia vel in sola mentis conversione, atque interna peccati detestatione consistere, vel etiam externis signis, mœrore, lacrymis, confessione, corporis afflictatione se prodere. Et quidem conversio illa mentis ad Deum, esti semper necessaria fuerit ad reconciliationem, et virtus quædam sit non exigua, tamen nisi signa externa adjuncta habeat, Sacramentum dici non potest: neque de hac re ulla controversia est.

Posse autem, et ut plurimum solere, veram Pœnitentiam signa externa adjuncta habere, ex sacris litteris paulo ante probatum est. Dominus enim Matth. XI. in cinere et cilicio pœnitentiam acturos fuisse dicit Tyrios, et Sidonios, si prædicatum eis fuisset: et Matth. XII. laudat idem Christus pœnitentiam Ninivitarum, quam externam fuisse testatur Jonas cap. III.

Ipsi etiam adversarii licet satisfactiones rejiciant, tamen opera externa laboriosa in signum Pœnitentiæ, non rejiciunt. Calvinus lib. III. Institut. cap. 3, §. 15. « Quo severiores, inquit, in nos sumus, eo debemus sperare magis propitium ad misericordiam Deum et certe fieri non potest, quin anima judicii horrore percussa, partes ultionis in exigenda de se pœna occupet. » Et Kemnitiuss in 2. par. Exam. in disputatione de satisfactione pag. 1072. scribit, non rejici a suis opera laboriosa, ut fructus, et signa veræ Pœnitentiæ.

De hac igitur Pœnitentia, quæ signis externis proditur quæstio est, an Sacramentum dici debeat. Sed neque de omni ejusmodi Pœnitentia controversia est: satis enim inter nos et adversarios convenit, pœnitentiam Ninivitarum, et aliorum qui ante Christi adventum vixerunt Sacramentum novæ legis, de quod nunc agimus, nequaquam esse potuisse. Sed neque Pœnitentiam ejusmodi, etiam post Christi adventum et passionem, Sacramentum facimus vel nos, vel adversarii, si nulla sequatur Absolutio. Absolutionis autem ritum aliquem fere omnes agnoscunt, licet de vi et efficacia Absolutionis, de Ministro, qui eam pronuntiat, deque aliis multis rebus ad Absolutionem pertinentibus, multæ sint inter nos et adversarios quæstiones.

Hic igitur status controversiæ est: An Pœ-

nitentia signis externis manifestata, accedente ad eam verbo Absolutionis, sit Sacramentum novæ legis proprie dictum. Istum enim ritum reconciliandi lapsos post Baptismum, qui ex Pœnitentia signis externis prodita, et verbo Absolutionis constet, Catholici verum ac proprie dictum Sacramentum esse affirmant. Hæretici negant.

Kemnitiuss more suo dum queritur a Catholicis controversiæ statum confundi, ipse cum mira fraude confundit. Quia enim statu recte constituto, videbat magnam Lutheranorum partem, et ipsum Confessionis Augustanæ auctorem a Catholicis non dissentire, ne ipse cum suis tam aperte pugnare videretur, statum quæstionis longe alium esse finxit, quam revera sit. Is igitur pag. 905 et 908, hunc esse contendit statum controversiæ: Utrum peccatores post Baptismum quærentes reconciliationem cum Deo abducendi sint a fide obedientiæ, passionis, et satisfactionis Christi, ad fiduciam actionis, propriæ, contritionis, confessionis et satisfactionis ita ut istæ actiones, accedente ad eas verbo Absolutionis, sint Sacramentum, et causa efficiens remissionis peccatorum.

At ista quæstio si inter nos esset, non esset certe illa quam Catholici proponunt, cum quærent: Sitne Pœnitentia Sacramentum proprie dictum; sed esset alia quæstio a priore dependens, nimirum: Quale sit Pœnitentiæ Sacramentum. Prius enim componenda est controversia, An Pœnitentia Sacramentum sit, quam Kemnitiuss fraudulenter dissimulare conatur: deinde quærendum, Quale tandem Sacramentum sit.

Quid, quod quæstio quam Kemnitiuss depingit, ac fingit, nulla est omnino? non enim Catholici (ut etiam superiore capite breviter ostendimus) usquam disputant, peccatores a fide obedientiæ, passionis, et satisfactionis Christi abducendos esse ad fiduciam actionis propriæ: sed contra omnes uno ore clamant totam vim Sacramenti Pœnitentiæ, ut aliorum omnium Sacramentorum, a merito obedientiæ, passionis, et satisfactionis Christi pendere, neque absque fide in Christum, ullum a peccatis absolvi, vel reconciliari cum Deo posse. Porro vim Sacramentalem, quæ efficienter atque instrumentaliter concurret ad remissionem peccatorum, proprie ac præcipue in verbo, quod sacerdos Dei nomine pronuntiat, dum absolvit, constituunt; ut perspicuum est ex S. Thoma in 4. sent. dist. 18. quæst. 1. artic. 2. actiones autem pœni-

tentis solum concurrunt ad remissionem peccatorum efficiendam, quatenus vim Sacramentalem a verbo Absolutionis, a quo formantur, participant.

Neque his repugnat, quod Pœnitentiam ipsam, quæ in actione peccatoris consistit, Sacramentum appellamus: nomen siquidem Sacramenti, materiæ aptius tribui solet, quam formæ, licet forma aut sola, aut præcipue vim efficiendi contineat. Sic Baptismus ablu-tionem, hoc est, materialem partem proprie significat: illa autem verba: « Ego te baptizo etc. » non Sacramentum, sed formam Sacramenti nominare solemus. Sic panem consecratum, Sacramentum dicimus: illa autem verba: « Hoc est corpus meum, » Sacramentum non dicimus. Sic unctionem confirmandorum, et unctionem ægrotantium, Sacramentum vocamus potius, quam verba quibus Sacramenta illa perficiuntur. Sic denique Matrimonium, sive conjunctionem viri cum fœmina, non autem illa verba: « Ego te accipio in meam », Sacramentum appellamus.

Huc accedit, quod si actiones pœnitentis efficientes causæ dicerentur remissionis peccatorum, non minus proprie et principaliter quam ipsa Absolutio: non tamen eæ causæ dicerentur, nisi ut instrumenta Dei, et ideo nihil omnino detraheretur de efficientia Dei, et merito passionis Christi. Nam ipsa etiam Absolutio, et ablutio, et Eucharistiæ consecratio, actiones humanæ sunt: et tamen quia per eas actiones, ut per sua quædam instrumenta, Deus operatur, et Christi merita nobis applicat; nemo queritur abduci homines a merito Christi ad fiduciam actionis humanæ, quando ab homine baptizari, vel absolvi, vel Eucharistiam ab homine consecratam sumere jubetur.

Verus igitur status quæstionis est, quem nos constituimus: Utrum Pœnitentia signis externis declarata, cum verbo Absolutionis, sit vere, proprieque dictum novæ legis Sacramentum.

## CAPUT IX.

*Explicantur sententia Adversariorum de  
proposita quæstione.*

Pœnitentiam Sacramentum esse, primi negarunt Montanistæ, et Novatiani: quanquam

ii non Sacramenti solum rationem, et nomen, sed etiam potestatem reconciliandi peccatores, et omnem omnino ritum Ecclesiasticum reconciliationis sustulerunt. Neque vero, ut nonnulli falso existimant, Pœnitentiam, et spem veniæ a Deo obtinendæ, Hæretici supra nominati tollebant e medio, sed solum ab Ecclesia solvi ac reconciliari posse eos, qui post Baptismum fuerant lapsi, negabant.

De Montanistis S. Hieronymus in epist. ad Marcellam de erroribus Montani: « Illi, inquit, ad omne pene delictum Ecclesiæ obserant fores: nos quotidie legimus: Malo pœnitentiam peccatoris, quam mortem. »

De Novatianis refert Socrates lib. iv. hist. cap. 23. Novatianum ipsum, quem ipse Novatum vocat, ad Ecclesias omnes scripsisse, ut eos qui simulacris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad Pœnitentiam, remissionemque permitterent Deo, qui potest et habet auctoritatem remittendi peccata. Idem ex Cypriano lib. ii. epist. 4. et ex Ambrosio lib. i. de Pœnitentia cap. 2. colligitur. Monet autem Ambrosius, Novatianos sui temporis nonnihil remisisse de rigore majorum suorum: « Aiunt, inquit, se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris Novatianus ait, qui nemini Pœnitentiam dandam putavit. » Et paulo post: « In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, qui distinctionem peccatorum facitis, quæ solvenda a vobis putetis, et quæ sine remedio esse arbitremini.

Quia vero auctorem hujus hæresis post Montanum alii Novatum, alii Novatianum vocant, sciendum est, Novatum Presbyterum Carthaginensem, primum fuisse, qui post Montanum hanc hæresim excitavit; ab illo enim seductum fuisse Novatianum Romanum Presbyterum, qui cum Cornelio in schismate sedit, intelligi potest ex Paciano in epist. 3. ad Sympronianum, et ex Hieronymo in libro de viris illustribus, in Novatiano. Quare idem Hieronymus in secundo libro adversus Jovinianum, et Augustinus libro de Hæresibus cap. 38. Novatum auctorem hæresis faciunt: Græci hæc nomina confundunt, et utrumque Novatum vocant.

Hanc antiquissimam hæresim jam olim damnatam iterum excitare conatus est Lutherus, et qui post eum surrexerunt falsi Prophetæ, Zwinglius, Calvinus et cæteri.

Nam etiamsi reconciliationem quamdam lapsorum post Baptismum agnoscunt, in quo discrepare videntur a Novatianis, tamen veram et judiciariam potestatem peccata remittendi, non minus sacerdotibus negant Lutherani, quam olim negarent Novatiani.

Verum autem et proprie dictum Sacramentum esse Pœnitentiam, primus negavit hoc nostro sæculo Lutherus, sed timide, et inconstanter: nam in libro de captivitate Babilonensi non procul ab initio: « Principio, inquit, neganda mihi sunt septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, Panis. » Sed in eodem libro, extremo, Pœnitentiam ad Baptismum revocat, et ex tribus duo facit. « Proprie, inquit, ea Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt: quo fit, ut si rigide loqui volumus, tantum duo sint in Ecclesia Dei Sacramenta, Baptismus, et Panis, cum in his solis et institutum divinitus signum, et promissionem remissionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili et divinitus instituto caret, et aliud non esse dixi, quam viam ad Baptismum. » Hæc ille. Idem tamen Lutherus, cum alibi sæpe, tum in propositionibus adversus Lovanienses, quas edidit anno 1545. propositione 35. Pœnitentiam Sacramentum esse concessit.

Philippus Melanchthon in locis communibus editis anno 1522. aperte negavit hoc Sacramentum: sic enim loquitur in titulo de Pœnitentia « Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est: est enim Pœnitentia vetustatis nostræ mortificatio, et renovatio spiritus. Sacramentum ejus, vel signum non aliud nisi Baptismus est: atque hic omnium rectissime vocetur Sacramentum Pœnitentiæ. » Idem tamen Philippus Lutherum suum secutus, in libris postea editis, Pœnitentiam Sacramentum esse docuit, ac præsertim in Apologia Confessionis Augustanæ.

Et quoniam Matthias Illyricus in Apologia Confessionis Antuerpiensis cap. 18. et Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis pag. 903. scribere non verentur, Apologiam Confessionis Augustanæ non agnoscere hoc Sacramentum nisi improprie, et modo quodam, non autem simpliciter et proprie; verba ipsa Apologiæ afferenda sunt, ut duo isti Lutherani non solum ab Ecclesia Catholica, sed etiam ab Apologia Confessionis Augustanæ, in cujus verba juraverant, defecisse intelli-

gantur. Sic igitur habet Apologia in cap. de numero et usu Sacramentorum: « Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti, non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta: non est enim auctoritatis humanæ, promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent aut admonent aliquid. Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ: nam hi ritus habent mandatum Dei, et promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti. Certo enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absolvimur, quod vere ignoscat nobis Deus propter Christum. » Hæc ibi: ubi Apologia primo appellat Pœnitentiæ Sacramentum, proprie ac vere Sacramentum. Secundo, dicit habere ritum divinitus institutum, et gratiæ promissionem, cum tamen Kemnitius ideo solum neget esse proprie Sacramentum Pœnitentiam, quod eam carere existimet ritu divinitus instituto. Tertio conjungit perpetuo cum Baptismo, et Cœna Domini, quæ sunt omnium consensu vere ac proprie Sacramenta. Quarto, separat ac distinguit a ritibus humanis, qui non sunt proprie Sacramenta. Poterat ne igitur Apologia clarius asserere, Pœnitentiæ Sacramentum vere ac proprie Sacramentum esse?

Adde, quod in Locis communibus editis anno 1543. in titulo de numero Sacramentorum idem Philippus sic loquitur: « Cum autem vocabulum Sacramenti de caeremoniis intelligitur institutis in prædicatione Christi; numerentur hæc Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ sunt externi ritus, et sunt signa totius Evangelii, et quidem proprie sunt testimonia remissionis peccatorum, seu reconciliationis, de qua præcipue dicitur in definitione usitata: Sacramentum est signum gratiæ, id est, reconciliationis gratuitæ, quæ propter Christum donatur, et in Evangelio prædicatur. » Satis igitur constat, Philippum, et Lutherum revocasse priorem illam sententiam, quam initio docuerant.

Sed erroris ab istis introducti, ac postea deserti, non defuerunt qui patrocinium susciperent: ac primum Zwinglius in libro de vera, et falsa religione cap. de Sacra-

mentis, et Zwingliani omnes, Pœnitentiam a numero Sacramentorum removent. Joan. Calvinus lib. iv. Institut. cap. 19. §. 15 et sequentibus, non negat solum Pœnitentiæ Sacramentum, sed etiam multis argumentis nullum ejusmodi Sacramentum esse conatur ostendere: quod idem facit in Antidoto Concilii Tridentini sess. 6. 15. Calvinum sequitur suus Beza in Confessione fidei cap. 7. articul. 11. nec desunt multi ex his qui Lutherani dici volunt, et in verba Confessionis Augustanæ et ejus Apologiæ jurarunt, qui ad Sacramentarios in præsentis quæstione defecerint; ut Nicolaus Selneccerus in 2. parte suæ Pædagogicæ, ubi de numero Sacramentorum tractat; Joannes Wigandus in Methodo doctrinæ Ecclesiæ Magdeburgensis cap. 14; Matthias Illyricus in præfatione libri, qui, inscribitur: « de sectis et dissidiis Pontificiorum »; Martinus Kemniti in 2. par. Examinis Tridentini Concilii, in prima disputatione de Pœnitentiâ; aliique denique non pauci, quos nihil attinet recensere.

Adversus hunc errorem edidit Synodus Tridentina canonem 1. sess. 14. in hæc verba: « Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere ac proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum, anathema sit. »

## CAPUT X.

### *Pœnitentiam Sacramentum esse proprie dictum.*

Nunc ad veritatem confirmandam accedamus. Ac primo quidem loco habemus verba Domini Joan. xx: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ex quibus verbis duo colliguntur, quæ ad omne Sacramentum proprie dictum constituendum, et requiruntur, et sufficiunt; ritus externus sive symbolum divinitus institutum, et promissio gratiæ justificantis, illi ritui sive symbolo annexa.

Nam cum Dominus Apostolis potestatem concesserit remittendi peccata hominibus, dubitari non potest, quin signo aliquo externo eam potestatem exerceri voluerit: neque enim homines, qui corporales sunt, peccata sibi remitti intelligerent, nisi voce aut signo aliquo externo ac sensibili remit-

terentur. Neque adversarii id negant: agnoscunt enim ex hoc testimonio divinæ Scripturæ recte colligi verbum Absolutionis etiam privatæ, ut patet ex Kemnitio 2. par. Exam. pag. 916. et 917. et ex Calvino lib. iii. Institut. cap. 4. §. 12. et 14. Verbum autem signum corporale, ac sensibile est. Neque solum ritus externus absolvantis, sed etiam ritus externus pœnitentis ex eodem testimonio recte colligitur: neque enim peccata remitti debent, nisi iis, qui se peccata habere, eaque sibi displicere testantur. Nam ut ii absolvi nequeunt, qui ligati non sunt; ita nec ii, qui solvi nolunt: nolunt autem solvi, qui non afferunt animum paratum, ut oportet, id est, qui sine fide ac Pœnitentiâ accedunt. Quare ipsi etiam adversarii absolvendos non putant eos, qui Pœnitentiæ signa nulla ostendunt, quique absolutionem non petunt: « Privata absolutio », inquit Kemniti pag. 916, « contritis, et fide petentibus consolationem, remittit peccata. » Habemus igitur symbolum, seu ritum externum, eumque duplicem: signa Pœnitentiæ, et verbum Absolutionis.

Promissionem vero gratiæ justificantis nusquam Dominus apertius exposuit quam hoc loco: quid enim est peccatorum remissio, nisi justificatio?

Hoc testimonium variis modis Hæretici depravare conantur: sed duo sunt præcipua ipsorum effugia. Unum est omnibus commune, loqui Dominum de remissione peccatorum, non judiciaria, et ex potestate quadam quasi prætorica, sed per Evangelii prædicationem: « Illis enim, inquit, Minister peccata remittit, in quibus prædicando fidem excitat, qua remissio ipsa apprehenditur. »

Sed etiamsi solum de remissione per annuntiationem Evangelii Dominus loqueretur, adhuc adversarii Sacramentum negare non possent: siquidem ipsi omnia Sacramenta nihil aliud esse volunt, nisi quamdam Evangelii annuntiationem ad excitandam fidem institutam. Quemadmodum igitur aquæ aspersio cum verbo: « Ego te baptizo », Sacramentum est etiam apud adversarios, licet illud: « Ego te baptizo », referatur ad excitandam fidem, per annuntiationem ablutionis nomine Dei factam: sic etiam signum Pœnitentiæ quod peccator ostendit dum petit absolutionem, cum verbo: « Ego te absolvo », Sacramentum censendum est, licet ipsorum opinione, illud: « Ego te absolvo », referatur ad excitandam fidem, per annuntiationem

absolutionis nomine Dei factam; debere autem Absolutionem in particulari applicari, Lutherani concedunt, ut supra citavimus ex Kemnitio in 2. par. Exam. pag. 916. et ex Calvino lib. III. Instit. cap. 4. §. 14.

Alterum effugium est Calvini in Antidoto Concilii Tridentini, sess. 6. cap. 14. ubi posteaquam dixerat, Catholicos ex loco jam citato Evangelii colligere institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, respondet, verba illa Evangelii: « Quorum remisistis peccata », pertinere ad remissionem peccatorum, quæ tum efficitur, cum per verbum prædicationis, impii et infideles convertuntur ad fidem, et per baptismum ad Ecclesiam adjunguntur. « Quis, inquit, ignorat, munus Apostolis illic fuisse injunctum, quo erga extraneos fungerentur? ea legatio est, quæ per Evangelium defertur in Ecclesiam nondum cooptatis. » Idem etiam habet Kemnitius in. 2. par. Exam. pag. 915. ubi hanc expositionem probat ex cap. ult. Lucæ, ubi Dominus jussit prædicari Pœnitentiam, et remissionem peccatorum in nomine suo per omnes Gentes; hæc enim loca cum de re eadem tractent se invicem explicant.

Respondeo, duobus modis potest intelligi locus Evangelii, qui habetur Joan. 20. Uno modo, ut data sit apostolis auctoritas peccata remittendi tum infidelibus, tum fidelibus. Altero modo, ut solum Fidelibus.

Prior expositio est S. Cyrilli in eum locum; et eam sequi videntur adversarii. Nam Kemnitius loco citato, et etiam pag. 920. aperte declarat, generalem esse promissionem Joan. 20. quæ tam ante Baptismum, quam post Baptismum locum habeat.

Calvinus autem tametsi in Antidoto ita loquitur, ut videatur eam promissionem restringere ad solos infideles; tamen alibi se ipse explicat. Siquidem lib. III. Instit. cap. 4. §. 12. dicit Ministris esse injunctum, ut de remissione peccatorum certiores reddant fidelium conscientias, et probat ex hoc loco Joannis; et paulo post §. 14. ex hoc eodem loco colligit privatam absolutionem, quæ datur in Ecclesia pœnitentibus: « Non vulgare, inquit, aut leve solatium est habere illic præsentem Christi legatum, reconciliationis mandato præditum, a quo denuntiari sibi absolutionem audiat. Illic utilitas Clavium merito commendatur, cum rite, quo ordine et qua religione decet, ista peragitur legatio: similiter cum is, qui se ab Ecclesia quodam modo abalienaverat, restituitur in fraternam

veritatem, accepta venia. Quantum beneficium est, quod sibi ab iis ignosci intelligit, quibus dixit Christus: Quibuscumque remisistis peccata in terris, remissa in cælo erunt? » Et lib. IV. Instit. cap. I. §. 22. disertis verbis affirmat, generalem esse promissionem, imo magis in fidelibus, quam in infidelibus locum habere: « Non enim, inquit, cum Apostolis mandatum debet Christus, et potestatem contulit remittendi peccata, hoc tantum voluit, ut eos solverent a peccatis, qui ab impietate ad Christi fidem converterentur: sed magis ut hoc officio fungerentur perpetuo inter fideles. » Et probat ibidem Calvinus hoc ipsum ex Apostoli Pauli certissimo testimonio: nam II. Corinth. v, 19, 20. Apostolus ad fideles scribens, eosque exhortans ad reconciliationem cum Deo ob culpas post Baptismum admissas: *Deus; inquit, posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Neque dubitari potest, ut etiam Calvinus non dubitat, quin verbum reconciliationis tunc in Apostolis positum fuerit, cum dictum est eis a Christo: *Quorum remisistis peccata, etc.*

Posita hac expositione, satis facile colligimus Sacramentum Pœnitentiæ. Nam ut Cyrillus in huic locum docet, Christus dedit quidem Apostolis potestatem peccata remittendi ac retinendi, tum infidelibus, tum fidelibus: sed non eodem modo. Infidelibus enim remitti voluit per Baptismum, et retineri per exclusionem a Baptismo, si forte indigni eo censeantur: at fidelibus remitti noluit per Baptismum, sed per alium ritum, nimirum per reconciliationem pœnitentium. Sicut igitur potestas remittendi infidelibus peccata, non sine Sacramento quodam exercetur, ita nec potestas remittendi fidelibus: proinde reconciliatio fidelium post Baptismum Sacramentum quoddam est.

Neque hæc negare adversarii possunt, cum admittant ex his verbis Domini, colligi privatam, Absolutionem a Domino institutam, qua post Baptismum reconciliantur. De qua re sic loquitur Kemnitius, pag. 901. « Hoc etiam apud nos extra controversiam est, Deum in Scriptura instituisse et ordinasse certa media, per quæ lapsis post Baptismum, si convertantur beneficium mortis Christi vult applicare, et obsignare ad reconciliationem, et remissionem peccatorum. » Hæc ille. Ea media nos contendimus verum Sa-

cramentum continere, cum sint corporalia, a Deo instituta, et promissionem habeant gratiæ justificantis, ut ipsi concedunt.

Et hæc dixerim, si prior illa expositio admittatur : sed tamen videtur omnino posterior expositio probabilior. Nam S. Joannes non solet ea repetere, quæ alii Evangelistæ scripserunt, nisi forte cum aliquid circa eandem historiã addendum judicat. Jam de mandato Baptismi administrandi satis aperte scripserant Matthæus, et Marcus in ult. cap. Evangelii : et jam etiam ante passionem suam Dominus dederat Apostolis baptizandi potestatem, ut idem Joannes testatur cap. 4. nulla igitur causa erat, cur aut Dominus post resurrectionem suam hanc potestatem Apostolis daret, aut id scriberet Joannes.

Præterea potestas Clavium datur hoc loco sanctis Apostolis, ut Catholici et Hæretici concedunt : potestas autem Clavium non est ad Baptismum necessaria, cum non soli ministri Ecclesiastici, quibus claves dantur, sed etiam laici, imo etiam non Christiani Baptismum, aliquando dare possint.

Adhæc potestas Clavium sine dubio, judicialis quædam potestas est, ut alio loco probaturi sumus : non autem judicant Christiani de infidelibus, sed de Fidelibus tantum : *Quid ad me*, inquit Apostolus I. Corinth. v. *de his qui foris sunt judicare* (1). Igitur hoc loco potestas datur Ecclesiæ Præpositis, fidelibus tantum baptizatis peccata remittendi, eosque certo ritu post Baptismum reconciliandi.

Quare Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, et alii in hunc locum : et rursus Chrysostomus in 3. lib. de Sacerdotio. Ambrosius in lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. cum hunc locum exponunt, nullam Baptismi mentionem faciunt. Pacianus in epist. 3. loco volebant, datam Ecclesiæ potestatem solvendi Catechumenos per Baptismum.

Neque vim ullam habet argumentum Kemnitii ex ult. cap. Lucæ : falso enim assumit Kemnitius, de re eadem loqui Joannem, et Lucam. Nam longe aliud est, prædictum esse a Prophetis, prædicandam esse Pœnitentiam, et remissionem peccatorum in Christi nomine per omnes Gentes, quod scribit Lucas : aliud, accepisse Apostolos a Domino Spiritum sanctum, et cum eo potestates remittendi ac retinendi peccata, quod scribit Joannes. Neque dubium est, quin Lucas de ea Pœnitentia loquatur, quæ Baptismum

præcedit ; quæque proprie Gentibus ad fidem adducendis convenit, de qua loquitur Petrus Act. II. cum ait : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (2) : cum Joannes aut generatim de omni Pœnitentia, aut solum de ea quæ post Baptismum agitur, verba faciat. Denique jam diximus, Joannis consuetudinem non esse repetere quæ cæteri scripserunt.

Quod si posterior hæc expositio admittatur, evacuatum est plane objectum adversariorum. Habemus igitur ritum absolvendi, per verbum reconciliationis, ut Apostolus loquitur, externum ac sensibile, cum promissione remissionis peccatorum in Evangelio fundatum, ipsis etiam adversariis testibus : ex quo quid ad Sacramenti proprie dicti rationem desit, omnino non video.

Sed ut clarius omnia perspiciantur, et adversarii evidentius convincantur, conferamus hunc ritum quem ex Scriptura deduximus, cum definitionibus, quibus tum Catholici, tum Hæretici Sacramenti naturam atque essentiam explicare solent. Catholici Sacramentum esse volunt sacræ rei signum : sic autem definitionem suam exponunt, ut per signum intelligant signum practicum, atque, efficax, quòd significando efficiat ; per rem sacram, gratiam justificationis, quæ tunc a Deo in animam infundatur, cum signum illud extrinsecus adhibetur. Hæc definitio aptissime quadrat in eum ritum, de quo agimus : nam et confessio pœnitentis, et verbum absolventis, signa sunt gratiæ justificantis. Quid enim Confessio significat, nisi animi renovationem ? quid vero Absolutio, nisi peccati ipsius, quo quasi vinculo peccator constrictus tenebatur, relaxationem ? Esse autem hoc signum practicum, atque efficax, ex eo intelligimus, quia falsum esse potest quod veritas dixit : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

Lutherus in lib. *de captivit. Babyl.* prope finem scribit, proprie Sacramenta vocari, quæ signis annexis promissa sunt. Apologia Confessionis Augustanæ artic. de numero et usu Sacramentorum, Sacramentum proprie dictum eodem modo definit : vult enim esse ritum, qui habet mandatum Dei, et cui addita est promissio gratiæ. Hanc definitionem in ritum Confessionis atque Absolutionis quadrare, certe negari non potest : nam ut de Confessione interim taceam ; Absolutionem, etiam privatam, habere mandatum Dei et

(1) I Cor. V, 12, 15. — (2) Act. II, 38.

promissionem gratiæ, omnes fatentur. Illud enim II Corinth. v : *Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro Christo legatione fungimur* (1), mandatum divinum sonat. Illud autem, Joan. xx. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (2), appertissimam gratiæ promissionem continet. Et licet etiam mandatum expressum nullum exstaret ; tamen in ipsa promissione absque dubio tacite contineretur ; quorsum enim daret Christus Apostolis absolvendi potestatem, nisi etiam ut ea uterentur quando opus esset, juberet ?

Martinus Kemnitiuſ communi hac definitione contentus non fuit. Itaque in 2. par-Exam. Tridentini Concilii pag. 41. ut excluderet a ratione Sacramenti proprie dicti, omnia Sacramenta Catholicorum, exceptis duobus, Baptismo et Eucharistia : definitionem longissimam fabricavit. Voluit enim octo conditiones requiri ad Sacramentum novæ legis proprie dictum : quas omnes excussimus in primo libro de Sacramentis in genere ; nunc satis erit ostendere, eas omnes Sacramento Pœnitentiæ, invito etiam Kemnitiuſ, convenire.

Prima conditio postulat, ut adsit externum ac sensibile symbolum. Damus in præſenti verbum externum ac sensibile. *Absolvo te, seu, Remitto tibi peccata*, ex illo testimonio Domini : *Quorum remiseritis peccata*. Secunda conditio exigit, ut symbolum illud habeat institutionem et mandatum Dei, non autem sit ab humano ingenio fabricatum. Id quoque jam demonstravimus ex verbo Dei : *Quorum remiseritis peccata*. Tertia, ut mandatum sive institutio sit in novo Testamento. Et hoc extra controversiam est, nisi quis Evangelium Joannis, et epistolam Pauli ad Corinthios ad novum Testamentum pertinere nolit. Quarta, ut sit ritus perpetuus, non ad breve tempus institutus. Ritum autem Absolutionis semper in Ecclesia permansisse, ac permansurum, neque adversarii negant ; et ex Evangelio facile probari potest. Cum enim Dominus in Ecclesia potestatem remittendi peccata esse voluerit, neque tempus ullum desinierit ; id manifeste sequitur, ut tamdiu ea potestas duratura sit, quamdiu Ecclesia purgatione et remissione indigebit. Quinta, ut adsit etiam promissio gratiæ. Sexta, ut sit promissio gratiæ non cujuslibet, sed quæ in justificatione, ac reconciliatione consistat. Septima, ut promissio illa gratiæ signo externo adjuncta, et vestita sit. Quæ

tres conditiones in allegato testimonio : *Quorum remiseritis peccata*, evidentissime conspiciuntur. Octava, ut promissio non tantum in genere annuntietur, sed etiam in particulari singulis applicetur. Hanc vero conditionem in Absolutionis ritu inesse, nemo inficiari potest. Nam quemadmodum ex illis verbis : *Docete omnes Gentes, baptizantes eos, etc.* colligimus, in particulari singulis esse dicendum : *Ego te baptizo, etc.* sic etiam ex istis : *Quorum remiseritis peccata*, colligere debemus, in particulari singulis esse dicendum : *Ego tibi remitto peccata ; vel quod est idem : Ego te absolvo a peccatis.* Vides igitur nihil desiderari in ritu Absolutionis, eorum, quæ ad propriam perfectam Sacramenti rationem Kemnitiuſ requisivit.

Sed forte Calvinii definitio in hunc ritum non quadrat : ita quidem ille docet in IV. lib. Instit. cap. 19. §. 15. ubi ad suam definitionem provocat. Sed illa etiam (quamvis aliqui satis inepta, ut in primo libro de Sacramentis in genere, demonstravimus) ad hunc ritum accommodari potest. Igitur ille, lib IV. Institut. cap. 14. §. 1. Sacramentum definit : « Externum symbolum, quo benevolentiæ erga nos suæ, promissiones conscientis nostris Dominus obsignat, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, et nos vicissim pietatem erga eum nostram, tam coram eo et Angelis, quam apud homines testamur. » Symbolum externum, et gratiæ promissionem, jam non semel in ritu Confessionis et Absolutionis ostendimus : illum autem finem, ad sustinendam fidem et pietatem testificandam ; non minus in ritu Absolutionis, quam in ritu Baptismi locum habere video. Nam quemadmodum qui in Baptismo audit illa verba nomine Dei prolata : *Ego te baptizo*, erigit animum ad spem, et in fide confirmatur, et roboratur : similiter facit, qui post Confessionem audit verba illa a Dei legato ad se proprie dirigi : *Ego te absolvo.* Et sicut qui ad Baptismum accedit, et in Christi familiam cooptari postulat, pietatem suam erga Deum apud homines testatur : ita etiam eandem testatur qui signa Pœnitentiæ præ se ferens, et ad Absolutionem accurrens, cum Deo reconciliari enixe flagitat.

Quæ cum ita sint ; aut Sacramentum Pœnitentiæ vere proprieque dictum Sacramentum erit, aut Baptismus Sacramentum vere ac proprie dictum non erit : vel certe confingant novam aliquam definitionem, si ri-

(1) II Cor. V, 19, 20. — (2) Joan. X, 23.

tum reconcillationis ita cupiunt a Sacramenti ratione excludere, ut ab eadem Baptismum non excludant.

Accedant præterea testimonia veterum. Duobus præcipue modis intelligi potest, quæ fuerit de hac re Patrum sententia. Primum enim non raro, cum vera Sacramenta enumerant, iis Pœnitentiam adjungunt. Sæpe etiam pœnitentiam cum Baptismo conferunt, ac docent, in utroque Sacramento Deum esse, qui potissimum operatur.

Tertullianus in libro *de Pœnitentia* : « Hæc, inquit, venena providens Deus clausa ignoscentiæ janua, et infinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat. » Ubi Tertullianus duas januas, esse docet ad remissionem peccatorum, Baptismum et Pœnitentiam : proinde tale aliquod remedium esse judicat Pœnitentiam, quæ est Baptismus, licet specie diversum. Vide etiam eundem lib. I. contra Marcionem extremo.

S. Cyprianus vel quicumque fuit auctor (antiquum auctorem esse nemo negat) in sermone de ablutione pedum : « Post Baptismum, inquit, qui sui reverentia non patitur iterari, aliud lavaerum procurasti etc. »

S. Ambrosius lib. I. de Pœnitentia, cap. 7 : « Cur, inquit, baptizatis, si per hominem peccata remitti non licet ? In Baptismo enim utique remissio peccatorum omnium est ; neque interest utrum per Pœnitentiam, an per lavaerum hoc jus sibi datum sacerdotes sibi vindicent : idem in utroque mysterio est. » Et quia Novatiani dicebant, posse hominem baptizare, quia in Baptismo Deus est, qui potissimum operatur, addit Ambrosius : « Quid in Pœnitentia, nonne nomen Dei operatur ? » Vide etiam lib. II. cap. 2.

S. Hieronymus in lib. I. contra Pelagianos : « Redimatur, inquit, sanguine Salvatoris, aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentia, quæ imitatur Baptismatis gratiam. » Et lib. II. « Quod, inquit, scriptum est : Et sanguis Jesu emundat nos ab omni peccato ; tam in confessione Baptismatis, quam in clementia Pœnitentia accipiendum est. » Et in epist. I. ad Heliodorum : « Absit ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt ; per quos et nos Christiani sumus ; qui claves regni cœlorum habentes, quodam modo ante diem judicii judicant. » Ubi conjungit cum

Baptismo, et Eucharistia, pœnitentium absolutionem.

S. Augustinus epist. 180. ad Honoratum : « Annon cogitamus, inquit, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam Pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, et Sacramentorum confectionem, et erogationem ? » Et paulo post : « Si ministri adsint, inquit, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominicæ corporis Communionem fraudantur. » Et lib. V. de Baptismo, cap. 20 : « Si ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorum Sacramenta non celebrentur ; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur ? » Ubi per manus impositionem, Ordinationem, et Reconciliationem intelligit. Nam pœnitentium reconciliationem vocari ab Augustino, manus impositionem, multis testimoniis probari posset : sed in præsentem unum aut alterum sufficiet. Lib. eodem V. de Baptismo, cap. 23. « Manus, inquit, ab hæresi redeunti propterea imponitur, ne extra omnem culpam fuisse videatur, etc. » Et in Psalm. CXLVI. explicans illud : *Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* (1) : « Quæ sunt, inquit ista alligamenta ? temporalia Sacramenta. » Et exempla ponit Eucharistiæ, et manus impositionis, qua per præpositum peccator s reconciliantur. Idem Augustinus in lib. I. c. ult. de adulterinis conjugiiis, et lib. 2. cap. 6. apertissime confert Reconciliationem cum Baptismo.

Sanctus Joannes Chrysostomus lib. III. de Sacerdotio, primo conjungit potestatem remittendi peccata cum potestate conficiendi Eucharistiam : deinde paulo post eandem confert cum Baptismo : « Neque enim, inquit, solum cum vos regenerant, sed etiam postea, condonandorum nobis peccatorum potestatem obtinent. »

S. Cyrillus lib. XII. in Joannem, cap. 56. duobus modis dicit remitti peccata a sacerdotibus, ut Dei ministris ; per Baptismum, et Pœnitentiam.

Theodoretus in Epitome divinarum decretorum, cap. de Pœnitentia, dicit, sacrorum mysteriorum Baptismi, et Pœnitentiæ,

(1) Psal. CXXI, 3.



figuras fuisse in Testamento veteri, ablutiones, et sacrificia. Ubi non solum conjungit Theodoretus Pœnitentiam cum Baptismo, sed etiam utrumque, Mysterium (qua voce Sacramenta nominare solent) appellat.

S. Leo epist. 91. ad Theodorum : « Multiplex, inquit, misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam pœnitentiæ medici nam spes vitæ reparatur æternæ. »

Victor Uticensis lib. II. de persecut. Vandalica, inducit populos his vocibus alloquentes Sacerdotes, qui in exilia mittebantur : « Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis munus Pœnitentiæ collaturi sunt, et reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est : *Quæcumque solveritis super terram, etc.* »

Victor Cartennensis in lib. de Pœnitentia cap. 20. aperte nominat Sacramentum : « Denique, inquit, Dominum audi in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem, ut intelligas quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentum. » Floruit autem Victor Cartennensis circa annum Domini 450. teste Thrithe-mio, et Gennadio.

Accedat ultimo testimonium Ecclesiæ Latinæ, et Græcæ, quæ ab annis 500. floruit. His enim quingentis annis in tota Ecclesia, Sacramentum Pœnitentiæ inter Sacramenta vere ac proprie dicta numeratum esse, nullo modo negari potest, neque adversarii, ut arbitror, negant. Satis enim id constat, tum ex Petro Lombardo, quem Theologi omnes posteriores secuti sunt, lib. IV. Sentent. dist. 14. tum ex decreto Lucii Papæ III. quod exstat cap. Ad abolendam, extra. de Hæreticis, et ex definitione generalium Conciliorum, Florentini et Tridentini, quibus Catholici omnes libenter parent; tum denique ex responsione Hieremiæ Archiepiscopi Constantinopolitani ad Germanos : nam cap. 7. aperte docet Hieremias, Græcam Ecclesiam inter vera Sacramenta numerare Pœnitentiæ Sacramentum.

Hæc autem testimonia non ideo profero, quod ignorem ea nihili fieri ab adversariis : sed ut omnes intelligant, aut totis quingentis annis Ecclesiam universam in gravissimo errore esse versatam, quod certe fieri non potest, cum sit columna et firmamentum

veritatis. I. Timot. III. aut verum esse, quod nos ab eadem Ecclesia de Pœnitentiæ Sacramento didicimus. Hanc autem Ecclesiam, quæ hic quingentis annis peregrinata est in terris, veram Christi fuisse Ecclesiam, et cum antiquiore illa continuatam; vel uno hoc argumento satis convincimus. Quia cum nulla alia Ecclesia ab adversariis demonstretur, quæ totis his quingentis annis sine interruptione ubique terrarum sparsa fuerit; aut hæc nostra vera Ecclesia fuit, aut nulla omnino fuit : nullam vero fuisse, nunquam affirmabit, qui verba illa Christi vera esse crediderit : *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferri non prævalent adversus eam.* Matt. XVI (1). Sed de his satis : nunc ipsorum objecta diluamus.

## CAPUT XI.

*Solvuntur argumenta Calvinii et Kemnitii.*

Joannes Calvinus lib. IV. Instit. cap. 19. §. 15. 16 et 17. hæc argumenta proponit. Primo, objicit difficultatem, quam Theologi scholastici patiuntur in Sacramento reperiendo, cum de Pœnitentia tractant. « Romanenses, inquit, Scholastici anxie in reperiendo hoc Sacramento desudant : nec mirum videri debet, nodum enim in scirpo quærunt. Quod tamen optimum habent; rem implicatam, suspensam, incertam, opinionumque varietate confusam ac turbatam relinquunt. »

Respondeo : apte omnino exordium a mendacio ducit : Theologi enim summo consensu Pœnitentiam Sacramentum esse docent, neque ulla est inter eos de hac re opinionum varietas : in eo solum nonnihil laborant, ut ostendant in hoc Sacramento, quid sit Sacramentum tantum, quid res tantum, quid res simul et Sacramentum. Hæc enim tria perspicue cernuntur in Baptismo, et quibusdam aliis Sacramentis; in quibusdam autem non ita facile distingui possunt, neque necesse est. Sed hæc nihil ad rem nostram faciunt, non enim cum Hæreticis disputamus, an hæc tria in Sacramento Pœnitentiæ distincta inveniantur; quæ propria Scholarum quæstio est : sed an Sacramentum Pœnitentiæ vere proprieque dictum Sacra-

(1) Matth. XVI, 18.

mentum sit; a qua disputatione Theologi scholastici facile se brevissimeque expediunt.

Secundo, Calvinus objicit definitionem Sacramenti a se allatam: ex ea enim colligit, Pœnitentiam Sacramentum non esse, cum ei definitio Sacramenti non conveniat: « Qui Sacramenti, inquit, definitionem supra a nobis positam memoria tenent, ad eam exigant id quod dicunt esse Sacramentum, et invenient non esse cœremoniam externam a Domino institutam ad fidei nostræ confirmationem. »

Respondeo, jam superiore capite ostendi non minus Pœnitentiam cum Absolutione ritum externum esse, atque a Deo institutum et fidem nostram confirmantem, quam sit Baptismus. Sed licet fides ex ejusmodi ritibus confirmari possit, non est tamen is proprius, et primarius finis Sacramentorum, sed concionis, atque exhortationis; alioqui frustra infantes, dormientes, amentes, Sacramenta ulla perciperent. Sed de hac re satis multa in primo libro de Sacramentis in genere diximus.

Tertio, objicit testimonium S. Augustini ex sermone de Baptismo ad infantes, et ex lib. 3. quæst. vet. Testam. qui Sacramenta visibilia esse debere scribit: « Quid tale, inquit, aut ipsi vident, aut aliis queunt ostendere in eo quod Sacramentum Pœnitentiæ vocant? »

Respondeo, non desunt multa signa visibilia in Sacramento Pœnitentiæ, sive sacerdotem aspicias manu imponentem, sive pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum, et lacrymas fundentem: sed quia ista ita plerumque conspiciuntur, ut tamen etiam absque iis Sacramentum Pœnitentiæ esse possit; breviter respondeo, visibile signum, idque a Deo institutum, esse tum Confessionem, tum Absolutionem. Augustinus enim visibile signum vocat, quod sensu externo aliquo percipitur, etiamsi is non sit sensus videndi, sed audiendi: nam ut idem Augustinus lib. x. Confess. cap. 35. ait, recte dicimus: « Vide quid sapiat, vide quid valeat, vide quid sonet, vide quam durum sit. » Et certe in Sacramentis visibile signum non opponit Augustinus ei rei, quæ non cernitur oculis; sed quæ sola mente, nullo autem corporali sensu apprehenditur; sic enim ait serm. ad infantes, quem Calvi-

nus ipse citavit: « Sacramentum ideo dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem, » ubi vides corporale opponi spirituali, et quod sensu percipitur, ei quod intelligentia apprehenditur. Verbum igitur corporale recte signum visibile, id est, sensibile, atque externum dicitur.

Quarto objicit, nullam exstare promissionem: « Quacumque, inquit, in parte Sacramentum posuerint, nego jure haberi pro Sacramento: primum, quod nulla Dei promissio singularis ad hanc rem exstet. »

Respondeo: nimia hæc impudentia, vel inconstantia est; exstare enim singularem promissionem Dei pro Absolutione privata, quam minister pœnitenti annuntiat (ut verbis utar ipsius) ex pluribus Calvini locis superiore capite ostendimus. Et sane quæ fingi potest clarior promissio, quam illa sit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, Joan. xx (1).

Quinto objicit, non esse cœremoniam in hoc Sacramento ullam a Domino institutam: « Deinde, inquit, quod quæcumque hic cœremonia proferatur, merum sit hominum inventum: mendacium, et impostura fuit, quod de Sacramento Pœnitentiæ commenti sunt. »

Respondeo: Absolutio non videtur Calvino cœremonia, quia id sibi persuasit, non referri verbum Absolutionis nisi ad instituentem, et excitandam mentem Pœnitentis, non secus ac si pars quædam concionis esset: quod idem docet de verbo Baptismi, et cæterorum Sacramentorum. Sed hoc ejus principium falsissimum esse, in primo libro de Sacramentis in genere, multis rationibus demonstravimus. Si enim verbum Baptismi: *Ego te baptizo etc.* ad mentem instruendam et excitandam potissimum refertur, quorsum (ut paulo ante dicebamus) infantes, interdum etiam dormientes et amentes baptizarentur? Verba igitur Sacramentalia, et inter alia illud: *Ego te absolvo*, veræ cœremonię sunt, non coniones: Siquidem actiones sunt externæ, ad significandam et efficiendam justificationem, atque ad Deum eo ritu colendum a Christo institutæ. Et propterea non multum refert, utrum ab eo qui Sacramentum percipit, exaudiantur et intelligantur,

(1) Joan. XX, 23.

an secus; et lingua patria, an latina, vel Græca aut Hebræa pronuncientur. Atque hactenus de argumentis Calvinii.

Martinus Kemnitius in II. par. Exam. Tridentini Concilii, pag. 903. Primo objicit, deesse Pœnitentiæ Sacramento elementum externum: « Ex divina, inquit, institutione non habet tale externum, et materiale elementum, quale est in Baptismo, et in Eucharistia, quod ad integram definitionem, et genuinam proprietatem Sacramenti pertinet. »

Respondeo: non male Kemnitius ex Baptismo, et Eucharistia, quæ omnium consensu vera Sacramenta sunt, naturam, ac proprietatem Sacramentorum in genere investiganda esse censet: sed in eo fallitur, quod non recte explicat, quo gradu similitudo requiratur inter elementum Baptismi atque Eucharistiæ, et Sacramentorum cæterorum. Fatemur enim, in omni Sacramento requiri elementum externum, simile illi, quod in Baptismo et Eucharistia adesse cernimus: sed quæstio est, quo gradu, sive quatenus simile requiratur.

Ac primum certum est, non requiri simile in specie: alioqui deberent omnia Sacramenta ex aqua constare, quia Baptismus ex aqua constat, et tum Eucharistia, quæ constat ex pane et vino Sacramentum non esset. Eadem ratione certum est, non requiri similitudinem in genere proximo: alioqui Sacramenta omnia ex simplici corpore, quale est aqua, id est, ex aere, aut igne, vel terra, conficienda essent. Sed forte similitudo requiritur in superiore aliquo genere; ut elementum cujuscumque Sacramenti, substantia quædam sit corporalis, quales substantias esse videmus aquam, panem et vinum, ex quibus Baptismi et Eucharistiæ Sacramenta constant. At neque hoc dici potest: nam Baptismi natura atque essentia proprie non in substantia, sed in actione consistit. Symbolum enim externum, cui annexa est gratia et quod proprie Baptismus dicitur, non est aqua, sed ablutio cum sanctissimæ Trinitatis invocatione: ablutio autem et invocatio, non substantiæ, sed actiones sunt. Quare immerito Catholicos Kemnitius reprehendit, pag. 936. quod elementum de prædicamento Substantiæ, transformarint in elementum de prædicamento Actionis. Nec tamen generatim affirmari potest, omne Sacramentum in actione consistere, nam Eucharistiæ Sacramentum proprie non actio

transiens, sed res permanens est: non enim actionem consecrandi, sed panem consecratum, et in corpus Dominicum commutatum, Eucharistiam vocamus.

Vera igitur ratio similitudinis inter externa symbola Baptismi, et Sacramentorum cæterorum, a fine sumenda est, ob quem Sacramenta instituta esse constat. Finem autem tum Baptismi, tum aliorum Sacramentorum, omnes admittunt esse, significare internam justificationem; et eo modo hominem, qui corpore et spiritu constat, per sensibilia, et corporalia symbola ad rerum intelligibilium et spiritualium cognitionem evchere: hinc enim signa, symbola, et Sacramenta dicuntur. Nam ut S. Augustinus in epist. ad Bonifacium loquitur: « Si Sacramenta similitudinem non gererent earum rerum, quarum Sacramenta sunt, Sacramenta non essent. » Quemadmodum igitur in Baptismo ablutio exterior per aquam exhibetur, ut ablutio interior per spiritum significetur: sic etiam in Eucharistia panis et vinum, seu potius panis vini que species in conspectu ponuntur, ut corpus et sanguis Domini, cibus ac potus animorum esse intelligantur; et ad eundem modum in Sacramentis cæteris, id solum necessario Sacramenti natura postulat, ut externa signa ad spiritualem effectum apte repræsentandum exhibeantur. Ut ~~ut Sacramenta signa et prædicamentum Substantiæ, an ad prædicamentum Accidentium, et utrum o~~ <sup>prædicamentum Substantiæ, an ad prædicamentum Accidentium, et utrum o</sup> ~~is,~~ <sup>is,</sup> auribus percipiantur, nihil intere ~~ne~~ <sup>ne</sup> Christus nos de prædicamentis sollicitos esse voluit, neque facilius ipse per substantiam quam per Accidentia homines justificat.

Quare in Sacramento Pœnitentiæ, in quo pro symbolo externo confessionem pœnitentis, et absolutionem voce corporali a sacerdote pronunciatam habemus, vera et propria Sacramenti ratio minime desideratur. Verba enim non solum signa externa, ac sensibilia, sed etiam in genere signorum præstantissima sunt, ut sanctus docet Augustinus lib. 2. cap. 3. de doctrina Christiana.

Quod vero idem Augustinus tract. 80. in Joan. distinguit elementum a verbo, cum ait: « Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum »; non debet ad omnia Sacramenta trahi: neque enim ille de Sacramentis generatim, sed de Baptismo tantum loquebatur, ut ex illis verbis intelligimus: « Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua? »

Alioqui enim et verba loco elementi, seu rei, et res loco verborum esse posse in lib. I. de Sacramentis in genere, demonstravimus.

Secunda objectio Kemnitii in eo consistit, ut probet, Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum in verbo Dei, neque in Patribus : id vero prolixè persequitur, disputatione in quinque capita distributa ; de quibus omnibus breviter, atque ordine dicendum erit.

Primo igitur capite, quod habetur pag. 908. probat, Sacramentum pœnitentiæ non habere fundamentum in Testamento veteri, idque ex testimonio Concilii Tridentini, sess. 14. cap. 1. et inde colligit, per annos circiter quater mille non fuisse Pœnitentiæ Sacramentum. Sed hæc inania sunt. Fatemur enim Sacramentum Pœnitentiæ a Christo institutum, ut etiam Baptismum et Eucharistiam, et idcirco mirum non esse, si per multa annorum millia non fuerit.

Ne tamen nihil fecisse Kemnitius videatur, argumentum quoddam proponit, quod hoc syllogismo comprehendi potest. In Pœnitentia Testamenti veteris fuit Contritio, Confessio, et quædam veluti Satisfactio, cum potestate remittendi peccata : atqui ea Pœnitentia non erat Sacramentum proprie dictum : igitur nec Pœnitentia, quam Catholici ex Contritione, Confessione, et Satisfactione, cum ~~peccata~~ peccata, constare volunt ; Sacramentum proprie dictum existimandum est. Propositionem probat Kemnitius : nam in Testamento veteri exstant exempla Contritionis, et Confessionis peccatorum : et Mariæ sorori Mosis, ac Davidi Deus post reconciliationem inposuit certas castigationes, ex quibus Catholici Satisfactionem probare solent. Exstat præterea exemplum Absolutionis, Nathan ; siquidem Davidem contritum, et confitentem peccatum suum, absolvit. Assumptionem probat ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 1. ubi Patres docent, Pœnitentiam veterum, Sacramentum non fuisse.

Respondeo : Propositio argumenti magna ex parte falsa est. Nam ut omittam cætera, non fuit in Testamento veteri potestas remittendi peccata ; neque Nathan aut ullus alius, ut Dei minister, peccatores absolvit : nondum enim auditum erat illud : *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Audi S. Joannem Chrysostomum lib. III de Sacerdotio : « Corporalem lepram purgare, seu verius dicam, haud purgare quidem, sed purgatos

probare, Judæorum sacerdotibus solis licebat. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. » Hæc ille.

Neque exemplum Prophetæ Nathan, quod exstat lib. II Reg. cap. 12. ad rem nostram facit, et omnino inepte non semel a Kemnitio inculcatur. Non enim Nathan dixit : Ego te absolvo, vel tibi peccata remitto ; sed solum : *Dominus transtulit peccatum tuum a te*, quibus verbis significavit id, quod sibi ut Prophetæ, divinitus indicatum erat, non autem peccatum ipse remisit. Quod si quicumque narrat aliquid factum esse, idem potest dici rem illam fecisse ; quid prohibet, quo minus Evangelistæ Christum peperisse, interfecisse, et eundem a mortuis revocasse, et in cœlum transtulisse, et Spiritum etiam sanctum mississe dicantur, quia hæc omnia facta esse litteris prodiderunt ? Non igitur dicimus, quod fingit Kemnitius, Nathan non absolvisse judiciaria potestate, sed per ministerium, quasi apud nos sacerdotes non per ministerium, sed regia ac suprema potestate absolvant, sed dicimus, in Sacramento Pœnitentiæ sacerdotes potestate judiciaria, sed ministeriali ut Christi ministros, non ut reges ac dominos, peccatores absolvere ; Nathan autem, nec regia, nec ministeriali potestate absolvisse, sed tantum a Deo jam absolutum prophetica virtute cognovisse, et renuntiasse. Quamquam ne tum quidem aliquid obtineret Kemnitius, si Nathan judiciaria ministeriali potestate Davidem absolvisset : id enim factum esset semel extraordinaria quadam providentia Dei ; singularia vero exempla legem non faciunt.

Sed instat Kemnitius : « Apostolus Petrus Act. x. et Paulus Act. xxvi. affirmant se de Pœnitentia in Deum, et de accipienda remissione peccatorum, non aliter docuisse quam Prophetas. » At quid hoc ad propositum facit ? num ideo Pœnitentia Testamenti veteris Sacramentum erit ? aut novi non erit ? Apostoli enim loquuntur de Pœnitentiæ virtute, et ea præsertim quæ ad Infideles pertinet, qui convertuntur ad fidem : eam autem semper in usu fuisse, et a prophetis frequenter prædicatam, non negamus. Aliud autem est virtus Pœnitentiæ, quæ semper necessaria fuit : aliud vero Sacramentum Pœnitentiæ, quod a Christo institutum, in solo Testamento novo locum habet.

« Cur igitur, instat Kemnitius, ab exem-

plis Testamenti veteris, Sacramentum Pœnitentiæ confirmare nitimini, si Pœnitentia in Testamento veteri Sacramentum non erat?» Respondeo: non probamus ex Testamento veteri Pœnitentiæ Sacramentum, nisi forte ex vaticiniis, et figuris, sed virtutem Pœnitentiæ, sine qua Sacramentum, aut esse, aut certe utile esse non potest. Ex Pœnitentia enim Davidis, et aliorum veterum, probamus Contritionem non esse solos terrores, sed verum dolorem de peccatis præteritis, cum certo proposito vitæ melioris; et rursus eodem exemplo discimus, remissa culpa non semper pœnam quoque temporalem remitti: et alia id genus multa; de quibus infra suo loco disputandum erit.

In secundo capite pag. 910, probat Kemnitius, Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum in prædicatione Pœnitentiæ Christi, et Præcursoris ejus: quod totum libenter concedimus, cum doceamus, Sacramentum Pœnitentiæ post resurrectionem Domini institutum fuisse. Cæterum hic etiam ludere voluit adversarius, et inepte, ut solet, ratiocinari. Sic igitur loquitur: «Baptista prædicavit pœnitentiam in remissionem peccatorum: summa etiam prædicationis Christi ita describitur: Pœnitentiam agite et credite Evangelio. Docuit autem, et Baptista, et Christus de contritione. Baptistæ auditores confessi sunt peccata sua, Matth. III. et Christus privatam Absolutionem impertiit, Matth. IX. et Luc VII. Quare igitur juxta definitionem Pœnitentiæ a Pontificiis traditam, Pœnitentia illa a Christo et Baptista prædicata, non est Sacramentum? atqui Tridentinum Concilium sess. 14. cap. 1. negat eam esse Sacramentum.»

Ad hoc argumentum respondet ipse qui illud fecit, sed plane absurde, ut nimirum ostendat non posse responderi, nisi multis concessis, quæ nulla ratione concedenda essent: «Respondeo, inquit, quia Contritio et Confessio non habuit enumerationem singulorum delictorum: Christus etiam absolutionem impertiit, non præmisso processu judiciali, et imposita mulcta, sed gratis, iis qui peccata agnoscebant, iram Dei timebant, et fide propter ipsum petebant, et quærebant reconciliationem. Et summa, inquit, quia in illa Pœnitentia gratis, sine operibus, fide propter Christum remittebantur peccata, quia etiam tam Baptista quam Christus, fidem in filium Mediatorem, partem conversionis necessariam ad consequendam remis-

sionem prædicarunt: propter has causas talis Pœnitentia Pontificiis non est Sacramentum. Concedit itaque et fatetur Tridentinum Concilium, Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum, testimonium, vel exemplum, sicut non in veteri Testamento, ita nec in concionibus Baptistæ, et Christi ante Resurrectionem.» Hæc ille.

Ad argumentum initio factum respondeo Pœnitentiam, quam Christus et Baptista prædicarunt, ideo Sacramentum non fuisse, quia defuit pars Sacramenti potissima, nimirum verbum Absolutionis, confessioni peccatorum adjunctum. Nam Matth. 3. legimus quidem auditores Baptistæ confiteri solitos peccata sua, cum accederent ad Baptismum, sed Baptistam pronunciasse verbum Absolutionis, non legimus; Christum autem, et paralytico, et fœminæ peccatrici peccata remisisse legimus, sed eos peccata confessos nequaquam legimus. Itaque nisi Kemnitius velit ex Confessione auditorum Joannis, et ex paralytici ac peccatricis Absolutione, unum Sacramentum facere, non habemus exemplum Sacramenti Pœnitentiæ, in actis Baptistæ, et Christi ante resurrectionem.

Adde, quod Christus, cum paralyticum et peccatricem absolvit, non ritum instituit, quo reconciliarentur deinceps peccatores, neque Apostolis mandavit, ut eo modo quo ipse fecerat, inspecta fide aliorum, alii nihil petenti, peccata remitterent: proinde non verbo Sacramentali, sed propria, ac singulari sua potestate peccata dimisit.

Porro illa Kemnitii responsio ad idem argumentum, nihil valet: neque Catholici ejusmodi responsionem unquam agnoscerent. Primum enim falsum est contritionem illorum ita interiorem fuisse, ut non fuerit etiam exterior: certe qui confitebantur peccata Matth. III. et quæ lacrymis pedes Domini lavit, satis apertis signis contritionem suam prodebant. Confessionem autem illorum non fuisse singulorum delictorum, aut falsum, aut incertum est: *Confitentes peccata sua*, ait Matthæus, neque addit *Generatim*, vel *Singillatim*.

Porro Christum eis peccata remisisse, qui peccata agnoscebant, iram Dei timebant, et fide propter ipsum petebant et quærebant reconciliationem, nescio ubi Kemnitius legit, nam Matth. IX. et Luc VII. quæ loca ipse citat, ista non legimus. Paralyticus Matth. IX. nihil omnino per se petiit, per alios autem corporalem sanifatem, non reconciliationem

quærebat : neque ulla fit eo loco mentio agnitionis peccati, vel timoris iræ Dei. Lucæ autem vii. detestatio quidem peccati agnoscitur, sed ea non tam ex timore iræ Dei, ut Kemnitius somniat, quam ex amore Christi vehementissimo nascebatur : quæ etiam causa esse potuit, cur multam nullam ei Dominus imposuerit. Nam et hoc tempore Theologi docent, tantam esse posse in pœnitente vim contritionis et amoris, ut nullus omnino pœnæ et culpæ reatus post reconciliationem supersit : « Cui, inquit, minus dimittitur, minus diligit, et, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. »

Mendacia autem illa, quod ideo negemus, Pœnitentiam a Christo et Baptista prædicatam Sacramentum fuisse, quia in ea gratis, et propter Christum dabatur remissio, jam supra notata et refutata sunt.

Denique conclusionem illam libenter admittimus, fateri Concilium Tridentinum, Sacramentum Pœnitentiæ non habere fundamentum, testimonium, aut exemplum in concionibus Baptistæ, et in toto veteri Testamento. Sed si cui mirabile id videtur, is miretur etiam, cur in Testamento veteri, et in concionibus Baptistæ, fundamentum, testimonium, et exemplum non habeamus Baptismi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; et Eucharistiæ, ex pane vinoque per consecrationis verba confectæ.

In tertio capite pag. 911. et sequentibus, probat Kemnitius, Pœnitentiæ Sacramentum non fundari in illis verbis Domini : *Quorum remiseritis peccata*, Joan. xx. et rursus repetit argumenta sua de absolutione Davidis per Nathan Prophetam, et de Pœnitentia quam Christus et Baptista prædicaverunt.

Sed hæc omnia jam antea refutata sunt : quia enim ex testimonio illo Dominico vere colligitur Pœnitentiæ Sacramentum, ideo de verbis illis egimus capite superiore, ubi argumenta nostra pro veritate afferimus.

In quarto capite pag. 921. probare conatur, ex Apostolorum doctrina et exemplis nihil afferri posse, ad Sacramentum Pœnitentiæ confirmandum : et quamvis id non multum referat, cum satis esse debeat Christi verbum, tamen ne Kemnitius gloriatur, ad hunc locum nihil esse responsum, respondeamus breviter : « Paulus, inquit Kemnitius, Actor xxvi. recitans summam doctrinæ suæ de Pœnitentia, affirmat se nihil docuisse extra ea, quæ Prophetæ locuti sunt. »

At hic duo sunt mendacia. Non enim Paulus Act. xxvi. recitat summam doctrinæ suæ de Pœnitentia, sed tantum dicit se annuntiasse hominibus, ut Pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes : hæc certe non est summa doctrinæ de Pœnitentia, sed cohortatio ad Pœnitentiam. Nec loquitur Paulus nisi de Pœnitentia, quæ Baptismum præcedit, quam nos fatemur Sacramentum non esse. Deinde quod Paulus addit, se nihil esse locutum extra ea, quæ Prophetæ prædixerunt futura, non refertur ad doctrinam de Pœnitentia, sed ad doctrinam de Christi adventu, passione et resurrectione ; sic enim Apostolus ait : *Usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, et Moyses : si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum lumen annuntiaturus est populo, et Gentibus.*

Subjungit Kemnitius : « Petrus etiam Act. x. affirmat, se illam rationem consequendæ remissionis peccatorum tradere, quæ a Prophetis testimonium habet. » At nec Petrus tradit ritum Pœnitentiæ, neque explicat quid ad eam necessario requiratur ; sed solum scribit, Christo omnes Prophetas testimonium perhibere, remissionem peccatorum accipere in nomine ejus omnes, qui credunt in eum, quæ verissima sunt, neque ullo modo cum sententia nostra pugnant.

Addit Kemnitius : « Apostoli nusquam leguntur exegisse enumerationem peccatorum ad remissionem necessariam : nec leguntur imposuisse multam, quibus peccata remittebant. » At nec leguntur alicui peccata remisisse. Proferat Kemnitius exempla, ubi Apostoli legantur in particulari alicui lapso post Baptismum Absolutionem impendisse, vel (ut ipsi malunt) annuntiasse ; et tum demum jure a nobis quæret, ut ostendamus, ea in reconciliatione Confessionem et multam adfuisse. Quis ambigit, multa Apostolos, et fecisse et docuisse, quæ scripta non sunt ? alioqui facile probabimus, non esse homines baptizandos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quia nusquam Apostoli hoc ritu baptizasse legantur.

Proferetur fortasse exemplum Corinthii incestuosi. Sed Paulus non eum proprie absolvit, sed absolutionem a Corinthiis datam approbavit II Corinth. ii. Corinthios autem non sine multa imposita illum absolvisse, significat idem Apostolus II Corinth. vii. ubi

inter alia nominat vindictam, quam de peccato illius incestuosi exegerant.

Addit rursus Kemnitius : « Vanum etiam et falsum est, Apostolos aliam docuisse Pœnitentiam, quod ad substantialia attinet, qua impii ante Baptismum ad Deum convertuntur; et aliam diversam, qua lapsi post Baptismum cum Deo in gratiam redeant: non enim aliam legem, non aliud Evangelium, non alium Christum, nec aliam fidem lapsis post Baptismum proposuerunt. » Et ubinam legisti; mendax, apud Catholicos Pœnitentiam ante Baptismum, ab ea differre, quæ agitur post Baptismum, quod aliam fidem, aliam legem, aliud Evangelium, alium Christum requirat? hæc enim vestra sunt mendacia, non nostra dogmata. Lege, si placet, Tridentinum Concilium sess. 6. cap. VI et VII ubi describitur justificatio impii per Baptismum, et rursus cap. XIV. ubi describitur justificatio per Pœnitentiæ Sacramentum: videbis in iis locis, in utraque justificatione peccata remitti per Christi merita, præcedente fide, et Pœnitentia, ac Deo corda excitante, et adjuvante, ut serio convertantur, et Pœnitentiam, ut oportet, agant, idque totum ex eodem Evangelio derivari.

Discrimen inter Pœnitentiam ante, et post Baptismum, in eo ponimus, quod posterior materia Sacramenti est, et confessionem singulorum peccatorum, ac opera quædam laboriosa exigit: prior, nec est Sacramenti materia, neque distinctam illam, ac particularem peccatorum confessionem, neque laboriosa illa opera necessario postulat. Quæ omnia accidentaria ipsi Pœnitentiæ sunt, non substantialia: accidit enim virtuti Pœnitentiæ, ut tali vel tali modo exterius prodeat, atque ut signa ejus externa cum verbo Absolutionis, Sacramentum efficiant.

Ultimo addit Kemnitius: « Exstant vere in scriptis Apostolorum, exempla conversionis eorum, qui post Baptismum lapsi fuerant, ut Galatarum. Illos vero Paulus non ad aliam novam, et diversam rationem reconciliationis cum Deo deducit, sed vehementissime contra persuasionem de justificatione operum concionatur etc. » Sed Galatarum ego apud Paulum conversionem nusquam legi. Defecisse eos a fide semel accepta Paulus narrat eosque ad viam veritatis iterum revocare conatur: sed num illi redierint, et quo ritu reconciliati fuerint, nec Paulus, nec alius (quod sciam) usquam retulit. Porro cum nondum illi conversi essent ab errore, in quem

dolo pseudoapostolorum prolapsi fuerant, non opus erat ut Paulus eis Pœnitentiæ modum præscriberet, sed ut ad conversionem, et Pœnitentiam simpliciter hortaretur, ac simul errorem ipsum quo tenebantur, refelleret, quod quidem Apostolus diligenter præstitit. Ad quem modum Catholici Doctores, cum vos Lutheranos ad conversionem hortantur, non ante ad confessionem singulorum peccatorum ad pedes Sacerdotis deponendam vos provocant, quam ad fidem Catholicam iterum profitendam, et Ecclesiam agnoscendam, disputando, atque errores vestros refellendo perduxerint. Quorsum enim ad Sacramentum Pœnitentiæ invitaremus, quos scimus Sacramentum ipsum nihili facere.

Quis igitur fuerit Apostolorum tempore ritus, quæve ratio reconciliandi eos, qui post Baptismum lapsi fuerant, non potest ex epist. sola ad Galatas plane cognosci. Illustrius aliquanto est exemplum Corinthii incestuosi I Cor. VI. et II Cor. II. et VII. et quamvis nec de illius reconciliatione in particulari sit proditum, quo ritu ea peracta sit, tamen satis constat multo durius cum eo actum esse, quam si ante Baptismum idem flagitium perpetrasset.

In quinto et ultimo capite probat Kemnitius, Sacramentum Pœnitentiæ nullum habere in antiquis Patribus fundamentum. Ac primum dicit extra omnem dubitationem esse, primam originem Sacramenti Pœnitentiæ, a Catholicis excogitati, ductam esse ex spectaculis publicæ Pœnitentiæ, quam magna severitate vetus Ecclesia in manifestis, et atrocibus criminibus servabat. In illa enim requirebantur signa externa Contritionis, Exomologesis, seu Confessio criminum; et imponebantur certæ castigationes, tum exempli causa propter alios, tum vero explorationis gratia, an seria esset Pœnitentia.

Addit, fuisse etiam antiquis in usu privatam Pœnitentiam; et Patres, ut Origenem, hortatos populum, ut etiam alia crimina, quamvis non notoria, nec ita magna, confiterentur. Inde autem cœpisse regulam et doctrinam generalem fieri, ad Pœnitentiam, qua lapsi in qualiacumque peccata post Baptismum, Deo reconcilientur, pertinere præter cordis contritionem, et fidem amplectentem Christum, etiam oris confessionem sacerdoti faciendam, et operis satisfactionem.

Deinde attexit, varias esse opiniones Catholicorum de necessitate Confessionis: id-

que probat ex Gratiano, et ejus Glossa, ac Bonaventura; hi sunt enim omnes Patres, omnesque historici, quos Kemnitijs citat, quamvis Bonaventuræ locum præ festinatione non annotaverit.

Hic ego primum a Kemnitio quæro, unde illam historiam de origine Pœnitentiæ hauerit: nullo enim teste hæc probata reliquit. Legerat, credo, tale aliquid in Calvino; id ei satis fuit, sed nobis non est satis, qui multa ipsius etiam Calvinii mendacia deprehendimus. Deinde, quid hoc ad quæstionem, de qua agimus? Esto enim, prima lapsorum reconciliationis, in publica Pœnitentia fuerit: cur ea Sacramentum esse non potuit? cur signa illa externa contritionis, et criminum confessio cum verbo Absolutionis, Sacramentum non fuerunt? Denique esto, non sit confessio juris divini, ut ex Glossa quadam, quam etiam Catholici reprehendunt, Kemnitijs probare nititur: cur ipsa Absolutio Sacramentum non erit, cum symbolum sit externum divinitus institutum; et gratiæ ac justificationis promissionem habeat; ut ipse etiam Kemnitijs confitetur?

Sapientius igitur Kemnitijs fecisset, si cum Apologia Confessionis Augustanæ, in cujus verba juraverat, Pœnitentiæ Sacramentum vere ac proprie dictum, adversus Calvinianos, non Catholicorum modo, sed etiam Lutheranorum judicio, ac censura, hæreticos, defendisset.

## CAPUT XII.

### *An Pœnitentiæ Sacramentum a Sacramento Baptismi diversum sit.*

Hæretici, qui Sacramentum Pœnitentiæ de medio sustulerunt, ex hoc errore in alium prolapsi sunt: quia enim negandum esse non putabant, peccatores post Baptismum posse Deo reconciliari, neque reconciliationem istam sine Sacramento aliquo fieri credebant, id eis in mentem venit, ut dicerent, Baptismum ipsum dici posse atque esse Pœnitentiæ Sacramentum. Itaque lapsos post Baptismum, reconciliari dixerunt per Baptismum, memoria, non autem reipsa, repetitum.

Ex quo novo dogmate, tria quædam adversarii deduxerunt. Primo, non esse durius pactum, quod Deus cum peccatore fecit in reconciliatione post Baptismum, quam ante

Baptismum, sed esse æque facile, vel potius prorsus idem: et inde gravissime invehuntur in eos, qui dicunt Pœnitentiam esse tabulam naufragii, quasi non liceat ad ipsam navim Baptismi amplius redire. Secundo, non minus integre renovari hominem in reconciliatione post Baptismum, quam ante Baptismum: et sicut in regeneratione, quæ fit in Baptismo, dimittuntur omnia peccata quoad culpam et pœnam; similiter fieri volunt in reconciliatione, quæ fit post Baptismum. Tertio, non esse quærendum post Baptismum, symbolum externum divinitus institutum, quo Christi merita applicentur, cum id satis commode præstet Baptismus, memoria (ut diximus) apprehensus, et repetitus.

Primus auctor hujus erroris, ut etiam aliorum ferme omnium, qui hoc tempore inter Lutheranos versantur, Lutherus fuit: sic enim scribit in lib. de *captiv. Babylon.* cap. de Baptismo: « Præbuit his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieronymi, sive male positum, sive male intellectum, quo Pœnitentiam appellat secundam tabulam post naufragium, quasi Baptismus non sit Pœnitentia. Hinc enim ubi in peccatum lapsi fuerint, de prima tabula seu navi desperantes, velut amissa, secundæ tantum incipiunt niti et fidere tabulæ, id est, Pœnitentiæ. » Et in eodem lib. prope extremo: « Pœnitentiæ Sacramentum, » inquit, « signo visibili, et divinitus instituto caret: et aliud non esse dixi, quam viam ac reditum ad Baptismum. » Hæc ille; in quibus verbis obiter observanda est mira Lutheri inconstantia. Nam in ejusdem libri principio disertis verbis scripsit, tria esse Sacramenta, Baptismum, Pœnitentiam, et Panem; seu potius unum Sacramentum, et tria signa Sacramentalia: quo loco signum Sacramentale apertissime in Pœnitentiæ Sacramento posuit distinctum a signo Baptismi, et Eucharistiæ. Sed in fine libelli, opinione mutata, vel potius oblitus eorum quæ paulo ante scripsit, æque aperte negat signum Sacramentale in Pœnitentiæ Sacramento distinctum a signo Baptismi.

Philippus Melanchthon in Locis editis anno 1521. titul. de Pœnitentia, Lutherum secutus, scripsit signum Pœnitentiæ esse Baptismum. Idem habet Calvinus lib. iv. Institut. cap. 15. §. 4. ubi dicit a Baptismo pendere Clavium potestatem, et vim Baptismi ad omnia peccata totius vitæ se extendere, et ex



hujus rei ignoratione natum esse commentitium Pœnitentiæ Sacramentum. Et cap. 19. §. 17. reprehendit Hieronymi dictum de tabula naufragii : « Sed dictum, inquit, est Hieronymi. Cujuscumque sit, quin plane impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur : quasi vero per peccatum deleatur Baptismus, et non potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de remissione peccatorum cogitat, ut illinc sese colligat, animumque recipiat, et fidem confirmet etc. » Et infra : « Aptissime, itaque dixeris, si Baptismum vocaveris Pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ, et fiduciæ sigillum, iis datus sit, qui Pœnitentiam meditantur. »

Martinus Kemnitius in 2. par. Examinis, pag. 929. 930. 931. et 932 fatetur quidem aliud esse Pœnitentiam, aliud Baptismum; et majorem luctam conscientiæ esse iis, qui converti debent a peccato post Baptismum commissum, quam in iis, qui convertuntur a peccato commissum ante Baptismum : tamen Lutherum et Calvinum secutus, reprehendit similitudinem de tabula naufragii, et fœdus Baptismi vult esse perpetuum; ita ut vel in eo perseveremus, vel si forte peccatum admiserimus, ad illud revertamur. Reprehendit etiam Concilium Tridentinum, quod velit diversam esse rationem reconciliationis in Baptismo ab ea, quæ est in Pœnitentia; et hanc quidem multo difficiliorem ac duriorem esse, quam illam. Detorquet autem impudentissimis mendaciis Concilii sententiam ad eam intelligentiam, de qua nunquam Patres Concilii cogitarunt, vel potius quam disertis verbis anathemate damnarunt, nimirum, quod in Sacramento Pœnitentiæ non ditamur Christi satisfactione et merito, sed propriis nostris operibus; de quibus mendaciis supra diximus, quæ hoc loco dici potuissent.

Igitur adversus hunc novum errorem Tridentinum Concilium sess. 14. canon. 2. ita scripsit : « Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit. » Quæ veritas tribus argumentis confirmanda est : testimonio Scripturæ, traditione veterum, et ratione.

## CAPUT XIII.

*Probatur veritas.*

Quod attinet ad primum, habemus in primis exempla, vel potius typos et figuras Testamenti veteris. Extra controversiam est, Circumcisionem datam Judæis in figuram Sacramenti Baptismi : unde etiam Baptismus ab Apostolo Coloss. II. dicitur Circumcisio spiritualis, et non manufacta. Si quis autem diligenter evolvat Scripturam veterem, nusquam inveniet memoriam Circumcisionis præscribi tanquam remedium peccatorum post Circumcisionem perpetratorum; sed sacrificia, expiationes, confessionem peccatorum, ut ex cap. 4. 5. et 6. Levitici colligi potest. Eodem igitur modo in Testamento novo existimandum non est, Baptismi memoriam remedium esse ad ea peccata purganda institutum, quæ post Baptismum committuntur, sed sacrificium novi Testamenti, et expiationem per Confessionem, et Absolutionem.

Habemus deinde testimonium Apostoli Joannis in epist. I. cap. 1. ubi loquens idem Apostolus de remedio peccatorum, quæ baptizati in dies committunt, non ait : Si Baptismum ad memoriam revocaverimus; sed : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*

Habemus tertio B. Pauli Apostoli testimonium, in epist. ad Hebr. cap. VI. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, et ostentui habentes (1).* Hoc enim loco non negat Apostolus, posse lapsos post Baptismum Deo per Ecclesiam reconciliari, ut falso Novatianos sensisse, etiam adversarii nostri concedunt. Quomodo enim Paulus negaret, lapsos post Baptismum reconciliari posse, qui Corinthium post Baptismum gravissimo scelere inquinatum, reconciliari permisit? Sed negat posse renovari per Baptismum : sic enim hunc locum intelligunt, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, et

(1) Heb. VI, 4.

alii in commentario hujus loci; et præterea Ambrosius lib. II. de Pœnitentia, cap. 2. ubi copiose hoc ostendit, Novatianos refellens. Idem etiam apertissime docet Augustinus in exposit. epist. ad Rom. inchoata, prope finem, ubi notat, eos qui post Baptismum labuntur, curari posse per Pœnitentiam, non autem renovari, quod est proprium Baptismi. Idem habet etiam auctor libri de vera et falsa Pœnitentia, cap. 3. qui liber habetur in IV. tomo operum S. Augustini.

Deinde circumstantiæ loci vix patiuntur aliter accipi verba Apostoli. Nam initio capituli monet Apostolus Hebræos, ut non respiciant iterum ad primordia Baptismi, et fidei, et ejus Pœnitentiæ, quæ Baptismum præcedit, estque veluti fundamentum ædificii spiritualis: « Quapropter, inquit, intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem feramur, non rursus jacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei in Deum, Baptistatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et judicii extremi. » De quibus Pauli verbis loquens Augustinus lib. de fide et operibus, cap. XI: « Hæc, inquit, omnia pertinere ad initia neophytorum, satis aperteque Scriptura testatur. » Reddit autem in sequentibus verbis Apostolus rationem, cur non oporteat respicere ad illa primordia, cum ait: *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati etc.* ac si apertius diceret: Quia non contingit nisi semel, ea renovatio, quæ habetur per Baptismum. Describi vero Baptismum per illuminationem, dubitari non potest: inde enim omnes veteres, ac maxime Græci, baptizari illuminari dicunt, et Baptismum Sacramentum luminis appellant.

Cum ergo ex Apostolo habeamus, impossibile esse iterum renovari per eam Pœnitentiam, quæ cum Baptismo conjuncta est, necesse est omnino, aut negare cum Novatianis reconciliationem, aut cum Catholicis admittere novum Sacramentum a Baptismo distinctum, quo peccatorum remissio tribuatur. Neque dicere possunt adversarii, Paulum tantum velle, non debere iterum repetitionem Baptismi: non enim Paulus de cæremonia, sed de ejus effectu, id est, de renovatione loquitur. Quare si Baptismi effectum iterum habere non possumus, certe alium ritum, aliud Sacramentum quærere debemus.

Adde, quod cum in Scriptura legamus exempla eorum, qui post Baptismum lapsi sunt, ut Simonis, Actor. VIII. et Corinthii incestuosi, I Corinth. VI. nusquam tamen legimus eos remissos fuisse ad memoriam Baptismi. Et mirum sane esset, unicum remedium in tota vita esse Baptismi memoriam, et tamen in Scriptura nullam fieri hujus remedii mentionem.

Accedat nunc traditio veterum Patrum, qui quidem summo consensu docent id, quod adversarii in Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 2. reprehendunt, quod videlicet non sine magnis fletibus, et laboribus ad eam integritatem reconciliationis pervenire possint, qui post Baptismum Pœnitentiam agunt, ad quam facili negotio per Baptismum ante pervenerant.

Tertullianus in lib. de Pœnitentia, vocat Pœnitentiam tabulam post naufragium, et secundam januam, quæ pulsantibus patebit, obstructa per peccatum janua indulgentiæ, et sera intinctionis. Item appellat post Baptismum secundam spem, et secunda subsidia: et ibidem ostendit, per multos labores perveniri ad remissionem post Baptismum, cum ante Baptismum facillimus sit aditus ad indulgentiam.

Clemens Alexandrinus apud Eusebium lib. 3. histor. cap. 17. alias 24. vocat Pœnitentiam Baptismum lacrymarum: atque ibidem significat, multis orationibus et jejuniis opus esse ad remissionem, quæ fit post Baptismum.

Cyprianus in serm. 5. qui est de lapsis, nihil aliud agit, quam, post Baptismum si quis labatur in peccatum, ei necesse esse multis lacrymis et jejuniis culpam suam abluere: et lib. 3. epist. 15. et 16. graviter reprehendit eos, qui Absolutionem pœnitentibus dabant, antequam justam Pœnitentiam egissent. Similia habent Ambrosius in lib. ad Virginem lapsam, cap. 8. ubi comparat Pœnitentiam tabulæ naufragii. Item Gregorius Nazianzenus oratione in sancta lumina, ubi distinguit Baptismum aquæ, qui facilis est, a Baptismo laborioso, et lacrymarum qui est eorum proprius qui Pœnitentiam agunt post Baptismum. Eadem habent, et eadem similitudine naufragii utuntur Pacianus epistol. 1. ad Sympronianum, et Hieronymus in cap. 3. Isaiaë, et in epist. ad Demetriadem, et in altera ad Sabinianum.

Epiphanius hæresi 59. quæ est Catharorum, scribit, eos qui post Baptismum in pec-

cata labuntur, non posse amplius ad Baptismum confugere, sed aliud remedium esse quærendum, videlicet Pœnitentiam.

Augustinus in epist. 23. ad Bonifacium : « Si infans, inquit, post Baptismum propria incipiat habere peccata; illa non regeneratione auferuntur, sed alia curatione sanantur. » Et lib. II. de adulterinis conjugis, cap. 16 : « Si a Catechumeno factum est homicidium, Baptismate abluitur; si a baptizato, Pœnitentia et reconciliatione sanatur. » Et hom. 50. ex lib. L. homiliarum, distinguit tres Pœnitentiæ actiones : unam quæ agitur ante Baptismum : alteram quotidianam atque perpetuam pro peccatis venialibus, pro quibus assidue dicimus : *Dimitte nobis debita nostra* : tertiam pro lethalibus peccatis, quæ post Baptismum committuntur; ac de tertia ista sic loquitur, cap. 9 : « In hac Pœnitentia majorem in se quisque severitatem exercere debet, ut a seipso judicatus, non judicetur a Deo. »

Chrysostomus lib. III. de Sacerdotio, et Cyrillus lib. XII. in Joannem, cap. 56. aperte distinguunt modum peccata remittendi per Baptismum, et per alia Sacramenta; quod certe non facerent, si Baptismo peccata omnia præterita, et futura dimitterentur.

Theodoretus in Epitome divinatorum decretorum, cap. de Pœnitentia, scribit, vulnera quæ post Baptismum accipiuntur, curabilia quidem esse, sed non, ut olim, facili negotio per lavacrum regenerationis, sed per multas lacrymas, et opera laboriosa.

Denique Joannes Damascenus, ut recentiores omittam, lib. IV. de Fide, cap. 10. repetit Nazianzeni sententiam de distinctione Baptismatis aquæ a Baptismate laborioso, et lacrymarum. Vere igitur Sacramentum Pœnitentiæ Baptismus quidam est, sed Baptismus, ut Patres omnes testantur, laboris, et lacrymarum.

Accedant postremo etiam rationes. Primum, nulla ratio patitur, ut eadem facilitate Deus ignoscat iis, qui ignorantes, et qui scientes peccaverunt. Vera est enim Domini sententia : *Ille servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Lucæ XII (1). Cui sententiæ congruit, quod de se Apostolus ait : *Misericordiam Dei consecutus sum, quia igno-*

*rans feci, in incredulitate.* I Timoth. I (2). At si vera esset adversariorum opinio, non eadem; sed, quod longe absurdus est, majori facilitate ad veniam pervenirent, qui scienter post fidem, et Baptismum, quam qui ignoranter in incredulitate peccassent : facilius enim est Baptismum olim acceptum ad memoriam revocare, quam reipsa iterum baptizari. Hoc autem est, quod adversarii volunt, peccata ante Baptismum admissa, per Baptismum reipsa susceptum; contracta autem post Baptismum, per Baptismum quidem, sed memoria et cogitatione repetitum deleri. Quod si hæc absurda sunt, ut revera esse nemo sanæ mentis inficiari potest, illud efficitur, diversum esse pactum Baptismi a fœdere reconciliationis post Baptismum; proinde diversum etiam Sacramentum.

Secundo, ritus Baptismi et Pœnitentiæ diversam habent materiam, et formam : diversa igitur Sacramenta existimanda sunt. Quod attinet ad materiam infra suo loco probandum erit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse ipsius pœnitentis actiones cum Baptismi materiam, aquæ aspersionem esse; nemo neget; Baptismi formam admittunt omnes illis verbis Dominicis contineri : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Ad eam reconciliationem, quæ fit post Baptismum, nemo dicit : *Ego te baptizo*, sed, *Ego te absolvo*, quam Absolutionem etiam privatam, agnoscunt, et ex verbo Dei recte doceri fatentur, Kemnitius, et Calvinus, ut supra ostendimus.

Sed ad hoc argumentum respondet Calvinus lib. IV. Instit. cap. 15. §. 4. potestatem Clavium, quæ exercetur in Absolutione, non posse a Baptismate separari : non enim potestatem Clavium exerceri sine prædicatione Evangelii, qua annuntiamus impios mundari Christi sanguine. Signum autem ac testimonium lavacri illius, non esse aliud, nisi Baptismum : ita signum utriusque verbi, id est, tam illius, *te baptizo*, quam hujus, *te absolvo*, unum atque idem, non aliud et aliud esse.

At facilis est hujus responsionis confutatio. Nam quidquid sit de signo materiali, certe verbum aliud esse in Baptismo, aliud in reconciliatione pœnitentium, Calvinus negare non potuit. Cum autem verbum potissima Sacramenti pars sit, necessario efficitur, ut Sacramenta diversa sint, Baptismus, et

(1) Luc XII, 47. — (2) I Timoth. I.

pœnitentium reconciliatio, quæ verbis diversis constant. Quid? quod verba diversa, diversa etiam signa materialia exigunt. Nam signum materiale est quasi visibile verbum, et illud idem sensibus offerre debet, quod offert verbum: neque id adversarii negant. Porro verbum, Baptizo, quod lavacrum sonat, recte adjunctum habet ritum Baptismi per aquam: idem enim oculis offert actio lavandi, quod auribus verbum baptizandi. At verbo Absolvo, quod a vinculis solvendis, non a sordibus abluendis ducitur, non congruit ritus ablutionis. Quare non potest esse signum externum reconciliationis pœnitentium Baptismus, cum eandem similitudinem continere atque exprimere debeant, verbum, et elementum. Et quamvis a virtute sanguinis Christi omnis nostra justificatio pendeat, tamen idem Christi sanguis, et lavacrum, et pretium et poculum etiam dicitur: et propterea per varia signa effectus ejus repræsentari, et virtus applicari potest, per Baptismum ut lavacrum, per Absolutionem ut pretium, per Eucharistiam ut poculum. Et sicut Eucharistia non censetur ab adversariis idem Sacramentum cum Baptismo, ita nec debet ritus absolutionis cum Baptismi ritu confundi, licet omnia ista signa, ac testimonia sint sanguinis Christi pro nobis effusi, cujus virtute lavamur, solvimur, potamur. Ex quo argumentum Calvinii plane evacuatur. Fatemur enim Christi sanguine nos justificari, sive cum baptizamur, sive cum reconciliamur, sive cum potamur, sed per diversa externa signa, atque adeo Sacramenta, vim sanguinis illius ita nobis applicari, ut modo mundari, modo solvi, modo potari, dicamur.

Tertio, ministri diversitas diversa Sacramenta esse testatur. Constat enim Baptismum ratum esse etiamsi a non Sacerdote tribuatur: nam Actor. VIII. Philippus diaconus baptizavit; Actor. IX. Ananias, qui ne Diaconus quidem erat sed mere laicus, Apostolum Paulum baptizavit. Id enim contigit primo anno a passione Domini, quo tempore solum erant septem Diaconi ab Apostolis ordinati, e quorum numero Ananias non erat. Et Ruffinus lib. 10. histor. cap. 14. scribit, Baptismum verum ac ratum habitum esse, quem Athanasius laicus, et puer, aliis quibusdam pueris aliquando contulerat. At reconciliationem Pœnitentium, ita propriam semper fuisse scimus Episcoporum, et Presbyterorum, ut si laicus id facere quavis necessitate præsumeret, irritam esse reconci-

liationem nemo ambigeret. De qua re suo loco disseretur.

Quarto, si Baptismus Sacramentum Pœnitentiæ esset, ac per cogitationem et memoriam repetitus obsignaret, ut adversarii loquuntur, promissionem reconciliationis, quocumque tempore opus esset, illud efficeretur, non debere nisi adultos baptizari, ut ab Anabaptistis, quos Lutherani et Calviniani reprehendunt, fieri videmus. Nam alioqui incertissima erit justificatio, quippe, quæ ab hominum testimonio pendeat: neque enim qui infantes baptizantur, cum postea adoleverint, baptizatos se fuisse recordari possunt, sed coguntur alienis verbis, non suis oculis credere. Quo pacto igitur ista cohærent, ut Sacramenta percipi dicant, quo certi reddantur homines propriæ justificationis, et tamen incertos eos esse cogant an Sacramentum perceperint, cum infantes baptizent?

Quinto, si Baptismus valet ad peccata, non solum præterita, sed etiam futura delenda; quæro, quo tempore futura peccata deleat: an tunc, cum primum suscipitur, an postea, cum ad memoriam revocatur. Si enim cum primum suscipitur, omnia peccata etiam futura usque ad finem vitæ deleat, incredibilis consequetur absurditas, ut videlicet peccata prius deleantur quam fiant, et homini baptizato nulla peccata etiam post Baptismum admissa, nocere queant, ac demum ut omnes baptizati, ac proinde omnes tum Catholici tum Hæretici, modo Baptismum susceperint, necessario salvari debeant: verum enim esse Baptismum, et salutarem, quem infantes apud nos suscipiunt, Lutherani et Calviniani non negant.

Quod si forte dixerint, peccata post Baptismum commissa non esse, antequam fiant, deleta, sed tunc demum purgari, cum per fidem et Pœnitentiam ad signum, et fœdus Baptismi animo et cogitatione reditur: duplex absurditas consequetur. Nam et incerta erit justificatio, ut paulo ante dicebamus, cum ab hominum testimonio pendeat: et eadem ratione tolletur Eucharistiæ frequentatio, cum ita sufficere possit memoria spiritualis cibi aliquando gustati, quemadmodum memoria sufficit lavacri aliquando percepti. Vel si ridiculum est ita memoriam cibi ad saturitatem prodesse, ut cibus ipse prodest: cur non sit etiam ridiculum, ita memoriam lavacri ad maculas eluendas conferre, ut lotio ipsa confert?

## CAPUT XIV.

*Solvuntur objectiones.*

Sed jam argumenta adversariorum diluenda sunt. Et quoniam in libro de Baptismo, cap. 18. solvimus argumenta Lutheri, Kemnitii, et Calvini, quæ ipsi attulerant in disputationibus de Baptismo, nunc ea solum argumenta dissolvenda restant, quæ Calvinus addidit lib. iv. Instit. cap. 19. §. 17. ubi de Sacramento Pœnitentiæ proprie disputat. Sic igitur ille argumentatur : Baptismus per peccatum non deletur ; igitur tota vita utilis esse poterit, si ad memoriam revocetur, quoties peccator de remissione cogitat : « Quasi vero, inquit, per peccata deletur Baptismus, et non potius in memoriam revocandus sit peccatori, quoties de peccati remissione cogitat, ut illinc sese colligat, animumque recipiat, et fidem confirmet etc. »

Respondeo : Multa sunt in Baptismo : Primum, actio ipsa ablutionis, quæ proprie cum verbo Sacramentum facit : atque hæc non permanet, sed dum efficitur, transit, ut notum est. Deinde, gratia regenerationis, et renovationis, quæ per Baptismum acquiritur : hæc vero manet in anima, donec per lethale peccatum ejiciatur. Qui enim post Baptismum peccant, desinunt esse filii Dei, et hæredes regni, atque ad membra diaboli, et gehennam pertinere incipiunt : id quod in Scripturis apertissimum est. Tertio, character quidam spiritualis ; et hic quidem semper manet, neque per ullum peccatum aboleri potest, et ratione ejus, Baptismus repeti nequit. Sed neque Calvinus characterem istum admittit, neque est character signum visibile atque externum, ut verbo adjunctum, proprie Sacramentum efficiat. Quare licet Baptismus in suo quodam effectu semper maneat : non tamen eam vim habet, ut per modum signi visibilis promissionem confirmare, atque, ut ipsi loquuntur, obsignare possit.

Dicent fortasse, ipsam Baptismi actionem visibilem atque externam semper manere, non quidem in se, sed in mente et cogitatione hominis baptizati. At id non sufficit ut

Sacramentum Baptismi manere dicatur : et si id sufficeret, certe etiam Eucharistiæ manducatio semel paracta, semper maneret ; proinde frustra repeteretur.

Secundo, Calvinus ibidem S. Hieronymi testimonium adducit : « Quod, inquit, Hieronymus dure, et improprie dixit, Pœnitentia reparari Baptismum (a quo excidunt, qui excommunicari ab Ecclesia merentur) boni isti interpretes ad suam impietatem trahunt.

Respondeo, ipsa similitudo tabulæ naufragii, qua tot in locis S. Hieronymus utitur, satis aperte docet, toto cœlo, vel potius mari, aberrare Calvinum. Nam si Hieronymus significare vellet, Pœnitentia reparari Baptismum ; non diceret, Pœnitentiam esse tabulam post naufragium, sed scapham, qua rediretur ad navim. Neque enim ejusmodi tabulas, qui in discrimine vitæ versantur, arripere solent, ut per eas ad navim redeant, quam fractam esse sciunt : sed ut quoquo modo, licet ægre, atque incommode ad littus enatare queant. Sic enim explicat S. Hieronymus similitudinem illam in epist. ad Sabinianum : « Quod si, inquit, nec si Pœnitentiam vult agere, et fracto navigio, tabulam per quam salvari poterat, non retentat, cogor dicere, etc. »

Tertio, a testimonio Scripturæ, et veteris Ecclesiæ, argumentum ducit his verbis : « Aptissime dixeris, si Baptismum vocaveris Pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ, et fidei sigillum, iis datus sit, qui Pœnitentiam meditantur. Quod ne commentum esse nostrum putes, præterquam quod Scripturæ verbis conforme est, apparet in veteri Ecclesia fuisse pervulgatum instar certissimi axiomatis. Nam in libello de fide ad Petrum, qui Augustino inscribitur, Sacramentum fidei, et Pœnitentiæ dicitur. Et quid ad incerta confugimus ? quasi vero apertius quidpiam requirendum sit, quam quod recitat Evangelista, Joannem prædicasse Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum. »

Respondeo : Pœnitentiam quamdam ante Baptismum necessariam esse, et rursus aliam ante reconciliationem, quæ post Baptismum datur, extra controversiam est. Nam de priore legimus, Act. II. *Pœnitentiam agite, baptizetur unusquisque vestrum.* De posteriore, Act. VIII. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua :* alloquitur enim S. Petrus Simonem Magum jam baptizatum. Probandum itaque

Calvino fuerat, Baptismum dari in sigillum fidei, iis qui Pœnitentiam meditantur post Baptismum; aut ejus Pœnitentiæ, quæ post Baptismum agitur, Sacramentum appellari: quod cum non fecerit, nihil omnino fecit. Nam in lib. de fide ad Petrum, cap. 30. Baptismus vocatur Sacramentum fidei, et Pœnitentiæ, non cujuscumque, sed ejus quæ ante Baptismum agi debet. Et in Evangelio Marci cap. i. et Lucæ cap. iii. vocatur Baptismus Joannis, non autem Baptismus Christi, de quo agimus, Baptismus Pœnitentiæ: neque dicebatur Baptismus Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, is quem Joannes prædicabat; quia pœnitentibus peccata remitteret, sed quia ad Pœnitentiam provocabat, quam Pœnitentiam qui agerent ut par erat, remissionem peccatorum obtinerent. Itaque Baptismus Joannis Pœnitentiam pariebat, Pœnitentia remissionem; Christi vero Baptismus non Pœnitentiam gignit, sed per Pœnitentiam præparatos a peccatis purgat, eosque renovat, et regenerat: et ideo in Scripturis Baptismus Joannis passim appellatur Baptismus Pœnitentiæ, quia ad pœnitentiam invitabat, Matthæi iii. Marc. i. Luc. iii. Act. xiii. et xix. Christi vero Baptismus non Pœnitentiæ Baptismus, sed lavacrum regenerationis et renovationis dicitur, Tit. iii. Ephes. v. Vide plura de hac re in lib. de Baptismo, cap. 23.

## CAPUT XV.

### *De partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Demonstravimus hactenus, Pœnitentiam Sacramentum esse vere, proprieque dictum, atque etiam a Sacramento Baptismi distinctum: nunc de partibus ejus disputare incipiemus.

Tribus partitionibus dividi solet Pœnitentiæ Sacramentum. Prima sumitur ab essentia, quæ duabus partibus constat, materia et forma, id est, actibus pœnitentis et absolutione Sacerdotis. Secunda a materia, quæ tres partes comprehendit, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem. Tertia a ritu, quæ est etiam trinembris: alia enim est Pœnitentia privata, alia publica, et hæc rursus aut solemnis, aut non solemnis. De his partitionibus nunc breviter, et generatim

dicemus: deinde in sequentibus libris seorsim de singulis partitionum membris de quibus controversiæ aliquæ agitari solent, disseremus.

Igitur de partibus essentialibus hujus Sacramenti, illud convenit inter omnes, Verbum absolutionis ad hujus Sacramenti essentiam pertinere: illud enim sine ullo dubio signum est, et causa remissionis peccatorum. Et quamquam Absolutio illis verbis, juxta usum Ecclesiæ, qui omnino servandus est, contineretur: *Absolvo te a peccatis tuis*; tamen si in eandem sententiam alia verba adhiberentur, ut, *Remitto tibi peccata tua*, vel, *Remittuntur tibi peccata tua*; nihil de Sacramenti essentiali perfectione decederet. Neque vero quæstio esse potest de materia, quam dicunt remotam: constat enim peccata, sive hominem peccatorem, materiam esse Sacramenti hujus remotam, cum ac peccata delenda, sive ad hominem peccatorem curandum Absolutio a sacerdotibus impendatur. Sed neque peccatum neque peccator, talis materia dici potest, ex qua tanquam ex altera parte Sacramentum perficiatur: sed potius circa quam Sacramentum operetur; quemadmodum corporalis morbus, aut ægrotus, non est id ex quo medicamentum constet, sed in quod vim suam medicamentum exerat.

Quæstio igitur est, Utrum præter Absolutionem, aliquid aliud sit, quod ad Sacramenti hujus rationem, atque essentiam pertinere videatur. Quatuor autem sententiæ inveniuntur. Prima est, solam Absolutionem Sacramenti hujus essentiam constituere. Ita ex Catholicis Theologis Scotus docuit in 4. Sent. dist. 14. quæst. 4. et dist. 16. quæst. 1, et qui eum secuti sunt, Gulielmus Okam, Joannes Major, Jacobus Almayn, et si qui sunt alii. Ad quam sententiam accedunt etiam aliqui ex Hæreticis nostri sæculi, ut Illyricus in Apologia Confess. Antuerpiens. cap. 18. et Kernnitiuss in 2. par. Examin. pag. 903.

Sed in duobus dissident Hæretici isti a Theologis supra citatis. Primum enim hæretici non agnoscunt Sacramentum Pœnitentiæ, nisi imperfectum, et improprie dictum, cum solo verbo, ut ipsi loquuntur, sine elemento constet: at Catholici illi integrum, et perfectum, ac proprie dictum Sacramentum esse volunt, licet in sola Absolutione essentia ejus consistat. Deinde Scotus, et qui eum sequuntur, et si negent Confessionem essen-

tialem partem esse sacramenti hujus, tamen non negant eam esse necessariam, et a Christo institutam, quod Illyricus et Kemnitius, et cæteri sectarii negant. Adde, quod Scotus, et cæteri Doctores Catholici, ante Concilia illa vixerunt, in quibus accuratius hæc omnia explicata sunt; quod si hoc tempore superessent, sine dubio Ecclesiæ definitioni ac sententiæ acquiescerent.

Altera sententia eorum est, qui præter verbum Absolutionis, ritum etiam quemdam visibilem a ministro adhiberi volunt, ut essentia Sacramenti hujus integre perficiatur, quanquam non satis explicant, quis sit ille ritus. Philippus Melanchthon in Apologia Confess. Augustanæ art. 13. de usu et numero Sacramentorum, hujus sententiæ auctor est: scribit enim, Baptismum, Eucharistiam, et Absolutionem vera Sacramenta esse, quod habeant ritum cum promissione. Et ibidem, distinguit ritum a verbo: « Corda, inquit, simul per verbum, et ritum movet Deus: sicut autem verbum incurrit in aures, ut feriat corda ita ritus ipse incurrit in oculos, ut moveat corda. Et infra: Ritus oculis accipitur, et est quasi pictura verbi, idem significans quod verbum, quare idem est utriusque effectus. »

Tertia est eorum sententia, qui ex Baptismo, seu Baptismi recordatione, et verbo Absolutionis, Sacramentum Pœnitentiæ constituunt: de qua superiore capite disseruimus.

Postrema sententia, eaque verissima est Sacramentum Pœnitentiæ duplici parte intrinseca atque essentiali constare, Absolutione sacerdotis tanquam forma, et actibus pœnitentis tanquam materia. Quæ sententia, et fuit olim multorum veterum Theologorum, S. Thomæ, Richardi, Durandi, et aliorum in 4. Sentent. dist. 14. et nunc est ferme omnium, qui de Pœnitentiæ Sacramento scribunt.

Sit igitur propositio prima: « Non nisi absurde dici potest, Pœnitentiæ Sacramentum ex Baptismo et Absolutione constare. » Hæc propositio satis capite superiore probata est, et certe sufficere deberet, quod nec Baptismus ante multos annos peractus, nec ejus recordatio, signa sensibilia dici possunt; cum ad Sacramenti essentiam id maxime requiratur, ut cum Sacramentum percipitur, corporale signum corporalibus sensibus objiciatur.

Secunda propositio: « Nullus est ritus a

ministro adhibitus, præter verbum Absolutionis, qui Sacramenti hujus materia recte dici possit. » Optarem Philippus clarius explicuisset quisnam sit ritus, qui in oculos pœnitentis incurrit, dum verbum Absolutionis, ejusdem pœnitentis aures ferit: minus enim in ejus sententia refellenda laboraremus. Verumtamen, nisi fallor, tres sunt ministri actiones duntaxat, de quibus aliqua ratione ambigi potest: quæ si omnes evidenter excludantur, evidenter etiam Philippi sententia refutata erit.

Primum igitur Minister dum pœnitentes reconciliat, eisdem manum imponere consuevit. Sed hic ritus etsi et in antiqua Ecclesia in usu fuit, et nunc etiam in plerisque locis adhibetur; ad essentiam tamen Sacramenti hujus non pertinet, ut S. Thomas docet in opusculo 22. de forma Absolutionis, ubi breviter refellit objectiones, quæ contra fieri poterant. Erit autem hoc multo etiam certius, si adversariorum doctrina locum habeat, siquidem ex verbo Dei non potest ullo modo demonstrari, manus impositionem in reconciliatione necessario esse adhibendam: nec solum testimonium, sed neque exemplum ullum hujus manus impositionis in sacris litteris invenitur: *Quorum remisistis peccata*, Dominus ait, *remittuntur eis*. Joan. xx. non autem addidit: Et quibus imposueritis manus. Neque ex verbis jam citatis colligitur, imponendas esse manus, quemadmodum sane colligitur confitenda esse peccata, ut suo loco ostendemus: quid enim prohibet, quominus peccata remittantur, etiamsi manus non imponantur? Neque Dominus, cum paralytico Matth. ix. et Magdalenæ Lucæ vii. dixit: *Remittuntur tibi peccata*, manus eis imposuisse legitur.

Quoda utem in Concilio IV. Carthaginensi, canone 78. dicitur, ut pœnitentes, qui ob vitæ periculum, viaticum Eucharistiæ accipiunt, non se existiment absolutos sine manus impositione si supervixerint, non repugnet iis quæ diximus. Accepit enim Concilium manus impositionem pro ipsa Pœnitentiæ actione, in qua frequenter manus imponebantur: nam in eodem Concilio can. 80. præscribitur, ut singulis diebus jejuniorum, manus a sacerdote pœnitentibus imponantur. Itaque hæc est Concilii illius sententia; Qui ob vitæ periculum privatim a sacerdotibus absolvuntur, nondum completa Pœnitentiæ publicæ actione, ii si supervixerint, redeant ad ordinem pœnitentium, et cum

illis manus impositionem suis temporibus percipiant; et nisi id fecerint, non se existiment absolutos a vinculo Excommunicationis, vel a pœna temporali, quæ illis præscripta a Sacerdotibus fuerat. Nam quod a culpa absoluti fuerint dubitari non potest, cum viaticum Eucharistiæ perceperint, quod Ecclesia nunquam tribuit, nisi iis, quos a culpa lethali liberos credit.

Alter ritus, quo in reconciliatione pœnitentium uti solent Catholici sacerdotes, est signum crucis super ipsum pœnitentem manu sacerdotis expressum. Sed de hoc ritu nulla dubitatio esse potest; nam neque hoc signum adversarii ulla in re adhibere solent, et idem signum non esse de essentia Sacramenti Pœnitentiæ, ut neque etiam Eucharistiæ, S. Thomas docet 3. par. quæst. 84. art. 4. cui nullus Catholicorum in hac re contra dicit.

Tertius ritus fingi posset, motus ille visibilis linguæ, et labiorum, qui in verborum pronuntiatione exercetur: quam sententiam Lutheranorum quorundam esse audio. Et sane nihil aliud fingi posse videtur, si quo modo explicanda est opinio illa Philippi, distinguentis in pronuntiatione Absolutionis ritum, qui objicitur oculis, a verbo, quod incurrit in aures. Sed absurda omnino, ac plane ridicula sententia est. Nam in primis commune est omni verbo corporali, ut non fiat sine motu linguæ et labiorum, et tamen nemo hactenus in verbo, quo Baptismum, vel Eucharistiam conficimus, distinxit ritum a voce. Deinde motus linguæ et labiorum nihil per se significat, sed solum est causa vocis, quæ indicat animi conceptiones. Itaque si surdus quispiam videat hominem loquentem, non magis ex motu labiorum conjiciet quid a loquente significetur quam si eundem motum labiorum cerneret in pecude. Non igitur fingi potest ritus ullus ex parte Ministri.

Tertia propositio: «Actio pœnitentis quasi materia, et verbum Sacerdotis quasi forma, Sacramenti Pœnitentiæ rationem atque essentiam complent.» Non est hoc loco ex divinis litteris probandum, actionem pœnitentis, Confessionem videlicet, et reliqua, quæ ex parte ejus requiruntur, vel omnino necessaria esse, vel a Christo instituta: id enim infra suo loco tractabitur, ut supra diximus. Sed hoc posito, probandum est solum, actionem pœnitentis ad Sacramenti essentiam pertinere ut materiam, ex qua, si

forma accedat, Sacramentum constituitur. Et quoniam illa hypothese facta, quæstio solum inter Catholicos est, probabitur sententia nostra ex testimoniis illis quæ a Catholicis omnibus admittuntur.

Primum igitur Tridentinum Concilium, sess. 14. cap. 3. docet, formam Sacramenti Pœnitentiæ esse verba illa: *Ego te absolvo etc.* actus vero pœnitentis esse quasi materiam: et paulo post addit, tam Absolutionem, quam actus pœnitentis, ad integritatem Sacramenti pertinere. Quo decreto satis aperte Concilium docuisse videtur, non sola Absolutione integrum Sacramentum contineri: non enim distingui debuit forma a materia, si unica simplex actio Sacerdotis totum Sacramentum constituit. Et quomodo, quæso, ad Sacramenti integritatem non minus requiritur actio pœnitentis, quam absolutio sacerdotis, si sola Absolutio Sacramentum perficit?

Deinde Concilium Florentinum in instructione Armenorum, ipsam Pœnitentiam vocat Sacramentum, et ejus partes materiales esse dicit actus pœnitentis, formam autem verba Sacerdotis: *Ego te absolvo etc.* ad quem modum loquitur etiam Lucius Papa III. cap. Ad abolendam, de hæretic, ubi Sacramenta vocat, Baptismum, Confessionem peccatorum, et Matrimonium. At quomodo Confessio Sacramentum est, si ad essentiam Sacramenti nullo modo pertinet? Neque Scotus satis apte locutus videri debet, cum ait in 4. dist. 14. quæst. 4. «Pœnitentia est absolutio pœnitentis, facta certis verbis etc.» Pœnitentia enim actio pœnitentis est, non Sacerdotis; Absolutio autem sacerdotis, non pœnitentis. Quis enim ita loquitur, ut dicat hominem agere Pœnitentiam, dum absolvi-tur, et non potius dum plorat, confitetur, jejuna-t?

Idem præterea Concilium omnia Sacramenta tribus perfici dicit, materia, forma et intentione Ministri: non igitur Sacramentum Pœnitentiæ sola forma Absolutionis et intentione constare potest.

Denique actio pœnitentis signum est sensibile gratiæ justificantis a Deo institutum, et ex ejusdem promissione concurret ad remissionem peccatorum: cur igitur pars quædam Sacramenti non erit? Nam sensibile signum esse, in quæstionem verti non potest cum num debeat Sacerdos absolvere, nisi quem ex signis sensibilibus pœnitentem esse cognoscit: esse autem signum gratiæ justi-



ficantis, manifeste colligitur ex eo, quod qui peccatum confitetur, et veniam a Deo petit, indicat se peccatum odisse, et ab eo jam, animo et voluntate recedere, ac proinde justificari, quod apertius significatur, et completur per Absolutionem. Porro hoc signum a Deo institutum esse, alibi, ut diximus, est probandum, neque a Scoto ejusque sectatoribus negatur. Denique ad remissionem peccatorum aliquo modo concurrere, testatur S. Joannes, qui in epist. 1. cap. 1, scribit : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate* (1). Et quemadmodum vere dicimus aliquem justificari, quia absolvitur, sic etiam recte dicere possumus, aliquem justificari, quia peccata humiliter confitetur. Sed de hac re in sequenti capite plura dicimus.

## CAPUT XVI.

### *Solvuntur objectiones.*

Nunc objectiones diluendæ sunt, tum Kemnitii, tum etiam aliquorum Catholicorum. Kemnitius igitur in 2. par. Exam. pag. 935. refellere nititur Concilii Tridentini doctrinam de partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ, ac primo objicit, antiquitati esse ignotam hanc disputationem, an in Pœnitentia sit materia et forma sacramentalis.

Respondeo, nomina materiæ et formæ in Sacramentis, inventa sunt a posterioribus Doctoribus ad rem facilius explicandam : ideo nihil est mirum, si apud veteres non legantur. Nam sæpo in Baptismo et Eucharistia, sancti Patres ita verbum ab elemento distinxerunt, ut unum formam, alterum materiam appellarent : et tamen non negat Kemnitius, aquam in Baptismo recte vocari materiam, et verbum formam. Satis igitur nobis esse debet, quod quemadmodum antiqui Patres in Baptismo, aquam, et invocationem Trinitatis adesse debere docuerunt : sic etiam in Pœnitentia, actionem pœnitentis, et reconciliationem Sacerdotis necessario adhibenda esse docuerint.

Secundo objicit, ne inter scholasticos quidem de hac re quidquam constare, cum alii peccata velint esse materiam, alii peccatorem confitentem, alii actiones pœnitentis,

alii actionem sacerdotis proferentis certis ritibus Absolutionem : « Sic etiam formam quidam ponunt, inquit, verba Absolutionis ; quidam ipsos actus absolventis dicunt esse pro forma, etiamsi non fiant per limitata et determinata verba. »

Respondeo : Kemnitius semper est sui similis calumniator, et mendax. Nam in primis nulli sunt Catholicorum, qui materiam hujus Sacramenti fecerint actionem Sacerdotis, certo ritu pronuntiantis Absolutionem, si unum excipias Gropperum, aut quicumque fuit auctor Enchiridii Coloniensis, qui non satis caute interdum locutus videtur. Theologi enim aut volunt in sola Absolutione Sacramentum consistere ; et ii non distinguunt materiam a forma : aut (quæ est communis fere omnium sententia) materiam ex parte pœnitentis, formam ex parte sacerdotis assignant. Porro, qui materiam esse dicunt peccata, aut peccatorem confitentem, aut ipsam Confessionem ; non dissentiant inter se, ut Kemnitius cuperet, sed idem omnino sentientes, de re eadem diversa ratione loquuntur, non secus ac si alii dicerent in Baptismo materiam esse aquam, alii ablutionem, alii hominem, qui abluatur. Nam peccata dicuntur materia cum de materia remota agitur, ad quam tollendam Sacramentum institutum est. Qui peccata confitetur, materia dicitur, cum de materia circa quam, sive de subjecto in quod agit virtus sacramentalis, disputatio est. Actio denique pœnitentis materia vocatur, cum de materia illa disseritur, ex qua Sacramentum adjuncta forma constituitur. Simile quid cernimus in corporum medicina (est enim Pœnitentia medicina animorum) nam et morbus, et ægrotus, et ægroti deambulatio, materia medicinæ recte dici possunt : siquidem morbus per medicinam tollitur ; ægrotus per eandem curatur ; deambulatio pars est medicamenti salutaris, et una cum pharmaco a medico propinato sanitatem restituit.

Quod attinet ad formam, non dissentiant inter se, qui certa verba Absolutionis formam esse dicunt, et qui contendunt nullam esse verba determinata, quibus Absolutio impendatur. Nam si de sono, et numero syllabarum agatur, nulla sunt verba determinata quæ ad Sacramenti essentiam necessario requirantur : sive enim qui dixerit : « Absolvo te, » sive, « Remitto tibi peccata ; » et sive

(1) I Joan. I, 9.

id latine, sive græce, sive barbara aliqua lingua pronuntiaverit, semper efficitur Sacramentum. Si vero de sententia verborum sermo sit, nemo Catholicorum negat, verba esse determinata, atque ex divinis litteris deprompta. Quod idem cernimus in Baptismo : neque enim certus sonus aut numerus syllabarum in Scripturis determinatur, quo forma Baptismi pronuntiari debeat, sed solum sententia ejus formæ ex Evangelio colligi potest. Quare quemadmodum ex eo quod Dominus ait Matth. ult. : *Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (1), colligit Ecclesia formam illam : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti », nec tamen censerentur non vere baptizare, qui dicerent : Ego te abluo seu tingo, sive aspergo etc. sic etiam ex eo quod idem Dominus ait Matth. 16. *Quodcumque solveris, erit solutum*, et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis* (2), colligit Ecclesia formam illam : « Ego te absolvo a peccatis tuis », nec tamen censerentur non vere absolvere, qui aliis verbis eandem sententiam proferrent.

Tertio objicit, Sacramenta esse actiones Dei : proinde si opera humana, quales sunt actus pœnitentis, sint pars essentialis Sacramenti ; humanis operibus divinitatem quamdam attribui, ut scilicet solum ipsorum juxta astra Dei exaltetur, sicut de regi babilonico Isaias loquitur.

Sed hoc jam solutum est supra cap. 6. in tertio mendacio Kemnitii, ubi breviter indicavimus, actiones pœnitentis non habere vim sacramentalem justificandi, nisi ut instrumenta sunt Dei, quemadmodum etiam verbum Sacerdotis, etiamsi actio quædam sit, ab hominis lingua et arteria, spirituque producta, tamen ut instrumentum Dei est, rem divinam, id est, gratiam justificationis efficit.

Quarto objicit, ante centum annos, tempore Gabrielis, nihil certe de materia Sacramenti Pœnitentiæ in Ecclesia fuisse.

Respondeo, more suo dicit Kemnitius, sed non probat, nam Gabriel in 4, dist. 14. quæst. 2. art. 1. docet ex communi sententia, actiones pœnitentis esse pro materia hujus Sacramenti, et verba Sacerdotis pro forma, et citat Alexandrum, Thomam, et Richardum. Neque movere debet, quod non dicit, actionem pœnitentis esse materiam,

sed pro materia, quia idem dicit de materia omnium Sacramentorum dist. 3. quæst. 1. art. 1. In nullo enim Sacramento invenitur materia proprie dicta, si exacte loquamur de materia ad modum loquendi Philosophorum : et tamen in omni Sacramento invenitur res quædam, quæ instar materiæ dici possit. Et eodem modo loquitur Concilium Florentinum in instruct. Armenor. cum dicit, Sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et intentione Ministri. Ex quo etiam Concilio intelligimus, falsissimum esse quod scribit Kemnitius, ante centum annos, et Gabrielis ætate, adhuc fuisse dubium, et incertum, quæ esset materia Sacramenti. Nam Concilium Florentinum, in quo disertis verbis explicantur materiæ, et formæ omnium Sacramentorum, anno Domini 1439. absolutum est : proinde ante annos centum et quadraginta, et ante Gabrielis ætatem, jam erat in Ecclesia non solum indubitata, et certa doctrina de materia Sacramenti Pœnitentiæ, sed etiam diligentius quam unquam antea, explicata.

Quinto objicit verba Concilii Tridentini, quod non videtur ausum fuisse aperte scribere, actionem pœnitentis esse materiam Sacramenti hujus, sed scripsit esse materiam, vel quasi. Ex quo pulchre sibi videtur Kemnitius colligere, Pœnitentiæ Sacramentum esse Sacramentum, vel quasi ; et effectum ejus esse remissionem peccatorum, vel quasi.

Respondeo : omitto quod Kemnitius non satis fideliter retulit verba Concilii, ut locum faceret argutiæ suæ : non enim Concilium posuit, esse materiam, vel quasi ; sed simpliciter, esse quasi materiam, sess. 14. cap. 3. Omitto etiam, quod vox illa, Quasi, non semper extenuat rem, de qua agitur : alioqui Joan. 1. ubi dicitur Christus quasi unigenitus a Patre, liceret argumentari cum Kemnitio, ac dicere, Christum esse unigenitum, vel quasi. Sed his omissis, Concilium Tridentinum, ut etiam antea Florentinum, actiones pœnitentis maluerunt dicere, quasi materiam, quam absolute, materiam, non quod non sint vere et proprie talis materia, qualem Sacramenta requirunt ; sed quod non sint res aliqua solida, permanens, ac tractabilis, qualis in multis aliis Sacramentis cernitur.

Quod ut planius explicetur, animadverten-

(1) Matth. XXVIII, 19. — (2) Matth. XVI, 19. — Joan. XX, 23.

dum est, duobus modis Sacramentorum materiam posse considerari. Uno modo, ut est pars quædam Sacramenti. Alio modo, ut cum materia rerum naturalium, unde nomen accipit, similitudinem habet. Et quidem priore modo nihil aliud requiritur ad Sacramenti materiam, nisi ut sit externum ac sensibile signum, quod per verbum perficiatur et quasi formetur; et hoc modo vere ac proprie actio pœnitentis est materia Sacramenti. Posteriore autem modo, nullius quidem Sacramenti, ut recte Gabriel affirmat, materia est proprie, ac simpliciter, sed metaphoricè tantum materia: sed maxime tamen omnium, materia Sacramenti Pœnitentiæ distat a perfectione physiciæ materiæ, cum, ut diximus, non sit aliquid solidum, et tractabile, sed actio quædam transiens. Quare quemadmodum aqua Baptismi, si cum materia physica comparctur, quasi materia dici potest: sic etiam actio pœnitentis, si cum aqua Baptismi conferatur, quasi materia recte dicitur, licet in ordine ad Sacramentum utraque vere et proprie, simpliciter et absolute materia sit.

Atque hæc quidem præcipua sunt Kemniti argumenta: nam ad reliquas ejus calumnias supra respondimus, cum Hæreticorum mendacia refutarem. Nunc addemus illa argumenta, quibus utuntur, qui Scotum secuti, in sola Absolutione totam Sacramenti Pœnitentiæ rationem ponunt: actionem vero pœnitentis, non partem Sacramenti, sed dispositionem quamdam ad Sacramentum suscipiendum vocant.

Objiciunt igitur primo, Sacramentum esse debere signum ejus rei, quæ per Sacramentum efficitur: effectum autem Sacramenti hujus, id est, remissionem peccatorum, per Absolutionem pulchre significari, non autem per Confessionem, aut Contritionem, vel Satisfactionem.

Respondeo, remissionem peccatorum, ut supra diximus, non solum Absolutione, sed etiam Confessione significari. Nam ut Sacerdos absolvens significat se peccatum expellere, ita pœnitens confitens, significat se a peccato recedere.

Secundo objiciunt, id Sacramentum esse quod a Ministro confertur: in Sacramento autem Pœnitentiæ solam Absolutionem a Ministro conferri, non autem Confessionem, vel Contritionem. Et præterea esse inauditum in Ecclesia, ut qui Pœnitentiam agit, Minister Sacramenti Pœnitentiæ esse dica-

tur: proinde non esse actionem pœnitentis Sacramentum, aut partem Sacramenti.

Respondeo, Ministrum Sacramenti proprie dici, qui vel totum, vel potissimam Sacramenti partem conficit: si quis autem a Ministro illo jussus aliquid faciat, eum non proprie Ministrum, sed Ministri cooperatorem nominari. Atque hoc modo Sacerdos, qui formam Absolutionis pronuntiat, et a quo pœnitens interrogatur, examinatur, et injunctam satisfactionem accipit, proprie Minister Sacramenti dicitur: pœnitens autem licet aliquid faciat ad Sacramentum illud pertinens, non tamen Minister sed Ministri cooperator dici debet, quia ipsius actio non est pars Sacramenti, nisi quatenus potestati Sacerdotali subjicitur, et a Sacerdote dirigitur, vel jubetur. Simile est in curatione morbi corporalis, si forte medicus jubeat ægrotum post sumptum pharmacum inambulare: tamen enim ægrotus id facit, quod ad partem medicamenti pertinet, tamen non propterea ipse sui medicus dicitur, sed is tantum, qui pharmacum præbuit et inambulationem jussit.

Objiciunt tertio, solam Absolutionem esse causam gratiæ, cum tota vis Sacramentalis in Clavibus resideat; Claves autem sacerdotis sint, non pœnitentis: proinde actionem pœnitentis partem Sacramenti esse non posse; non enim pars Sacramenti est, quæ ad Sacramenti effectum non concurrat.

Respondeo, primum negari posse consequentiam hujus argumenti. Nam quemadmodum homo corpore, et spiritu constat, et tamen solo spiritu intelligit: sic etiam facile fieri posset, ut Sacramentum aliquod duabus partibus constans, per alteram tantum operaretur. Et hanc solutionem sequuntur, qui vim Sacramentalem in sola absolutione constituunt; quæ sententia fuit olim S. Thomæ, et S. Bonaventuræ, et aliorum quorundam veterum in 4. Sentent. dist. 18, et 22. et ex recentioribus Andreae Vegæ in Concilium Tridentinum lib. XIII. cap. 15. et Francisci Ferrariensis in commentario cap. 72. lib. IV. contra Gentes.

Deinde potest etiam responderi, Absolutionem quidem esse potissimam causam justificationis, sed non solam: proinde negari posset, vim Sacramentalem in solis Clavibus residere, sed partim, et quidem præcipue in Clavibus, quarum vi Sacerdos absolvit, partim in actione pœnitentis, quatenus ea Deus utitur ut instrumento ad significandam, et

efficiendam justificationem. Et hæc esse videtur sententia S. Thomæ 3. par. quæst. 86. art. 6. ubi revocavit quod scripserat in 4. Sentent. dist. 18. quæst. 1. art. 3. et dist. 22. quæst. 2. art. 1. Nos in II. lib. de Sacram. in genere, cap. 11. priorem sententiam secuti sumus; sed posteriorem non minus probabilem existimamus, licet ea paula difficiliter defendi posse videatur.

## CAPUT XVII.

### *De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ: Quæstio inter Catholicos.*

Sequitur altera partitio Pœnitentiæ, qua pars ejus materialis rursum in partes tres, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem distribuitur. De qua partitione duæ sunt quæstiones: una inter Catholicos, altera cum Hæreticis:

Quæstio prior non est, an Contritio, Confessio, et Satisfactio sint necessariæ, et omnino adhibendæ; sed, an sint omnes veræ partes Sacramenti. Fuit enim opinio Durandi in 4. dist. 16. quæst. 1. solam Confessionem partem esse materiale Sacramenti Pœnitentiæ: Contritionem autem esse dispositionem, et Satisfactionem fructum Pœnitentiæ.

Argumenta ejus præcipua duo sunt. Primum, quia quælibet veri Sacramenti pars debet esse sensibilis; Contritio autem non est sensibilis. Secundum, quia Sacramentum Pœnitentiæ non necessario exigit Satisfactionem in re, sed in voto dumtaxat: verum enim Sacramentum erit, si confitenti peccata sua, detur Absolutio, etiamsi is nunquam postea satisfaciat.

At sententia Theologorum communis, in eadem distinct. 16. et S. Thomæ 3. par. quæst. 90. art. 2. et 3. non solam Confessionem, sed etiam Contritionem, et Satisfactionem, veras Sacramenti Pœnitentiæ partes materiales esse docet. Quæ sententia certissima est, neque jam amplius in dubium revocari potest, cum in Conciliis gœcumenicis, Florentino et Tridentino disertis verbis legamus, actus pœnitentis, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Neque iis repugnat, quod in Scripturis sanctis satisfactionis opera dicuntur fructus

Pœnitentiæ: nam aliud est loqui de virtute, aliud de Sacramento Pœnitentiæ. Virtus Pœnitentiæ non componitur ex partibus, cum sit habitus quidam simplex: proinde non sunt partes, sed actus ejus, Contritio, Confessio, et Satisfactio. Contritio quidem est actus ejus internus, Confessio et Satisfactio actus externi: et hoc modo Scripturæ loquuntur, cum opera externa fructus Pœnitentiæ vocant. Sacramentum vero Pœnitentiæ duabus partibus constat, ut diximus, materiali atque formali. Et ad materiale quidem pertinent tres illi Pœnitentiæ virtutis actus, qui sunt etiam ipsius pœnitentis actiones: ad formalem autem Absolutio Sacerdotis. Quia vero Contritio actio est interna, ut pars Sacramenti, quod est corporale ac sensibile, dici possit, signo aliquo externo prodi debet.

Et per hoc solvitur primum Durandi argumentum: non enim Contritionem, ut in corde sedem habet, sed ut per signa manifestatur, Sacramenti partem esse contendimus.

Dicet fortassis aliquis, sæpe accidere, ut Contritio non alio signo, quam ipsa peccatorum confessione prodatur: proinde tunc non distingui contritionem quatenus est pars Sacramenti sensibilis, a Confessione; ac per hoc duas tantum Sacramenti partes esse, Confessionem, et Satisfactionem, non autem tres. Respondeo, fieri quidem posse, ut iisdem verbis Contritio detegatur, et Confessio explicetur, verumtamen in illis verbis duo signa sensibilia contineri; et plane aliud esse, Contritionem verbo expressam, aliud, confessionem verbo explicatam. Nam si quis fateatur se furtum, adulterium, homicidium, et alia id genus multa commisisse, sed jactando, et gloriando, vel simpliciter colloquendo illa narret; ille quidem confitebitur peccata, sed Contritionem non prodet. Quare aliud est, peccata confiteri, ut alter intelligat quot, et qualia illa sint; aliud, cum dolore, ac detestatione confiteri, ut non solum peccatorum numerus, sed etiam peccatoris Contritio illa confessione aperiat.

Ad alterum argumentum Durandi, facile est respondere. Nam sine Satisfactione, Sacramentum Pœnitentiæ esse potest, sed mancum ac mutilum: neque enim tres illæ partes, essentielles, sed integrales dicuntur: sine aliqua autem parte integrali res quidem esse potest, sed integra esse non potest. Illud admittimus, ex integralibus partibus quasdam esse principales, sine quibus essentia

rei nullo modo consisteret, quales sunt in homine caput, et cor; et tales in Sacramento Pœnitentiæ sunt Contritio, et Confessio: nam nisi signa doloris aliqua conspiciantur, et nisi manifestatio aliqua peccatorum præcedat, Absolutio a Sacerdote impendi non potest. Aliæ sunt partes integrales secundariæ, sine quibus rei essentia consistere, licet imperfecta et mutila, potest, quales sunt in homine, manus et pedes; et ejusmodi in Sacramento Pœnitentiæ videtur esse Satisfactio.

Sed objiciunt aliqui: Aut Satisfactio pars est Sacramenti, ut est in voto et proposito pœnitentis, aut ut re ipsa exercetur. Si priore modo, non est res sensibilis; si posteriore, non est præsens cum perficitur Sacramentum. Siquidem accedente verbo Absolutionis ad Confessionis clementum, perficitur Sacramentum. Satisfactio vero post Absolutionem datam, atque acceptam peragitur.

Respondeo: utroque modo satisfactio pars est Sacramenti: incipit enim quodam modo, dum injungitur et acceptatur: et postea tempore suo completur. Et quamvis, ut est in voto, et proposito, non videatur esse sensibilis, tamen signis externis sensibilis redditur, dum verbo Sacerdotis indicitur, et verbo, aut nutu pœnitentis admittitur. Neque absurdum est, si post Absolutionem datam atque acceptam, Satisfactio compleatur: nam accedente verbo Absolutionis ad elementum Confessionis, Sacramentum perficitur quidem, quod attinet ad essentiam, sed non omnino integre, et perfecte, si partes integrales considerentur. Quemadmodum etiam dum in utero matris corpus humanum formatur, et corde, aliisque nonnullis partibus perfectis, conjungitur anima corpori, homo inde existit, etiamsi forte oculi, digiti, et aliæ quædam partes nondum perfectæ, atque distinctæ conspiciantur.

## CAPUT XVIII.

### *De partibus Pœnitentiæ, sententiæ variæ Hæreticorum.*

Altera quæstio jam cum Hæreticis tractanda est, quot sint partes Pœnitentiæ, sive quot sint actiones in homine pœnitente necessariæ, ut Absolutionem percipere, et cum

Deo in gratiam redire possit. Neque enim cum Hæreticis disputare necesse erit, an istæ omnes actiones sint materiales Sacramenti partes, cum illi (ut vidimus cap. 15.) nullam partem materialem agnoscant, nisi forte Baptismum, aut ritum quo Sacerdos verbum Absolutionis pronuntiat.

Igitur Catholici summo consensu tres assignant Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem; neque de hac re ulla inter Catholicos controversia est. Nam ipse etiam Scotus, qui Pœnitentiæ Sacramentum in sola Absolutione, et Durandus, qui in Absolutione et Confessione constituit, disertis verbis docent, ad percipiendam in hoc Sacramento peccatorum remissionem, tria illa ex parte pœnitentis requiri.

Porro adversarii a communi, frequentato, tutissimoque hoc doctrinæ Ecclesiasticæ tramite aberrantes, in varias errorum vias abierunt. Tres præcipuæ sunt apud eos sententiæ.

Prima eorum, qui docent duas esse Pœnitentiæ partes, Contritionem, et Fidem. Ac per Contritionem quidem intelligunt terrores conscientiæ ex minis legis incussos: per Fidem autem, fiduciam quamdam certam remissionis peccatorum ex Evangelii, ut ipsi dicunt, pollicitatione conceptam.

Hujus sententiæ primus auctor Lutherus fuit. Is enim etiamsi anno 1520. in libro contra execrabilem bullam Antichristi, in defensione artic. 5. et rursus anno 1521. in assertionem articulorum suorum, eundem illum quintum articulum propugnans, scripserit, se non negare tres esse partes Pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem; sed tantum de Satisfactione docere, eam quæ arbitrio Ecclesiæ imponitur, non esse juris divini, aut si juris divini est, non posse per Claves Ecclesiæ tolli: tanem postea cum non parum in schola Satanæ profecisset, anno 1545. in refutatione articulorum Lovaniensium, propositione 37. his verbis priorem illam sententiam a se quoque admissam damnavit: « Pœnitentia a Lovaniensium Synagoga tradita (scilicet quod sit Contritio, Confessio, et Satisfactio) est nulla nisi Judæ proditoris, et similium; ideo ut hæretica est damnanda. » Et in articulis Smalchaldicis anno 1537. editis, in cap. de Pœnitentia, duas partes Pœnitentiæ esse docet, Legem et Evangelium, sive, quod est idem, ut ipse ibidem explicat, Contritionem ex minis legis, et Fidem ex Evangelii promissis

conceptam; porro opera bona hoc loco, non partem, sed fructum Pœnitentiæ esse voluit. Eadem sententia fuit Philippi Melancthonis, tum in locis editis anno 1521. tum in Confessione Augustana edita anno 1530. Sed in Locis cap. de Pœnitentia, duas Pœnitentiæ partes vocat Mortificationem et Vivificationem: in Confessione autem, art. 12. vocat contritionem, et Fidem; res tamen eadem per Mortificationem et Contritionem, per Vivificationem et Fidem significatur. Idem quoque permulti alii Lutheranorum docent, ut Centuriatores Magdeburgenses, Centur. I. lib. I. cap. 4. col. 148. et lib. II. cap. 4. col. 341. Joan. Wigandus in Corpore doctrinæ Magdeburgensis, cap. 18. Tilmannus Heshusius in lib. de erroribus Pontificiorum, loco 9. Martinus Kemnitius in 2. par. Exam. ad cap. 3. de Pœnitentia, pag. 942 et 943.

Altera eorum sententia est, qui ad illas duas Pœnitentiæ partes adjungunt tertiam, videlicet opus bonum, sive novam obedientiam.

Hujus sententiæ videtur etiam auctor Lutherus fuisse. Nam in prima disputatione contra Antinomos, edita anno 1538, propositione prima, dicit partes Pœnitentiæ esse dolorem de peccato, et propositum melioris vitæ. In tertia autem disputatione contra eosdem, propositione 9. ad bonum propositum non solum pertinere vult fidem, seu fiduciam erga Deum, sed etiam omnia opera bona: « Omnia, inquit, opera post justificationem, sunt aliud nihil, quam bonum propositum contra peccatum. » Idem docet Philippus Melancthon, qui ut fidus Achates Lutheri, cum ipso in formas varias facile mutabatur. Is igitur in Apologia Confessionis Augustanæ, articulo de Pœnitentia, et in locis editis anno 1536 et sequentibus, titulo de Pœnitentia, duas quidem partes Pœnitentiæ assignat, Contritionem et Fidem; addit tamen, se non repugnaturum, si quis tertiam partem adjungat, novam obedientiam. Sed in disputatione de Pœnitentia quam anno 1548 habuit, et cum Lutheri operibus circumfertur, disertis verbis dicit reipsa novam obedientiam tertiam partem esse conversionis, seu Pœnitentiæ: quod idem repetit in Examine ordinandorum, cap. de Pœnitentia. Idem docent illi omnes, qui Lutherani molles appellantur, et contra rigidos Lutheranos, sive Illyricianos, de hac re magna contentione digladiantur, ut auctores Confessionis Saxonicæ, cap. de Pœnitentia,

Nicolaus Selneccerus in sua Pædagogia ad finem secundæ partis, ubi explicat articulum Symboli: « Remissionem peccatorum»; David Chythræus in sua Catechesi, loco 8. et alii non pauci.

Tertia sententia Calvinii est, libro 3. Institution. cap. 3. § 8. ubi duas Pœnitentiæ partes constituit, Mortificationem et Vivificationem; sed longe alio sensu, quam Lutherani faciunt. Nam per Mortificationem non intelligit terrores incussos, ut Lutherani, sed mortificationem vitiorum, sive abnegationem sui, et spoliationem totius veteris hominis; proinde non parvo aliquo tempore, sed tota vita Pœnitentiam agendam esse dicit. Per Vivificationem non intelligit fidem, vel fiduciam, aut consolationem ex Evangelio conceptam, ut Lutherani, sed pium bene vivendi studium, atque affectum ad opera bona; quæ opera non partem, sed fructus Pœnitentiæ esse docet.

Refellit ibidem Calvinus aperte sententiam Lutheranorum. Nam § 1. contendit fidem priorem esse Pœnitentiam, quod est contra Lutheranos, qui fidem posteriorem partem Pœnitentiæ faciunt. § 2. docet, incussos illos terrores, quos Lutherani priorem partem Pœnitentiæ esse volunt, non esse partem Pœnitentiæ, sed esse timorem quemdam initialem, qui fidem præcedit, ex quo postea Pœnitentia ut fructus, emanat. § 3. agnoscit, alios ante se Pœnitentiam esse partitos in Mortificationem, et Vivificationem (id enim sine dubio legerat apud Melancthonem in Locis communibus editis anno 1521) sed addit, vocibus istis, si recta subsit interpretatio, vim Pœnitentiæ satis commode exprimi: sed non sibi placere eorum interpretationem. § 5. refellit illos (Lutheranos videlicet omnes) qui fidem sub Pœnitentia complectuntur, ac dicit eos Paulo repugnare.

In Calvinii sententiam Theodorus Beza discipulus ejus descendit, camque tuetur et explicat, in libro quem inscripsit: Abstentio calumniarum Tilmanni Heshusii, in responsione ad quartam calumniam.

## CAPUT XIX.

*Refelluntur sententiæ Hæreticorum, et Catholica confirmatur.*

Nunc breviter, et per partes novorum Hæreticorum dogmata refellemus, ac veterem et communem Ecclesiæ Catholicæ, quæ sola vera est, sententiam comprobabimus.

Sit igitur propositio Prima: « Terror animo incussus a lege, quem Lutherani Contritionem, sive Mortificationem appellant, non recte inter partes Pœnitentiæ numeratur. » Hæc propositio conformis est Tridentino Concilio sess. 6. cap. 6, ubi numerantur quidem terrores incussi inter ea, quæ hominem ad justificationem juvant, et præparant: tamen non ponuntur Pœnitentiæ partes, sed ab ea potius distinguuntur, cum inter eos, et Pœnitentiam actus quidam spei et dilectionis intercedere dicantur. Aliud enim est, aliquid ad conversionem et justificationem requiri, aliud, partem sive actum esse Pœnitentiæ, si de Pœnitentia, ut Theologos decet, proprie loquamur. Igitur ut illos terrores ad conversionem, ut plurimum requiri non negamus, ita partem esse Pœnitentiæ minime concedimus.

Nam in primis Scriptura distinguit terrorem a Pœnitentia. Ubi enim legimus in epistola posteriore ad II Corinth. cap. VII: *Quæ secundum Deum est tristitia, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur* (1); per tristitiam intelligi debet molestia quædam, et timor, ac pudor natus ex objurgatione illa vehementi, et minis, quibus Apostolus apud Corinthios usus fuerat. Non enim vocat Apostolus eo loco tristitiam, dolorem de peccatis admissis, quæ est ipsa Contritio, sive Pœnitentia, sed molestiam illam, et verecundiam, quæ æquo animo accepta, et secundum Deum, Pœnitentiam saluberrimam gignit. Nam in eadem epist. cap. II. Apostolus ait: *Ex multa tribulatione, et angustia cordis, scripsi vobis, non ut constristimini, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vos.* Et cap. VII, cap. 9: *Gaudeo, inquit, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam* (2). At certe Apostolus non hæc diceret, si per tristitiam, dolorem illum acciperet quo quis an-

gitur, quod Deum offenderit. Non diceret, inquam: « Scripsi vobis, non ut doleatis de peccato, » cum hoc ipsum vehementissime cuperet; neque diceret: « Non gaudeo, quia contristati estis, » cum maxime gaudendum sit, quod peccatores peccasse se doleant, et gaudium sit in cælo super uno peccatore Pœnitentiam agente. Itaque, ut Chrysostomus, et alii exponunt, sententia Pauli est: Non gaudeo de tristitia; gaudeo de fructu, qui est Pœnitentia. Et quemadmodum medicus non gaudet, quod amaro pharmaco, vel sectione, aut adustione ægrotum cruciet, sed gaudet de sanitate, quæ ex illo pharmaco, vel sectione, aut adustione consequitur: sic etiam Paulus non gaudet, quod aspera objurgatione et minis, terrorem et molestiam Corinthiis attulerit, sed quod ea molestia ac terrores, Pœnitentiam, eamque stabilem et omnino salutarem pepererint. Vides igitur ex doctrina Apostoli Pœnitentiam non esse terrorem ex minis incussum, sed effectum, seu fructum quemdam ejus terroris, ut Concilium Trident. recte docet.

Deinde, si quis inspiciat definitiones omnes Pœnitentiæ, quæ apud Theologos tum veteres, tum recentiores exstant, et simul inveniuntur apud Magistrum in 4. lib. Sententiar. dist. 14. et apud Gratianum de Pœnit. dist. 3. in nulla earum terrores istos inveniet, quos Lutherani partem Pœnitentiæ faciunt.

Præterea, cum partes Pœnitentiæ quærimus, non quosvis motus, qui quocumque modo ad Pœnitentiam pertinent, quærimus, sed eos motus sive actus duntaxat, qui ex ipsa virtute Pœnitentiæ prodeunt. Porro terri cum intentantur minæ, non est ullius virtutis actus, sed naturalis affectio, quam etiam in pueris, et in ipsis bestiis cernimus.

Adhæc, sæpe terrores in iis inveniuntur, qui Pœnitentiam nullam agunt, ac ne inchoant quidem, ut in dæmonibus, qui credunt, et contremiscunt. Jacobi II, sæpe etiam nonnulli veram Pœnitentiam agunt, nullo pœnæ terrore, sed solo Dei et justitiæ amore impulsivi, qualem credibile est fuisse beatam illam fœminam, de qua Dominus ait, Luc. VII: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (3). Quod si terrores sine Pœnitentia, et Pœnitentia sine terroribus, aliquando esse potest, certe non debent terrores illi inter partes Pœnitentiæ numerari.

(1) II Corinth. VII, 10. — (2) II Corinth. II, 4; II Corinth. VII, 9. — (3) Luc. VII, 47.

Denique fides, ut mox probabimus, non est pars Pœnitentiæ, sed eam præcedit. Atqui terrores incussi a lege ex sententia adversariorum, ispa etiam fide priores sunt : non igitur terrores incussi a lege, partes Pœnitentiæ recte dici possunt. Vide plura in II. lib. cap. 1.

Secunda propositio : « Fides non est pars Pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessario requiratur. » Hæc etiam propositio conformis est Tridentino Concilio, sess. 6. cap. 6. ubi fides primo loco ponitur inter ea, quæ ad justificationem disponunt, et a Pœnitentia, quæ inter eas dispositiones quintum locum obtinet, aperte distinguitur.

Probatur autem primo ex illis ipsis, unde adversarii sententiam suam probant : proferunt enim Melancthon, Illyricus, Heshusius, Kemnitius, et alii passim, duo loca, ut probent duas esse Pœnitentiæ partes, terrores, et fidem. Prior locus est Marc. I : *Pœnitentiam agite, et credite Evangelio*. Alter Act. xx : *Testificans Judæis atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum* (1). At hæc loca maxime faciunt contra eos : siquidem distinguitur in utroque loco fides a Pœnitentia. Non enim Dominus apud Marcum ait : Pœnitentiam agite credentes Evangelio ; sed : *Pœnitentiam agite, et credite Evangelio* : duo sunt igitur, ac diversa, Pœnitentiam agere, et credere Evangelio. Sic etiam B. Paulus non ait : Testificans in Deum Pœnitentiam, quæ ex fide et terroribus constat ; sed : *Testificans in Deum Pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*.

Deinde fides Pœnitentiam præcedit, eamque gignit, ut exemplum Ninivitarum, et ratio manifesta docet : *Crediderunt*, inquit Scriptura Jon. III, *Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et induiti sunt saccis* (2). Et sane intelligi non potest, quod serio aliquis pœnitentiam agere incipiat, nisi prius credat vera esse, quæ Deus tum peccatoribus comminatur, tum pœnitentibus pollicetur. Quod si fides Pœnitentiam præcedit, certe causa ejus esse potest, pars autem nullo modo.

Adhæc partes Pœnitentiæ, ut supra diximus, illæ actiones censendæ sunt, quæ a virtute Pœnitentiæ manant. Atqui credere, non Pœnitentiæ, quæ virtus est moralis, sed fidei virtutis theologicæ actio est.

Denique veteres Patres cum Pœnitentiam definiunt, nusquam fidei meminerunt : quod certe non facerent, si ea potissima Pœnitentiæ pars esset, ut Lutherani volunt. Gregorius hom. 34. Pœnitentiam definit : « Præterita peccata plangere et plangenda non admittere. » Ambrosius in præfatione enarrationis in Psal. 37 : « Plena, inquit, est definitio Pœnitentiæ, commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua, velut quodam quotidiani sermonis castiget flagello, et commissa sibi flagitia condemnet. » Quibus verbis docet, Pœnitentiam in eo consistere, ut quis peccata sua confiteatur, et confitendo castiget, ac damnet : quod sine detestatione, quam nos Contritionem vocamus, et sine Satisfactione, vel ejus proposito fieri non potest. Quomodo enim serio peccata confiteatur, qui ea non detestatur ? et quomodo ea castiget, et damnet, qui satisfactione emendare non cupiat ?

At certe credere sibi remitti, vel remissa esse peccata, ad eam Confessionem minime requiritur. Cur enim non possit aliquis cum dolore animi peccata sua fateri, et ea laboriosis operibus castigare, et proinde ex Ambrosii sententia plenam agere Pœnitentiam, etiamsi nondum certo credat ea sibi esse remissa, aut etiam tunc remitti ? Certe Ninivitæ, crediderunt in Deum, teste Scriptura Jonæ III, et tamen de remissione dubitabant, cum dicerent : *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus ?* (3) eos autem Pœnitentiam egisse gratam Deo, eadem Scriptura testatur. Itaque fides ista specialis, non modo non est Pœnitentiæ pars, sed neque ad eam ullo modo requiritur.

Quod vero nos in secunda propositione diximus, sine fide Pœnitentiam haberi non posse ; de fide vera, et Catholica intelleximus, non de isto Lutheranorum figmento, quod tamen ipsis fides justificans, et pars præcipua Pœnitentiæ est.

Tertia propositio : « Non sunt omnia bona opera, quæ post justificationem fiunt, inter partes Pœnitentiæ numeranda. » Hoc est adversus molles Lutheranos, qui omnia opera bona intra Pœnitentiam includunt. Non volumus autem negare, quin propositum bene vivendi ad Pœnitentiam pertineat, neque etiam quin opera quædam bona, quæ ad eum finem tendunt, ut vel Pœnitentia interior ostendatur, vel pro peccatis satisfiat,

(1) Marc. I, 15 ; Act. XX, 21. — (2) Jon. III, 5. — (3) Jon. III, 9.



in partibus Pœnitentiæ numerentur : sed id solum asserimus, non omne bonum opus post reconciliationem cum Deo factum, partem esse Pœnitentiæ. Id quod vix ullam probationem exigit : multa sunt enim opera bona, quæ a justificatis fiunt, sine ulla relatione ad peccata præterita ; ex charitate in Deum, ex misericordia in proximos, ex justitia in eos quibus aliquid debent, ex temperantia, fortitudine, cæterisque virtutibus, qualia opera facerent etiamsi nunquam peccassent, aut Pœnitentia eguissent.

Quarta propositio : « Non recte ponuntur Pœnitentiæ partes, Mortificatio, et Vivificatio, ad eum sensum quo a Calvino et Beza accipiuntur. » Ratio propositionis hujus certissima est. Nam Calvinus et Beza, vel confundunt omnino Pœnitentiam cum justificatione, vel posteriorem justificatione esse volunt : dicunt enim, Pœnitentiam esse fructum fidei justificantis, et per Mortificationem et Vivificationem, intelligunt reformationem vitiosarum affectionum, et pium studium bene operandi, quæ in reconciliatione inchoantur, ac deinde tota vita perficiuntur.

At Scripturæ divinæ passim docent, Pœnitentiam vitam esse ad justificationem, et proinde priorem ipsa justificatione. Hier. XVIII : *Si Pœnitentiam egerit gens illa a malo, agam et ego Pœnitentiam.* Ezech. XVIII, et XXXIII, sæpe repetit Dominus : *Si pœnitentiam egerit impius, iniquitatum ejus non recordabor.* Luc. XIII : *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Luc. XXIV : *Oportebat prædicari Pœnitentiam, et remissionem peccatorum.* Actorum II : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus sancti.* Act. III : *Pœnitementini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Act. V : *Hunc Principem, et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam Pœnitentiam Israeli, et remissionem peccatorum.* Act. VIII : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Act. XI : *Ergo et Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam (1).*

Quod si Pœnitentia via est ad remissionem peccatorum, et prior justificatione, secundum Scripturas, multo majori ratione Mor-

tificationem illam et Vivificationem præcedet, quæ opinione adversariorum fructus est fidei justificantis, et justificationem ipsam consequitur. Quare tam Lutherani, quam Calvinistæ, extrema sectantur : et sicut Lutherani errant, quia Pœnitentiam in his motibus constituunt, qui veram Pœnitentiam antecedunt, ita quoque errant Calvinistæ, qui Pœnitentiam in his actionibus ponunt, qui veram Pœnitentiam consequuntur.

Adde, quod Pœnitentia in Scripturis non dicitur, nisi a peccatis, sive ab operibus mortuis, juxta illud Heb. VI : *Non rursus jacentes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, ad perfectionem feramur (2).* Nec Pœnitentia est omnium hominum, secundum Scripturas, sed peccatorum tantum : justis enim Deus non posuit Pœnitentiam, ut legimus in oratione Manasse ; et Dominus Lucæ xv. dicit, justos non egere Pœnitentia. Non igitur recte Calvinus Pœnitentiam vocat mortificationem illam afflictionum, et reformationem spiritualem, quæ est omnium hominum, etiam justorum : ista enim ad perfectum, non ad Pœnitentiam pertinent.

Quinta propositio : « Tres sunt partes Pœnitentiæ : Contritio, Confessio, et Satisfactio. » Hæc propositio, in qua conveniunt omnes Catholici, breviter explicanda ac probanda est. Primo igitur observandum erit, hoc loco nomine Pœnitentiæ non significari habitum, seu virtutem Pœnitentiæ, quæ, ut supra diximus, partes non habet, cum simplex qualitas sit ; neque etiam actualem Pœnitentiam absolute, cum Confessio et Satisfactio, Contritionis signa et effectus sint, et proinde ad eam non ut partes ad partem, sed ut effectus ad causam referantur : sed designari actualem Pœnitentiam, quatenus ea ex parte pœnitentis ad remissionem peccatorum in Sacramento reconciliationis necessaria est. Quia enim tres isti actus, qui ex virtute Pœnitentiæ (licet non æque immediate, et principaliter) oriuntur, ex parte Pœnitentis necessarii sunt, ideo tres partes Pœnitentiæ numerantur.

Secundo est observandum, tres istas Pœnitentiæ partes non solum requiri in ordine ad Sacramentum, sed etiam extra Sacramentum suo quodam modo esse, ac fuisse necessarias in omni lege. Dixi autem, Suo modo, propter duas causas. Primum, quia

(1) Hier. XVIII. 8 ; Ezech. XVIII, 21, 22 ; XXXIII, 12 ; Luc. XIII. 5 ; Luc. XXIV, 47 ; Act. II, 38 ; Act. III, 19 ; Act. 5, 31 ; Act. VIII, 22 ; Act. XI, 18. — (2) Hebr. VI, 1.

extra Sacramentum non requiritur confessio omnium peccatorum, quæ Sacerdoti fiat, neque Satisfactio a Sacerdote injuncta: sed satis est confessio quædam generalis facta Deo, et Satisfactio per opera laboriosa sponte assumpta. Deinde, quia extra Sacramentum, si quis aut angustiis temporis, aut alia de causa legitime impediatur, quominus confiteri aut satisfacere queat, sola contritio interior ad salutem illi sufficiet.

Tertio observandum est, non esse hujus loci, de singulis his tribus partibus accurate disserere, id enim ad librum sequentem proprie pertinet: nunc vero muneri nostro satisfacisse videbimur, si ex divinis litteris, testimoniis veterum, et congruentia rationis ostendere potuerimus, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, saltem in genere, actus quosdam esse virtutis Pœnitentiæ, ac per hoc partes ac veluti membra Pœnitentiæ actualis.

Primum igitur Contritionem ad Pœnitentiam pertinere, Scripturæ passim docent. Deut. IV: *Cum quæsieris Dominum, invenes, si tamen quæsieris in toto corde, et tota tribulatione animæ tuæ.* Joel. II: *Scindite corda vestra.* Psalm. L: *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.* Confessionem quoque Pœnitentiæ partem esse, perspicuum est ex infinitis locis. Num. V: *Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, confitebuntur peccatum suum, etc.* Psalm. XXXI: *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino.* Matth. III: *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.* Act. XIX: *Multi credentes veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos.* I Joan. I: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Donique satisfactionem per opera laboriosa, frequentissime Scriptura commemorat, II Esdræ IX: *Convenerunt filii Israel in jejunio, et in saccis, et humus super eos, et confitebantur peccata sua.* Daniel. IV: *Peccata tua eleemosynis redime.* Joelis II: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.* Matth. XI: *Olim in cinere et cilicio Pœnitentiam egissent* (1).

Præterea idem Scripturarum exemplis demonstrari potest. Illustre est exemplum Da-

vidis II Reg. 24. ubi cum David jussisset populum numerari, et in ea re ex quadam animi elatione peccasset, inquit Scriptura, describens pœnitentiam ejus: *Percussit autem cor David eum, ecce Contritionem, et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto, ecce Confessionem, sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis.* Et paulo infra: *Ego sum qui peccavi, et ego inique egi; isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me* (2). Et paulo post obtulit sacrificium, et sic Dominus placatus est: in quo apparet Satisfactio, per orationem, et subjectionem ad flagella Domini, et tandem per sacrificii oblationem.

Aliud exemplum est Ninivitarum, quorum Pœnitentiam Dominus in Evangelio laudavit Matth. 12. Ita vero ea describitur Jonæ 3: *Convertatur vir a via sua mala, ecce Contritionem, et clament ad Dominum in fortitudine, ecce Confessionem, et homines et jumenta non gustent quidquam, nec pascantur, et aquam non bibant, et operiantur saccis homines et jumenta* (3), ecce Satisfactionem.

Tertium exemplum habemus in Evangelio Lucæ 18. ubi describitur publicanus pœnitens, qui in signum Contritionis non audebat oculos ad cælum levare; et peccatum confitebatur, dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori* (4), ac denique pectus suam percutiebat, quod pertinet ad Satisfactionem. Huic simile est exemplum filii prodigi Lucæ 15. qui primum ad se revertitur, ac statum detestatur suum. Deinde confitetur, dicens: *Pater peccavi in cælum, et coram te.* Postremo subjicit se pœnæ a patre inferendæ. *Jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum ex mercenariis tuis* (5).

Eadem veritas ex Patrum testimoniis copiose probari posset, sed quia testimonia illa suis locis infra afferenda erunt, ubi de his tribus partibus seorsim disseretur, nunc solum illa breviter annotabo, in quibus omnium trium partium simul mentio fit.

Tertullianus in lib. de Pœnitentia, postquam de Contritione dixerat, oportet pœnitentem animum meroribus dejicere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies ac noctes; et ibidem de Satisfactione: sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare,

(1) Deut. IV, 29; Joel. II, 13; Psalm. L, 19; Num. V; Psalm. XXXI, 5; Matth. III, 6; Act. XIX, 18; Joan. I, 9; II Esdras IX, 1; Daniel. IV, 24; Joel. II, 12; Matth. XI, 21 — (2) II Reg. XXIV, 10. — (3) Jon. III, 8. — (4) Luc. XVIII, 13. — (5) Luc. XV, 19.

jejuniis preces alere etc., subjungit de Confessione : « Hæc omnia Exomologesis ut pœnitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur. » Et paulo post : « Cum igitur provolvit hominem, magis relevat ; cum squalidum facit, magis mundatum reddit ; cum accusat, excusat ; cum condemnat, absolvit. » S. Cyprianus in serm. de lapsis : « Denique, inquit, quanto et fide majore, et timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quia tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, et simpliciter confitentur, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt. » Hæc ille : ubi vides primum fidem et timorem, non inter partes, sed inter causas Pœnitentiæ numerari, deinde tres Pœnitentiæ partes distincte, et perspicue ostendi, Contritionem in verbo illo : « Dolenter » ; Confessionem in illo : « Confitentur » ; Satisfactionem in illis : « Salutarem medelam vulneribus exquirunt. » S. Joan. Chrysostomus in serm. de Pœnitentia, qui habetur in v. tomo post homilias decem de Pœnitentia : « In corde, inquit, ejus, contritio est, in ore confessione, in opere tota humilitas : hæc est perfecta, et fructifera Pœnitentia. » S. Augustinus tract. in Psalm. 146. illa verba exponens : « Qui sanat contritos corde, sanat, inquit, contritos corde, sanat confitentes, sanat seipsos punientes » : ubi perspicue audis tres partes veræ Pœnitentiæ.

Accedat postremo etiam actio ex ipsa natura Pœnitentiæ ducta. Pœnitentia enim de qua hic agimus, non est quælibet peccati detestatio, ac punitio, sed detestatio ac punitio peccati, ut est offensio divinæ Majestatis, et ut ad peccatum tollendum, et amicitiam cum Deo resarciendam ordinatur. Hinc enim Actor. 20. vocatur Pœnitentia in Deum : et Actor. 26. conjungitur cum conversione ad Deum ; et passim in divinis litteris, ac præsertim Ezech. 18. et 33. Pœnitentiæ finis dicitur justificatio, et reconciliatio. Hoc autem interest inter justitiam vindicantem, et Pœnitentiam reconciliantem ; quod ad justitiam vindicantem satis est, si reus pœnam luat a judice præscriptam, sive is libenter id faciat, sive invitus, et sive is qui

læsus est, id probet, sive improbet ; at multa in pœnitentia reconciliante subeunda est prompto animo ab eo, qui læsit, et ad arbitrium ejus qui læsus est. Quare necessario hic exigitur primum, ut qui peccavit, doleat se peccasse, et amicitiam violasse : quando enim recuperare amicitiam cuperet, qui non doleret amissam ? Deinde, ut subjiciat se pœnæ ad arbitrium Dei, qui læsus est. Et quia Deus per Ministros suos nobiscum agit, oportet, ut qui peccavit, illi homini se sponte subjiciat, qui Dei locum tenet. Id vero fieri nequit, nisi et culpas suas ei per Confessionem aperiat, et mulctam suscipiat, quam ille præscripserit. Sunt igitur tria illa necessaria : Detestatio peccati cum proposito vitæ melioris, quæ Contritio dicitur ; Confessio, et Satisfactio.

Adhæc, tria ista, natura ipsa duce quotidie adesse videmus, cum aut liberi cum parentibus, aut servi cum dominis, aut uxores, cum viris in gratiam redeunt : nam et signa doloris ostendunt et peccatum fatentur, et se castigationi subjiciunt, aut certe indulgentiam petunt : « Ad judices, inquit pro Ligario M. Tullius, sic agi solet : Non fecit, non cogitavit, falsi testes, fictum crimen. Ad parentem autem : Erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, dilecti veniam peto, ut ignoscas oro » Docent autem sacræ litteræ non uno in loco, Deum erga homines, et patris, et domini, et sponsi locum tenere ; proinde non absimilem esse debere Pœnitentiam, et conversionem hominum ad Deum illi, quæ est filii ad parentem, servi ad dominum, uxoris ad virum. Isaïæ 63 : *Tu pater noster, et Abraham nescivit nos et Israel ignoravit nos : tu, Domine, pater noster, Redemptor noster, a sæculo nomen tuum.* Psalm. 122 : *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum : sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.* Hierem. 3 : *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus (1).*

Postremo, neque illa congruentia contemnenda videtur, quod quemadmodum tria sunt instrumenta peccandi, cor, lingua, manus, peccamus enim corde, verbo, et opere : ita par est, ut tria sint veluti instrumenta Pœnitentiæ ; et adversus peccatum cordis, Contritione ; oris, Confessione ; et operis, Satisfactione pugnemus, ut hac ratione

(1) Isaïæ LXIII, 16 ; Psalm. CXXII, 2 ; Hierem. III, 1.

juxta Apostolum ad Rom. VI: *Sicut exhibuimus membra nostra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificationem* (1).

## CAPUT XX.

*Respondetur ad argumenta Adversariorum.*

Restat nunc ut iis objectionibus respondeamus, quas adversarii contra doctrinam jam explicatam, et confirmatam faciunt. Primum igitur Joan. Calvinus lib. 3. Institut. cap. 3. §. 8. probat duas esse Pœnitentiæ partes, ex illis Scripturæ locis: *Quiescite agere perverse, discite bene facere*, Isaiaë 1. Item: *Declina a malo, et fac bonum*, Psalm. 34 (2).

Respondeo: locus Isaiaë, Calvinii sententiæ manifeste repugnat. Nam Isaias post illa verba, subjungit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut lana alba erunt*. Proinde Pœnitentiam, quæ continet præteritorum peccatorum detestationem, et propositum vitæ melioris, non post justificationem constituit, ut Calvinus facit, sed ante: neque fructum, sed causam justificationis esse docet. Quod autem attinet ad alterum locum; quæ ibi numerantur, partes justitiæ, non pœnitentiæ sunt. Nam Pœnitentia ad peccatores tantum pertinet, juxta illud: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam* Luc. 5 (3); at declinare a malo, et facere bonum, justorum est proprium. Itaque perperam Calvinus confundit Pœnitentiam, cum justitia: neque usquam in Scripturis inveniet Pœnitentiam appellari, declinare a malo, et facere bonum: sed, in fletu, et planctu, in cinere et cilicio, eleemosynis et jejuniis, præterita male facta purgare.

Secundo, idem Calvinus eodem lib. 3. cap. 4. §. 1. Catholicis objicit, quod dum tres partes pœnitentiæ assignant, definitionem Pœnitentiæ destruant, quam ipse tamen ex Patribus hausisse videri voluit. Siquidem apud Magistrum Sententiarum lib. IV. dist. 14. et in Decreto Gratiani, dist. 3. de Pœnitentia, hæ leguntur. Pœnitentiæ definitiones: « Anteacta peccata deflere, et flenda non committere. » Item: « Mala

præterita plangere, et plangenda non committere. » Item: « Vindicta quædam, puniens in se, quod dolet commisisse », quæ ex Gregorio, Ambrosio, Augustino decerpæ esse dicuntur. Porro cum his definitionibus non bene cohærere videtur partitio illa Pœnitentiæ in Contritionem, Confessionem, et satisfactionem: potest enim facile aliquis peccata præterita plangere, et plangenda non committere; et punire etiam in se, quod dolet commisisse, etiamsi ore non confiteatur.

Respondeo: jam supra exposuimus, quo sensu Theologi doceant tres esse Pœnitentiæ partes, nimirum, tres esse Pœnitentis actiones, quæ in Sacramento reconciliationis ad remissionem peccati exigantur: nam alioqui satis aperte docuimus, extra Sacramentum facile posse fieri, ut sine Confessione et Satisfactione, per internam cordis Pœnitentiam quis justificetur. Quare nequaquam partitio Pœnitentiæ cum ejus prima et secunda definitione pugnet, si alio, et alio modo Pœnitentiæ vox accipiatur. In Prima enim et Secunda definitione, Pœnitentia accipitur pro Contritione, qui primarius actus est Pœnitentiæ virtutis; in partitione autem, vox Pœnitentiæ sumitur pro actione integra Pœnitentis, quæ materialis pars dicitur Sacramenti Pœnitentiæ. Porro, definitio tertia satis apte cum partitione cohæret, siquidem in ea Contritio, et Satisfactio, apertissime exprimuntur, cum dolor ad Contritionem, vindicta ad Satisfactionem pertineat: Confessio autem non obscure in Satisfactione includitur. Nam cum Satisfactio fieri debeat ad arbitrium partis læsæ, necessario intelligitur, oportere eum qui læsit, subjicere se per humilem Confessionem ei, quem læsit, vel potius Ministro atque arbitro, quem iis loco suo in terris constituit; qui quidem non potest justam mulctam indicere, nisi per Confessionem cognoscat, qualis sit culpa.

Tertia objectio et sequentes, Kemnitii sunt, in 1. par. Exam. pag. 942. et sequentibus. Kemnitius igitur (ut etiam cæteri Lutherani) ita probat duas esse partes Pœnitentiæ: terrores, et Fidem. « Lex divina minas intentat peccatoribus, qui Dei præcepta transgrediuntur, proinde terret peccatores. Evangelium deinde consolatur, proposita Christi justitia, et satisfactione, quæ per Fidem apprehenditur: ergo duæ sunt par-

(1) Rom. VI, 19.— (2) Isaiaë. I, 16; Psalm. XXXVI, 27. — (2) Luc. V, 32.

tes Pœnitentiæ : terror, et Fides. » Confirmat hoc totum argumentum, Scripturis illis : *Pœnitentiam agite, et credite Evangelio, Marci i. Oportet prædicari Pœnitentiam, et remissionem peccatorum, in nomine meo, Lucæ ult. Testificans Judæis, atque Gentibus, in Deum Pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum. Actor. xx (1).*

Respondeo : quod lex minas intentet, et Evangelium consoletur, verissimum est, sed non inde sequitur, terrores et fidem partes esse Pœnitentiæ. Siquidem incussi illi terrores a minis legis Pœnitentiam gignunt : proinde causa sunt, non pars Pœnitentiæ. Aliud enim est terreri, quod etiam dæmonibus convenit ; aliud, Pœnitere, quod illis non convenit. Consolatio quoque, quam Evangelium affert, Pœnitentiam sequitur, aut etiam comitatur : sed non ideo Pœnitentiæ pars facienda est. Denique non est satis ex Scripturis ostendere, terrores, et consolationem, sive fidem, in conversione aut justificatione peccatoris locum suum habere, quod nos minime negamus : nisi etiam simul probetur duas illas res, easque tantum partes Pœnitentiæ dici debere, quod hactenus probatum non est. Ad Scripturas autem ex Marco, et Luca, et Paulo adductas, jam ante respondimus, eas omnes sententiæ nostræ mirifice favere, cum fidem a Pœnitentia distinguant. Hæc enim optima consequentia est : prædicat Paulus Pœnitentiam, et fidem : non igitur fides pars Pœnitentiæ est, sicut nec Pœnitentia pars fidei est.

Quarta objectio ejusdem Kemnitii : « Partes Sacramenti Pœnitentiæ visibiles esse debent, est enim Sacramentum signum visibile : igitur per Contritionem, non internus animi dolor, sed signa externa doloris accipienda sunt : et per Confessionem, non ea quæ fit Deo, sed quæ fit homini, significatur. At signa externa doloris, et Confessionem, quæ fit homini, nulla Scriptura docet ad remissionem peccati necessario exigi. Ergo duæ istæ partes sine testimonio Scripturæ excogitatae sunt. Rursus, per Satisfactionem intelligunt Pontificii opera indebita, id est, verbo Dei non mandata, omnes igitur Pœnitentiæ partes sine Scriptura habent. »

Respondeo : signa doloris tam evidenter in divinis litteris commendantur, atque ad Pœnitentiam exiguntur, ut mirum sit cur id

Kemnitius negare voluerit. Quid enim est, quod ait Propheta : *Convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, et fletu et planctu Joel. II (2)* an fletus et planctus, non sunt apertissima signa doloris? Confessionem Sacerdoti faciendam singulorum peccatorum, jure divino exigi, in sequenti libro probaturi sumus : Confessionem autem aliquam visibilem, saltem in genere, adhibendam esse atque etiam adhibitam in Testamento veteri et novo fuisse, probavimus ex divinis litteris capite superiore. Porro, opera indebita, etiamsi præcepta non sint absolute, tamen iis, qui peccaverunt, et Pœnitentiam agere cupiunt, in divinis litteris imperantur, et ex indebitis debita fiunt, Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, Joel. 2. Convertimini ad me, etc. (3). in jejunio* Sed de his plura, et supra diximus, et infra suo loco dicemus ; nunc satis est, breviter ostendisse, partes visibiles Pœnitentiæ in verbo Dei esse fundatas.

Quinta objectio ejusdem : « Partes Pœnitentiæ quas enumerant Pontificii, hypocritæ quoque simulare, et præstare possunt : et tamen illis tribuunt remissionem peccatorum. »

Respondeo : si quid argumentum hoc valet, non solum Pœnitentiæ partes, sed etiam Baptismum et Eucharistiam evertet. Nam hypocritæ Baptismum et Eucharistiam sumere possunt, et tamen his Sacramentis Kemnitius tribuit remissionem peccatorum. Si respondeat, Sacramenta Baptismi et Eucharistiæ, et ab hypocritis posse sumi, et peccata remittendi vim habere, sed tamen non ea remittere nisi iis, qui serio, et ut oportet, illa sumunt, idem omnino de Sacramento Pœnitentiæ sibi ipse respondeat. Etsi enim Contritio, Confessio et Satisfactio ab hypocritis simulari possint ; et simul tres illæ partes adjuncta forma Absolutionis, peccata remittant, non tamen ea remittunt simulantibus, sed vere ac serio Pœnitentiam agentibus, contritis, confessis, atque ad Satisfactionem subeundam paratis.

Sexta objectio ejusdem : « Judas fide illa speciali destitutus, cum partes Pœnitentiæ Pontificiæ haberet, Contritionem scilicet, Confessionem, et Satisfactionem, tamen laqueo se suspendit. »

Respondeo : idem Judas et baptizatus jam fuerat et Eucharistiam de manu Domini sumpserat, et tamen laqueo se suspendit. An igitur neganda erit vis Baptismi et Eucha-

(1) Marci I, 15 ; Luc. XXIV, 47 ; Act. XX, 21. — (2) Joel II, 12. — (3) Daniel IV, 24 ; Joel II, 12.

ristiæ, quia Judæ non profuit? Deinde eam non esse causam, cur Judæ Pœnitentia inutilis fuerit, quia fide illa speciali caruerit; testimonium amplissimum nobis Scriptura præbet, cum Jonæ 3, testatur Ninivitas utiliter Pœnitentiam egisse, licet fide illa speciali carerent, ac dicerent: *Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus?* Denique falsum est, Judam habuisse tres Pœnitentiæ partes, quas Catholici in Sacramento requirunt; imo nullam habuit omnino. Veram Contritionem certe non habuit, quæ sine spe remissionis esse non potest. Confessionem quoque non habuit, qualis exigitur, id est, singulorum criminum, atque ad veniam impetrandam Sacerdoti factam. Nec Satisfactionem habuit, præsertim a Sacerdote injunctam: neque enim illi, ut se ipse suspenderet, ab ullo fuerat imperatum; neque se ipsum necare, opus est bonum, qualia esse debent opera satisfactoria.

Septima objectio: « Trina illa enumeratio partium Pœnitentiæ, ex publicæ Pœnitentiæ ritibus sumpta; postea ritibus illis partim abrogatis, partim mutatis, indocte ad generalem Pœnitentiæ doctrinam accommodata est. »

Respondeo: hæc omnia facile possent contemni, cum nulla ratione vel testimonio muniuntur: tamen non gravabor uno verbo calumniam istam refellere. Quomodo, quæso, ad generalem doctrinam de Pœnitentia tres illæ partes ex ritibus publicæ Pœnitentiæ accommodatæ sunt, cum etiam in veteri Testamento in usu fuerint, ut supra ostendimus exemplo Davidis, et Ninivitarum: et ex ipsa ratione, ac natura Pœnitentiæ colligantur, ut paulo ante demonstratum est? ritum enim publicæ Pœnitentiæ, post Christi ascensionem in cœlum institutum esse, nemo, opinor, inficiabitur. Deinde, cum aperte veteres mentionem faciant Pœnitentiæ, et publicæ, et privatæ, ut in sequenti capite demonstrabo: unde probabit Kemnitius, enumerationem illam ex ritibus publicæ Pœnitentiæ, et non ex privatæ sumptam esse?

Octava objectio: « Veteres in multis locis loquuntur de Pœnitentia, non quatenus quærit et accipit remissionem peccatorum, sed quatenus est vitæ mutatio, et emendatio. Hæc non attendentes Monachi, fecerunt inde tres partes Pœnitentiæ, quibus acquiratur remissio peccatorum. »

Respondeo: si Kemnitius veteres Patres diligenter legisset, non ita temere pronuntiaret. Nam ut omittam, quod Confessio, de qua Patres passim loquuntur, nihil facit ad vitæ mutationem; ut etiam illud præteream, quod jejunia, lacrymæ, cineres, cilicia, et alia id genus opera, vel instrumenta Pœnitentiæ de quibus frequentissima apud Patres mentio est, non ad vitam mutandam, sed ad peccata præterita castiganda apertissime referuntur, nihil sæpius apud Patres invenies, quam tribus illis Pœnitentiæ partibus remissionem peccatorum acquiri.

• Pœnitentia, inquit Tertullianus in lib. de Pœnitentia, Dominus mitigatur. » Cyprianus in serm. de lapsis: « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus: alto vulnere diligens, et longa medicina non desit etc. » ubi perspicue vides, Pœnitentiam medicinam esse peccati præteriti, non solam vitæ mutationem. Ambrosius præfatione in Psalm. 37: « Quis dubitet affligere animam suam, cum Propheta tantus afflixerit, solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati? » Augustinus in epist. 54. ad Macedonium: « Quosdam, inquit, a societate removemus altaris, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. » Sed quid ego in Patribus moror? annon Scriptura ipsa passim hæc docet? quid est, quæso, quod ait Ezechiel cap. 18: *Si impius egerit Pœnitentiam etc. omnium iniquitatum ejus non recordabor?* Et quod ait Daniel cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime?*

Atque hactenus de objectionibus: nam mendacia illa de fide, quam a Catholicis damnari mentitur, jam supra cap. 6. exposita, et refutata sunt.

## CAPUT XXI.

*De tertia partitione Pœnitentiæ, in privatam, publicam, et solemnem.*

Sequitur ultima partitio Pœnitentiæ, quam esse diximus, in privatam, et publicam; et rursus publicæ, et solemnem, et non solemnem: quæ partitio breviter explicanda erit, quia nonnulli adversariorum vix aliam, quam publicam Pœnitentiam agnoscere videntur.

(1, Ezechiel XVIII, 21, 22; Dan. IV, 24.

Igitur publica, et privata Pœnitentia in eo potissimum distinguuntur, quod publica ea dicitur, in qua peccatum commissum publicatur, et pro eo publice coram Ecclesia peragitur Satisfactio : privata vero illa, in qua peccatum soli detegitur Sacerdoti, et satisfactio occulte, ac privatim injungitur peragenda. Ex quo sequitur, ut publica peccata ad Pœnitentiam publicam, occulta ad privatam pertineant ; neque enim licet peccatum occultum publicare, aut etiam pro occulto Pœnitentiam ita publicam imponere, ut ex ea peccatum ipsum detegatur. Id patet ex epist. 80. S. Leonis ad Episcopos Campaniæ in qua reprehendit abusum quorundam, qui peccata occulta privatim in Confessione audita, coram Ecclesia publicabant. Qui etiam S. Leo epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 8. Monachum, qui relicta Professione. ad militiam vel conjugium transiit ; quia id occultum esse non potest, publicæ Pœnitentiæ satisfactione dicit esse purgandum ; ubi cum publicam Pœnitentiam nominat, significat aliam quamdam esse Pœnitentiam privatam.

Inter publicam autem Pœnitentiam solemnem et publicam non solemnem, multæ differentiæ sunt ; quamvis hoc nomen solemnem, apud veteres forte non inveniatur, sed solum apud Gratianum, de Pœnitentia dist. 3. can. Nihilprodest, et apud Magistrum lib. 4. Sentent. dist. 14 et inde apud interpretes, tum Gratiani, tum Magistri.

Primum Pœnitentia solemnem, quam Augustinus humillimam vocat, in epist. 54. et Ambrosius aliique Patres, communiter publicam appellare solent, non nisi pro gravissimis criminibus, quæ totam civitatem conturbassent, magnumve scandalum attulissent imponi consueverat. Concilium III. Carthaginense can. 32. de solemnem Pœnitentiam loquens : « Cujuscumque, inquit, pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante apsidam manus ei imponatur. » Concilium etiam Toletanum I. can. 2. postquam docuit, pœnitentes non posse ad Clericatum ascendere, subjungit : « Eum vero pœnitentem dicimus, qui post Baptismum, aut pro homicidio, aut pro diversis criminibus gravissimisque peccatis publicam Pœnitentiam gerens, sub concilio, divino fuerit reconciliatus altari. » Origenes quoque homil. 15, in Levit. et Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. et cæteri scriptores consentiunt, non nisi pro crimini-

bus gravioribus injungi potuisse Pœnitentiam illam, quæ repeti non poterat. Publica autem non solemnem Pœnitentia, pro publicis quibuscumque peccatis, licet non ita gravia essent, neque scandalum afferrent, imponi consueverat.

Secundo, Pœnitentia solemnem semel tantum concedebatur, ut patet ex Origene hom. 15. in Levit. Ambrosio lib. 2 de Pœnitentia cap. 10. et Augustino epist. 54. cujus rei ratio præcipua duplex est. Una, quam reddit Augustinus, ne medicina vilis minus utilis esse ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit. Altera, quam insinuat Ambrosius, et clarius explicat sanctus Thomas in 4. dist. 14. quæst. 1, art. 5. quia Pœnitentia solemnem est solemnem quædam professio, non redeundi iterum ad publica illa scandala, sicut Baptismus est solemnem professio non redeundi ad infidelitatem : et ideo sicut unum Baptisma, ita et una est Pœnitentia solemnem. Atque hoc idem fortasse sibi voluit Tertullianus, cum in lib. de Pœnitentia, secundam non tertiam, aut quartam tabulam post naufragium Pœnitentiam appellavit. Pœnitentia publica non solemnem, sæpius agi poterat, ut ex iisdem auctoribus satis aperte colligitur.

Quid vero ageretur cum iis, qui post solemnem Pœnitentiam in eadem, vel graviora crimina labebantur, explicat Siricius Papa in epist. 1. cap. 5. his verbis : « Quia, inquit, jam suffragium non habent pœnitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione jungantur ; sacræ mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint ; a Dominicæ autem mensæ convivio segregentur, ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen (quoniam carnali ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per Communionis gratiam volumus sublevari. »

Tertio, Pœnitentia solemnem Sacerdotibus imponi non poterat ; et contra, qui Pœnitentiam solemnem egissent, ad Ordines promoveri nequibant. Extat de hac re testimonium vel decretum Siricii Papæ in epist. ad Himerium Terraconæ Episcopum, cap. 14. in hæc verba : « Illud quoque par fuit nos providere ut sicut Pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum : ita post pœnitentiam ac reconciliationem, nulli unquam laicorum liceat honorem Clericatus adipisci. »

Idem habemus in Concilio Carthagin. IV. can. 68. et Concilio V, can. 11. et Tolet. I. can. 2. et apud Innocentium I, in epist. 6. ad Agapitum, et S. Leonem epist. 92. ad Rusticum Narbonæ Episcopum cap. 2. Pœnitentiam autem Sacerdotes subite potuisse, quæ licet non ageretur coram populo, tamen suo quodam modo publica esset, et non solemnis; in dubium revocari non potest. Nam et excommunicari poterant, et in Monasteria ad agendam Pœnitentiam amandari, quam, sessionem privatam S. Leo loco notato appellat, quia in privato loco egebatur, licet alioqui notum et publicum esse posset, eum Sacerdotem pro suis criminibus in Monasterio esse inclusum. Et Clemens III. in cap. Quæsitum de pœnitentia et remission. scribit, Sacerdoti non debere publicam imponi Pœnitentiam, nisi crimen ejus publicum fuerit: ex quo intelligimus, posse publicam imponi etiam Sacerdoti pro peccato publico Pœnitentiam, modo sine solemnitate id fiat.

Nec est improbable quod quidam volunt, Sacerdoti depositæ potuisse Pœnitentiam solemnem injungi; quod Sacerdôs depositus censeatur ad laicorum ordinem rediisse. Nam S. Cyprianus lib. 3. epist. 8. ad Fidem, reprehendit Episcopum Teraphium, qui Victori quodam Presbytero ante expletum Pœnitentiæ tempus, sine petitu et conscientia plebis, nulla infirmitate aut necessitate urgente, pacem dederat.

Quarto, Pœnitentia solemnis non poterat imponi conjugatis sine mutuo consensu, ut patet ex Concilio II. Arelatensi can. 22. cujus rei ratio est, quia pœnitentibus interdicebatur officium conjugale, et si innupti erant, etiam nuptiæ, ut ex eodem Concilio Arelatensi, can. 21. et ex Concilio Toletano VI. can. 8. et ex epist. 92. Leonis cap. 12. potest intelligi. Propter eandem causam juvenibus non facile solemnis Pœnitentia concedebatur, ut ex capite 15. Concilii Agathensis, et ex cap. 19. Concilii III. Aurelianensis intelligimus. Id autem locum non habebat in Pœnitentia non solemnem.

Quinto, Pœnitentia solemnis a solo Episcopo indicebatur, et ab eodem reddebatur pax Pœnitentibus; neque id Presbyteris licebat, nisi in absentia Episcopi, urgente necessitate. Id patet ex Concilio II. Carthaginensi, can. 4. et Carthaginensi III. canon. 31. et 32. et ex aliis canonibus, qui passim in Conciliis leguntur: imo ne Chorepiscopis quidem hanc facultatem concessam fuisse, testa-

tur S. Leo in epist. 86. At Pœnitentiam non solemnem, Presbyteri quoque injungere poterant, et Pœnitentes reconciliare.

Sexto, denique variæ ac multiplices ritus erant, qui ad solemnem Pœnitentiam adhibebantur, nec Pœnitentiæ privatæ, aut etiam publicæ non solemnem, communes erant: de quibus ritibus in sequenti capite breviter disseremus.

## CAPUT XXII.

### *De ritibus Pœnitentiæ solemnem.*

Descripturus solita brevitate solemnem Pœnitentiæ ritus, dicam de nomine Pœnitentium, de habitu, de loco, de tempore, de pœnis.

Nomen Pœnitentium, ordinis erat, ut nomen Clericorum, vel Catechumenorum. Christiani enim Primum in duos quasi ordines secebantur: in Fideles, et Catechumenos. « Catechumenis, inquit Augustinus tract. 96. in Joan. Sacramenta Fidelium non produntur. » Deinde Catechumenorum duæ erant classes: alii enim audientes, alii competentes, sive electi dicebantur. Fidelium vero tres classes erant. Prima Clericorum, qui nomine omnes ordines Ecclesiastici intelligebantur. Secunda fidelium, id est, laicorum, qui commune nomen retinuerunt, cum aliud excellentius non haberent. Tertia Pœnitentium, qui est fideles essent, tamen ob culpam suam a cæteris fidelibus segregati, quasi in sentinam Ecclesiæ rejecti, peculiari nomine censebantur.

Hinc Pacianus in sua Parænesi ad Pœnitentiam, distinguens Pœnitentes a Fidelibus: « Catechumenis, inquit, ne in hoc transeant, et Fidelibus, ne in hoc redeant, providendum est: ipsis vero Pœnitentibus, ut celeriter ad hujus operis fructum perveniant, laborandum. » Et S. Augustinus lib. I. homiliarum, hom. 49: « Quod dico, inquit, Competentibus, et Fidelibus, audiant Pœnitentes: quod dico, Fidelibus dico, et Competentibus, et Pœnitentibus. » Et in lib. de sancta Virginitate cap. 48: « Omnes, inquit, Christianos, ab Apostolis usque ad ultimos Pœnitentes, quasi a summis cœlorum usque ad terminos eorum docuit orare etc. » Sanctus quoque Hieronymus in epist. ad Oceanum de obitu Fabiolæ, scribit eam stetisse in ordine Pœ-



nitentium. Declaravit autem, ut supra notavimus, Concilium Toletanum I. can. 2. non dici proprie Pœnitentes, omnes qui quoquo modo Pœnitentiam agunt, sed eos tantum, qui publicam, et ut nostri loquuntur solemnem Pœnitentiam agunt.

Habitus Pœnitentium erat certus, quo distinguerentur a cæteris; videlicet pulla vestis, cilicium, caput detonsum, exceptis fœminis. Meminerunt hujus habitus plurimi auctores: Tertullianus in lib. de Pœnitentia. Pacianus in Parœnesi ad Pœnitentiam. Optatus lib. II. prope finem. Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 8. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ. Concilium Agathense can. 15. jubet non admitti ad Pœnitentiam eos, qui comam non deposuerint, vel habitum non mutaverint. Concilium Toletanum III. can. 12. idem jubet, sed excipit mulieres, quæ non tondere, sed velare caput debent. Locus Pœnitentium varius erat pro criminum varietate. S. Gregorius Neocæsariensis in epistola canónica, quæ adjungi solet canonibus Photii; quinque loca Pœnitentium fuisse scribit. Primum, id est, infirmum, et ab altari remotissimum, extra portas ecclesiæ constituit, qui *πρόκλαυσις* dicebatur a fletu: qui enim in hoc loco consistebant, non mittebantur ingredi Ecclesiam, sed pro foribus flebant, et orationes fidelium postulabant. Alter locus jam intra portas erat, unde audire verbum Dei cum Catechumenis Audientibus Pœnitentes poterant, non tamen ad orationem cum Competentibus admittebantur, et hic locus ab audiendo *ἀκρόασις* nominabatur. Tertius locus eorum erat, qui admittebantur, tum ad audiendum, tum etiam ad orandum cum Competentibus, non tamen ad sacrificium Missæ cum Fidelibus; et hic locus dicebatur *ὀππτέρωσις* quasi Contemplatio rerum supernarum. Quartus locus erat eorum, qui manebant cum Fidelibus dum sacrificium celebraretur; non tamen altari communicabant: et hic locus a stando *ὄστισις* dicebatur. Quintus locus eorum erat, qui jam Pœnitentiam expleverant, et solum expectabant tempus reconciliationis; non enim reconciliabantur Pœnitentes solemnî cœremonia, nisi feria 5. in Cœna Domini, ut paulo post demonstrabimus: dicebatur locus horum Pœnitentium *μέστωσις*, id est, expletio.

Ex his intelligimus, aliquos Pœnitentes postponi solitos omnibus Catechumenis, aliquos æquari, aliquos anteponi; proinde Pœ-

nitentes aliquos omnino in fundum Ecclesiæ rejectos, ut recte dixerit Augustinus de sancta virginitate cap. 48: «Ab Apostolis, usque ad ultimos Pœnitentes, quasi a summis cœlorum, usque ad terminos eorum.»

Jam vero quod attinet ad tempus, imponebatur Pœnitentia publica feria 4. ante primam Dominicam Quadragesimæ, quæ dicitur, In capite jejunii, ut testatur Concilium Agathense cap. 15. teste Gratiano dist. 50. can. In capite: nam ea verba non inveniuntur in vulgatis canonibus ejus Concilii. Habemus adhuc vestigium hujus ritus, in consecratione et aspersione cineris, quæ eo die fieri solet. Et quamvis tempus pœnitendi aliis longius, aliis brevius præscriberetur, ut trium, septem, decem, aut plurium annorum, tamen singulis annis in 5. feria majoris hebdomadæ omnes reconciliabantur et communicabant, ut Innocentius I. in epist. ad Decentium Episcopum Eugubinum cap. 7. his verbis testatur: «De Pœnitentibus vero, qui sive ex gravioribus, sive ex levioribus Pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat, ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.» Idem habemus in Concilio Agathensi apud Gratianum can. In capite distinct. 50. et idem indicat S. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ.

Pœnæ denique Pœnitentium multiplices erant, et variæ. Prima communis, et gravissima, abstinere a participatione divinorum mysteriorum. Id patet ex Cypriano lib. III. epist. 8. et in serm. de lapsis, et alibi passim, ubi eos reprehendit, qui ante expletam Pœnitentiam corpus Domini, ut ipse loquitur, invadebant. Secunda, - ut Pœnitentes non promoverentur ad Clerum, ut supra ostendimus ex Siricio epist. 1. cap. 14. Tertia, ut abstinerent a nuptiis, de qua etiam supra diximus: indulgebatur tamen interdum adolescentibus, ut patet ex Leone epistol. 92. cap. 12. ut ad vitandam fornicationem uxorem ducerent. Quarta, ut ad militiam sæcularem non accederent, sed soli Deo deinceps deservire satagerent: ut ex eadem Leonis epist. cap. 11. intelligi potest. Quinta, ut non essent Susceptores in Baptismo aut Confirmatione, dum in ordine Pœnitentium starent: testatur id Concilium Parisiense, tempore Ludovici et Lotharii celebratum lib. 1. cap. ult. tribus enim libris Concilium illud comprehensum est. Sexta, ut Uctione infirmorum carerent, teste Innocentio I. in epist.

ad Decentium cap. 8. Septima, ut singulis diebus jejuniorum venirent ad ecclesiam, et capita submitterent Sacerdotibus, qui eis manus imponerent, et pro eis orarent: ut monet Concilium IV. Carthaginiense can. 80. Octava, ut mortuos sepelirent: ex eodem Concilio can. 81. Nona, ut diebus Dominicis, et tempore Paschali, cum Fideles stantes orabant, ipsi genua flecterent ad orandum;

ex eodem Concilio can. 82. Decima, ut non irent ad balnea, neque ad convivia, et invitati recusarent, ut indicat Pacianus in sua Parænesi ad Pœnitentiam: sed jejuniis, et orationi, sacco et cineri incubantes, assidue operam darent, ut Tertullianus in lib. de Pœnitentia, et Ambrosius ad Virginem corruptam, cap. 8. et alii omnes passim testantur.

---

## CONTROVERSIARUM

# DE PŒNITENTIA

## LIBER SECUNDUS

### QUI EST DE CONTRITIONE.

De Pœnitentiæ partibus, Contritione, Confessione, et Satisfactione disputaturi, a Contritione, ut rectus ordo postulat, initium faciemus: de qua Pœnitentiæ parte duabus de causis pauca dicenda essent. *Primum*, quod multa, quæ de Contritione hoc loco dici possent, commodius in disputatione de justificatione disputari posse videntur. *Deinde*, quod Lutherani jam pene recesserint ab illis erroribus, quos initio de Contritione Lutherus docuerat. Certe Martinus Kemniti-  
tius in II. par. Examinis Tridentini Concilii cap. IV de Pœnitentia, fere admittit omnia, quæ in eodem Concilio de Contritione definita sunt: sed quoniam eas Concilii definitiones, adversus antiquos Lutheri errores constitutas esse non ignorabat, ne Lutherum tam aperte damnare, et etiam ne nihil dicere videretur, variis calumniis et mendaciis doctrinam Concilii perperam interpretando, odiosam reddere conatus est. Eas calumnias et mendacia jam supra notavimus, et quantum necesse videbatur, abstersimus, in primo libro cap. VI.

Cæterum, ne opus hoc nostrum imperfectum relinquamus, operæ pretium esse duximus, doctrinam Ecclesiæ Catholicæ in medium afferre, et quæ vel Lutherus objecit olim, vel nunc ejus discipuli adversus eam objiciunt, breviter refutare.

### CAPUT PRIMUM.

#### *Proponitur doctrina Catholica.*

Igitur Tridentinum Concilium sess. 14. cap. 4. septem capita de Contritione proponit, quæ apud Catholicos omnes certissima esse debent. Primum est, Contritionem esse dolorem animi, ac detestationem de peccato

commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Alterum, Contritionem lapsis semper fuisse necessariam ad veniam obtinendam. Tertium, post Baptismum debere esse conjunctam cum fiducia divinæ misericordiæ, et cum voto præstandi cætera, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ requiruntur. Quartum, Contritionem charitate formatam reconciliare hominem, etiam antequam Sacramentum actu percipiatur. Quintum, Contritionem imperfectam, quæ attritio dici solet, quæ ex metu gehennæ concipitur; si volun-

tatem peccandi excludat, et cum spe veniæ sit conjuncta, non solum non facere hominem magis peccatorem, sed esse donum Spiritus sancti, et utilem ad justificationem. Sextum, Attritionem sine Sacramento, quod reipsa percipiatur, non posse per se ad reconciliationem peccatorem perducere, cum tamen ad gratiam in Sacramento suscipiendam disponere. Septimum, Contritionem non esse coactam, et extortam, sed liberam, et voluntariam.

Ex his capitibus habemus, quid sit Contritio, quæ ejus necessitas, quæ species, quis effectus : sunt autem de his omnibus controversiæ decem. Prima, An Contritio sit actus bonus, et liber, et num ad legem, an ad Evangelium pertineat. Secunda, An sit actus solius liberi arbitrii. Tertia, An includat odium, ac detestationem peccati præteriti. Quarta, An includat propositum bene vivendi. Quinta, An sit necessaria ad justificationem. Sexta, An summum dolorem exigat. Septima, An vim habeat peccatorem Deo reconciliandi. Octava, An ante Absolutionem Sacerdotis. Nona, An peccata omnia delere queat. Decima, An attritio sit donum Dei.

## CAPUT II.

*Contritionem esse actionem bonam, et liberam atque ad Evangelium pertinentem.*

Ut a prima quæstione principium faciamus, sciendum est, magnam partem Lutheranorum, in ea sententia esse, ut Contritio nihil sit aliud, nisi terror quidam conceptus ex consideratione peccatorum, et supplicii, quæ divina lex peccatoribus comminatur. Cui dogmati tria veluti paradoxa adjungunt. Primum, Contritionem non esse liberam, sed coactam, et extortam; imo non esse actionem, sed meram passionem : non enim homo se ipse conterit, ut ipsi dicant, sed Deus est qui eum conterit malleo legis, et minarum. Secundum, Contritionem ad legem, non ad Evangelium pertinere; lex enim est, quæ supplicia comminando terret, Evangelium autem Christum offerendo consolatur: proinde Pœnitentia, quæ Contritione, et Fide (ut ipsi loquuntur) constat, partim a Lege, partim ab Evangelio pendet. Tertium, Contritionem non modo non esse opus bonum, sed etiam

hominem omni bono opere spoliare; et peccatis ac maledictionibus replere, et eo modo mortificare, atque occidere, ut deinde per fidem vivificetur, et resurgat, ac bonis omnibus repleatur.

Lutherus in prima disputatione contra antinomos, propositione 2. scribit, Contritionem esse tactum, et sensum legis in conscientia : et propositione 30. scribit, esse afflictionem, ac passionem, quam conscientia pati cogitur, etiamsi nolit. In articulis quoque Smalchaldicis, tit. de Pœnitentia, dicit Contritionem non esse activam sed passivam; et comparat legem fulmini prosternenti, et citat verba illa Hierem. 23 : « Verba mea sunt quasi malleus conterens petras. »

Eandem sententiam acriter tuentur Joannes Wigandus, et alii rigidi Lutherani, ut intelligi potest ex Colloquio Altemburgensi : nam in collatione 4. ubi respondent rigidi Lutherani ad tertium scriptum Wirtembergensium, sive mollium, et (ut in eo colloquio nominantur) Electoralium Lutheranorum, in argumento 21. hæc verba habentur : « Tam lex, quam Evangelium, ad conversionis doctrinam pertinent; quæ tamen confundenda non sunt. Lex quidem ad Contritionem pertinet, Rom. 3, sed Evangelium ad secundam partem conversionis, nempe ad Fidem, referendum est. » Et infra : « Contritio non est opus nostrum, est potius passio nostra, qua conterimur, et concutimur. » Et infra : « Nos passivi tantum sumus, nos nihil agimus, sed patimur : ipse Deus nos conterit, non ipsi nos. » Et infra : « Proprietates Contritionis sunt, hominem vel pertinacem, vel hypocritam, exuere et expoliare ab omnibus suis bonis operibus, eumque replere innumerabilibus peccatis, hoc est, cognitione peccatorum, concutere eum timore, tremore, horrore. » Et infra : « Manifestum igitur est, legem ad Contritionem pertinere, Contritionem autem nos privare omnibus operibus bonis coram Deo in negotio salutis; et peccatis, atque maledictione nos replere. »

Ad eandem sententiam accedere videtur Kemnitius, qui in 2. parte Examinis Tridentini Concilii cap. 3. de Pœnitentia pag. 942. et 943. docet, Contritionem ad legem pertinere, Fidem ad Evangelium. Et cap. iv, pag. 935. scribit, Contritionem non esse opus liberi arbitrii, cum Spiritus sanctus per verbum prædicatum, auditum, et cogitatum, illam in nobis excitet, inchoet, operetur, et efficiat. Idem scribit, Contritionem, nisi ac-

cedat Fides, quæ statuat nobis remitti peccata propter Filium Dei; esse fugam Dei, et fremitum adversus Deum, quibus tandem ruitur in æternum exitium. Hæc ille.

Contra autem sentiunt, Contritionem esse opus bonum, et nostram actionem, et ad Evangelium pertinere, Lutherani molles, ut perspicuum est ex Colloquio Altemburgensi citato, ubi ponitur responsio Electoralium Theologorum ad quartum scriptum Saxoniorum: cum quibus etiam Calvinus sentit lib. III. Institut. cap. III. §. 20. Et hæc est verior sententia, et omnium Catholicorum: ut autem facilius, et clarius veritas comprobetur, subjiciam aliquot propositiones.

Prima propositio: « Contritio non est terror ex minis legis conceptus. » Hæc propositio probata est in libro superiore cap. XIX. et sane præter argumenta eo loco adducta, nomina ipsa, et metaphoræ unde sumpta sunt ea nomina, satis aperte docent, aliud esse, terreri et contremiscere, aliud vero, conteri, molliri, et scindi. Potest enim re integra et dura commoveri, et tremere: at non potest dura simul et mollis, integra et scissa seu contrita permanere. Quemadmodum autem cum lapidea moles ita conteritur, ut in pulverem redigatur, duritiam et tumorem deponit, ut jam flecti et formari se facile sinat ad artificis arbitrium, sic etiam cor peccatoris durum ac tumidum, Dei legibus, et imperio resistens, per Contritionem mollitur, humiliatur, legi Dei subditur, pristinam suam duritiam et tumorem deponit. Et ideo in Scripturis idem est, cor contritum, et cor carneum: Deus enim quasi malleo conterit petras, ut dicitur Hier. 23. quando aufert cor lapideum, et donat cor carneum, juxta Ezechielem cap. II. ut exponit Hieronymus in commentario Hieremiæ ad cap. XXIII.

Rursus fere semper humilitas cum contritione conjungitur, ut Psalm. XXXIII. 19: *Prope est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabuntur.* In quem locum Basilius, et Augustinus, pro tribulato, contrito legunt, et cor contritum, cor humile esse dicunt, quia sequitur in Psalmo: *Et humiles spiritu salvabuntur.* Sic etiam in Psalm. I. 19: *Cor contritum, et humiliatum Deus non despiciet.* Quem locum tractans Chrysostomus hom. 9. in epistol. ad Heb. docet Contritionem sine humilitate esse non posse. Cum igitur Contritio duritiam et tu-

morem, ac proinde peccati affectum, secum non paliatur, dubitari non potest, quin aliud sit Contritio, aliud simplex terror. Siquidem terrores in corde duro, et superbo esse possunt, ut perspicuum est in primis de Satana et angelis ejus, qui credunt, et contremiscunt, Jacobi II, et tamen nec peccatum suum oderunt, nec tumorem aut obstinationem unquam deponunt. Planum est etiam de Felice illo Syriæ præside, qui audiens Paulum de futuro judicio disputantem, non levem terrorem concepit, ut scribit S. Lucas Actor. 24, nec tamen Contritionem habuisse dici potest, cum retinuerit cor lapideum, et nec infidelitatem, nec cætera sua peccata dimiserit.

Deinde, Scriptura Contritioni tantam vim tribuit, ut David dicat: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet,* Psalm. I. 19. et Dominus apud Isaiam: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et tremementem sermones meos?* Isai. LXVI. 2. et quod supra citavimus: *Prope est Dominus iis, qui tribulato,* id est, contrito, *sunt corde,* Psal. XXXIII, 19. Quis autem credat, terrores illos, qui in hominibus impiis, et in ipsis dæmonibus esse queunt, a Deo non posse despici, et super eos, qui ita terrentur, semper Dominum clementer aspicere, ac prope esse Deum his, qui supplicia et tormenta sic timent, ut interim peccata non deserant?

Denique Scripturæ divinæ, et sancti etiam Patres cum describunt veram animi contritionem, non solos pavores, et terrores, sed genitus, lacrymas, suspiria, dolentis animi et peccata detestantis, nobis proponunt.

Secunda propositio: « Contritio non est passio, sed actio, et ea libera, non coacta. » Hæc propositio adversus eosdem Lutheranos nullo negotio confirmari potest. Nam in primis extant apertissima præcepta divina de Contritione. Joelis II, 13: *Scindite corda vestra.* Matth. III, 2: *Pœnitentiam agite.* Actor. XVII, 30: *Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique Pœnitentiam agant.* At ridiculum est, ad passionem coactam, et non potius ad liberam actionem, ejusmodi præcepta referre. Quorsum enim imperentur ea quæ non sunt in nostra potestate, et quæ velimus, nolimus, tolerare cogimur? quis nisi amens, hortaretur aliquem, ut fulmine de cælo cadente aut leone sibi occurrente, paveret?

Deinde Contritio gratissimum Deo sacrificium est, ut ex Psalm. LVI. supra ostendi-

mus; et oculos Domini ad se trahit, ut ex cap. LXVI. Isaïæ intelligi potest, et promissionem habet misericordiæ, et gratiæ, ut Scripturæ passim testantur. At passio coacta nihil habet, unde placeat Deo, ut notum est: Contritio igitur non mera passio, sed actio, eaque voluntaria ac libera esse debet.

Denique non alia de causa Contritionem adversarii passionem esse volunt, et extortam, atque coactam, nisi quia sibi persuaserunt, Contritionem nihil esse aliud, nisi terrores illos ex minis præceptorum conceptos: neque enim fieri posse videtur, ut menti objiciatur peccatum proprium, et simul ira Dei in peccatores, et supplicia æterna peccatoribus præparata, quin terror et pavor ingens hominem ista cogitantem invadat. Atqui jam satis ostendimus, longe aliud esse Contritionem, quam istos terrores. Et licet etiam terrores isti Contritio dici possent, adhuc tamen non coacti, sed liberi dici deberent: nam supplicia ista, quæ Deus peccatoribus comminatur, non ut præsentia, et visibilia objiciuntur oculis, sed ut futura, absentia, invisibilia, objiciuntur menti. Proinde nisi quis serio animum applicet ad ea cogitanda, non facile commovetur: applicare autem animum ad ea, vel ab eis eundem animum avocare, in nostra potestate est. Quocirca plurimi conciones audiunt, et libros sacros legunt, qui tamen non extimescunt: et Dominus ipse, cum per Prophetas, tum per se ipse, ad hunc timorem hortatur, quod sane non faceret, si timere, vel non timere, in potestate nostra non esset. Ecclesiast. XII. 13: *Time Deum, et mandata ejus observa.* Ecclesiast. VII. 31: *In tota anima tua time Dominum.* Psalm. XXXIII, 10: *Time Deum omnes sancti ejus.* Luc. XII, 5: *Time eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam; ita dico vobis, hunc time.*

Sed unum est argumentum, quod et Lutherus, et Lutherani passim objiciunt. Hieremiæ XXIII, 28, 29: *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras? certe ignis violenter comburit, quidquid illi objicitur; et malleus petras conterit, sine ulla ipsarum cooperatione.*

At facilis responsio est. Nam, ut S. Hieronymus in commentario loci hujus admonet, comparat Dominus verba sua cum verbis falsorum Prophetarum, atque in eo descri-

men ponit: quod illi prædicarent ea, quæ auditoribus placebant, quæque eis nihil prodesse poterant, cum essent vana, et falsa; unde etiam paleas nominat, quæ medullam non habent, neque alere et satiare possunt; ipse vero per Prophetas suos, flagella, et supplicia imminet nuntiaret, et non dulcia, sed utilia concionaretur, quæ vim habebant ad Pœnitentiam commovendi. Itaque Dominus verba sua, triticum, ignem, et malleum appellavit: triticum, quod utilia, et solida essent; ignem, quod acriter pungerent, ac pudore afficerent auditores; malleum, quod ad conterenda et humilianda corda non parum valerent. Proinde metaphora ignis et mallei, non ad tollendam hominum cooperationem, sed ad efficaciam prædicationis propheticæ indicandam, atque ad eam, a somniis et falsis pollicitationibus Pseudoprophetarum distinguendam, referenda est. Alioqui, sicut ipse Dominus dicitur verbo suo quasi malleo petras conterere, quia Contritionem in nobis, partim interna gratiæ aspiratione, partim externa prædicatione operatur: sic etiam dicuntur homines corda sua conterere, quia divinæ operationi per liberum cooperantur arbitrium. Sic enim legit Augustinus in Psalm. XXXIII, 19: *Juxta est Dominus iis, qui obtriverunt cor,* pro eo quod nostra editio habet: *Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.* Et perspicue Joelis II, 13, Dominus clamat: *Scindite corda vestra.* Et sicut Ezechiel. XXXVI, 26, Dominus ait: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum,* sic etiam ait Ezechiel. XVIII, 31: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Et sicut Michæ VII, 19, legimus: *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra,* sic etiam legimus Ezechiel XVIII, 31: *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras.* Et quemadmodum nos Deum oramus: *Convertite nos Deus salutaris noster,* Psalm. LXXXIV, 5, sic ille vicissim postulat a nobis: *Convertimini, et agite Pœnitentiam,* Ezechiel. XVIII, 30.

Quare cum et Deus conterat corda nostra, et nobis imperet ut ea scindamus, et conteramus; cum det nobis cor novum, et velit, ut nos ipsi nobis faciamus cor novum, cum projiciat peccata nostra, et nobis, ut ea projiciamus, mandet; cum nos ipse convertat, et Pœnitentiam nobis inspiret, et simul, ut convertamur, et Pœnitentiam agamus, jubet; nulla remanet dubitatio, quin ad Contritionem nostram vere cooperemur, et sit

Contritio non mera passio, sed etiam actio eaque voluntaria, ac libera.

Tertia propositio: « Contritio ad Evangelium maxime pertinet. » Hæc est adversus eosdem Lutheranos, et probatur primo ex vaticinio Ezechielis cap. XI et XXXI. ubi Dominus pollicetur filiis Testamenti novi, spiritum novum, et cor carneum pro corde lapideo: idem enim est, cor lapideum et cor durum: idem etiam cor carneum et cor contritum, ut S. Hieronymus docet in illud Hier. XXIII: *Quasi malleus contereus petram* (1).

Secundo id probatur. Nam Christus auctor Evangelii, Contritionem prædicavit cum diceret *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Matth. IV. et rursus: *Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores ad Pœnitentiam*, Luc. V (2). Apostoli quoque a Christo missi ad evangelizandum, exeuntes prædicabant. ut Pœnitentiam agerent, Marc. 6. Et rursus post resurrectionem suam explicans Christus Lucæ ultim. quod Evangelium prædicandum esset in nomine suo: *Oportet, prædicari Pœnitentiam, et remissionem peccatorum, in omnes Gentes*, Luc. XXIV. Petrus dicit Christum exaltatum a Patre, ad dandam Pœnitentiam Israeli. Actor. XI: *Ergo et Gentibus Pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Actor. XVII: *Et tempora quidem hujus ignorantie despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique Pœnitentiam agant* (3). Actorum XX. Paulus prædicasse dicit Judæis atque Gentilibus Pœnitentiam in Deum, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum: et cap. XXVI, iterum affirmat se prædicasse, ut Pœnitentiam agerent, et converterentur ad Deum, digna Pœnitentiæ opera facientes. Ac ne omnia prosequamur, plena sunt volumina Evangelica et Apostolica testimoniis. Quare nisi a Pœnitentia Contritionem excludere velint, aut Christum et Apostolos non Evangelii, sed legis veteris prædicatores faciant, non possunt ullo modo negare, quin Contritio ad Evangelium proprie pertineat.

Præterea lex vetus, ut a nova distinguitur, non habet promissionem gratiæ, neque ejus opera Deo sunt grata. Nam si ex lege esset justitia: *Christus gratis mortuus esset* ait Apostolus Gal. II. et, *Qui operatur*, nimirum

sine gratia, quæ propria est Testamenti novi, *habet gloriam, sed non apud Deum*, Roman. IV, et, *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu: littera enim occidit, spiritus vivificat*. II Cor. III. (4) ubi littera legis sine spiritu Evangelii, tantum abest, ut vitam afferre dicatur, ut etiam dicatur occidere. At Contritio Deo gratissima est, et gratiæ, ac vitæ promissionem habet. *Sacrificium Deo spiritu contribulatus*. Psalm. 50. Sacrificium autem ideo nominatur, quia instar sacrificii Deo grata et accepta Contritio est. Item in eodem Psalmo: *Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet*. Et Isai. LXVI. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu?* Et Deut. IV. *Invenies eum, si quæsieris in toto corde tuo, et in tota tribulatione animæ tuæ*. Et Ezechiel. XVIII. *Si impius egerit Pœnitentiam etc. vita vivet* (5). Cum igitur habeat Contritio, sive Pœnitentia, quæ potissimum in Contritione consistit, promissionem gratiæ, et vitæ; sine dubitatione ad Evangelium potius, quam ad legem pertinere dicenda est.

Denique si ulla ratio esset, cur Contritio ad legem rejicienda videretur, ea potissimum esset, quia proprium legis est terrere, ut Evangelii proprium est consolari. At jam ostendimus, Contritionem non esse terrorem a lege incussum. Et præterea neque illud est verum, Evangelii propriam esse consolationem, non autem minas: siquidem Evangelium, ut mirifice consolatur obedientes, et fideles, ita vehementer inobedientes, et infideles exterret. Sic enim de Christo Joannes concionatur: *Cujus ventilabrum in manu ejus, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili*. Matth. III. (6) et ipse Dominus nonne passim Matth. V. XIII. XXIV. et XXV. Marc. IX. Luc. XII. et alibi, minatur gehennam, ignem inextinguibilem, vermem qui non moritur, tenebras exteriores, stridorem dentium, supplicium sempiternum? Et quid est, quod Apostolus ait in ipso principio epist. ad Rom. *Non erubesco Evangelium, virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco, Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est; justus autem ex fide vivit. Revelatur enim*

(1) Hier. XXIII, 29. — (2) Matth. IV, 17; Luc, V, 32. — (3) Luc, XXIV, 47; Act. XI, 18; Act. XVII, 30. — (4) Galat. II, 21; Rom. IV, 2; II Cor. III, 6. — (5) Psal. L, 19; Psal. IV, 19; Isai. LXVI, 2; Deut. IV, 20; Ezech. XVIII, 23 — (6) Matth. III, 12.

*ira Dei de cælo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in justitia detinent?* (1) Certe hoc loco perspicue Paulus docet, Evangelium continere non solum credentium salutem, sed etiam minas iræ Dei erga peccatores. Quare nulla omnino remanet dubitatio, quin Contritio ad Evangelium pertinere dicenda sit.

Quarta propositio: « Contritio non spoliat hominem bonis operibus; et peccatis, ac maledictionibus replet, sed contra potius, et ipsa est opus bonum, et a peccatis liberat, et bona opera, ac benedictiones adducit. » Hæc propositio satis probabitur, si fundamenta adversariorum cognoscantur, et evertantur.

Duo sunt igitur fundamenta ipsorum. Unum, quia experientia testatur, eos, qui veram Contritionem peccatorum habent: seipsos contemnere, ac detestari, nihilque in se boni, sed multa mala agnoscere, atque idcirco se indignos gratia, dignos odio, et suppliciis judicare. Alterum, quia terrores illos, quos ipsi contritionem vocant, antequam fides certa remissionis peccatorum accedat, nihil aliud esse volunt, nisi fugam Dei, fremitum adversus Deum, viam ad desperationem, atque exitium sempiternum.

Sed in utroque multum errant. Nam quod homo se bonis operibus vacuum, et peccatis onustum cernat, non est Contritionis effectus, sed partim humilitatis, partim discussionis, et cognitionis sui ipsius: Contritio vero, cognitionis non causa est, sed effectus. Non enim quia conteritur quis, ideo se peccatis plenum agnoscit, sed e contrario, quia se videt peccatis plurimis coopertum, ideo conteritur, angitur, dolet. Quemadmodum in rebus corporalibus, non ideo vulneribus ac morbis replemur, quia dolemus: sed quia vulneribus ac morbis nos plenos cernimus, ideo dolemus. Et facinorosi homines, non quia supplicium timent, et viso patibulo ac iudice, terrentur, ideo furtis, rapinis, homicidiis replentur; sed contra, ideo timent ac terrentur, quia furta, rapinas, homicidia sua noverunt. Perperam igitur loquuntur adversarii, cum nos per Contritionem omnibus bonis operibus spoliari, et peccatis ac maledictionibus repleri affirmant.

Deinde, quod attinet ad alterum funda-

mentum, nihil absurdius dici potest, quam, Contritionem ante certam illam fidem remissionis peccatorum, esse fugam Dei, fremitum contra Deum, viam ad desperationem, et exitium sempiternum; præsertim apud adversarios, qui Contritionem, etiam ut fidem præcedit, a solo Deo esse contendunt. Nam et Kemnitius loco notato dicit, Contritionem esse opus Spiritus sancti in nobis, non autem liberi arbitrii: et Lutherani Ili Saxonici, sive rigidi, in colloquio Altemburgensi, loco antea citato, dicunt Contritionem esse opus bonum, sed Dei, non hominis; hominem enim pati, non agere dum conteritur. At si Contritio ista opus Dei est quo pacto tam mala est, ut sit fuga Dei, fremitus contra Deum, et via ad desperationem, et exitium sempiternum? num Deus in nobis id efficit, ut eum fugiamus, ut contra eum fremamus, ut in desperationem, et exitium sempiternum ruamus? Hæc sane opera non Deo, sed Diabolo actore digna sunt: nisi cum Manichæis etiam Diabolum Deum faciatis.

Deinde Ninivitæ, teste Jona cap. 3. nonne de remissione peccatorum dubitabant, cum dicerent: *Quis scit si convertatur; et ignoscat Deus?* (2) et tamen territi et compuncti ad prædicationem Jonæ, non fugiebant a Deo, neque adversus eum fremebant, sed eum potius pœnitentiæ operibus placare satagebant, et ea ratione tandem misericordiam impetrarunt. Vera igitur Contritio etiam sine certa fide remissionis peccatorum, non est fuga Dei, neque replet hominem peccatis, neque bonis operibus privat, sed est potius sacrificium Deo potissimum, et antidotus peccatorum, et via ad gratiam, et salutem.

« Compunctio, » inquit S. Ephrem in lib. de iudicio extremo cap. 5, « sanitas animæ est, illuminatio mentis est: compunctio remissionem delictorum nobis acquirit; compunctio Jesum unigenitum facit in nobis habitare. » Et infra: « Grandis, inquit, virtus est lacrymarum, multumque prævalent lacrymæ, quæ secundum Deum sunt. » Et S. Joannes Chrysostomus hom. 5. de Pœnitentia « Pœnitentia, inquit, est medicamentum, peccatum extinguens, donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. » Atque ad eundem modum loquuntur cæteri Patres, quos non est opus hoc loco adducere,

(1) Rom. I. 16, 17, 18. — (2) Jon. III. 9.



cum eorum testimonia in laudem Pœnitentiæ sive Contritionis passim occurrant.

Neque tamen Contritionem sine omni spe veniæ esse posse concedimus, sed solum sine certa illa fide remissionis peccatorum, quam Lutherani requirunt: sequimur enim S. Cyprianum in serm. de lapsis ita loquentem: « Nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. » A qua sententia Concilium Tridentinum nequaquam recessit, cum et sess. 6. cap. 9. detestetur inanem fiduciam hæreticorum, qui certa fide credendum esse docent remissa esse peccata: et sess. 14. cap. 4. cum vera Contritione, spem misericordiæ consequendæ conjunctam esse debere affirmet.

### CAPUT III.

#### *Contritionem sine speciali Dei auxilio haberi non posse.*

Altera quæstio erat. Utrum Contritio, quam liberam actionem esse jam demonstravimus, ita procedat ex libero arbitrio, ut sine speciali Dei auxilio cor humanum præveniente et adjuvante, possit haberi. Quæ sane controversia hoc tempore nulla esset, si adversarii nostri finem aliquem facerent calumniandi. Fuit quidem olim cum Pelagianis gravissima concertatio, cum illi (Augustino teste in libro de hæresibus, cap. 88. et in epist. 106.) dicerent, gratiam qua liberamur ab impietate, secundum merita nostra dari: Catholici contra, Conversionem ad Pœnitentiam divina gratia præveniri, atque inspirari contenderent. Sed hoc tempore satis cum Lutheranis convenimus, Pœnitentiam; ac per hoc Contritionem, donum esse Dei, nec posse sine divina inspiratione, solis naturæ viribus obtineri.

Quia tamen Martinus Kemnitiuss in 2. par. Examinis cap. 4. de Pœnitentia pag. 963. scribere ausus est, Concilium Tridentinum stabilire voluisse dogma illud, quod tribuit humanis viribus sine speciali auxilio Dei eam Pœnitentiam, quæ sit sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum: idcirco necessarium esse duximus, primum afferre testimonia ejusdem Concilii, et recentium Theologorum, atque adeo totius Ecclesiæ,

testimoniis Scripturæ et veterum confirmare.

Igitur Tridentinum Concilium sess. 6. cap. 5. hæc habet verba: « Declarat præterea (sancta Synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse. » Deinde cap. 6: « Disponuntur, inquit, ad ipsam justitiam dum excitati divina gratia, atque adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, etc. » Tum cap. 14: « Qui vero, inquit, ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. » Et infra canon. 3: « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit. » Denique sess. 14. cap. 4. non modo non habetur, quod Kemnitiuss fingit, Contritionem ex solis viribus liberi arbitrii concipi posse; sed etiam disertis verbis ipsa etiam Contritio imperfecta, quam Attritionem dicimus, Concilium esse docet donum Dei, et Spiritus sancti impulsus.

Nec solum Concilium OEcumenicum, in cujus definitionibus omnes Catholici acquiescunt, sed etiam celeberrimæ Academiæ in articulis publice editis eam fidem apertissime profitentur. Extant articuli Parisienses adversus Lutheranos editi anno 1542. eorum articulorum secundus ita habet. « Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene, vel male agere, et per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valet. » Extant etiam articuli Lovanienses paulo posterius adversus eosdem Ecclesiæ hostes promulgati, quorum septimus ita habet. « Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male, et, cum gratia Dei, bene agere, et post mortale peccatum admissum, Deo adjuvante, pœnitere, et peccatorum remissionem consequi. »

In eadem sententiam scripserunt Theologi scholastici antiquiores; nam de his qui hoc sæculo vixerunt, aut vivunt, nulla dubitatio esse potest. Nec solum S. Thomas in 1. 2. quæst. 109. art. 6. et 7. et S. Bonaventura in 2. librum Sentent. dist. 28. articul. 2. quæst. 1. et dist. 30. quæst. 1. et Gregorius Ariminensis in 2. Sentent. dist. 26.

quæst. 1. et Marsilius in eundem librum quæst. 17. et alii plurimi, eidem sententiæ apertissime subscripserunt. Sed etiam Scotus, quem accusat Kemnitiu nominatim, non uno in loco auxilii divini in Pœnitentia concipienda necessitatem agnoscit. Nam in 1. Sentent. dist. 44. quæst. unica scribit, ideo posse quemlibet peccatorem salvari, quia potest eum Deus sua gratia prævenire : et in 4. dist. 14. quæst. 3. negat ab homine solis naturæ viribus posse cognosci, peccatum esse detestandum, ut offensivum Dei, atque aversivum (ut ipse loquitur) ab eo : et in eundem librum dist. 22. art. 2. extremo Pœnitentiam a Deo inspirari fatetur. Quemadmodum autem intelligenda sint loca quædam ejusdem Scoti, quæ cum his pugnare videntur, explicat Vega in opusculo de justificatione quæst. 11.

Jam vero sententiæ hujus Catholicæ veritatem adversus hæreticos Pelagianos ex divinis litteris nullo negotio comprobabimus. Primum Psalmi Davidis pleni sunt illis vocibus : *Converte nos Deus salutaris noster*, Psalm. 84 *Deus virtutum converte nos*. Psalm. 79. *Erravi sicut ovis quæ periit, quære servum tuum*, Psalm. 118. Deinde Hieremias cap. 31 : *Converte, inquit, me, Domine, et convertar*. Et paulo infra : *Postquam convertisti me, egi Pœnitentiam* (1), in quem locum sanctus Hieronymus scribens : «Vide, inquit, quantum sit auxilium Dei, et quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum, quod Pœnitentiam agimus, nisi nos Dominus ante converterit, et nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus. »

Tum Ezechielis cap. 36 disertis verbis Dominus dicit : *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis carneum* (2). Quod certe nihil aliud, quam donum Contritionis, veræque Pœnitentiæ significare potest.

Adhæc Luc. 22, conversus Dominus respexit Petrum, et talem in eo contritionem excitavit, ut continuo amarissime flevit : in quem locum scribens Ambrosius lib. x. in Lucam : «Quos, inquit, Jesus respicit, plorant delictum. Negavit Petrus, et non flevit, quia non respexerat Dominus ; negavit secundo, et non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus : negavit tertio, et respexit Jesus, et ille amarissime flevit. »

Denique, ut alia prætermittam, quid aper-

tius illo B. Pauli testimonio, qui in epistola posteriore ad Timotheum cap. 2. monet, cum modestia corripiendos esse eos, qui resistunt veritati : « Ne quando det illis Deus Pœnitentiam, ad cognoscendam veritatem, et respiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur? » Quem locum adducens Augustinus lib. v. in Julianum cap. 3. « Quantum libet, inquit, præbeat patientiam, nisi ipse dederit, quis agit Pœnitentiam? Et libro de fide ad Petrum cap. 31. ex eodem Pauli testimonio dogma Ecclesiasticum his verbis proponit, sive Augustinus, sive Fulgentius ejus libri auctor fuerit : « Firmissime tene, et nullatenus dibita, neminem hic posse Pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit. »

His accedunt veteris Ecclesiæ apertissimæ definitiones. Nam in primis in Synodo Palestina, in qua ipse etiam Pelagius errores suos anathematizare compulsus est, illud inter cætera declaratum fuisse scribit Augustinus in epist. 106. Pœnitentiam donum esse Dei. Deinde in Concilio Arausicano II. can. 4. iterum explicatum est, per sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri, non tantum ut a peccatis purgemur, sed etiam ut purgari velimus.

Idem quoque docuerunt doctissimi Apostolicæ sedis præsules, Innocentius, Cœlestinus, et Leo, Innocentius in epist. ad Concilium Carthaginense, ut ad rectam redeamus viam divino adjutorio nos egere confirmat. Cœlestinus in epist. ad Episcopos Galliarum can. 11. idipsum probat ex orationibus Ecclesiæ, quibus a Deo petimus, ut infidelibus det fidem, et ut lapsis Pœnitentiæ remedium conferatur ; et ex gratiarum actione, quam Deo pro illuminatione infidelium, et lapsorum correctione deferimus. Leo in epist. 91. ad Theodorum Episcopum : « Ipsam, inquit, Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo : Ne forte det illis Deus Pœnitentiam. » Sed de his satis.

(1) Psalm. LXXXIV, 5 ; Psalm. LXXIX, 8 ; Psalm. CXVIII, 176 ; Hierem. XXXI, 26. — (2) Ezech. XXXVI, 26.

## CAPUT IV.

*In contritione includi odium, ac detestationem peccati præteriti.*

Tertia controversia erat, utrum contritio includat odium ac detestationem peccati præteriti. Lutherus enim initio defectionis suæ a Catholica Ecclesia inter alia multa hæretica paradoxa, hoc etiam exeogitavit ac docuit, non esse veram Contritionem, sive Pœnitentiam, odium vitæ præteritæ, sed amorem justitiæ, et novam vitam.

In sermone de Pœnitentia, loquens de Contritione, quæ paratur per discussionem, collectionem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, sic ait : « Hæc tristitia facit hypocritam, imo magis peccatorem. » Et quamvis paulo post, dum hoc probare nititur, non videatur damnare peccati detestationem absolute, sed solum eam quæ oritur ex timore servili : tamen in consequentibus verbis aperte damnat absolute peccati detestationem, cum ita loquitur : « Plus tibi discutendum est confessuro, quantum diligas justitiam, quam quantum odias peccatum : multoque majore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram vitam agas bonam, quam quomodo odias, aut deseras præterita mala. Verissimum est enim proverbium, et omni doctrina de contritionibus hucusque data præstantius : Optima Pœnitentia, nova vitæ. » Hæc ille, qui, ut vides, solum in eo laborandum jubet, quomodo vitam agas bonam, non quomodo præterita oderis mala. Idem etiam Lutherus in epist. ad Joannem Staupitium Vicarium ordinis S. Augustini, quæ extat in primo tomo operum ejus, non obscure scripsit, nomen Pœnitentiæ non significare odium, vel dolorem de vita præterita, sed amorem, dilectionemque justitiæ ; neque enim aliquid habere amarum vel acerbum, sed omnia grata, et dulcissima. Denique circa primam conclusionem resolutionum suarum : « Non ergo, inquit Lutherus, in usu Scripturæ sacræ Pœnitentia dolor dicitur, sed mutatio mentis, et consilii. » Hæc ille.

Sed ab hoc Lutheri paradoxo, jam omnes Lutherani recessisse videntur : ac, ut alios omittam, Martinus Kemnitiuss in 2. part. Exam. pag. 954. sic loquitur : « Hinc sequitur dolor conscientie graviter dolentis se peccasse, et peccatis offendisse Deum : incipit igitur peccatum odisse, et detestari etc. » Sic etiam Joannes Calvinus lib. 3. Instit. eap. 4. §. 2. « Equidem, inquit, sedulo et acriter instandum esse fateor, ut quisque amare deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam, et odium magis avertat. » Ipse etiam Lutherus, cum in articulis Smalchaldicis, tum alibi, ut capite superiore citavimus, dolorem de peccatis præteritis concipiendum esse confirmat.

Hæc igitur veritas, quam adversarii vel inviti coguntur agnoscere, ex divinis litteris, ex veterum testimoniis, et ex ipsa naturalis iudicii ratione breviter confirmanda est.

Primum igitur in Scripturis, tum per se, tum per Apostolos, et Prophetas, Deus peccata frequentissime in memoriam peccatoribus revocabat, cujus nulla alia ratio reddi potest, nisi ut ipsi quoque ea recogitarent, et detestarentur. Gen. III. dixit Deus mulieri : *Quare hoc fecisti ?* Genes. IV. dixit idem Dominus Cain : *Quid fecisti ?* Judic. II. Deus per Angelum populum inrepat : *Noluistis audire vocem meam : quare hoc fecistis ?* Isai. LVIII, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo scelera eorum, et domus. Jacob peccata eorum.* Hierem. VII, *Et misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo, et mittens, et non audierunt me.* Et eap. 8. explicans quid sit, de quo queritur Deus : *Nullus est, inquit, qui agat Pœnitentiam super peccato suo, dicens : Quid feci ?* ubi perspicue vides, Pœnitentiam referri ad peccata præterita detestanda. Ezech. XVI. *Notas fac Hierusalem abominationes suas.* Joel. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu, et scindite corda vestra* (1). Sane fletus, et planctus, et ipsa scissio cordis, non ad vitam novam, sed ad peccata vetera pertinent. Denique Prophetæ omnes in hoc maxime laborabant, ut ehortationibus suis ad peccata agnoscenda, ac detestanda populum provocarent. Nee minus in Testamento novo Christus ipse assidue peccata Scribarum, et Phariseorum arguebat, ac præsertim Matth.

(1) Gen. III, 13; Gen. IV, 10; Jud. II, 2; Isai. LVIII, 1; Hier. VII, 25; Hier. VIII, 5; Ezech. XVI, 2; Joel. II, 12, 13.

23. ut etiam Petrus Act. 2. et 3. Stephanus Act, 7. Paulus Act. 13. revocant in memoriam Judæis, peccata ipsorum, atque illud maxime, quod Christum interfecerint.

Deinde idem ostendunt Scripturarum exempla. Nam Job de seipso dicit cap. xxxix. *Unum verbum locutus sum, quod utinam non dixissem.* Et cap. xlii. *Insipienter locutus sum.* Et paulo post : *Idcirco me reprehendo, et ago Pœnitentiam in favilla, et cinere* (1). Videmus certe exemplo Job, ad præterita mala Pœnitentiam pertinere. David Psal. l : *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* Ezechias apud Isaiam cap. xxxviii : *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (2). Quare cum Lutherus in sermone suo de Pœnitentia reprehendit eos, qui recogitant omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, Ezechiam reprehendit : ejus enim sunt verba illa : *Mulier illa peccatrix, Luc. 7. lacrymis rigans pedes Domini, non vitam novam, sed vetera peccata deflebat. Sanctus etiam Petrus Lucæ 22. flevit amare, non ob aliud certe, nisi quia Dominum suum negando, grave scelus admiserat.*

Accedant nunc testimonia aliqua Patrum. Cyprianus in sermone de lapsis, non procul a fine : « Vos vero, fratres, inquit, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, pœnitentes ac dolentes, peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiae crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite etc, » Gregorius Nazianzenus orat. in sancta lumina, scribit, se pœnitentes recipere, si lacrymis confectos videat. Ambrosius lib. ii. de Pœnitentia cap. 10. « Dum dolemus, inquit, admissa, admittenda excludimus ; et fit quædam de condemnatione culpæ, disciplina innocentiae. » Chrysotomus in i. lib. de compunctione cordis, prope extremo : « Quid corporis, inquit, viribus opus est, cum cor conterere debeamus, hoc solum est, quod a nobis exposcitur, ut semper recordemur mala nostra, et ad animum revocemus, et conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut per hæc supplicemus Domino, et gehennam ponamus in conspectibus etc. » Hieronymus in commentar. ad cap. 31. Hieremiæ, explicans illud : *Postquam cognovi, percussi femur meum* : « Dolentis, inquit,

et plangentis, et super errore pristino plorantis indicium est, ut femur manu percutiat. » Et infra : « Quod tempus, inquit, non est confusionis nostræ, si recordemur antiqua peccata, et omnium quæ male egimus, capiamus, memoriam ? » Augustinus in Enchiridio cap. 65. « In actione, inquit, Pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris : cor enim contritum, et humiliatum Deus non spernit » Item serm. 7. de tempore : « Pœnitentiam, inquit, certam non facit, nisi odium peccati, et amor Dei, quando sic pœnites, ut tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita ; et quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente : jam tunc bene ingemiscis apud Deum, et dicis : Tibi soli peccavi etc. »

Denique huc pertinet definitio illa communis : « Pœnitentia est, perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare, » ex Gregorio hom. 34. in Evangelia : qui etiam 3. par. Pastoral. cap. 31. ita de hac re locutus est : « Admonendi sunt, qui admissa deferunt, neque tamem plangunt, ne jam relaxatas æstiment culpas, quas et si agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. »

Quod si etiam rationis iudicium consulatur, dubium esse non poterit, quin Pœnitentia sive Contritio, includat odium culpæ præteritæ. Nam et naturalis est illa Synderesis, quæ male facta in corde flagellat, etiamsi exterius non modo non puniantur, sed ne cognoscantur quidem : et apud Ethnicos dicuntur furiis agitari, qui gravibus se sceleribus inquinaverunt.

Adhæc, non videtur intelligi posse, quo pacto quis peccata deserat, et ad vitam meliorem se transferat, nisi peccata, et vita pristina, atque adeo ipse sibi displicere incipiat : cur enim deserit, quod hætenus placuit, nisi quia placere jam desiit ? Nemo, inquit, Augustinus hom. 27. in lib. 50. homiliarum, eligit vitam novam nisi quem veteris pœnitet.

(1) Job. XXXIX, 35; Job. XLII, 3, 6. — (2) Psal. 4, 5; Isai. XXXVIII, 45.

## CAPUT V.

*Solvuntur objectiones.*

Neque Lutheri argumenta ullius sunt, ponderis. Objiciebat ille in primis nomen Græcum Pœnitentiæ *μετάνοια*, quod Lactantii testimonio Resipiscentiam significat.

Sed vanum est, etymologiam potius nominis, quam usum ejus considerare. Nam idem Lactantius lib. 6. divinarum institutionum cap. 24. ubi nomen illud *μετάνοια* Resipiscentiam significare dicit, addit, eos vere resipiscere, quos errati pœnitet, et qui se ipsi castigant dementiae. Et Tertullianus, qui lib. 2. in Marcionem scriptum reliquit, nomen Græcum Pœnitentiæ non a delicti confessione, sed a mentis demutatione dictum esse; in lib. de pœnitentia fusissime docet, veram Pœnitentiam exigere odium, ac detestationem vitæ præteritæ, confessionem, peccatorum, opera laboriosa, et alia id genus multa. Et Ausonius, ut in 1. lib. citavimus, Metancœam esse docuit Deam, quæ facti, non factique pœnas exigit. Denique Aristoteles lib. 3. de moribus cap. 1. apertissime docet, Pœnitentiam ad præteritum factum referri: nam cum vellet ostendere, non esse involuntarium, quidquid fit per ignorantiam; eo argumento usus est, quia non semper homines pœnitent facti, neque dolent cum resciscunt quid fecerint.

Secundo, Lutherus objicit Proverbium illud: « Optima Pœnitentia, nova vita. » Et valde miratur, quid in mentem venerit Leonis Pontifici, ut proverbium illud damnare voluerit, cum proverbium consensu omnium verissima esse soleant.

At non damnavit summus Pontifex proverbium, sed pravam Lutheri expositionem. Neque enim proverbio illo significare volunt homines, ad Pœnitentiam nihil aliud exigi præter vitæ novitatem: sed, vitæ novitatem esse certissimum veræ Pœnitentiæ argumentum. Qui enim sic peccata desent, ut mox ad eadem revertantur, aut etiam nunquam deserant; nihil omnino proficiunt: id quod pulchre docuit Spiritus sanctus per Ecclesiasticum cap. 34: « Qui Baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit

lavatio illius? sic homo qui jejunit in peccatis suis, et iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? Et S. Gregorius hom. 34. in Evangelia: « Qui sic, inquit, alia peccata deplorat, ut tamen alia committat: Pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat. » Et in lib. de cura pastorali par. 3. cap. 31. dicit, eos flendo inaniter se lavare, qui culpas post lacrymas repetunt: et in epist. ad Theotistam patritiam lib. 9. epistol. 39. copiose refellit errorem quorundam, qui dicebant, de quolibet peccato Pœnitentiam triennio agendam, ac post in voluptatibus vivendum. Denique proverbium illud rectissime Ambrosius, seu quicumque est auctor eorum commentariorum, exponit, in cap. 2. posterioris ad Corinth. ubi sic loquitur: « Hæc vera Pœnitentia est jam cessare a peccato: sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat. »

Tertio, objiciebat verba illa B. Pauli: *In Christo enim Jesu, neque circumcisio, neque præputium aliquid valet, sed nova creatura.* Gal. 6 (1).

At B. Paulus non opponit novæ creaturæ Pœnitentiam, quæ est via ad novam creaturam, sicut nec Baptismum, qui est instrumentum, quo efficitur nova creatura; sed circumcisionem, quæ post Christi adventum nullam vim habet ad justificandum, ut nec præputium. Itaque nunquam Paulus diceret. Neque Pœnitentia, neque Baptismus aliquid valent, sed nova creatura: neque enim Paulus cum Petro committendus est, qui Actor. II. concionabatur: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Et Act. VIII. ad Simonem Magum: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua* (2). Multo etiam minus B. Paulus Joanni Baptistæ, et Christo ipsi repugnaret, qui prædicationem ab illis verbis exorsi sunt: *Pœnitentiam agite.*

Adde, quod Apostolus in epist. ad Galatas, non videtur loqui de justificatione a peccato, sed de operibus justificatorum: est enim sensus verborum ejus: *lis qui sunt in Christo jam per Baptismum renati, et justificati, nova vita necessaria est, sive (ut ibidem ipse loquitur) Fides, quæ per dilectionem operatur, ut nimirum juste, sobrie, et pie vivant in hoc sæculo: neque periculum ullum imminet si præputium gerant, neque utilitatem ullam afferre poterit circumcisio.* Quocirca locus iste nihil facit pro errore-

(1) Gal. VI, 15. — (2) Act. II, 38; Act. VIII, 22.

Lutheri ; neque ad Pœnitentiam pertinet, quæ justificandorum est, non justificatorum.

Quarto, posset objici pro Luthero locus ille Apostoli II Corinth. VII. 10 : *Quæ secundum Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Hic enim videtur Paulus ita tristitiam a Pœnitentia separare, ut Pœnitentia tristitiam non includat, licet ab ea oriatur. Quod etiam confirmant verba sequentia, ubi Paulus explicans quid sit Pœnitentia, quam tristitia illa peperit; nihil aliud ponit, nisi opera quædam bona, quæ nova vita dici possunt : « Ecce, inquit, hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. »

Sed non est usque adeo difficilis responsio Nam per tristitiam non intelligi ab Apostolo dolorem de peccatis, qui pars Pœnitentiæ est, sed mœrorem quemdam ex objurgatione natum, qui ad Pœnitentiam, id est, ad peccati detestationem inducit, ostendimus in lib. superiore cap. 19. neque in illis verbis : *Ecce enim hoc ipsum contristari vos etc.* explicat Paulus quid sit Pœnitentia, sed effectus potius, ac fructus Pœnitentiæ. Adde etiam, quod si B. Paulus eo loco Pœnitentiam ipsam explicaret, nihil inde pro Lutheri errore colligi posset, siquidem inter alios actus numerantur etiam indignatio, et vindicta, quæ non nisi ad præteritum peccatum commode possunt referri.

Quinto posset objici, quod stultum esse videatur, nolle id esse factum, quod non potest non esse factum. Qui autem de peccato præterito dolent, quid aliud cupiunt ac volunt, quam se non peccasse? ut vero non peccaverit qui jam peccavit, nullo modo fieri potest. Satius igitur videtur esse, cogitare de bona. vita instituenda, quam anxium esse de mala transacta.

Ad hoc respondemus, stultum plane videri, absoluta voluntate id optare, quod nulla ratione fieri potest. Proinde qui de peccato dolent, non dicunt (si sani sunt) : Nolo me peccasse, sed cum conditione : Si fieri posset, nollem peccasse ; et quia fieri potuit aliquando, et mea culpa non est factum ut non peccarem, ideo juste doleo, meque ipse accuso ac reprehendo, quod peccaverim.

Neque enim probandum est quod Adria-

nus qu. 1. de Pœnitentia, docet, ne conditionalem quidem voluntatem haberi posse impossibilem. Nam si desiderium haberi potest, ut ipse fatetur, rei amissæ, cur non etiam voluntas conditionalis, ut (si fieri posset) res illa non esset amissa? siquidem desiderium illud naturaliter hanc voluntatem conditionalem parit. Certe qui mortuum deflent amicum, non ideo lugent, quia diligunt amicum : sed quia nollent periisse quem diligunt. Et David cum diceret : *Absalon, fili mi, quis mihi tribuat, ut ergo moriar pro te?* II Regum XVIII. 33. quid aliud significabat, quam optare se, si fieri posset, filii mortem propria morte redimere? Et Apostolus Paulus cum diceret : *Nolumus expoliari, sed superi vestiri.* II Corinth. V. 4. non id volebat, absolute non mori, cum in eodem loco subjungat : *Bonam voluntatem habemus, peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum,* et Philip. I, 23. *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo* : sed volebat, si fieri posset, non incidisse hominem in hanc moriendi necessitatem. Christus quoque satis aperte volebat, si fieri posset, ut calix transiret, tamen non ignorabat, id jam esse a Patre statutum ac definitum ut biberet illum. Denique ipse etiam Aristoteles in III. lib. de moribus cap. 2. negat impossibilem esse electionem, sed voluntatem tamen esse concedit nimirum conditionalem : nemo enim eligit semper vivere, cum id fieri nequeat, sed vellet tamen unusquisque, si posset, nunquam mori.

## CAPUT VI.

*In Contritione includi propositum recte vivendi.*

Quarta sequitur quæstio : Includat ne contritio propositum recte vivendi, an solam peccati detestationem. Et quidem Hæretici hujus temporis varie de quæstione ista loquuntur. Qui enim contritionem fide posteriorem faciunt, ut Lutherus in illis omnibus locis, quos capite superiore citavimus, et Calvinus lib. III. Institut. cap. 3. II facile admittunt, propositum bene vivendi ad con-

tritionem maxime pertinere. Qui autem contritionem fide priorem esse volunt, et Pœnitentiam dividunt in contritionem et fidem, ii contritionem solis terroribus conscientiae, et peccati detestatione ex terroribus illis concepta definiunt; propositum autem recte vivendi, fructum fidei, non contritionis partem esse docent. Atque in hac sententia Lutheranorum pars maxima versari mihi videtur: loca allata sunt, tum in 1. cap. hujus libri, tum cap. 18. libri superioris.

Porro, Catholici Scriptores in eo quidem consentiunt, ut ad veram contritionem, et peccati detestatio, et vitae melioris propositum requiratur: sed in eo non conveniunt, utrum hoc propositum expresse, et formaliter necessarium sit, an sufficiat virtuale, atque implicitum. Neque enim dubitari potest, quin is, qui serio peccata sua odit, ac detestatur, et ob ea perpetrata dolet, cupiat simul, ac velit saltem implicite, et virtualiter, ut sic loquamur, deinceps in melius vitam mutare.

Et quidem veteres Theologi, ut Petrus Lombardus lib. iv. dist. 14. et 15. Alexander Alensis in summa Theologica par. 3. quæst. 69. m. 9. art. 2. S. Thomas in 4. sent. distinct. 17. quæst. 2. art. 1. et 3. part. quæst. 86. art. 2. et lib. iii. contra Gentes cap. 158. et lib. iv. cap. 72. Scotus, Durandus, Albertus, et alii in 4. sent. dist. 14. vel 17. simpliciter docent de ratione contritionis esse, cum detestationem peccati, tum propositum bene vivendi, et quamvis non distinguant inter formale, et virtuale propositum, tamen satis aperte indicant de formali esse locutos. Id quod apertius postea docuerunt Adrianus Pontifex VI, in quinto quodlibeto art. 3; Thomas Cajetanus in additionibus ad 3. partem S. Thomæ quæst. 1, art. 1; Dominicus a Soto in 4. sent. dist. 17. quæst. 2. art. 1; et Melchior Canus in relectione de Pœnitentia par. 1.

Non defuerunt tamen pauci quidam, qui contra disputaverint, ac virtuali proposito, quod in peccatorum detestatione includitur, contenti; formale propositum necessarium esse, et in ratione contritionis includi negaverint. In iis fuerunt Joannes Major, et Jacobus Almaynus in 4. sentent. dist. 14. quæst. 1. et qui eos sequutus est, Andreas Vega lib. 13. in Concilium Tridentinum cap. 21.

Sed nobis communis, ac trita a veteribus

via semper visa est tutior et commodior. Probatum igitur, ad contritionem requiri explicitum, ac formale propositum vitae melioris. Primo, ex divinis litteris. Amos v: *Odite malum, et diligite bonum, et constituite porta judicium, si forte misereatur Dominus in Deum exercituum.* Isaiæ. i: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite agere perverse, discite bene facere.* Et mox: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Hic vides promissionem remissionis peccatorum post bona opera, saltem desiderio et proposito inchoata. Rursus Ezech. xviii: *Si autem impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam; vita vivet, et non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Hoc loco verba illa: *Et custodierit omnia præcepta etc.* ac votum, et propositum custodiendi mandata, referenda esse videntur, non ad ipsam mandatorum observationem: neque enim uno die, aut una hora, servari possunt omnia mandata. Neque tamen expectanda est remissio peccatorum ad longum tempus, cum idem Propheta cap. 33. dicat: *Quicumque die peccator conversus fuerit (1), indulgentiam habiturum.*

Ad hunc locum respondere conatur Vega loco citato, ac tria dicit. Primum, objicit verba illa ejusdem capituli: *Convertimini, et agite Pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.* Ubi nulla fit mentio propositi servandæ legis, et tamen promittitur remissio peccatorum. Sed hic locus nobis apertissime favet. Nam cum dixisset Propheta: *Convertimini, et agite Pœnitentiam,* continuo explicuit quid sit converti, et agere Pœnitentiam, dicens: *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum.* Ubi vides quam distincte duo illa ponantur, quæ nos ad veram Pœnitentiam, sive contritionem requiri diximus.

Secundo Vega addit, illa verba: *Et custodierit omnia præcepta etc.* a Propheta adjecta fuisse, ut intelligeremus, præter Pœnitentiam de admissis, necessarium esse, non adjicere alia nova peccata, juxta illud Gregorii hom. 34. in Evangel. : « Quid prodest, si peccata quis luxuriæ defleat, et tamen adhuc avaritiæ æstibus anhelet? quid prodest

(1) Amos. V, 15; Isai. I, 16; Ezech XVIII, 21, 22; Ezech. XXVIII, 12.

si iræ culpas jam lugeat, et tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? » Sed hæc responsio excluditur per universalem particulam, quam Ezechiel ponit, cum ait: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis.* Qui enim agit Pœnitentiam ab omnibus peccatis, frustra admonetur, ne dum unum lugeat, aliud committat: neque enim fieri potest, ut quis eo tempore avaritiæ æstibus anhelet, aut invidiæ facibus tabescat, quo non solum luxuriæ, atque iræ, sed omnium vitiorum culpas lugeat.

Tertio idem Vega respondet, illa verba: *Et custodierit omnia præcepta etc.* posita esse contra illorum errorem, qui post Pœnitentiam peractam, licitum esse putant, ad sordes pristinas reverti; ut Ezechiel nihil aliud voluerit, quam post justificationem per Pœnitentiam adeptam, in justitia permanendum esse. Sed repugnat huic expositioni, quod Propheta satis aperte demonstrat, duo illa, Pœnitentiam videlicet a peccatis, et mandatorum observationem, in voto scilicet et proposito, viam quamdam esse ad justificationem; et proinde priora esse debere ipsa remissione peccatorum. Sic enim ait: *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, et custodierit omnia præcepta etc. vita vivet, et non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ex quo etiam refellitur error eorum Lutheranorum, qui novæ obedientiæ propositum, post justificationem constituunt.

Adhæc, illæ omnes Scripturæ, quæ Pœnitentiam per conversionem describunt, qualis est illa in primis, Joel. II: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu* (1), sententiam nostram aperte confirmant: siquidem conversio ad Deum, idem est, ac voluntas placendi Deo per observationem mandatorum; sicut aversio a Deo voluntas est prævaricandi. Quemadmodum igitur sine conversione contritio esse non potest, ita nec sine proposito placendi Deo per mandatorum observationem.

Huc etiam facit, quod Apostolus ait ad Ephes. IV: *Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris: renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem.* Et quod S. Gregorius scripsit hom. 34. in Evang. veram Pœnitentiam esse, admissa peccata plangere, et plangenda non committere: quam definitio-

nem Theologi omnes magno consensu receperunt.

Huc pertinent quoque exempla rerum humanarum: nam et domini a servis, et parentes a filiis, quos post offensionem in gratiam recipiunt, non magis peccati confessionem, quam propositum vitæ melioris exquirunt.

Sed quod me maxime ad hanc sententiam amplectendam ac defendendam movet, est sancrosancta Florentinæ ac Tridentinæ Synodi auctoritas. In Concilio Florentino, in instructione Armenorum; et in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. ita contritio explicatur, ut sit « Dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. » Neque vero responderi potest, Concilia ista loqui de proposito implicito. Nam cum propositum implicitum a peccati detestatione nullo modo separari possit, sine causa Concilia addidissent illa verba: « Cum proposito non peccandi de cætero. » Quorsum enim ista expressio, si propositum non expresse requiritur? Si Concilia ita posuissent, Contritio est detestatio peccati commissi cum proposito implicito non peccandi de cætero, nemo esset qui non judicaret supervacaneam partem illam posteriorem definitionis, cum, detestatio peccati sine proposito illo implicito nunquam reperitur. Igitur aut verba illa de formali proposito intelligenda sunt, aut certe, quod absurdissimum est, supervacanea sunt. Quid, quod in eodem cap. 4. Concilium Tridentinum paulo post adjungit, propositum novæ vitæ principaliter in contritione contineri, cum sic ait: « Declarat igitur sancta Synodus, Contritionem non solum cessationem a peccatis, et vitæ novæ propositum, sed etiam veteris odium continere? »

Denique sicut peccati detestatio, propositum non peccandi implicitum et virtuale includit; sic etiam contra propositum non peccandi, detestationem peccati implicitam et virtualem includit. Quare si detestatio peccati commissi sine proposito formali non peccandi de cætero, ad justificationem aliquando sufficit, sufficet etiam aliquando propositum non peccandi de cætero, sine formali detestatione peccati commissi: nulla enim ratio reddi potest, cur hæc paria non sint. Atqui ipse etiam Vega, loco citato, recte negat, sine detestatione formali peccati commissi per solum propositum non

(1) Joel II, 12.



peccandi de cætero, per solam detestationem peccati commissi, impium posse justificari. Sed respondendum est argumentis, quæ contra objiciuntur a Vega.

## CAPUT VII.

*Solvuntur objectiones.*

Prima objectio continet exempla multorum qui testimonio Scripturæ et Patrum, justificationem adepti esse videntur sine formali proposito vitæ melioris. Nam II Reg. XII. David mox justificatus est, ut corde et ore dixit : *Peccavi Domino* (1). De qua re loquens Augustinus homil. 41 : « Tres, inquit, syllabæ sunt, » Peccavi, « sed de his tribus syllabis flamma sacrificii coram Domino ascendit in cælum, » et Chrysostomus homil. 9. de Pœnitentia : « Dic, » inquit, « peccavi, et solvisti peccatum ». De Manasse II Paralip. xxxiii, nihil aliud legimus, nisi eum Pœnitentiam egisse, et orasse Dominum. De Ninivitis, Jonæ III, habemus conversionem a peccatis, jejunium, saccum, et orationem : propositi melioris vitæ nulla mentio. Idem dici potest de filio prodigo, Luc. xv. et publicano, Luc. xxviii.

Respondeo, ex allatis exemplis non potest recte colligi, Davidem, Manassem, et cæteros, sine formali proposito vitæ melioris justificatos esse. Nam etiamsi David non dixerit nisi « Peccavi », tamen credendum est, eo modo verbum illud ab eo pronuntiatum, quo pronuntiari oportebat, ut tam subita sequeretur justificatio. Neque enim quicumque dicit, « Peccavi », justificatur : cum sciamus Judam dixisse Matth. xxvii : *Peccavi tradens sanguinem justum* (2), et tamen justificatum minime fuisse. David igitur perfecta conversione a Deo intus mutatus est, et dolorem de peccato, et propositum non peccandi, sine dubio habuit, quod et coram Nathau uno verbo, et multis verbis in Psalmis suis postmodum expressit. Porro de Manasse cum Scriptura dicat eum egisse Pœnitentiam valde, quis prohibet, nomine Pœnitentiæ non solum dolorem de peccato, sed etiam propositum vitæ melioris, et opera Pœnitentiæ eo loco accipere ? Conversionem quoque Ninivitarum a Jona expressam, non video cur ad solam peccati detestationem restrin-

gere cogamur, cum etiam opera Pœnitentiæ in eis legamus, quæ sine proposito bene vivendi effici non poterant. Denique publicanus, et filius prodigus, qua fronte veniam peccatorum postulassent, nisi decrevissent non amplius eum offendere, a quo veniam postulabant ? Ac ut intelligas, non posse ex solis verbis judicium fieri de animo pœnitentis, expende quid Apostolus dixerit, cum a Christo vocatus, et ea vocatione conversus, et justificatus fuit : nam neque peccasse se dixit, neque peccata detestari, sed solum : *Domine, quid me vis facere?* Act. ix. 6. Quemadmodum igitur non licet argumentari, Paulum non habuisse de peccatis suis dolorem, etiamsi verbis nihil aliud expresserit, nisi propositum Domino serviendi, sic etiam non oporteret colligere Davidem, Manassem, et cæteros in exemplum adductos, non habuisse propositum recte vivendi, etiamsi verbis nihil aliud expressissent, nisi dolorem atque odium peccatorum.

Secunda objectio : « Contritio seu Pœnitentia, supposita fide et spe, per legem et gratiam Dei, sufficit Christiano ad veniam obtinendam. At contritio non includit proprie, nisi actum, quo nolumus Deum offendisse : igitur sine proposito formali vitandi deinceps peccata per solam peccati præteriti detestationem justificari possumus. » Assumptionem probat duobus argumentis. Primo, quia nomen Pœnitentiæ, tum græcum tum latinum, ad præteritum, non ad futurum respicit. Secundo, quia propositum vitandi peccata, proprie actus est charitatis, sive obedientiæ, non Pœnitentiæ.

Respondeo : assumptio argumenti falsa est. Nam Concilia, Florentinum et Tridentinum supra citata apertissime ponunt in definitione contritionis, propositum non peccandi de cætero ; et idem docent ex B. Gregorio Theologi omnes, qui Pœnitentiam definiunt : « Admissa peccata plangere, et plagenda non admittere. » Et sanctus Thomas, quem in hac parte sequimur, in 3. par. Summæ quæst. 87. art. 1 : « Pertinet, inquit, ad rationem veræ Pœnitentiæ, quod non solum homo doleat de peccato præterito, sed etiam proponat cavere de futuro », et idem confirmat in responsione ad primum, et alibi multis in locis.

Quod autem contra objicitur de nomine Pœnitentiæ, vanum est : nam, ut sæpe dixi-

(1) II Reg. XII, 13. — (2) Matth. XXVII, 4.

mus, non tam sequenda est etymologia, quam usus Scripturæ et Patrum, in vera significatione vocabulorum assequenda. Neque verum est, quod objicitur, Græcam vocem *μετάνοιαν*, ad præteritum, non ad futurum respicere : nam Tertullianus Græcæ linguæ peritissimus, lib. 2. in Marcionem, disertis verbis contrarium asserit, cum sic loquitur : « In Græco sono, Pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est. » Et sane, *μετάνοιαν*, si etymologiam inspicias, nihil est aliud nisi post sapere : proinde ad futurum potius, quam ad præteritum pertinet. Sed hæc, ut dixi, inania sunt.

Quod vero addebatur in probatione assumptionis, propositum cavendi peccata esse actum charitatis, vel obedientiæ, non Pœnitentiæ, facile retorqueri potest in auctorem. Nam etiam actus ille, quo nolumus Deum offendisse, charitatis est, si absolute consideretur. Quemadmodum igitur actus, quo nollemus Deum offendisse, absolute charitatis est, et tamen ut refertur ad peccatum delendum, et amicitiam cum Deo reconciliandam Pœnitentiæ est : sic etiam propositum vitandi peccata, absolute charitatis, vel obedientiæ est, cum etiam justis conveniat, qui non indigent Pœnitentiâ ; tamen ut assumitur ab eo qui peccavit, ad compensandam injuriam Deo factam, et amicitiam redintegrandam, Pœnitentiæ est. Siquidem Pœnitentiâ, ut sanctus Thomas docet 3. par. quæst. 85. art. 3. pars quædam est potentialis justitiæ, cujus proprium officium est, compensare injuriam Deo factam, ut inde reconciliatio consequatur : compensatur vero injuria per detestationem peccati, et propositum servandi mandata, et cætera omnia adhibendi, quæ Deus requirit.

Tertia objectio : « Dolor de peccatis propter offensam Dei, virtute includit propositum non peccandi de cætero : igitur ad reconciliationem sufficet, etiamsi non distincte feratur in futura. Qui enim sic dolet, non minus perfecte uniri poterit Deo, quam ille, qui actu haberet ejusmodi propositum. »

Respondeo : si quid hoc argumentum concludit, efficiet etiam, ut propositum peccata vitandi, in quo virtualis dolor de præteritis continetur, sufficiat ad reconciliationem, sine formali ac distincto dolore de peccatis admissis ; quod tamen disertis verbis negat is, cu-

jus nunc argumenta refellimus. Dico igitur non posse fieri, ut verus sit in animo dolor de peccatis admissis, quin continuo oriatur etiam propositum vitandi peccata futura : sicut neque e contrario fieri potest, ut quis ex vera charitate propositum animo concipiat non peccandi, quin continuo exurgat dolor de peccato admissio, et nondum per indulgentiam Dei dimisso ; neque erit vera contritio, quæ dolorem afferat de peccato præterito, sine proposito non peccandi de cætero ; neque erit vera charitas, quæ amorem justitiæ sine peccati odio gignat in eo, qui sibi peccati lethalis conscius sit.

Quarta objectio : « Apud homines benignos sola vehemens patrata culpæ detestatio, nonnunquam impetrat illius veniam : Deus autem longe magis benignus est, quam ulli homines sint, neque credibile est, Christum expectare voluisse ut Petrus decerneret nunquam amplius peccare, sed continuo peccatum ei remisisset, cum eum amare plorantem vidit. »

Respondeo : benigni homines ad solam culpæ confessionem ac detestationem ignoscunt, quia non dubitant, quin ii, quos ita culpas detestari vident, jam animo propositum conceperint non peccandi de cætero : nam alioqui etiam per tormenta promissionem illam extorquent. Porro S. Petrum dum amare flebat, simul et peccatum detestatum esse, et propositum non peccandi concepisset, et veniam etiam a Deo, si non ore, certe corde postulasse, omnino credibile est : id enim experimur in nobis, et in aliis, qui spiritu compunctionis accepto, serio peccata sua detestantur ac deflent.

Quinta objectio. Petitio veniæ cum displicentia peccati, licet sit absque formali proposito devitandi peccata, satis est ad obtinendam remissionem peccatorum. Isai. LV : *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus* (1). Quis non videt, sola hic duo requiri ab impio, ut obtineat apud Deum misericordiam, et eam illum præstare, si detestetur peccata sua, et misericordiam ab ipso humiliter flagitet ? « Facile, inquit, Ambrosius de Deo, lib. 7. in Lucam, cap. 66, reconciliatur, quando impense rogatur. »

Respondeo : sæpenumero Scriptura divina tribuit vim justificandi, aut etiam salvandi, diversis rebus ; non quod solæ illæ justifica-

(1) Isai. LV, 7.

re, aut salvare possint, sed quod illæ vim suam habeant ad justificationem, aut salutem, et ad eum finem perducant, si tamen cætera non desint. Sic legimus Rom. III. *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Eccl. I. *Timor Domini expellit peccatum,* Rom. VIII. *Spe salvi facti sumus.* Luc. VII. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Tob. XII. *Elcemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata.* Tit. III. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Jacob. I. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras* (1). Hæc et alia id genus in sacris litteris passim leguntur: neque tamen ullus est, qui inde colligat, solum timorem, aut solam spem, aut solam eleemosynam, aut solum verbum, sine fide, et dilectione, aliisque ad eundem finem requisitis, sufficere posse ad salutem. Sic igitur etiamsi detestationi peccatorum et orationi alicubi Scriptura justificationem tribueret; non tamen colligere oporteret, sola illa sufficere, sed illa quidem vim suam habere, et plane justificare, si cætera non desint.

Adde, quod in verbis Isaiæ citatis, non intelligo cur non potius propositum vitæ melioris, quam peccatorum detestatio commendetur. Nam illa verba: *Derelinquat impius viam suam,* non tam significare videntur, oportere ut impius peccata sua defleat, quam ut cesset a peccato, et novam vitam instituat; hoc enim est derelinquere viam suam; non incedere antiquo et usitato itinere, sed novam arripere atque ingredi viam. Pari ratione verba illa sequentia: *Et revertatur ad Dominum,* quid aliud, quæso, significant, quam ut impius Deum diligere, eique placere studeat? id vero sine proposito servandi mandata, fieri non potest; nam. *Si diligitis me,* Dominus ait Joan. XIV. *mandata mea servate* (2).

Sexta objectio: «Potest contingere, subita morte aliquos ita præveniri, ut meminisse quidem possint peccatorum, quæ admiserunt, et de eis dolentes, et clamantes: Domine miserere, de vita discedant, a tequam quidquam de futuris cogitare, vel decernere quiverint. Numquid ii venia carebunt? quid regidius? quid durius? quid inclementius dici potest? Accedit, quod solix ille latro, qui cum Christo pendebat in Cruce, non legitur propositum vitæ melioris habuisse, sed tantum pec-

cata sua detestatum, ad Christi misericordiam confugisse.» Luc. 23. «Et in Sacramento Pœnitentiæ absolvendus censetur, qui signa doloris de peccatis ostendit, etiamsi nullo signo declaret quid in futurum proponat.»

Respondeo, non facile concedo id posse contingere, ut quis ex vera dilectione Dei peccata defleat, et eorundem indulgentiam postulet, quin saltem animo proponat, Deum non amplius offendere: neque periculum est, ut hujus propositi obliviscatur, cum non solum charitas, sed etiam natura ipsa suggerat, non posse pacem cum Deo componi, nisi propositum adsit non peccandi de cætero. Quod ad latronem attinet, is neque peccata detestatus, neque vitam meliorem proposuisse aperte legitur; sed solum justum supplicium suum agnovisse, Christoque dixisse: *Memento mei dum veneris in regnum tuum;* verumtamen ex impetrata venia manifeste colligimus, cum vera fide, atque ardenti charitate ad Deum fuisse conversum, et ea omnia, licet brevissimo temporis spatio, præstitisse, quæ ad veram et legitimam Pœnitentiam internam requiruntur. Porro, qui signa doloris ostendunt, etiamsi forte loqui nequeant, recte in Ecclesia absolvuntur, quia veram peccatorum detestationem, cum proposito peccata deinceps vitandi, in corde gerere, non temere judicantur.

Septima objectio: «Patres veteres, et ipsum Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 14. cum Pœnitentiam, secundam post Baptismum tabulam appellarunt, ad peccatorum detestationem sine dubio respexerunt: fieri potest igitur, ut aliquis interdum, sine proposito non peccandi de cætero, per solam detestationem peccatorum justificetur.

Respondeo: nec Patres, nec Synodus, ad solam peccati detestationem, tabulæ similitudinem retulerunt, sed ad totam, atque integram Pœnitentiam: imo Concilium non tam Pœnitentiam, quam Pœnitentiæ Sacramentum, secundam tabulam appellavit.

(1) Rom. III, 28; Eccl. I, 27; Rom. VIII, 24; Luc. VIII, 47; Tob. XII, 9; Tit. III, 5; Jacob. I, 21. — (2) Joan. XIV, 15.

## CAPUT VIII

*Contritionem ad justificationem omnino necessariam esse.*

Quinta controversia erat de necessitate contritionis. Loquimur autem hoc loco de contritione in genere, ut tam perfectam, quæ proprie contritio, quam imperfectam, quæ attritio dicitur, comprehendamus : et quæstionem non solum de necessitate, quam vocant, medii, sed etiam præcepti, intelligi volumus.

Ac Lutherus quidem, et Calvinus, contritionem quæ justificationem præcedat, nullam agnoscunt. Nam Calvinus, cum totam Pœnitentiam, fructum fidei justificantis esse doceat, ut supra ostendimus ex lib. III. Institut. cap. 3. §. 4. sine dubio nullam Pœnitentiæ partem, proinde neque ipsam contritionem, ad justificationem obtinendam necessariam esse censet.

Lutherus in assertionem articulorum suorum, nonnullis visus est contritionis necessitatem pernegasse, propter illa verba artic. 11 : « Si Sacerdotis absolutionem obtinueris, crede fortiter te absolutum, et absolutus eris, quidquid sit de contritione. » Sed tamen in art. 12. affirmat, impossibile esse, ut quis sine contritione vere absolutus sit : « Si per impossibile, inquit, confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvisset, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. » Et paulo infra, declarat, ideo esse id impossibile, quia fides sine contritione esse non potest : « Dixi, inquit, per impossibile ; quia satis supra dictum est, fidem sine contritione esse non posse, cum gratia non infundatur, nisi cum magna concussione animæ. » Quare non negavit Lutherus contritionem absolute, sed eam negavit, ad remissionem peccatorum necessariam, cum eam postponat fidei, quæ (ipsius opinione) sola justificat, ut in iisdem articulis sæpissime repetit.

Non desunt tamen ex Lutheri discipulis, qui contritionem ante confessionem necessariam esse doceant. Martinus Kemnitius in 2. parte Examinis, pag. 901 : « Est, inquit, et hoc extra controversiam apud nos, nemi-

nem posse Deo reconciliari, et remissionem peccatorum consequi, nisi agat Pœnitentiam. » Et paulo infra dicit, contritionem esse medium ad acquirendam justificationem ; et addit hæc verba : « Sic territis, et contritis, Deus gratiam et remissionem peccatorum per ministerium Evangelii offert, et proponit. » Idem etiam repetit, pag. 956. et 957. « Necessaria, inquit, est contritio, non autem meritum est, etc. » Et infra : « Ordo divinus est, quod vult quidem evangelizare, sed pauperibus ; vult sanare, sed contritos etc. » Idem habet etiam Philippus in locis ultimo editis, titulo de contritione : et omnes illi ex Lutheranis, qui priorem partem Pœnitentiæ contritionem, posteriorem fidem esse volunt. Sed his dimissis, nos juxta communem Theologorum Catholicorum sententiam, duas propositiones constituemus.

Prima propositio : « Contritio saltem imperfecta, omnino necessaria est in adultis, necessitate medii, ad remissionem peccatorum, et justificationem obtinendam. » Hæc propositio ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. et sess. 14. cap. 4. satis aperte colligitur. Cum enim Concilium dicit, Contritionem omni tempore ad justificationem necessariam fuisse de necessitate medii sine dubio loquitur ; quæ enim sola præcepti necessitate necessaria sunt, non ita univèrse omnia tempora complecti solent.

Probatur autem hæc propositio ex verbis illis Domini Luc. XIII *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (1) : hæc enim verba tam sunt perspicua, ut nullam omnino dubitationem relinquant. Præterea, idem aperte probant verba illa S. Petri, Act. III, *Pœnitimini, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Et illa B. Pauli ad Roman. II : *Ignoras quia benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ et revelationis justi judicii Dei*. Et illa Christi ipsi in II. cap. Apocal. II : *Memor esto unde excideris, et age Pœnitentiam, et prima opera fac : sin autem, veniam tibi cito, et movebo caudalabrum tuum de loco suo, nisi Pœnitentiam egeris* (2). Denique Ezechiel cap. XVIII. nihil aliud peccatoribus concionatur, nisi ut Pœnitentiam agant, si salvi esse velint. Hoc idem illi omnes Patres docent, qui Pœnitentiam, secundam post naufragium tabulam appellarunt, quorum

(1) Luc. XIII, 3. — (2) Act. III, 19 ; Rom. II, 4, 5 ; Apocal. II, 5.

testimonia in primo libro retulimus : quibus addi potest S. Augustini testimonium, qui in epist. 48. ad Vincentium, ita loquitur in extrema epistola : « Nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel a quocumque seu magno, seu parvo peccato, ad correctionem sine Pœnitentia posse transire. »

Secunda propositio : « De contritione præceptum divinum exstat. » Hæc Primum ex superiore probari potest. Siquidem ea omnia, quæ necessaria sunt necessitate medii, censentur necessaria necessitate præcepti, licet non quæcumque necessaria sunt necessitate præcepti, sint etiam necessaria necessitate medii : tenentur enim homines ea necessario adhibere, sine quibus salvi esse non possunt.

Deinde exstant in divinis litteris manifesta verba, quibus Pœnitentiæ præceptum indicatur. Joel. II : *Convertimini ad me, et scindite corda vestra.* Matth. III : *Pœnitentiam agite.* Ezech. XVIII : *Projicite a vobis pravitates, et facite vobis cor novum.* Apocal. II : *Age Pœnitentiam* (1).

Adhæc observatio mandatorum, sufficiens est medium ad salutem. Dominus enim interroganti cuidam, Luc. XVIII : *Quid faciens, vitam æternam possidebo?* respondit : *Mandata nosti.* Et apertius apud Matth. cap. XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). Quod si quid aliud præter mandatorum observationem requireretur ad vitam æternam obtinendam, Dominus illum adolescentem non tam docuisse quam decepisse videretur. Oportet igitur, ut vel de contritione mandatum aliquod habeamus, quod nos asserimus ; aut certe non sit contritio ad salutem necessaria, quod falsum esse jam supra docuimus. Neque vero responderi potest, Christum ea verba ad justos, non ad peccatores direxisse, quasi justis observatio mandatorum sufficiat ad salutem, peccatoribus non sufficiat : nam Dominus generatim et sine ulla exceptione respondit. Et præterea licet juvenis ille, cui Dominus loquebatur, Luc. XVIII. bonus ac justus fuerit, ut ex cap. x. Marcî colligi potest : tamen legisperitus, qui de eadem re Dominum interrogavit, et eandem responsionem accepit, Luc. x, peccator videtur fuisse, cum Dominum tentare, non ab eo aliquid discere voluerit.

Præterea dubium esse non potest, quin

divino præcepto teneamur ea media non negligere, quæ ad vitam et salutem corporis necessaria sunt : neque peccatum homicidii ille evaderet, qui cibum capere nollet, quo tempore sine cibo vivere non posset. Quanto igitur majori ratione, divino præcepto tenebimur ea media assumere, sine quibus animæ vita reparari nequit?

Denique impœnitentiam non solum peccatum, sed etiam gravissimum peccatum esse constat, usque adeo, ut nonnulli peccatum in Spiritum sanctum nihil aliud esse voluerint, nisi finalem impœnitentiam ; et Scripturæ passim accusant impœnitentes, et pœnas eis gravissimas comminantur. Psalm. XCIV : *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psalm. IV : *Usquequo gravi corde?* Proverb. I : *Quia vocavi, et renuistis etc. ego quoque in interitu vestro ridebo.* Zachar. I : *Ne sitis sicut Patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes : Hæc dicit Dominus, Convertimini de viis vestris malis, et de cogitationibus vestris pessimis : et non audierunt, neque attenderunt ad me.* Matth. XXIII : *Quoties volui congregare filios tuos etc. et noluisti.* Roman. II : *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram* (3). Quod si novum peccatum est, nolle converti, nolle pœnitere, nolle per contritionem veniam peccatorum suorum procurare ; certe sequitur ut novum etiam præceptum sit, quo tenemur converti ad Deum, et contritionem in nobis excitare. Quocirca recte Tertullianus in lib. de Pœnitentia, ex eo probat, bonum esse pœnitere, quia Deus id præcipit : « Bonum est, inquit, pœnitere, an non? quid revolvis? Deus præcipit. »

Sed objectiones aliquæ solvendæ sunt, quas non hæretici, sed Catholici, explicandæ rei gratia, proponere solent.

## CAPUT IX.

### *Solvuntur objectiones.*

Prima objectio. Baptismus, ut etiam Sacramenta cætera, non ponenti obicem, gratiam confert : sed obicem non ponit, qui vitam novam proponit, et nullius peccati com-

(1) Joel. I', 12, 13; Matth. III, 2; Ezech. XVIII, 31; Apoc. II, 5. — (2) Luc. XVIII, 18; Matth. XIX, 17. — (3) Psalm XCIV, 8; Psalm. IV, 3; Prov. I, 24; Zach. I, 4; Matth. XXIII, 37; Rom. I, 5.

placentiam habet, etiamsi forte non detestetur re ipsa peccatum.

Respondeo : non potest recte dici, non ponere obicem, qui sine dispositione necessaria ad Sacramentum accedit : alioqui non solum sine detestatione peccati, sed etiam sine fide posset aliquis per Baptismum justificari. Esse autem Pœnitentiam, quæ sine peccati detestatione nulla est, dispositionem ad Baptismum ; docet Apostolus Petrus Act. II : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (1), quod idem nuper Tridentinum Concilium declaravit sess. 6. cap. 6. et antea S. Thomas 3. par. quæst. 86. art. 2. ad 1. et alii Theologi communiter tradere consueverunt. Qui enim propria voluntatis actione a Deo aversus per peccatum fuerat, non potest ad gratiam Dei censi dispositus, nisi per contrariam actionem convertatur ad Deum. Neque tamen necesse erit, ut Pœnitentia, quæ Baptismum præcedit, contritionem illam perfectam contineat, quæ etiam sine Sacramento re ipsa suscepto, peccata omnia delet : nam cum Baptismus Sacramentum sit regenerationis et renovationis, vim habet vere justificandi et renovandi, proinde non necessario exigit hominem jam per contritionem illam perfectam justificatum. Et hoc fortasse sibi voluit auctor Commentariorum in Paulum, quæ Ambrosio adscribuntur, cum in illa verba cap. XI ad Rom. : *Sine Pœnitentia sunt dona Dei* (2), scriptum reliquit, gratiam Dei in Baptismo neque gemitum, neque planctum requirere, sed solam ex corde professionem. Non enim auctor ille peccati detestationem ac Pœnitentiam omnino rejecit ab eo, qui baptizandus est, sed perfectam illam contritionem, quæ sine exteriori actione vix reperitur.

Secunda objectio. Caritas videtur omnino sufficere ad justificationem, et salutem, etiamsi absque Pœnitentia et contritione in aliquo reperiat ; nam *Universa delicta operit caritas* : Prov. X, 12.

Respondeo, caritas vera sine dubio sufficit ad salutem, et justificationem : nam ubicumque adest caritas, ibi adest justitia, et inde necessario abest peccatum lethale ; nam : *Qui diligit, legem implevit*. Rom. XIII, 8. qui autem legem implet, justus est, neque ei deest aliquid ad salutem, juxta illud Matth. XIX : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (3). Quare recte Sanctus Augustinus

tract. 5. in epist. Joan. : « Dilectio, inquit, sola discernit inter filios Dei, et filios Diaboli. » Et infra : « Hæc est pretiosa margarita, sine qua nihil tibi prodest, quodcumque habueris : quam si solam habes, sufficit tibi. » Et ipse etiam S. Joannes, teste S. Hieronymo in comment. cap. 6. epist. ad Galat. de præcepto charitatis sententiam illam pronuntiavit : « Præceptum Domini est et si solum fiat, sufficit. » Veruntamen caritas vera, sine vera contritione in eo, qui peccati mortalis conscientiam habet, nullo modo existere potest : et ideo, licet caritas etiam sola, sufficiat, recte dicunt Theologi, contritionem in eo, qui crimen lethale commisit, esse medium necessarium ad justificationem et salutem. Quemadmodum et fides, ac spes necessariæ sunt, tametsi sola caritas (Augustino teste) sufficiat : nam caritas sine fide et spe nulla est. Itaque, sola caritas sufficere dicitur, quia nunquam est sola, sed eorum aliarum virtutum partim sequitur, partim præcedit. Et hoc est, quod S. Thomas docet 3. par. quæst. 84. art. 5. ad 2. cum negat, charitatem sine Pœnitentia ad justificationem posse sufficere : rationem enim reddit, quia caritas Pœnitentiam requirit, et efficit. Quomodo enim potest aliquis vere Deum diligere, nisi peccatum detestetur, per quod a gratia Dei excidit ?

Sed objiciunt quidam, interdum mentem hominis ita repente ad amorem Dei converti, ut otium non habeat in peccata respiciendi : interdum etiam peccatores ad martyrium ita rapi, ut possint quidem dilectionis actum elicere, quo se ad mortem propter Christum offerant, sed metu illo præsentibus turbatos, de peccatis præteritis cogitare non posse : interdum quoque ita esse oblitos peccatorum suorum, ut sine miraculo nequeant ea peccata ad memoriam revocare.

Sed primum et secundum membrum hujus dubitationis, non difficulter explicari possunt. Nam qui conscientiam peccati mortalis gerunt, nihil prius cogitant, cum convertuntur ad Deum, quam peccata sua : tunc enim maxime conscientia stimulus sentitur, cum is placere incipit, quem peccando offendimus, et cujus gratiam desideramus. Quod etiam experimur in rebus humanis. Qui enim non magnificiunt amicitiam alicujus, facile obliviscuntur injurias, quas illi fecerunt ;

(1) Act. II, 38. — (2) Rom. XI, 29. — (3) Matth. XIX, 17.

sed cum reconciliari cupiunt, tunc ad memoriam redeunt omnes injuriæ: sic etiam mors imminens, seu per martyrium, seu alia ratione, non modo non impedit, sed etiam excitat recordationem peccatorum. Quod Chrysostomus pulchre probat in homil. 4. de Lazaro, exemplo fratrum Joseph, qui cum pene jam obliti essent injuriam, quam in illum contulerant, redacti postea ad angustias, dixerunt: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Genes. XLII, 21. Et S. Cyprianus idem ostendit in serm. de lapsis, exemplo trium puerorum: « Ananias, inquit, Azarias, Misael, illustres ac nobiles pueri, quominus Exomologesim Deo fecerint, nec inter flammam, et camini exæstantis incendia quieverunt. »

De tertio vero membro dubitationis, equidem arbitror in eo locum habere, quod quidam docent de contritione virtuali. Nam etiamsi contritionem plane formalem ordinarie requiri censeam; tamen in duobus casibus sufficere existimo virtualem. Primum, quando aliquis post accuratam discussionem conscientiæ suæ, non potest ad memoriam peccatum, vel peccata sua lethalia revocare. Deinde cum aliquis neque peccati lethalis conscientiam habet, neque otium vitam suam excutiendi, ut si forte rapiatur subito ad martyrium: tunc enim credibile est, posse hominem per actum dilectionis, in qua contritio virtute continetur, a peccatis occultis justificari.

Ratio est in primis, quoniam alioqui frustra cum Davide diceremus Deo: *Ab occultis meis munda me Domine.* Psal. XVIII, 13. Nam si absque formali contritione nulla peccata deleri possunt, et contritio formalis de occultis haberi nequit, certe sequitur, ut ab occultis nulla ratione liberari possimus; quorsum igitur oramus, si quod petimus, impetrari non potest? Deinde, sicut legimus Luc. XIII: *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;* sic etiam legimus Joan. III: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Joan. VI: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (1). Atqui omnes concedunt, Baptismum et Eucharistiam, cum re ipsa haberi nequeunt, per votum posse suppleri. Adhæc S. Augustinus in epistola 48. ad Vincentium, scribit, Cyprianum aut correxisse errorem

illum suum, aut texisse ubere charitatis, et a Patre cœlesti purgatum in eo falce passionis. Et sanctus Thomas 3. par. quæst. 87. artic. 1. disertis verbis scribit, virtualem displicentiam non sufficere ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem: quo loco admittit displicentiam virtualem, pro iis diluendis criminibus, quæ ad memoriam revocari non possunt. Denique mirum est, si non absurdum videatur, posse contingere, ut homines aliqui in media Ecclesia, sine miraculo justificari nequeant: quales nimirum illi essent, qui aut morbo, aut senectute, aut alia de causa omnino peccatorum suorum memoriam perdidissent.

Tertia objectio adversus alteram propositionem, quæ erat de præcepto contritionis: Impœnitentia non est speciale aliquod peccatum, sed circumstantia omnium peccatorum, ut S. Thomas docet in 2. 2. q. 14. art. 2. non igitur speciale aliquod præceptum de Pœnitentia exstabit.

Respondeo: Impœnitentia interdum speciale peccatum est, interdum circumstantia alterius peccati. Speciale peccatum est, quando occurrit tempus, quo tenemur Pœnitentiam agere, et eam tamen non agimus. Neque enim præceptum de Pœnitentia agenda, quovis tempore obligat, cum sit affirmativum; sed solum certis temporibus, ut cum versamur in periculo vitæ, cum ad confessionem est accedendum, cum Dens peculiari inspiratione ad Pœnitentiam nos invitat, juxta illud Psalm. xciv: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (2). At extra ejusmodi tempora, impœnitentia non tam peccatum novum, quam peccati patratæ circumstantia est: quamdiu enim quisque in peccato hæret, tamdiu impœnitens dici potest, et semper magis, ac magis difficilem sibi reditum ad gratiam Dei facit. Porro S. Thomas in 2. 2. quæst. 14. art. 2. de impœnitentia ista posteriore locutus est: idem vero auctor in 3. par. quæst. 84. art. 7. ad 1. agnoscit præceptum naturale de Pœnitentia agenda; et quæst. 85. art. 2. speciale præceptum de Pœnitentia exstare confirmat. Sed de his ista sufficiant, de quibus integræ disputationes in libris nostrorum exstant.

(1) Luc. XIII, 5; Joan. III, 5; Joan. VI, 54. — (2) Psal. XCIV, 8.

## CAPUT X.

*De quantitate Contritionis.*

Sexta controversia erat : Quantanam esse debeat ea tristitia, quam de peccatis suscipimus, ut ad justificationem peccatorum sufficiat. Hic mire triumphant, atque exultant Adversarii : existimant enim se locum reperisse, ex quo doctrinam Catholicam de Pœnitentia cum plausu vulgi reprehendant, ut quæ ad desperationem sternat viam, vel certe plane dubios, atque incertos de sua justificatione homines reddat.

Martinus Kemnitiŭs in 2. par. Examinis, pag. 963. scribit Concilium Tridentinum exigere ad justificationem, contritionem charitate perfectam ; eam autem contritionem, ut perfecta sit, probat ex Scoto, habere debere certum gradum intensionis, et certo spatio temporis continuari ; cum tamen neque possit ulla ratione constitui, quotus ille gradus sit, neque quantum spatium temporis exigatur. Ita nimirum redduntur perplexa, et implicata omnia. Addit etiam ex testimonio Scholasticorum aliorum, contritionem oportere ex charitate procedere ; charitate autem Deum super omnia diligere debere : ad quam perfectionem nullus Sanctorum in hac vita pervenire potest. Ex his ita colligit. pag. sequenti : « Impossibilis igitur est sufficientia, et perfectio contritionis, et ejus persuasio vel facit pharisæos, vel desperabundos. Conscientia enim, quæ nunquam potest certa esse de sufficientia et perfectione contritionis, semper dubia et incerta manebit de remissione peccatorum, et reconciliatione cum Deo. » Hæc ille.

Ad eundem modum Joannes Calvinus lib. III. Instit. cap. 4. § 2 : « Contritionem, inquit, debitam exigunt, hoc est, justam et plenam : sed interim non constituunt, quando securus aliquis esse possit, se hac contritione ad justum modum defunctum esse. » Et infra : « Sed ubi exigitur doloris acerbitas, quæ culpæ magnitudini respondeat, et quæ in trutina appendatur cum fiducia veniæ ; hic vero miseræ conscientiæ miris modis torquentur, et exagitantur, dum sibi debitam peccatorum contritionem imponi vident. nec assequuntur debiti mensuram, ut secum decernere possint, se persolvisse quod debe-

bant. » Et § 3 : « Quod si me, inquit, calumniari adiunt ; prodeant sane, et unum aliquem ostendant, qui hujusmodi contritionis doctrina, vel non sit ad desperationem adactus : vel simulationem doloris, judicio Dei, pro vero dolore non opposuerit. » Hæc ille. Nec dissimilia scripta reliquit Heshusius in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum, tit. 9. num. 25. et 28.

Nos igitur duo præstabimus in præsentī disputatione. Demonstrabimus primum, quod nobis objiciunt adversarii, in ipsos verissime convenire, ut videlicet ad desperationem adigant pœnitentes. Deinde doctrinam communem Theologorum veram, et consolationis plenam de quantitate contritionis breviter explanabimus.

Ut incipiamus a Primo, concedunt adversarii, Kemnitiŭs et Calvinus, contritionem, eamque seriam et vehementem, esse necessariam. Kemnitiŭs in 2. par. Examinis, pag. 942 : « Ardua, inquit, quæstio est, quomodo Pœnitentia ita agi possit, ut certi simus nos consequi reconciliationem, et remissionem peccatorum : si enim Pœnitentia non recte agitur, peccator licet quærat, non tamen assequitur remissionem peccatorum. » Deinde pag. 953. explicans quomodo agatur vera Pœnitentia : « Omnino, inquit, in iis, qui veram, et seriam Pœnitentiam agunt, necessaria est contritio. » Et pag. 954. docet, contritionem acrem ac vehementem esse debere : « Hinc sequitur, inquit, dolor conscientiæ, graviter dolentis se peccasse, et peccatis offendisse Deum. » Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. § 2 : « Equidem, inquit, sedulo et acriter instandum esse fateor, ut quisque amare deflendo sua peccata, se ad eorum displicentiam et odium magis acuat. » Et §. 3 : « Diximus et nos, inquit, quodam loco, nunquam sine Pœnitentia obvenire peccatorum remissionem ; quod nulli nisi afflictis, et peccatorum conscientia vulneratis, Dei misericordiam implorare sincere possunt. » Hæc ille.

Quamvis autem iisdem in locis dicant, ac protestentur se non facere contritionem causam, aut meritum remissionis peccatorum, et Calvinus jactet se sustulisse illa animarum tormenta, quod contritio debita præstanda sit, tamen ex iis, quæ ipsi docent, apertissime sequitur, neminem ex sententia ipsorum sine vera, seria, gravique contritione justificari, sive ea contritio justificationis causa sit, sive conditio tantum, sive quid aliud ; id



enim ad rem nostram hoc loco non pertinet.

Quæ sit autem vera, seriaque contritio, sine qua peccata non remittuntur, non possumus aliunde melius, ac tutius discere, quam ex litteris sacris. Porro, litteræ sacræ ubique requirunt contritionem ex toto corde; qualis est etiam vera Dei dilectio, ex qua contritio vera procedit. Deut. IV, 29 : *Cum quæsieris Dominum, inuenies eum, si toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Deut. XXX, 12 : *Si ductus pœnitudine cordis, reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, et tota anima tua, miserebitur tui.* III Reg. VIII, 47, 48, 50 : *Si peccaverint tibi, et reversi fuerint ad te in universo corde suo, et tota anima sua, propitiaberis populo tuo.* II Parap. XXX, 18, 19 : *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum.* Hier. XXIX, 13 : *Quæretis, et inuenietis me, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Joel. II, 12, 13 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, fletu, et planctu, et scindite corda vestra.*

Debent igitur adversarii, velint nolint, admittere, sine contritione perfecta, et quæ ex toto corde sit, non remitti peccata. Atqui ejusmodi contritionem ut etiam dilectionem Dei, ex toto corde, impossibilem in hac vita esse contendunt, et quam nullus unquam Sanctorum habuerit, ut ex locis supra citatis, et ex aliis multis omnes norunt, qui eorum scripta legerunt. Quare sequitur, ut remissio peccatorum plane sit impossibilis, et pœnitentibus nihil supersit aliud, nisi desperatio, si vera est doctrina Kêmnitii, et Calvinii. Quam enim, quæso, spem salutis ille concipiet, qui contritionem ex toto corde impossibilem esse censet; et eam solam veram, ac seriam Contritionem esse, negare non potest; et sine vera seriaque Contritione peccata non remitti sibi certissime persuasit.

## CAPUT XI.

### *De quantitate Contritionis, ex sententia Catholicorum.*

Sed jam dimissis adversariis, veram de Contritionis quantitate sententiam aliquot propositionibus complectamur.

Prima propositio : « Non requiritur ad eam contritionem, quæ sit futura sufficiens ad remissionem peccati, ut æqualis sit magnitudini iræ divinæ. » Hæc est contra calumniam et mendacium Calvinii, qui lib. III. Institut. cap. 4. § 2. ut etiam in primo libro notavimus, scribere ausus est, tam perfectam contritionem a Catholicis exigi, ut in trutina appendatur, cum fiducia veniæ : non potest autem in trutina appendi cum fiducia veniæ, nisi sit justum pretium peccatorum, et ex rigore justitiæ satisfaciatur Deo ; atque iræ ipsius magnitudinem æquet.

Et quidem non exigi a Catholicis tantam contritionem, perspicuum est ex eo, quod omnes Catholici negant, Contritione mereri nos ex condigno justificationem, aliqui etiam negant ex congruo. Recte autem non exigi, probari potest, tum quia scriptum est : *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Psalm. LXXXIX (1). tum quia peccatum lethale, Deum qui infinitæ dignitatis est, offendens, infinitam indignationem, et pœnam meretur : non potest autem homo infinitum pretium offerre Deo, quantumvis doleat ac seipse excruciet.

Sed argumentum evidens habemus ex divinarum Scripturarum testimoniis, atque exemplis. Nam scriptura nihil aliud a nobis exigit, nisi ut convertamur ad Deum in toto corde : converti autem ad Deum in toto corde, non est, dolorem illum concipere, qui æqualis sit offensionem vel iræ divinæ, nam dolor iste sine dubio impossibilis est. Si vero impossibile esset converti ad Deum in toto corde, cur Deus ipse id postularet ? cur diceret Joel. II, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro?* an Deus ignorabat id fieri non posse, aut fieri volebat quod sciebat non posse fieri ? Deinde, Scriptura testatur aliquos in toto corde reversos ad Deum, et alios pronuntiat reversuros : quæ sunt argumenta certissima, id fieri posse ; et proinde converti in toto corde, non significare contritionem æqualem iræ divinæ. IV Reg. XXIII, 25 : *Similis illi non fuit Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo.* Hier. XXIV, 7. *Ego ero illis in Deum, quia revertentur ad me in toto corde suo.*

Quare quod S. Cyprianus ait in ferm. de lapsis : « Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus », non significat, dolorem abso-

(1) Psalm. LXXXIX, 11.

lute offensioni æquandum esse, quod fieri non potest : sed proportionem illam inter peccata et dolorem de peccatis, esse debere, ut de majore peccato magis, de minore minus doleamus. Quod vero scribit S. Ambrosius in lib. ad Virginem corruptam, cap 8. cum ait : « Sed quanta putas, et qualis necessaria Pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certe excedat ? non ita accipiendum est, quasi Pœnitentia æquare, aut excedere debeat peccatum, ut offensam Dei, sed ut dolor Pœnitentiæ æquet, aut excedat voluptatem, quam peccando accepimus : quod aliis verbis ita scripsit Hugo de S. Victore lib. II. de Sacram. par. 4. cap. 2. « Si in correctione minor est afflictio, quam in culpa fuit delectatio, non est dignus Pœnitentiæ tuæ fructus. »

Secunda propositio : « Dolor de peccatis esse debet summus, saltem (ut Theologi loquuntur) appetiative. » Recte enim Doctores tradunt dolorem summum posse duobus modis intelligi : intensive, et appetiative. Summus dolor intensive dicitur, quando voluntas, (nam de dolore spiritus, non sensus sive corporis, hic loquimur, licet unus ex altero nasci soleat) quando, inquam, voluntas summo conatu detestatur aliquid : summus autem appetiative, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicujus mali, quam cujuscumque boni consecutionem, aut alterius mali evitationem. Itaque magnitudo doloris intensive, attenditur ex parte subjecti, magnitudo appetiative, ex parte objecti : et sæpe accidit, ut de re aliqua magis doleamus intensive, de qua minus doleamus appetiative, et contra. Nam viri etiam boni gravius tristantur interdum et dolent, ob mortes filiorum, quam ob peccata ; qui tamen, si daretur optio, mallent filios amisisse, quam Deum offendisse. De sancta Paula Romana scribit S. Hieronymus in ejus vita, in mortibus filiorum sic illam graviter affici solitam, ut semper de vita periclitaretur : qualem dolorem ob crimina in Deum admissa, nunquam sensisse legitur : nec tamen dubitari potest, quin foemina illa sanctissima et optima, maluerit filios omnes perire, quam vel leviter Deum offendere.

Si quis objiciat, fieri non posse, ut voluntas non intensius doleat de ejus rei amissione, quam pluris æstimat, cum ideo doleat, quia rem caram, et quam magni faciebat, amisit,

respondebimus, id fieri non posse, si omnia sint paria : tamen non semper esse omnia paria. Sæpe enim fit, ut id quod minoris faciendum esse recta ratio judicat, sit propinquius, notius, naturæ convenientius, longa familiaritate conjunctum, quod proinde magis afficiat, et moveat, licet illi aliud quidpiam absolute ac simpliciter præferatur. Id quod in rebus etiam corporalibus experimur, quippe qui magis tristamur et angimur ob acrem dolorem dentium, aut ustionem aliquam digiti, quamvis non lethalem, quam ob febrim lentam, sed pestiferam : et tamen quis non libenter febrim illam lentam, et pestiferam, cum acerbissimo dentium aut digitorum dolore mutaret ?

His explicatis, propositio nostra probatur ex omnibus illis Scripturæ locis, quæ paulo ante adduximus, ut ostenderemus, contritionem ex toto corde, atque adeo summam et maximam esse debere. Deinde, addi possent illa omnia loca, quæ jubent ut Deum ex toto corde diligamus, quæ exstant Deut. 6. Matth. 22. Luc. 10. et alibi. Qui enim jubemur Deum ex toto corde diligere, jubemur pariter peccatorum, quo Dei amicitiam violamus, toto pectore detestari. Denique ratio idipsum apertissime docet. Nam cum peccatum sit malorum omnium maximum, super omnia detestandum, fugiendumque est, et quia teste Apostolo, Rom. III : *Non sunt facienda mala, ut veniant bona* (1), ideo non licet peccatum eligere quacumque conditione proposita : proinde magis dolendum est appetiative de commisso peccato, quam lætandum de quovis opere bono.

Tertia propositio : « Non est necesse, ut contritio sit dolor summus intensive ». Probatur primum, quia si id esset necesse, maxime ob ea loca Scripturæ, quæ jubent ut convertamur ad Deum in toto corde, et tota tribulatione animæ nostræ, Joelis II. et Deuter. IV. Sed ista loca exigunt quidem dolorem summum appetiative, ut supra diximus, non tamen intensive. Converti enim ex corde, nihil est aliud, nisi serio ac sincere converti : ex toto autem corde converti, est integre et perfecte converti, ita ut non partim peccata detestemur, partim illis afficiamur, sive non unum peccatum odio habeamus, et alteri adhuc adhæreamus, sed omnia detestemur, ab omnibus simpliciter avertamur ; idque tam perfecte, ut nullum sit malum

(1) Rom. III, 8.

quod vitatum malimus, quam peccatum. Neque aliter intelligenda sunt loca ista, quæ conversionem ex toto corde requirunt, quam illa, quæ dilectionem ex toto corde præcipiunt; illa autem loca non exigere summam dilectionem intensive, sed solum appetitativè, ut videlicet nihil Deo anteponatur, vel æquetur, ostendimus in II. lib. de membris Ecclesiæ, qui erat de Monachis, cap. 13. ubi ista omnia diligenter excussimus.

Deinde, probatur eadem propositio experimento hominum piorum, qui (ut paulo ante de sancta Paula referebamus) intensius aliquando dolent ob mortem carorum, quam ob peccata, licet paratissimi sint omnia perpeti potius, quam ut peccatum in Deum committerent. Neque reprehendi potest vehementer ille dolor, qui ex amissione filiorum in parentibus cernitur, tum quia naturalis est, tum etiam quia in sanctissimis hominibus locum invenit. Certe patriarcha Jacob ita doluit mortem filii sui Joseph, ut Scriptura dicat Genes. xxxvii: *Congregatis cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere; sed ait, Descendam ad filium meum lugens in infernum* (1). Et S. David II. Reg. xix. ita vehementer Absalonem filium suum deflevit, ut licet multa legantur de insigni contritione ejus ob peccatum adulterii, atque homicidii, majora tamen signa doloris ob filii mortem ostendisse videatur.

Accedit tertio, quod ex iis, qui serio et ut oportet, de peccatis suis dolent, alii magis, alii minus dolent. Non enim tantopere celebraretur Mariæ Magdalenæ contritio, si omnes, qui recte Pœnitentiam agunt, parem contritionem haberent, quoad intensionem, sicut revera parem habent, quoad appetitativam.

Præterea, si dolor summus pro quolibet lethali crimine exigeretur, nemo posset magis de uno, quam de alio peccato dolere; quod est et contra experientiam, et contra rationem. Experimur enim, graviora crimina acrius conscientiam pungere, et majorem tum verecundiam, tum displicentiam parere, quam leviora: et judicium rectæ rationis id postulat, ut majora delicta major Pœnitentia, et contritio intensior consequatur.

Denique, si summus dolor intensive ad veram contritionem necessarius esset, vix unquam possemus, non dico certo scire, sed ne probabiliter quidem cognoscere, nos id

fecisse quod debemus, in sceleribus detestandis. Quis enim est, qui non possit, si studium adhibere velit, ad contritionem paulo majorum se excitare? At profecto absurdum, et alienum a divina benignitate videtur, ut eam medicinam instituerit, in qua pacem animi, ac tranquillitatem nullam inveniamus.

Quarta propositio: « Non requiritur certus gradus intensionis, neque mora ulla temporis, ad veram contritionem ». Hæc est adversus nonnullos, qui veram contritionem esse negant, nisi ad certum quemdam intensionis gradum perveniat, et certo spatio temporis duret. Sed facilis est hujus sententiæ confutatio. Nam Scripturæ conversionem et Pœnitentiam exigunt; sed certi gradus aut temporis mentionem nullam faciunt; quare si certus gradus, certumve tempus requireretur, id esset omnino incognitum, et proinde non ex electione, sed casu fieret, ut aliqui ad justam mensuram doloris pervenirent, et in eo dolore justo tempore versarentur. Deinde, quis unquam in præceptis fidei, spei, dilectionis, aliarumque virtutum istas mensuras excogitavit, ut non sit fides, aut spes, aut charitas, nisi certum gradum intensionis, et certam moram temporis habeat? quod si in virtutibus cæteris ista non requiruntur, cur requirerentur in Pœnitentiæ virtute?

Quid, quod Scriptura et Patres satis a parte tradunt, quovis momento posse hominem per veram Pœnitentiam justificari? Isai. xxx. juxta editionem LXX. Interpretum: *Cum reversus ingemueris, salvus eris*; et Ezechielis cap. 18. non semel Deus indulgentiam promittit iis, qui a peccatis aversi, atque ad vitam meliorem conversi fuerint. Et Ecclesiast. cap. II: *Facile est, inquit, in oculis Dei, subito honestare pauperem* (2).

S. Cyprianus tract. I. qui est ad Demetrianum, extremo: « In isto, inquit, mundo manenti, Pœnitentia nulla sera est. » Et infra: « Tu sub ipso licet exitu, et vitæ temporalis occasu pro delictis roges, et Deum, qui unus, et verus est, confessione, et fide agnitionis ejus implores, venia confitenti datur etc. » Et in sermone de cœna Domini: « Sed, inquit, et in eodem articulo temporis cum jam anima festinet ad exitum, et egrediens ad labia expirantis emergerit, Pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur. » Et infra: « Nec quantitas criminis, nec brevitatis temporis, nec horæ ex-

(1) Gen. XXXVII, 25 — (2) Eccli. XI, 23.

tremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit a venia. » Et infra, de bono latrone : « In momento, inquit, impietas religionem, crudelitas induit pietatem, et statim consummatus civis Sanctorum, et domesticus Dei præmissus est in regnum. » S. Basilius homil. de Pœnitentia : « Tantummodo volles, inquit, et ipse Deus ultro occurret. » Et probat ibidem Basilius exemplo filii prodigi, incredibilem esse Dei benignitatem erga pœnitentes. S. Joannes Chrysostomus in epist. priore ad Theodorum lapsum : « Non, inquit, ad temporis rationem, sed juxta affectum animæ solet dijudicari Pœnitentia. » Et infra de bono latrone : « In eo momento, inquit, totius vitæ peccata simul abstersit, atque ante Apostolos, officii grati præmium suscepit. » S. Leo in epist. 91. ad Theod. Episcopum : « Apud Deum, inquit, nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam : *Cum conversus ingemueris, salvus eris.* » Sanctus etiam Cœlestinus I. Papa in epist. ad Gallos : « Desperat, inquit, de misericordia Dei, qui ei ad subveniendum morienti sufficere, vel in momento, non credit posse. » Et infra : « Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorem mente potius æstimanda est, quam tempore, Propheta hoc taliter asserente, *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* »

Quinta propositio : « Neque illud exigitur ut tot sint actus contritionis, quot sunt peccata ; modo de omnibus, quæ post examen menti occurrunt, ex animo doleamus. » Nam ut negandum non est, singula peccata detestanda esse, cum scriptum sit Isaïæ xxxviii : *Recogitabo tibi omnes annos meos, etc.* (1). Et Ezech. xviii : *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, etc.*, sic est etiam concedendum, posse hominem unica actione peccata omnia, quæ memoriæ forte accurrunt, detestari, atque ob ea commissa dolere : alioqui enim falsum esset quod paulo ante demonstravimus, in momento posse hominem converti, et justificari.

Sexta propositio : « Utilissimum tamen est, peccata singula amarissime, et longo tempore ita deflere, ut contritio non solum appetitive, sed etiam intensive, et extensive, ut sic loquamur, summa dici possit. »

Hanc propositionem satis nobis persuadent exempla, et cohortationes Sanctorum ; nam

et David lavabat per singulas noctes lectum suum, Psalm. vi. et S. Petrus flevit amare, Luc. xxii et Magdalena lacrymis suis pedes Domini irrigavit, Luc. vii. et S. Augustinus de se loquens lib. viii. Confess. cap. xii : « Ubi, inquit, a fundo arcano alta consideratio contraxit, et congegit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrymarum. » Et infra : « Ego sub quadam fici arbore stravi me, nescio quomodo, et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. » Et infra : « Dicebam hæc, et flebam amarissima contritione cordis mei. » S. Cyprianus in serm. de lapsis, extremo : « Orare, inquit, oportet impensius, et rogare diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, etc. » S. Ambrosius in libro ad Virginem corruptam, cap. 8 : « Defluant, inquit, oculi lacrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt : pallesca facies, quæ quondam viruit impudice : cor vero sit liquescens, sicut cæra etc. »

Hæc et similia passim apud sanctos Patres inveniuntur, quæ quidem non eo solum toto animo amplectenda sunt, quod (ut diximus) contritio eo sit utilior, quo est major : sed etiam quia periculum est, ne homo se ipse fallat ; et dum se ad acrem et intensam contritionem excitare non satagit, revera ne appetitive quidem toto corde crimina detestetur.

## CAPUT XII.

### *Contritionem causam esse remissionis peccatorum.*

Septima controversia ordine sequitur : Utrum contritio peccata remittat. Lutherani etiamsi contritionem requirant ad remissionem peccatorum, tamen non ferunt, ut contritio dicatur causa justificationis ; quod ideo faciunt, ne ulla ratione fidei derogetur, cui soli justificationem tribuunt.

Lutherus in assert. art. 12. posteaquam docuerat fidem justificare, etiamsi per impossibile homo non esset contritus, subjungit : « Dixi autem, per impossibile, quia satis su-

(1) Isai. XXXVIII, 15 ; Ezech. XVIII, 21.

pra dictum est, fidem sine contritione esse non posse, cum gratia non infundatur sine magna concussione animæ : volui enim fidei virtutem declarare, et commendare, quam sola faciat ad remissionem peccatorum, et justificationem pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem, seu perturbationem illam cordis in cognitione peccatorum suscitatum negare, volo eam; sed dico eam non operari justificationem, aut remissionem peccatorum : fides enim in verbum Dei justificat, et purgat. » Joannes Calvinus lib. III. Instit. cap. 4, § 3 : « Diximus, inquit, et nos quodam loco, nunquam sine Pœnitentia obvenire peccatorum remissionem ; sed simul adjecimus, Pœnitentiam non esse causam remissionis peccatorum. » Martinus Kemnitius in 2. par. Exam. pag. 960 : « Impetrationem inquit, veniæ, et reconciliationem cum Deo, manifeste tribuunt (Catholici) actui seu operi contritionis nostræ : et quidem ante Absolutionem, quæ est vox Evangelii, gratis propter meritum Christi annuntians, et imperfiens fidei reconciliationem cum Deo, et remissionem peccatorum. Quid vero aliud est hoc, quam reconciliationem cum Deo, et remissionem peccatorum adimere Evangelio, et fidei, imo gratuitæ misericordiæ Dei, et merito Christi : et transferre illam in merita nostrorum operum ? »

At Catholici communi consensu docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum : quod idem Tridentinum Concilium docet, tum sess. 6. cap. 6. tum sess. 14. cap. 4. Ex quibus etiam locis intelligere licet, duobus modis contritionem causam esse justificationis ; quia videlicet disponit ad justificationem, et impetrat remissionem peccatorum. Sess. 6. cap. 6. numerat Concilium actum Pœnitentiæ inter dispositiones justificationis : et quia dispositio non solum se tenet ex parte materiæ, sed etiam ex parte agentis, ideo actus Pœnitentiæ quatenus ab auxilio gratiæ, et libero arbitrio procedit, et hominem disponit ad justificationem, ipsius justificationis causa dici potest aliquo modo etiam efficiens. Sess. 14. cap. 4. idem Concilium scribit : Contritionem omni tempore necessariam fuisse ad veniam impetrandam : porro impetrare est esse etiam aliquo modo causam.

Theologi Scholastici in eo solum dissentire videntur, quod nonnulli volunt actum Pœni-

tentiæ, ut etiam actum fidei et dilectionis, esse dispositionem ad remissionem peccatorum, sed non meritum neque de condigno, neque de congruo remissionis peccatorum : et hujus sententiæ sunt Joannes Capreolus in 2. Sentent. dist. 40. quæst. unica, et Dominicus a Soto lib. 2. de natura et gratia, cap. 4. At alii, iique plurimi, non solum dispositionem, sed etiam meritum de congruo justificationis esse volunt ejusmodi actus, quæ sententia est Magistri Sententiar. in II. lib. Sent. dist. 27. et S. Thomæ in 2. dist. 27. quæst. 4. ad 4. Alberti in primum, dist. 41. art. 2. ad quintum. S. Bonaventuræ in 2. dist. 28. art. 2. quæst. 3. et in 4. dist. 15. art. 1. quæst. 5. Præterea Scoti, Durandi, Gabrielis, et aliorum, in 2. dist. 28. et ex recentioribus Andreae Vegæ lib. 8. in Concilium Tridentinum, decem ultimis capitibus, et in opusculo de justificatione quæst. 7. Et quamvis posterior hæc sententia nobis verior, et Scripturis, ac Patribus conformior videatur, tamen in eo potissimum laborabimus, ut probemus, Pœnitentiam sive contritionem causam esse remissionis peccatorum quidquid sit de vocabulo meriti.

Habemus primum divinas litteras, ad quarum apertissima testimonia nullam adhuc legi adversariorum responsionem. Ezech. cap. XVIII. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit* (1). Quid clarius ? an vivificare animam suam, non est aliquid facere ad propriam justificationem ? In eodem capite : *Facite, inquit, vobis cor novum, et spiritum novum, quomodo autem faciat, homo sibi cor novum, et spiritum novum, paulo ante Propheta explicaverat dicens : Convertimini, et agite Pœnitentiam : projicite a vobis omnes prævaricationes vestras.* Quod si dum convertimur, et Pœnitentiam agimus, facimus nobis cor novum, et spiritum novum, quis inficiari potest, conversionem, ac Pœnitentiam causam esse justificationis ?

Jonæ III : *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, et misertus est Deus super malitia, quam locutus est ut faceret eis, et non fecit* (2). Hoc certo loco causa redditur cur misertus sit Dominus Ninivitarum, quia conversi sunt de via sua mala, Pœnitentiæ opera fecerunt.

Psalm. L : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (3). At sacrificium Deum placare, et

(1) Ezech. XVIII, 27. — (2) Jon. III, 18. — (3) Psalm. 4. 19.

gratiam impetrare solet : et ideo subjungitur : *Cor contritum, et humiliatum, Deus, non despicies.*

Dan. IV : *Peccata tua eleemosynis redime.* Tobiae XII : *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata* (1). Hæc loca non videntur intelligenda de eleemosyna quocumque animo facta : nam qui in peccato perseverare volunt, nunquam per eleemosynas salvabuntur. Neque intelligi possunt de eleemosynis justorum, qui pœnas temporarias post culpæ remissionem, juxta Catholicorum sententiam, redimunt : siquidem Nabuchodonosor, quem Daniel alloquitur, impius erat ; et Angelus apud Tobiam non tribueret eleemosynæ vim liberandi a morte, si de justorum tantum eleemosynis loqueretur. Quare loca illa de eleemosynis pœnitentium intelligenda sunt, qui saltem ex congruo per contritionem et opera Pœnitentiæ, Dominum placant.

Luc. VII : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (2). Hoc loco dilectio, sive contritio ex dilectione, quam lacrymæ testabantur, apertissime dicitur esse causa remissionis peccatorum : siquidem particula illa Quoniam, causalis est.

Sed accedant testimonia Patrum, qui passim per contritionem peccata deleri, ablui, purgari dicunt, item contritione Deum placari, eique satisfieri affirmant ; denique contritionem meritum, ac pretium appellare non verentur.

Tertullianus lib. IV. in Marcionem, ante medium : « Video, inquit, et Achab regem maritum Jezabel, reum idololatriæ, et sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse Pœnitentiæ nomine. » Et in libro de Pœnitentia : « Pœnitentia, inquit, Dominus mitigatur. » Origenes hom. 11. in cap. 20. Levitici « Purgatio, inquit, peccati per Pœnitentiam constat : quam utrum quis digne gerat, ita ut mereri pro ea veniam possit, videto. » Cyprianus in serm. 5. de lapsis, extremo, posteaquam dixerat, Pœnitentiam esse medicinam peccati, et per eam Dominum placari et ad veram contritionem fuerat cohortatus, ita sermonem clausit : « Qui sic Deo satisfecerit, qui Pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat, lætam faciet Ecclesiam, nec jam solum Dei

veniam merebitur, sed coronam. » Quibus verbis docet, vera contritione satisfieri Deo, et veniam impetrari, ut inde justificatus homo, etiam ipsam gloriæ coronam per martyrium, vel alia sancta opera mereatur. Athanasius in lib. de Virginitate, ultra medium : « Vide, inquit, quale remedium in lacrymis : specta, quæso, quam iniquitatem deleverint. Quid enim tetrius hoc vitio ? quippe qui ter jurejurando Dominum abnegaverit, tantum tamen scelus per lacrymas delevit. » Basilius in serm. de Pœnitentia : « Statim, inquit, David ad pharmacum properavit » ; ubi contritionem pharmacum peccati appellat. Et infra : « Tertio Dominum Petrus negavit ; lacrymatus est ; flexerunt lacrymæ eum, qui nostri misertus est. » Et in epistola ad Virginem lapsam, in fine, dicit per Pœnitentiam purgari animam : et in libro de vera virginitate, ultra medium : « Pœnitentia, inquit, certum est, relaxari peccata. » Ambrosius lib. II. de Pœnitentia, cap. 3, loquens de filio prodigo : « Tam cito, inquit, veniam meretur, ut venienti, et adhuc longe posito occurrat Pater, et osculum tribuat quod insigne est sacræ pacis. » Et lib. X. in Lucam, in illud Luc. 22. « Respexit Dominus Petrum, etc. Lacrymæ, inquit, veniam non postulant, sed merentur. » Et infra : « Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lacrymis tuam. » Et præfatione in Psal. 37 : « Quis dubitet affligere animam suam, cum Propheta tantus afflixerit, solvens pretium lacrymarum pro redemptione peccati ? » Ephrem in libro de die Judicii, cap. 5 : « Compunctio, inquit, sanitas animæ est, illuminatio mentis est : compunctio remissionem delictorum nobis acquirit. » Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, explicans contritionem ac Pœnitentiam ejus : « Quæ peccata, inquit, fletus iste non purget ? quas inveteratas maculas hæc lamenta non abluant ? » Et infra : « O felix Pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos. » Et in lib. II. contra Pelagianos : « Qui peccata, inquit, simpliciter confitentur, merentur humilitate clementiam Salvatoris. » Joannes Chrysostomus in II. lib. de compunctio cordis : « Sola est, inquit, cordis compunctio, quæ sicut ignis, omne animæ vitium perurit, et adimit : et quantacumque in ea reperit mala, abstergit universa, et penitus delet. » Augustinus in epist. 54. ad

(1) Dan. IV, 24 ; Tob. XII, 9. — (2) Luc. VII, 47.

Macedonium: « Quosdam, inquit, a societate removemus Altaris, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant. » Et in Psalm. 50: « Ninivitæ, inquit, Pœnitentiam egerunt, et certam misericordiam meruerunt »; cui sententiæ Gregorius subscribit lib. III. cap. 4. in primum librum Regum, in hæc verba: « Nivitæ dum veluti pro difficili reconciliatione, gravi Pœnitentia se dejiciunt, omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. »

Habemus igitur ex testimoniis veterum contritionem sive Pœnitentiam vere causam esse justificationis, cum peccata delet, abluat, abstergat, sanet, cum Deum placet, illi satisfaciat, ejus misericordiam impetret, ac suo modo mereatur.

Denique afferri potest etiam duplex ratio. Prima, oratio peccatoris pœnitentis non est inanis apud Deum, sed cum placat, et veniam impetrat, ut patet exemplo publicani, Lucæ 18. Multo igitur magis conversio, ac Pœnitentia, quæ orationis est causa, non erit inanis, sed aliquid faciet ad remissionem impetrandam. Secunda, actus Pœnitentiæ a Spiritu sancto est, ut adversarii concedunt, et ad justificationem disponit; ergo suo modo causa est justificationis: neque enim Spiritus sanctus per ejusmodi actum nos disponens, nihil facit, aut nullius pretii sive meriti est, quod facit in ordine ad justificationem.

Sed objiciunt adversarii. Si contritione nostra justificamur, quomodo gratis justificari nos dicit Apostolus? si contritio justificationem meretur, cur non potius redditur, quam donatur?

Respondeo, quod ad similem objectionem olim respondit Augustinus: ideo gratis nos justificari, licet contritionis merito justificemur, quia ipsa contritio donum Dei est; ille enim non gratis justificaretur, qui ex opere proprio, id est solius liberi arbitrii viribus acquisito, justificaretur: « Non dicat, inquit Augustinus in epist. 106, sibi, Si ex fide, quomodo gratis? quod enim fides meretur, cur non potius redditur, quam donatur? Non dicat ista homo fidelis, quia cum dixerit, Ut merear justificationem, habeo fidem: respondet ei: Quid enim habes, quod non accepisti? Cum ergo fides impetrat justificationem, non gratiam aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici. Hæc ille, ubi meritum humanum, vocat opus ex solo libero arbitrio fa-

ctum, sine speciali videlicet gratia Dei excitante et adjuvante: qua significatione accipiendum meritum, passim affirmat contra Pelagianos, gratiam non secundum merita nostra dari; ut videre licet in hac ipsa epist. 106. et in præcedente, et sequente; et præfatione in Psalm. 31. et libro de gratia et libero arbitrio, cap. 6. 7. et 8. ubi ante justificationem nulla agnoscit merita, nisi mala. Sed nusquam negat, ex operibus cum auxilio Dei speciali factis, ut ex actibus fidei, orationis, pœnitentiæ, et similibus, non posse nos mereri aliquo modo ipsam remissionem peccatorum, et gratiam bene operandi: quin potius id apertissime confitetur, epist. 105. « Nec ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori; et descendit justificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Restat igitur ut ipsam fidem, unde omnis justitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec ullis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcumque sunt merita: sed gratuitum Dei donum esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis cogitamus. » Et epist. 106. « Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur; negare non possumus, imo gravissime confitemur. »

Neque verum est, quod quidam dicunt ab Augustino retractatam fuisse istam propositionem; Fides meretur justificationem; quando retractavit illam: « Initium fidei est ex nobis; » lib. I. Retract. cap. 23. Nam in epist. 105. et 106. ubi maxime contendit initium fidei non esse ex nobis, disertis verbis docet, fidem mereri justificationem, ut jam ostendimus: et in illo ipso lib. I. Retract. cap. 23. ubi retractat quod olim dixerat; initium fidei esse ex nobis; affirmat verissime dictum esse, quod fides inchoat meritum. Porro S. Thomas in 1. 2. quæst. 114. art. 5. dicit hanc propositionem: « Fides meretur justificationem »; esse retractatam, si fides accipiatur pro fide solis viribus liberi arbitrii acquisita: in quo sensu neque S. Augustinus accipit fidem, neque nos accipimus, cum dicimus, fidem mereri de congruo justificationem.

Respondeo secundo ad eandem objectionem adversariorum, non solum gratis nos justificari, licet Pœnitentia justificationis

gratiam mereatur, quia Pœnitentia donum Dei est, ut jam diximus : sed etiam quia meritum istud, quod Patres agnoscunt ante remissionem peccatorum, non est meritum ex condigno, sed ex congruo, neque illi merces ex justitia, sed ex benignitate respondet, ac breviter non est meritum simpliciter, sed aliquo modo ; ut semper locuti sumus. Meritum enim ex condigno et simpliciter, non præcedit justificandum, sed sequitur justificatum, ut Augustinus scribit in Psalm. 110. libro de fide et operibus, cap. 14. lib. 1. ad Bonifacium, contra duas epistolas Pelagianorum, cap. 2. libro de spiritu et littera, cap. 29. et 30. et lib. 1. ad Symplicianum, quæst. 2.

De hoc merito ex condigno, sive ex justitia loquens Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 8. dicit, justificari hominem gratis, quia neque fides, neque opera, quæ justificationem præcedunt, ipsam merentur : meritum enim ex justitia, opponitur gratiæ, non autem meritum ex congruo, quod non in justitia, sed in liberalitate fundatur. Et hoc modo de merito, nimirum ex condigno, nos in primo libro dum mendacia Hæreticorum refutaremus, sæpe diximus : Contritionem non esse meritum, sed dispositionem justificationis. Denique omnia loca Patrum a nobis adducta, ubi Contritio sive Pœnitentia dicitur meritum, pretium, satisfactio pro peccato ; de merito, pretio, et satisfactione ex congruo accipienda sunt, ut etiam loca Scripturæ : *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4 (1). et similia.

### CAPUT XIII.

*Contritione perfecta cum voto Sacramenti suscipiendi, remitti peccata ante Sacerdotis absolutionem.*

Octava quæstio est : Utrum Contritio ante absolutionem sacerdotalem peccata remittat : siquidem Catholici Doctores communi consensu docere solebant, Contritionem si perfecta sit, et votum Sacramenti Baptismi, aut Absolutionis adjunctum habeat, omnino reconciliare hominem Deo, et peccata remittere, etiam antequam Sacramentum reipsa perciperetur.

Cæterum, nostro tempore Martinus Kemnitius in 2. parte Exam. pag. 960. aperte reprehendit eos, qui Contritioni remissionem peccatorum tribuunt ante absolutionem. Fuit etiam Doctor quidam ante paucos annos, qui in libro, quem de charitate conscripsit, adversus communem sententiam docuit ; Catechumenis et pœnitentibus, quamvis perfecte conversis, et charitate flagrantibus, non remitti peccata sive reatum mortis æternæ, nisi cum vel baptizantur, vel reconciliantur ministerio Sacerdotum, nisi forte in mortis articulo.

Et quidem cum Kemnitio, facili negotio controversia finiri potest. Nam cum ipse, et omnes Lutherani contendunt, sola fide hominem justificari, et Absolutionem ea tantum de causa requirant, ut per eam annuntietur verbum Dei, ex quo fides a pœnitente concipiatur : si quis ante Absolutionem, vel ex lectione Scripturæ, vel ex memoria Baptismi, vel aliunde fidem concipiat, quomodo negare possunt eum justificari etiam ante Sacerdotalem Absolutionem ? Nonne Lutherus ipse in lib. de captiv. Babyl. cap. de Baptismo, scripsit, hominem justificari, modo credat, etiamsi Baptismus non in nomine Domini, et proinde non verum et legitimum accipiat ? et in assertione articuli 12. nonne scripsit, undecumque verbum audiat, fidem concipi posse, et inde hominem justificari, etiamsi non per modum Absolutionis, sed per jocum, vel ad illud oppugandum, verbum Dei pronuntietur ? Denique nisi Kemnitius probet, quod nunquam faciet, fidem concipi non posse, nisi per Absolutionem, nunquam obtinebit, non posse homines ante justificari, Deoque reconciliari, quam Sacerdotum ministerio absolvantur. Porro Catholici non cuicumque Pœnitentiæ, sed illi soli remissionem peccatorum tribuunt ante Absolutionem, quæ perfecta est, quæque ex fide, spe, et charitate procedit.

Jam vero scriptori illi Catholico, qui veram perfectamque Contritionem, cum reatu lethalis peccati usque ad Sacramenti perceptionem, manere contendit, opponimus primum Concilii œcumenici auctoritatem. Nam Concilium Tridentinum, sess. 6. cap. 4. declarat post Evangelium promulgatum neminem justificari sine Baptismo, aut ejus voto : quo loco admittit Concilium, posse hominem per veram Pœnitentiam cum voto

(1) Dan. IV, 24.



Baptismi, Deo reconciliari, antequam Baptismum reipsa percipiat. Et sess. 14. cap. 4. disertis verbis docet, Contritionem charitate perfectam, reconciliare hominem Deo, priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur. Et sess. 13. cap. 17, idem Concilium declarat ad præparationem Eucharistiæ, Confessionem Sacramentalem necessariam esse iis, qui conscientiam habent peccati lethalis. Et simul excipit eos, qui forte Missam celebrare tenentur, neque habent sacerdotem, cui peccata sua confiteantur; iis enim Contritionem cum proposito Confessionis ad Eucharistiam non indigne percipiendam sufficere iudicavit. Itaque Concilium illud credidit, per veram contritionem, etiam ante sacerdotis Absolutionem, et extra mortis articulum, peccata remitti; neque enim suspicari fas est, in ullo casu Concilium Catholicum permissurum fuisse, ut cum conscientia reatus peccati mortalis, ad Sacramentum Eucharistiæ accederetur.

Secundo, opponimus testimonia Scripturarum, et sanctorum Patrum explicationes. Scriptura enim passim docet, eos, qui toto corde ad Dominum convertuntur, sine mora veniam peccatorum accipere.

Lib. II Reg. cap. 12. cum audisset David a Nathan Propheta peccatum suum, pœnitentia ductus ait: *Peceavi Domino*, et continuo subiecit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; de qua re loqui videtur idem David, cum ait in Psalm. 31: *Dixi, Confitebor adversum me iniquitatem meam: et tu remisisti impietatem peccati mei* (1). S. Ambrosius in Apologia David, cap. 7: « Si dixit, inquit, Pronuntiabo, et veniam meruit antequam pronuntiaret, quanto magis ubi de se pronuntiavit dicens: Iniquitatem meam ego cognosco remissum est ei omne peccatum? ergo remissionem meruit iniquitatis, et texit charitate, atque operuit peccata sua. » S. Augustinus concione 2. in Psalm. 31: « Non pronuntiat, inquit, sed promittit se pronuntiatum, et ille jam dimittit. » S. Gregorius in commentario ejusdem Psalm. 31: « Attende, inquit, quanta sit indulgentiæ vitalis, velocitas, quanta misericordiæ Dei commendatio, ut confitentis desiderium comitetur venia, antequam ad cruciatum perveniat Pœnitentia: ante remissio ad cor perveniat, quam confessio in vocem erumpat. »

Isaïæ XXX. secundum versionem LXX. Interpretum: *Si reversus ingemueris, tunc salvus eris*; ex quo loco ita colligit quod volumus, S. Leo epist. 91. ad Theodorum Forojulii Episcopum: « Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris. » Hæc ille, qui certe satis aperte docet, veram conversionem nullas pati veniæ moras, proinde continuo remitti contritis peccata, etiam antequam Absolutio Sacerdotalis accedat.

Similia legimus apud Ezechielem, cap. 18: *Si impius averterit se ab injustitia sua, iniquitatum ejus non recordabor amplius*; et cap. 33: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* (2). At profecto multum nocet impietas, quamdiu reum facit æternæ damnationis, nec potest Deus dici oblitus iniquitatum, quamdiu pœnas æternas iniquitati debita non relaxat.

Huc etiam pertinet parabola filii prodigi, Lucæ 15; videmus enim in ea parabola, patrem occurrisse filio revertenti, et antequam ille confessionem suam absolvisset, dedisse osculum pacis. Quam parabolam ad pœnitentium consolationem adducens, Ambrosius lib. II. de Pœnitentia, cap. III: « Tam cito, inquit, veniam meretur, ut venienti, et adhuc longe posito occurrat Pater, et osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis. »

Tertio, opponimus ea omnia loca Scripturæ et Patrum, quæ charitatem cum peccato sive reatu mortis æternæ, simul habitare non posse testantur. Si enim charitas sine remissione peccatorum esse nequit, et Contritio nascitur ex charitate, eamque comitem individuum habet, necessario efficitur, ut etiam Contritio sine remissione peccatorum esse nequeat.

Proverb. VIII: *Ego diligentes me diligo*. Proverb. X. et I Petr. IV: *Universa delicta operit e charitas*. I Joan III: *Nos scimus quia translatus sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: qui non diligit, manet in morte*. Lucæ VII: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (3).

S. Joannes Chrysostomus homil. 7. in posteriorem ad Timotheum: « Sicut, inquit, ignis ubi sylvam occupaverit, omnia purgare

(1) Psalm. XXXI, 5. — (2) Ezech. XVIII, 22 et XXXIII, 12. -- (3) Prov. VIII, 47; I Pet. IV, 8; I Joan. III, 14; Luc. VII, 47.

consuevit, ita et charitatis fervor quocumque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit : ubi charitas est, omnia sublata sunt mala. » S. Gregorius homil. 33. in Evangelia : « Quid, inquit, esse dilectionem credimus nisi ignem? et quid culpam, nisi rubiginem? unde nunc dicitur : Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum : ac si aperte diceretur : Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per ignem amoris. » Si Augustinus lib. xv. de Trinit. cap. 18. de charitate loquens : « Nullum est, inquit, isto dono Dei excellentius : solum est, quod dividit inter filios regni æterni, et filios damnationis æternæ. » Hæc ille, qui reatum mortis æternæ cum charitate esse non posse, apertissime confitetur. Quomodo enim charitas divideret inter filios regni æterni, et filios damnationis æternæ? si possent qui charitate flagrant esse rei damnationis æternæ? Idem Augustinus tract. 5. in epist. Joannis : « Dilectio, inquit, sola discernit inter filios Dei, et filios Diaboli. » Et infra : « Si solam habes, sufficit tibi; » at quomodo sola sufficit, si hominem non liberat a reatu mortis æternæ? Et infra : « Si quis in corde suo invenerit charitatem, is securus sit, quia transiit a morte ad vitam, jam in dextera est. » At num in dextera esse dici potest, qui adhuc reus est gehennæ, et filius iræ, ac perditionis? Vide similia loca, lib. de unitate Ecclesiæ, c. XIX. et hom. 50 de verbis Domini.

Quarto, opponimus rationem ex effectis, et proprietate charitatis ductam. Charitas et consequenter Contritio, efficit filios Dei, ut S. Augustinus demonstrat libro de gratia Christi, cap. XXI. ex illis verbis Scripturæ : *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus* I Joan. III. At qui filii Dei sunt, hoc ipso hæredes regni sunt, juxta illud Apostoli Gal. 4 : *Itaque jam non est servus, sed filius : quod si filius, et hæres per Deum* (1) ; non igitur potest qui charitatem habet, reus esse mortis æternæ, quæ exhæredationem a regno cælorum includit.

Rursus, qui charitatem habet, implet legem et recte vivit, ut idem Augustinus ostendit in libro de fide et operibus, cap. XIV, ex illis Apostoli verbis Roman XIII : *Plenitudo legis est dilectio* (2). At nemo recte vivere, neque legem implere potest, nisi regeneratus, et justificatus et filius Dei effectus. Libro primo contra duas espistolas Pelagianorum, cap. 2. inquit

Augustinus : « Cum non vivant bene homines nisi effecti filii Dei, quid est, quod iste libero arbitrio tribuit bene vivendi potestatem? Et præfatione in expositionem Psalm. 31. « Nihil, inquit, boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum; » et concione secunda in eundem Psalmum, explicans illud : « Pro hac orabit ad te omnis Sanctus, » scribit neminem esse sanctum, nisi post remissionem peccatorum. Et in Psalm. 110 : « Justitiam, inquit, non operatur, nisi justificatus », et libro de de spiritu et littera, cap. 26 : « Factores legis justificatio præcedit. » Sequitur igitur, ut qui charitatem habent, liberi sint a peccato, quandoquidem sancti sunt, et legem implent, quod nemo potest nisi a peccato justificatus.

Præterea charitas facit amicos Dei, vel potius ipsa est amicitia hominis cum Deo. Proverb. VIII : *Diligentes me diligo*. Joan. xv : *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*; quid autem ipse præcipiat, explicat in eodem loco dicens : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (3). S. Ambros. in epist. 7. ad Simplician. : « Libertas, inquit, liberum facit hominibus, charitas amicum Deo. » At qui amicus Dei est, quomodo potest reus esse apud Deum mortis æternæ? potest ne aliquis amicum putare, a quo sciat sibi sempiternum exitium præparatum.

Quinto, opponimus Ecclesiæ totius consensum. Nam in Ecclesia sæpe conceduntur a Pontificibus Indulgentiæ habentibus contritionem peccatorum suorum cum proposito Confessionis sacramentalis suo tempore faciendæ : et eadem Indulgentiæ a fidelibus toto orbe Christiano libenter et cum gratiarum actione suspiciuntur. At certum est, Indulgentias hoc requirere ut qui eas sumit, jam sit in statu gratiæ, et liber a reatu mortis æternæ, et solum pro temporalibus pœnis satisfacere teneatur; Indulgentiæ enim a temporalibus pœnis homines liberant, si tamen prius ab æternarum reatu liberati fuerint : Quare universa Ecclesia credit, per contritionem cum voto Confessionis, a reatu peccati mortalis hominem liberari, atque in gratiam cum Deo redire.

Postremo, opponimus id, quod etiam Adversarius admittit; in articulo mortis, si non adsit, qui reconciliet pœnitentem, vel baptizet Catechumenum, posse eos per veram contritionem cum desiderio Sacramenti perci-

(1) I Joan. III, 1 ; Gal. IV, 7. -- (2) Rom. XIII, 10. -- (3) Prov. VIII, 17 ; Joan. XV, 14.

piendi, non solum justificari, sed etiam continuo ad æternam gloriam pervenire. Id enim docet Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani Junioris. Augustinus lib. iv de Baptismo contra Donatistas, cap. 22. Bernardus in epist. 77. ad Hugonem, et Innocentius III. cap. ad Apostolicam, de presbytero non baptizato. At certe non est articulus mortis, qui homines illos justificat, sed vera conversio, et cordis contritio cum desiderio Sacramenti suscipiendi. Articulus enim mortis solum excusat a prævaricatione præcepti, ac facit ut non sit reus Sacramenti non percepti, qui non ideo Sacramentum non habuit quia noluit, sed quia non potuit. Ergo ubicumque eadem causa reperietur, id est, vera Contritio cum proposito Sacramenti suscipiendi, idem etiam continuo sequetur effectus.

## CAPUT XIV.

### *Solvuntur objectiones.*

Multæ sunt objectiones et graves adversus ea, quæ superiore capite disputata sunt. Prima objectio : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Luc. 7 (1). Si Dominus peccata dimisit, cum ait : *Remittuntur ei peccata multa*, ut verba ipsa sonant, quæ præsentis temporis sunt, et ut sentire videtur S. Thomas in 3. par. quæst. 64. art. 3. necesse est, ut aliquo tempore fuerit mulier in peccatis suis, licet charitate flagraret. Non enim tunc primum cœpit diligere, cum audivit absolutionem suam, sed multo ante cœperat. Dominus enim non ait : Quia diligit multum, sed : *Quia dilexit multum.* Neque responderi potest, remissam fuisse pœnam temporalem, non autem æternam, cum Dominus ait : *Dimittuntur ei peccata multa.* Nam in parabola duorum debitorum explicuit Dominus se loqui de condonatione debiti, pro qua debitores satisfacere nunquam potuissent : « Non habentibus, inquit, unde redderent, donavit utrisque » ; at satisfacere pro temporali pœna, possunt ii, quibus Deus donavit æternam, et quos gratia sua divites fecit.

Respondeo, verba illa : *Dimittuntur ei peccata multa*, non cogunt ut dicamus, illo ipso tempore peccata fuisse foeminae illi dimissa, quo verba illa Dominus pronuntiavit : nam

etiam postea interjecto aliquanto spatio temporis, iterum Dominus ait : *Remittuntur tibi peccata tua* ; nec tamen dicere debemus, his eadem peccata fuisse dimissa. Verba igitur Domini : *Remittuntur ei peccata multa* etc. nihil aliud significant, nisi, magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ : et ut S. Gregorius explicat in homil. 33 magnam rubiginem peccati, magno charitatis igne purgatam. Illa autem verba : *Remittuntur tibi peccata tua*, quæ magis præ se ferunt formam præsentis Absolutionis, partim absolvunt exterius, et coram hominibus, eam quæ jam intus a Deo absoluta erat ; partim etiam confirmant Absolutionem invisibiliter datam. Nam simile quid legimus Marci 5. ubi Dominus mulieri, quam jam sanaverat a fluxu sanguinis, ait : *Esto sana a plaga tua* (2) ; quo verbo non eam curavit, sed curationem jam factam confirmavit. Porro sancti Thomæ testimonium nihil concludit, quoniam in argumentis contrariis rem illa breviter attigit, sed non clare exposuit, quid inde sentiret.

Dicet aliquis : Si dilectio Dei causa fuit remissionis peccatorum, prius certe debuit esse dilectio, quam peccati remissio : ergo dabitur tempus aliquod, quo dilectio Dei sine remissione peccatorum fuerit.

Respondeo, dilectionem Dei super omnia, de qua hic loquimur, ultimam esse dispositionem ad gratiam, et peccati remissionem et propterea esse quidem naturam priorem quam si remissio peccatorum, sed nullo puncto temporis eam præcedere : quod idem in naturalibus formis et dispositionibus usu venire Philosophi docent.

Secunda objectio : *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Joan. 14 (3). At Catechumeni ante remissionem peccatorum, sermones Domini diligenter observant : igitur Catechumeni ante remissionem peccatorum Deum diligunt.

Respondeo : si de integra observatione mandatorum Dei agatur, falsa est assumptio : neque enim Catechumeni ante remissionem peccatorum omnia mandata servant ; vel si ea servant, non carent remissione peccatorum, ut supra ex Augustino demonstravimus.

Tertia objectio : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, etc.* (4). Hic igitur est ordo justificationis, ut primum

(1) Luc. VII, 47 — (2) Marc. V, 34. — (3) Joan. XIV, 24. — (4) Joan. XIV, 23.

quis diligat Deum, deinde mandata servet, postremo illi per adventum Patris, et Filii, et Spiritus sancti peccata omnia remittantur.

Respondeo : illud : *Pater meus diliget eum et ad eum veniemus etc.* ad gloriam æternam, non ad justificationem a peccatis referendum est, ut S. Augustinus tract. 75. in Joannem, et S. Cyrillus lib. x. in Joannem cap. I. referunt. Itaque hic est ordo, quem Dominus hoc loco statuit, graduum ad vitam æternam, ut quis primum diligat Deum, deinde mandata omnia servet, postremo diligatur a Deo dilectione illa perfecta, quæ beatitudinem confert. Quod idem apertius paulo ante his verbis Dominus explicaverat : *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum, quod certe tunc fiet, cum similes illi erimus, Quia videbimus eum sicuti est.* I Joan. III (1).

Quarta objectio, Actor. 22. Ananias Paulo, quem perfecte conversum esse, et vas electionis factum ab ipso Domino audierat, sic ait : *Et nunc quid moraris exurge, et baptizare et ablue peccata tua, invocato nomine illius* (2).

Respondeo : rectissime dicuntur hæc Paulo ab Anania, quia debuit Paulus omnia facere, quæ ad peccata remittenda Dominus instituerat. Non enim certo sciebat Ananias, adeo perfectam Pauli conversionem fuisse, ut sola sufficeret ad peccata ejus delenda ; licet eum a Domino singulariter præordinatum, et vas electionis futurum esse non dubitaret. Potuit etiam Ananias hortari Paulum, licet perfectissime conversum, et per hoc justificatum, ut amplius peccata sua ablueret : juxta illud Psal. I. *Amplius lava me ab iniquitate mea* (3) ; forte enim non totius pœnæ reatus per conversionem ei remissus fuerat ; si totius pœnæ reatus fuerat remissus, certe non deerant vulnera ex peccato relicta, ut propensiones malæ, et alia id genus multa, quæ per gratiam Dei curari poterant. Denique et illud dici posset, debuisse Paulum jam intus lotum invisibiliter, lavari etiam exterius visibiliter, ut non solum gratiam, sed etiam gratiæ signum haberet ; ut sensus sit eorum verborum : *Ablue peccata tua*, id est, Ablutionis Sacramentum accipe : quo modo de Cornelio loquitur S. Augustinus quæst. 33. in lib. Nümeri : « Cornelius, inquit, audiens et credens quod prædicaverat Petrus, ita munda-

tus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti : verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus, lavaret quodam modo vestimenta sua. » Hæc ille.

Quinta objectio : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum anathema sit.* I Corinth. XVI (4). At impium est, execrari Catechumenos et pœnitentes, anhelantes ad remissionem peccatorum : igitur in illis est charitas Christi ante remissionem peccatorum.

Respondeo : Catechumeni, et pœnitentes, si Christum super omnia diligunt, ac vera Dei charitate flagrant, jam apud Deum remissionem consecuti sunt, ad cujus remissionis Sacramentum pie, religioseque anhelant. Si autem per inchoatam dilectionem Dei (ut Concilium Tridentinum loquitur sess. 6, cap. 6.) paulatim disponuntur ad gratiam, non habent illi quidem remissionem peccatorum, sed neque ex eorum numero habendi sunt, quos Apostolus execratur : ille siquidem eis tantum anathema dicit, qui Christum neque perfecte, neque imperfecte diligunt, vel etiam oderunt ac persequuntur, aut certe contemnant, et agnoscere dedignantur.

Sexta objectio : *Qui non diligit, manet in morte.* I Joan. III (5). Sed Catechumeni et Pœnitentes ante remissionem peccatorum vivunt, cum peccata sua confiteantur, quod mortui facere nequeunt, dicente Scriptura : *A mortuo tamquam qui non est, perit confessio.* Ecclesiastici XVII (6). Igitur Catechumeni et Pœnitentes ante remissionem peccatorum Deum diligunt.

Respondeo : Catechumeni et Pœnitentes, dum diligere incipiunt (ut Concilium paulo ante citatum loquitur) simul vivere incipiunt, perfecte victuri, quando perfecte diligunt. Quare pulchre Augustinus, lib. I. ad Simplicianum, quæst. 2. comparat Catechumenos embrionibus, qui in uteris matrum concepti vivere incipiunt, sed nascuntur postea per Baptismum, ut ad vitam perveniant sempiternam. Porro Confessio non est proprie opus vitæ, sed dispositio ad vitam : opera enim quæ proprie dicuntur vitæ, sunt opera justitiæ bona, ac vitæ æternæ meritoria. Augustinus in Psalm. cx. « Justitiam, inquit, homo non operatur, nisi justificatus » ; et infra : « Unde ergo illa confessio : nondum quidem opus est justitiæ, sed delicti improbatio. »

(1) I Joan. III, 2. — (2) Act. XXII, 16. — (3) Psalm. II, 4. — (4) Corint. XVI, 22. — (5) I Joan. III, 14. — (6) Eccli. XVII, 26.

Septima objectio. Apostolus I Corinth. XIII, scribit, neque fidem, neque eleemosynas aliquid prodesse sine charitate. Sed impium est existimare vel dicere, nihil prodesse Catechumenis et pœnitentibus fidem quam habent, et eleemosynas quas faciunt, ante remissionem peccatorum : habent igitur illi charitatem, etiam ante remissionem peccatorum.

Respondeo : quod Apostolus ait, fidem, et eleemosynas non prodesse sine charitate, non ita accipiendum est, quasi absolute non prosint, hoc est, nullam afferant utilitatem, sed quod nequeant hominem ad vitam æternam perducere, nisi cum charitate jungantur : alioqui enim fides, quamvis informis, donum Dei est, et multum prodest, cum sit justificationis initium, et justitiæ fundamentum. Si quis ædificii materialis fundamentum jecisset, ac deinde neque parietes, neque tectum superædificaret, nihil ei prodesset quod fecit, cum solo fundamento neque a sole, neque ab imbribus defendi posset : at si vellet in ædificatione pergere, multum ei prodesset, quod fundamentum jam haberet. Sic etiam fides informis, si semper maneat informis, non prodest, quia non salvat, multum tamen prodest, si ei spes et charitas adjungantur.

Octava objectio : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Galat. v (1). Sed fides, qua Catechumeni et pœnitentes impetrant remissionem peccatorum, multum valet; igitur per dilectionem operatur.

Respondeo : fides quæ per dilectionem operatur, dicitur sola valere, quia sola perfecte justificat, et salvat : sed non ideo fides, quæ petit remissionem peccatorum, et inchoat justificationem, nihil valet. Neque oportet Christianum hominem, idem iudicium facere de fide, quæ magnum donum Dei est, et sine qua impossibile est placere Deo, et de circumcisione ac præputio, quæ nullam omnino vim habent ad justificandum.

Nona objectio : *Scientia inflat, charitas ædificat.* I Corinth. 8 (2). Sed scientia Catechumenorum, et penitentium non inflat, sed ædificat, cum ad remissionem peccatorum hominem perducatur; igitur cum charitate conjuncta est etiam ante remissionem peccatorum.

Respondeo : non habet Apostolus, scientiam sine charitate semper inflare; sed scientiam occasionem superbiæ præbere solitam, et ideo magis charitati, quam scientiæ incumbendum esse. His autem non repugnat, ut scientia sine charitate, sed cum timore, qui charitatem præcedit, non inflat, sed deprimat, quod sæpe in pœnitentibus qui ex contemplatione iudicii futuri, aut infernalium suppliciorum non modo non inflantur, sed etiam terrentur, et humiliantur.

Decima objectio. Concilium Milevitanum cap. 4. dicit anathema iis, qui dicunt gratiam dilectionis non esse necessariam ad non peccandum : sed non peccare convenit etiam Catechumenis ante remissionem peccatorum.

Respondeo : loquitur Concilium de gratia dilectionis, per quam homo vitare potest omnia peccata mortalia, sive omnia mandata servare, quæ gratia non præcedit, sed simul infunditur cum remissione peccatorum : ut patet ex cap. 3. ubi dicitur gratiam Dei per Jesum Christum, non solum remittere peccata, sed etiam juvare ad non peccandum; et statim cap. 4. dicitur, hanc eandem gratiam non esse scientiam tantum, sed etiam charitatem. Quod vero dicitur in argumento : « Catechumenis ante remissionem peccatorum convenit non peccare », in eo sensu verum est, quia non licet eis peccare, et auxilium Dei habent, quo possint vitare singula peccata; non tamen omnia simul vitabunt, nisi posteaquam gratiam justificationis fuerint adepti.

Undecima objectio, Concilium Arausicum can. ult. : « Deus, inquit, nullis præcedentibus meritis, fidem et amorem sui prius inspirat, ut Baptismi Sacramentum fideliter requiramus. » ¶ Item Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. dicit, quod peccatores se ad justitiam præparantes, Deum tamquam fontem justitiæ diligere incipiunt.

Respondeo : ista argumenta ferunt secum solutionem. Nam Concilium Arausicum aperte distinguit amorem illum imperfectum, quem habent homines ante remissionem peccatorum, a vera charitate, per quam servantur omnia mandata, quæ cum reatu mortalium peccatorum esse non potest : siquidem postquam dixerat : « Fidem et amorem sui prius inspirat » subdit : « Ut Baptismi Sa-

(1) Galat. V. 6. -- (2) I Corint. VIII, 1.

eramentum fideliter requiramus, et post Baptismum, quæ ipsi sunt placita implere possimus.» Concilium vero Tridentinum, clarissime distinguit imperfectum illum amorem a charitate, quam cap. 7. dicit, cum remissione peccatorum simul infundi.

Duodecima objectio. S. Augustinus lib. XII. de civit. Dei, cap. 9. et lib. XIV. cap. 7. et libro de gratia Christi, cap. 21. et alibi, docet bonam voluntatem esse id, quod in Scripturis usitatus charitas nominatur: sed bonam voluntatem habet homo etiam ante remissionem peccatorum, cum Lucæ 2. promittatur pax hominibus bonæ voluntatis.

Respondeo: bona voluntas, quam B. Augustinus vocat charitatem, non est quæcumque bona voluntas, sed illa quæ datur nobis per Spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba Pater; quæque diffunditur in cordibus nostris per Spiritum inhabitantem, et quæ sola perducit ad vitam æternam. Nam sanctus Augustinus eodem lib. 12. de civit. Dei, cap. 9. postquam dixit Angelos creatos cum bona voluntate, id est, cum charitate, statim rationem subdit, quia de Angelis quoque dici potest: « Charitas Dei diffusa est in cordibus eorum, per Spiritum sanctum, qui datus est eis. » Præterea libro de gratia Christi, cap. 21. jam citato, postquam dixit bonam voluntatem dici charitatem, statim addit, ipsam esse per quam efficiuntur filii Dei. Item lib. IV. in Julianum, cap. 3. dicit se bonam voluntatem appellare bonum illud, per quod solum homo potest ad æternam vitam, regnumque perducere. Denique lib. I. de libero arbitrio, cap. 12, definit Augustinus bonam voluntatem, appetitum recte vivendi, et ad summam sapientiam perveniendi: recte autem vivere neminem posse, nisi prius Filius Dei per regenerationem effectus sit, docet idem Augustinus lib. I. cap. 2. contra duas epistolas Pelagianorum.

Quod vero in argumento additur, promitti pacem hominibus bonæ voluntatis; nihil efficit contra nos. Nam in primis codices Græci non habent: *Pax hominibus bonæ voluntatis*; sed: *In terra pax hominibus bona voluntas*: nomen quoque *Bonæ voluntatis*: non est *θέλεια ἀγαθόν*, sed *εὐδοκία*, quod nomen non solet significare amorem hominis erga Deum, sed amorem Dei erga homines. Itaque cum dicitur: *In terra pax, in hominibus bona voluntas*, sensus est: Annunciatur hominibus pax, quæ est ipsa Dei bona vol-

untas erga ipsos. Secundum vero Latinos codices, in quibus habetur: *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*, sensus est: Annunciatur in terra pax hominibus, pax (inquam) bonæ voluntatis Dei erga nos.

Decima tertia objectio. Augustinus epist. 143. ad Julianum, dicit, per charitatem adimpleri in nobis, si quid divinæ legis, et admonitionis implemus: sed Catechumeni ante remissionem peccatorum multum implent divinæ legis, cum ad Baptismum accedunt. Item libro de gratia Christi, cap. 26. dicit, nullum bonum opus sine charitate imputari, nec esse vere bonum opus. At Catechumenorum opera non sunt omnia peccata: igitur Catechumeni charitate præditi sunt, etiam ante remissionem peccatorum.

Respondeo: per charitatem impletur, si quid divinæ legis impletur, quia sine charitate nullum mandatum servare possumus, nisi secundum substantiam operis: sine charitate etiam nullum bonum, opus imputatur, nec est vere bonum, secundum Augustinum, quia ipse id vocat bonum, quod est meritorium vitæ æternæ. Catechumeni autem ante remissionem peccatorum servant aliquid legis, secundum substantiam operis, et faciunt opera bona, sed non meritoria vitæ æternæ.

Decima quarta objectio. Augustinus lib. II. contra duas epistolas, cap. 9: « Quid est, inquit, boni cupiditas, nisi charitas? de qua Joannes sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est; nec initium ejus ex nobis, et perfectio ex Deo; sed si charitas ex Deo est tota nobis ex Deo est. » Sed initium bonæ cupiditatis habetur ante remissionem peccatorum; ergo et charitas.

Respondeo: Augustinus non dicit, quodlibet initium cupiditatis boni esse charitatem, sed ipsam perfectam boni cupiditatem: distinguit enim initium charitatis ab ipsa charitate, et utrumque dicit esse ex Deo, quia qui infundit charitatem, ipse idem antea inspirat bona desideria, quibus homo disponitur ad charitatem. Id quod clarius docet libro de gratia et libero arbitrio, cap. 18: « Sine suo fructu, inquit, admoneretur liberum arbitrium, quærere Dei donum, de quo Joannes ait: Dilectio ex Deo est: nisi prius acciperet aliquid dilectionis. » Hic vides, dari homini aliquid dilectionis, quod nondum charitas dici potest, et per illud disponi ad veram charitatem, de qua Joannes ait: *Charitas ex Deo est.*

Decima quinta objectio sumitur ex Leone, qui serm. 9 de passione Domini, et Bernardo, qui in lib. de diligendo Deo, dicunt, in Petro, cum Christum negavit, non fuisse extinctam charitatem.

Respondeo : S. Thomas in quæstionibus disputatis, quæst. de charitate, art. ult. et in 2. 2. quæst. 24. art. ult. recte dicit, charitatem Petri a Bernardo dici sopitam fuisse, non extinctam, quia statim rediit, ac si sopita tantum fuisset : a Leone autem dici non eversam dilectionem, sed constantiam fuisse turbatam. Quia, non peccavit Petrus ex odio Christi, sed ex timore mortis, et ideo mansit dilectio, sed non super omnia : dilexit enim Petrus semper Christum, sed in illo timore magis se, quam Christum dilexit.

Decima sexta objectio. Multi catechumeni vera charitate flagrant, et tamen nondum habent peccatorum remissionem, cum non sint in Christo regenerati : vera igitur charitas cum reatu peccati mortalis haberi potest. Augustinus tract. 13. in Joan. : « Quantumcumque, inquit, Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam suæ iniquitatis portat, nec illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. » Et lib. iv. de Baptismo contra Donatistas, cap. 21 : « Non dubito, inquit, Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem, hæretico baptizato antepone etc. » Et infra : « Sicut autem bono Catechumeno Baptismus deest ad capessendum regnum cœlorum, sic malo baptizato vera conversio. » Præterea idem Augustinus epist. 57. ad Dardanum, lib. 1. de prædestinatione sanctorum, cap. 7. et lib. 1. quæst. 2. ad Simplician. et lib. 1. de Baptismo, cap. 8. et lib. iv. cap. 21. dicit Cornelium centurionem, licet laudatum in Scripturis, nondum talem fuisse, ut salvus esse posset, nisi per Sacramentum Baptismi incorporaretur Ecclesiæ : Et de se scribit lib. ix. Confess. cap. 4 : « Et insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, et gaudens in fide laudavi nomen tuum, et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per baptismum tuum remissa nondum erant. » Præterea S. Leo epist. 91. ad Theodorum Episcopum Foro-Julii : « Divinæ, inquit, bonitatis præsiidiis ordinatum est, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. » Item Richardus de S. Victore, in lib. de potestate ligandi et solvendi, cap. 91. dicit aperte,

posse hominem esse in charitate, et simul in reatu æternæ damnationis : quod etiam affirmat Thomas Waldensis tom. 2, de Sacramentis, cap. 97.

Respondeo ad primum locum Augustini. Dico eum loqui de iis Catechumenis, qui negligunt ad Baptismum accedere : tales enim quantumvis proficiunt, nunquam sunt vere justificati, cum nec in re, nec in voto Sacramentum Baptismi habeant, nec vera charitate flagrent ; vera enim charitas, et verum Baptismi votum, non permittunt hominem esse negligentem, vel contemptorem Baptismi. Quare ibidem Augustinus : « Ad hoc, inquit, viam præbuit Dominus noster, ne quis arrogans, eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignaretur baptizari Baptismo Domini. Quantumcumque enim Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nec illi dimittitur nisi cum venerit ad Baptismum. » Quod intellige, in re, aut in vero et ardenti desiderio : nam apud Deum animus pro facto reputatur. Quare idem Augustinus lib. iv. de Baptismo, cap. 23. scribit, latronem, qui cum Christo crucifixus fuit, non caruisse Baptismo ; quia non ejus accipiendi voluntas defuit, sed non accipiendi necessitas adfuit.

Ad secundum dico, Catechumenum divina charitate flagrantem, non carere remissione peccatorum. Quod autem desit illi Baptismi susceptio ad capessendum regnum cœlorum, non ideo est, quia non habeat remissionem peccatorum, sed quia tenetur Baptismum suscipere, nisi necessitate aliqua excludatur, et si contempserit, aut neglexerit accipere, reus erit, et damnabitur ; non quia nunquam habuerit remissionem peccatorum, sed quia Sacramentum contempsit, in cujus virtute et voto justificatus erat. Ita Augustinus ibidem : « Verumtamen, inquit, Cornelius, si etiam Spiritu sancto accepto baptizari nolisset, contemptui tanti Sacramenti reus fieret. »

Ad tertium dico, Cornelium ante Baptismum procul dubio accepisse remissionem peccatorum, saltem posteaquam fidem a B. Petro audivit, et votum Baptismi habuit ; nam ut dicitur Actor. x., etiam Spiritum sanctum inhabitantem habuit. Augustinus autem locis notatis, loquitur de eo tempore, quo Cornelius nihil adhuc de Christo audierat, et ne votum quidem Baptismi habebat : nam de alio tempore ita loquitur ipse idem Augustinus quæst. 33. in Num. : « Cor-

nelius, inquit, audiens, et credens, quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis, qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit, ut ablutus etiam extrinsecus, lavaret quodammodo vestimenta sua.» Idem dicit Chrysostomus homil. 24. in Actor. Apostol. «Vide, inquit, dispensationem Dei: non permittit absolvi sermonem, neque ex præcepto Petri fieri Baptismum, sed ubi exhibuerunt se mente admirabili, et crediderunt omnino Baptisma esse remissionem peccatorum; tunc advenit Spiritus.» Et infra explicans illud: «Numquid aquam quis prohibere potest etc.» introducit Petrum loquentem: «Totum, inquit, factum est, quod magis necessarium fuit Baptisma; jam factum est, quo et nos baptizati sumus etc.» Hieronymus lib. II. in Jovinianum: «Cornelius Centurio, ut Spiritum sanctum acciperet antequam Baptisma, eleemosynis meruit, crebrisque jejuniis.»

Ad locum ex Confessionibus, dico, merito Augustinum ante Baptismum nunquam fuisse securum: quia non certo sciebat, se veram charitatem et contritionem habere, nec fecerat totum quod poterat, ad remissionem peccatorum accipiendam. Cum autem dicit: «Peccata mea nondum remiseras», loquitur secundum conscientiam suam, ipse enim ita existimabat, nec poterat homo pius et humilis aliter existimare; non tamen propterea sequitur id verum fuisse. Nam et plerique Sanctorum, dicunt, se maximos esse peccatores, et dignos gehenna; et licet mendaces non sint, quia dicunt quod sentiunt, falsum tamen sine dubio dicunt.

Ad locum Leonis, qui ait non posse hominem Deo reconciliari sine Sacerdotali Absolutione, respondeo id esse intelligendum, in re, vel in voto: nam ibidem scribit Leo, veram conversionem nullam veniæ moram pati, et citat illud propheticum: «Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris.»

Ad locum Richardi dico, eundem Richardum in eodem libro semet explicare. Nam cap. 4. docet, statim atque aliquis perfecte ad Deum convertitur, remitti ei reatum pœnæ æternæ, sive mutari reatum pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis, etiam ante Sacramenti susceptionem. Et cap. 8. scribit, licet per contritionem pœna æterna sit remissa, tamen vere etiam remitti per

absolutionem sacerdotis, quia in voto et pacto hujus Absolutionis remissa fuerat. Quod igitur postea dicit, cap. 19. charitatem consistere cum reatu pœnæ æternæ; non est intelligendum, ut verba sonare videntur, sed sensus ejus est, habere hominem cum vera charitate adhuc debitum mortis æternæ, quando non suscepit actu Sacramentum, quia nondum implevit pactum et votum, in quo remissa sunt ei peccata; et si ex negligentia pactum illud non impleat, procul dubio damnandum, non quia non habuerit ante remissionem peccatorum, sed quia pactum non servavit. Id vero ex ea similitudine, quam ibidem adducit, apertissime colligitur. Nam probare volens, charitatem consistere cum debito mortis æternæ, dicit Patriarchas et Prophetas cum magna charitate de hac vita migrasse, et tamen mansisse apud inferos cum debito mortis æternæ, donec Christus sua morte eos liberavit. Certum est autem, Patres illos non habuisse debitum mortis æternæ nisi ea ratione, quia remissa erant eis peccata in virtute mortis Christi futuræ, et si ea nunquam fuisset, ipse quoque nunquam de inferno exissent. Atque ad hunc modum exponenda videtur sententia Hugonis de Sancto Victore, lib. II. de Sacramentis, par. XIV. cap. VIII.

Ad ultimum ex Thoma Waldensi, dicimus Thomam Waldensem docere velle, solam charitatem sine Sacramento, vel in re, vel in voto, hominem a peccato non liberare. Et quamquam vera charitas esse non potest sine Sacramento, vel in re, vel in voto: nec enim fieri potest, ut aliquis diligat Deum super omnia, et non desideret ea remedia, quæ Deus instituit pro reconciliatione peccatoris; tamen si per impossibile aliquis diligeret super omnia Deum, et tamen nollet Sacramenta suscipere, non justificaretur. Waldensis autem illud scribit contra Wiclefum, qui sentiebat, Baptismum aquæ non esse nisi signum internæ renovationis; quæ est etiam hæresis Calvinistarum. Verba ejus hæc sunt: «Quamvis bonus fuerit, plena fide; dico tamen sine visibili Sacramento, vel in ipsa, vel affectu gravido consecuto, sine aqua salvus esse non poterat etc.» Quæ sunt omnino consentanea doctrinæ, quam tradit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi docet contritionem quidem reconciliare hominem Deo ante susceptionem Sacramenti: tamen eam reconciliationem non esse tai-



buendam soli contritioni, sed contritioni cum voto Sacramenti suscipiendi, quod votum semper in ea includitur.

Decima septima objectio. Si per contritionem peccata remittuntur, quorsum homines contriti baptizantur, vel reconciliantur? et nonne falsa est forma Sacramenti: Ego te baptizo, vel absolvo, si is jam lotus et absolutus est, cui sic loquimur?

Respondeo: Sacramentum non frustra suscipitur ab eo, qui per veram contritionem justificatus est. Primum, quia Sacramentum auget gratiam, et pœnam temporalem remittit, vel totam, ut in Baptismo, vel ex parte, ut in Absolutione: Contritio enim cum solo Sacramenti voto, culpam quidem purgat, sed reatum totius pœnæ temporalis raro admodum tollit. Secundo, quia nemo certo scire potest, se veram contritionem habuisse; et attritio cum solo Sacramenti voto non justificat. Itaque ut quis de adepta indulgentia securior sit, debet omnia illa remedia adhibere, quæ Deus ad peccata purganda instituit. Tertio, quia pactum implere debet, quod cum Deo quodam modo pepigit, qui per votum Sacramenti suo tempore suscipiendi, gratiam reconciliationis accepit.

Neque forma Sacramenti redditur falsa. Nam qui dicit: Ego te baptizo, vel absolvo, non affirmat se absolute baptizare vel absolvere, cum non ignoret, multis modis fieri posse, ut neque baptizet, neque absolvat, licet ea verba pronuntiet, nimirum si is, qui Sacramentum suscipere videtur, forte non habeat suscipiendi intentionem, vel non sit rite dispositus, aut obicem ponat. Igitur Minister illis verbis nihil aliud significat, nisi se, quod in se est, Sacramentum reconciliationis vel absolutionis impendere; quod vim habet in homine disposito peccata omnia dimittendi. Quare S. Thomas in 3. par. quæst. 84. art. 3. ad ultimum, ita exponit verba illa: « Ego te absolvo », id est, Sacramentum Absolutionis impendo.

Præterea, quemadmodum (ut in responsione ad quartam objectionem diximus (S. David orabat: *Amplius lava me ab iniquitate mea*, ita potest etiam idem peccatum sæpius ad Confessionem adduci, sæpiusque ministerio Sacerdotis absolvi: quia dum in hac vita sumus, semper aliquid ex peccato inductum, purgari potest, ut pœnæ temporalis

reatus, aut vulnus aliquod ex peccato relictum. Sed de his satis.

## CAPUT XV.

*Nullum esse peccatum, quod per veram Pœnitentiam non deleatur.*

Sequitur quæstio nona: Utrum omnia peccata per veram Contritionem sive Pœnitentiam deleantur: est autem duplex sensus hujus quæstionis. Alter, an omnis peccator possit agere pœnitentiam: sunt enim qui existiment, interdum aliquos, vel ob multitudinem, vel ob magnitudinem peccatorum ita deseri a Deo, ut numquam sint auxilium divinum ad recte pœnitendum habituri. Alter sensus est, an si quis egerit Pœnitentiam, nulla sit tanta peccatorum multitudo, vel gravitas, quæ pœnitendo non possit expiari. Nam et Novatiani videntur in ea sententia fuisse, ut ob gravissima quædam scelera nulla ratione Deus placari posset, ut ex Paciano in epist. 3. ad Sympronianum, et ex Ambrosio lib. I. de Pœnitentia, cap. 9. et lib. II. cap. 2. et 4. intelligimus: et Richardus Armachanus, lib. IX. quæstionum Armenorum, cap. 27. probabile esse docuit, ob quædam ingentia crimina non posse veniam impetrari, etiamsi ageret peccator quidquid posset pro venia impetranda. Sed quoniam de sensu priore tractandum erit in disputatione de gratia, et libero arbitrio: nunc solum de posteriore breviter disseremus.

Illud igitur affirmamus, non ut probabile, quemadmodum loquitur Armachanus, sed plane ut certum, et apud Catholicos exploratum, nullam esse peccatorum multitudinem, vel gravitatem, quæ per veram Pœnitentiam non expietur. Nam in primis Ezech. XVIII. et 33. Deus sæpius clamat: *Nolo mortem peccatori*; et sine ulla exceptione veniam pollicetur omnium iniquitatum, si impium serio pœnituerit vitæ præteritæ, cum emendationis proposito: quod idem in Isaia cap. 4. et 55. et in Jerem. cap. 18. et aliis Prophetis legimus. Porro Joel II, cap. 32. addit particulam universalem: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (1). Nemo autem serio Pœnitentiam agit, qui non invocet nomen Domini: nam in eodem cap.

(1) Joel. II, 32.

describens idem Propheta Pœnitentiam, ait *Convertimini ad me in toto corde vestros, in jejuniis, fletu et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Et infra : *Inter vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini et dicent : Parce Domine, parce populo tuo* (1). Et Jonæ III : *Operiantur saccis homines, et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine* (2).

In Testamento novo Matth. XI. Dominus sine exceptione omnes invitat ad se : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (3). Matth. XVI, omnium peccatorum solvendorum sine exceptione Petro potestatem tribuit : *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælo* (4). Matth. XVIII, rursus generatim dicit Apostolis : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis* (5). Et ibidem de numero, ne forte quis peccata alicujus ob frequentes lapsus irremissibilia esse crederet, non solum usque septies, sed etiam usque septuagies septies peccata dimittenda esse admonuit, numerum certum ac finitum, pro incerto et infinito ponens, ut Origenes, Hilarius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, et alii Patres in commentario hujus sententiæ annotarunt. Et Joan. XX. sine exceptione personarum : *Quorum, inquit, remisistis peccata, remittuntur eis* (6). Cum igitur Dominus omnes ad se peccatores invitet ac vocet, quis audebit aliquos excludere? cum ille, quæcumque solvantur a suis in terra, soluta esse dicat in cælis, quis obstrepere audebit, ac dicere quædam esse peccata, quæ per veram Pœnitentiam, et Sacerdotum ministerium solvi nequeant? cum ille, quorum peccata Apostoli remisissent, iisdem remissa esse testetur, quis erit tam temerarius, qui aliorum peccata irremissibilia esse disputet? cum ille denique toties remittenda esse peccata judicaverit, quoties ad Pœnitentiam is qui peccavit redierit, quis indulgentiam Dei ad certam mensuram ac numerum peccatorum restringet?

Accedit Ecclesiæ Catholicæ definitio. Nam in primo capite Concilii Lateranensis OEcumenici, et frequentissimi, quod sub Innocentio III. celebratum est, habetur ea sententia : « Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potestatem semper Pœnitentiam reparari; » cui sententiæ consentiunt omnium fere Pa-

trum testimonia. Hilarius can. 18. in Matth. « Neque fas est, inquit, nos ex præscripto legis, dandæ veniæ numero concludi, cum per Evangelii gratiam sine modo nobis a Deo fuerit indulta. » Ambrosius lib. II. de Pœnitentia, cap. 4 : « Omnibus, inquit, conversis pollicetur veniam, quia scriptum est : Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Hieronymus in epist. ad Oceanum, de digamia : « Frustra, inquit, mortuus est Christus, si aliquos vivificare non potest : mentitur Joannes Baptista, et digito Christum, et voce demonstrans : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; si sunt adhuc in sæculo, quorum Christus peccata non tulerit etc. » Augustinus lib. I. Retract. cap. 19. revocat, quod in lib. I. de sermone Domini dixisse videbatur, esse ingens aliquod peccatum quod nulla ratione remitti possit : « Addendum, inquit, fuit : Si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam : quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto, non est utique desperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur. » Eandem sententiam apud Basilium, in epist. ad Virginem lapsam, Chrysostomum in epistolis duabus ad Theodorum de reparatione lapsi, atque apud alios passim invenies.

His addi possunt exempla Scripturæ divinæ. Nam in Regibus Israel pejorem Achabo, et in Regibus Juda pejorem Manasse non facile reperies : uterque tamen per Pœnitentiam veniam impetravit. Vide de Pœnitentia Achab, lib. III. Regum, cap. 21; de Pœnitentia Manasse lib. II. Paralip. cap. 33.

In Testamento novo orat Stephanus, Actor. 7, pro lapidatoribus suis, qui tamen Spiritui sancto resistebant, ut ipse illis dixerat : et, ut ab Augustino paulo ante audivimus, pro iis non imprudenter oratur, de quibus non desperatur. Actor. VIII. hortatur Petrus Simonem Magum ad Pœnitentiam, eumque corripit, qui tamen gravissime peccaverat : et, ut loquitur Augustinus serm. 11. de verbis Domini : « Quis est fructus correptionis, sine ulla spe remissionis? » II. Corinth. 2. Paulus Corinthium illum ad indulgentiam recipit, quem jusserat I. Corinth. 5. tradi Satanæ, et de quo dixerat : « Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat. »

(1) Joel. II, 12. — (2) Jonæ, III, 8. — (3) Matth. XI, 28. — (4) Matth. XVI, 19. — (5) Matth. XVIII, 18. — (6) Joan. XX, 23.

## CAPUT XVI.

*Solvuntur objectiones; ac de peccato in Spiritum sanctum breviter disputatur.*

Sed objectiones solvendæ sunt. Ac primum objiciebant olim Novatiani illud Heli sacerdotis, I Regum II : *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis pro eo orabit?* (1).

Respondet Ambrosius lib. I. de Pœnitentia cap. 8. illud : *Quis orabit*; non significare : Nullus orabit, sed : Quærendus erit insignis aliquis Dei amicus, qui oret, qualis fuit Moses, qui pro populo idololatra oravit, et exauditus est. Exod. 32. Videtur Heli more humano esse locutus. Nam inter homines rari inveniuntur, qui apud Principem intercedere audeant, quando reus Principem ipsum immediate læsit : alioqui facilis est intercessio, quando inter privatos injuria consistit. Summa est : Heli nihil aliud significare voluisse, nisi peccata in Deum difficilius expiari, quam in homines.

Secunda objectio sumitur ex lib. Proverb. cap. I. ubi sapientia Dei sic loquitur : *Quia vocavi, et renuistis : extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret etc. tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent, et non invenient me* (2). Et Psalm. XVIII : *Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret ad Dominum, nec exaudivit eos* (3). Et Hierem. XIV : *Cum jejjunaverint, non exaudiam preces eorum* (4).

Respondeo : Verba sapientiæ in Proverbiis, de iis potissimum accipienda sunt, qui post hanc vitam in die Judicii sive universalis, sive particularis, inutilem Pœnitentiam agent, et refrigerium aliquod petent, nec impetrabunt, quia tempus Pœnitentiæ non est, nisi in vita præsentis ; de quibus, etiam loquitur liber Sapientiæ, cap. v. cum ait : *Tunc dicent intra se, Pœnitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum etc.* (5). Et Dominus Matth. XXV. introducit fatuas virgines post clausum ostium dicentes : *Domine, Domine aperi nobis* (6). Et Lucæ XIII. clarioribus verbis : *Cum intraverit, inquit, paterfamilias, et*

*clauserit ostium et incipietis foris, stare, et pulsare ostium dicentes : Domine, aperi nobis; et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis : tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis ; discedite a me omnes operarii iniquitatis ; ibi erit fletus, et stridor dentium etc.* (7). Et Lucæ 16. introducit divitem in inferno implorantem Abrahamum, et nihil impetrantem. Loqui autem librum Proverbiorum de vita futura, perspicuum est ex illis verbis : *Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit* (8).

Quod si ea verba ad hanc etiam vitam referre placeat, sine dubio accipienda erunt de invocatione Dei ad pœnas arcendas, non de vera Pœnitentia, neque de seria cupiditate liberationis a culpa : ad quem modum intelliguntur alia duo loca, ex Davide et Hieremia. Nam de invocatione Dei ex vera Pœnitentia, non potest falsum esse quod scribit Joel cap. II : *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit* (9).

Tertia objectio continet exempla duo eorum, qui Pœnitentiam in hac vita egerunt, nec indulgentiam meruerunt. Lib. II. Machab. cap. IX. de Antiocho inquit Scriptura : *Orabat hic scelestus Deum, a quo non esset misericordiam consecuturus* (10). Et in epist. ad Hebr. cap. XII. de Esau inquit Apostolus : *Scitote quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est ; non enim invenit Pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eum* (11).

Respondeo, dubitari non potest, quin Antiochus solum corporis mortem, et cruciatum illum viscerum, quo vexabatur, avertere oratione sua desideraverit ; et ideo cum vera non fuerit ejus Pœnitentia atque conversio, mirum esse non debet, si nihil etiam a Domino impetraverit. Porro Esau neque apud patrem locum benedictionis invenit, quia jam in alterum collata benedictio illa, irrecuperabilis erat ; neque apud Deum Pœnitentia ejus vim ullam habuit, quia non ex corde conversus est ad Deum, neque flevit ob culpas in Deum admissas, sed solum ob hæreditatem amissam. Nam illo ipso tempore, quo Pœnitentiam agere videbatur, necem fratris sui animoolvebat ; si enim ait Gen. XXVII. *Venient dies luctus patris mei, et occidam*

(1) I Reg. II, 25. — (2) Proverb. I, 24, 28. — (3) Psalm. XVII, 42. — (4) Hier. XIV, 22 — (5) Sap. V, 3. — (6) Matth. XXV, 11. — (7) Luc. XIII, 25 et seq. — (8) Prov. I, 26. — (9) Joel, II, 31. -- (10) II Machab. IX, 43. -- (11) Heb. XII, 17.

*Jacob fratrem meum* (1). Itaque Apostolus exemplo Esau admonere voluit fideles, ne facile se in peccata pertrahi siderent; tum quia damnum irrecuperabile per peccatum incurrit, qui innocentiam, aut virginitatem, aut aliquid ejusmodi peccando amittit; tum etiam quia nonnulli gemunt ac plorant, nec tamen veram Pœnitentiam habent; atque ita valde dubius, atque incertus est peccantium exitus.

Quarta objectio, eaque præcipua, quam et Pacianus in epist. 3. ad Sympronianum, et Ambrosius in utroque lib. de Pœnitentia, ex Novatianis referunt, sumitur ex quatuor locis Scripturæ divinæ, in quibus peccatum in Spiritum sanctum dicitur esse irremissibile. Ac ut perspicue res tota, et breviter explicetur, duo tractanda erunt. Primum, quid sit proprie peccatum in Spiritum sanctum. Deinde, qua ratione dicatur irremissibile.

Quoad primum attinet, quatuor sententiæ sunt, quarum tres posteriores in 2. 2. quæst. 14. B. Thomas recitat, et etiam Magister in 2. dist. 43.

Prima est Origenis in Matth. cap. 12. peccata in Spiritum sanctum, esse omnia illa, quæ contra Dei legem admittunt homines post Baptismum. Et ratio est, quia, ut ipse ubi docet, Pater est in omnibus rebus, etiam ratione carentibus, Filius in solis rationalibus, etiamsi Ethnici sint, Spiritus sanctus in solis regeneratis. Cum igitur peccent homines in eam personam divinam, quam in se habent, sequitur peccata ethnicorum esse in Patrem, aut Filium, peccata Christianorum in Spiritum sanctum. Eadem sententia fuit etiam Novatiani; nam ut B. Hieronymus scribit in epist. ad Marcellam, de blasphemia in Spiritum sanctum; ideo Novatianus negabat Christianis lapsis remissionem peccatorum, quia existimabat, omnes Christianorum lapsus esse peccata in Spiritum sanctum.

Hanc sententiam merito refellit B. Athanasius in libello quem edidit super eum locum Evangelii: *Qui dixerit verbum in Filium hominis, remittetur ei, etc.* Primo, quia sequeretur omnia peccata Christianorum esse talia, ut non remittuntur, neque in hoc sæculo, neque in futuro; quod constat esse falsum ex B. Paulo, qui II Corinth. 2. remisit peccatum fornicario Christiano. Secundo, quia Dominus accusat peccati in

Spiritum sanctum Pharisæos, qui tamen Christiani non erant. Tertio, quia falsum est, quod Origenes assumit, Patrem esse in pluribus rebus, quam Filium, et Filium in pluribus, quam Spiritum sanctum. Nam cum sint una numero essentia, necessario una persona divina est in alia, juxta illud Joan. XIV: *Ego in Patre, et Pater in me est* (2). Et multo magis ubi est una persona, sunt reliquæ. Hæ sunt rationes Athanasii.

Altera sententia est beati Augustini, qui nullum aliud voluit esse peccatum in Spiritum sanctum, quam finalem impœnitentiam. Is enim asserit in Enchiridio cap. 83. enucleatissime de hac re a se disputatum esse in serm. 11. de verbis Domini: in illo autem sermone tandem hoc constituit. Idem etiam docet in epist. 50. ad Bonifacium: et lib. de corrept. et gratia cap. 12. et lib. IV. contra Cresconium cap. 8. Quod autem in hac sententia usque ad obitum perseveraverit, patet tum ex Enchiridio cap. 83. nam eum librum ex postremis scripsit, tum ex lib. I. Retract. cap. 19. ubi corrigit id, quod dixerat lib. I. de serm. Domini in monte cap. 43. Dixerat enim, peccatum ad mortem esse invidentiam fraternæ gratiæ, et hoc esse peccatum in Spiritum sanctum; cæterum correxit in Retractationibus, dicens, addendum fuisse: « Si in scelerata perversitate finiret hanc vitam. »

Hæc sententia B. Augustini vera quidem est, quatenus docet finalem impœnitentiam esse peccatum aliquod in Spiritum sanctum: tamen non videtur posse defendi, si velit proprie peccatum illud in Spiritum sanctum, de quo Dominus in Evangelio loquitur, esse finalem impœnitentiam. Primo, quia peccatum in Spiritum sanctum, proprie blasphemia quædam est, ut patet Matth. XII. Luc. XII. et Marc. III. finalis autem impœnitentia non est blasphemia, sed circumstantia quædam, quæ in omni peccato reperiri potest.

Secundo, quia finalis impœnitentia non committitur nisi in morte: peccatum autem in Spiritum sanctum, etiam in hac vita reperitur; alioqui non diceret Dominus, non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

Tertio, quia Dominus notavit Pharisæos hujus criminis, ut patet Marc. III. *Qui blasphemaverit, inquit, in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit*

(1) Gen. XXVII, 41. -- (2) Joan. XIV, 10. 11.

*æterni delicti, quoniam dicebat : Spiritum immundum habet* (1). At Pharisæi tunc non agebant animam, et multos annos fortasse supervixerunt.

Quarto, quia Apostolus Hebr. vi. et x. de hoc peccato loqui videtur; ait enim cap. vi. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati etc. et prolapsi sunt : iterum renovari ad Pœnitentiam.* Et cap. x : *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato etc.* (2) Et infra dicit, eos qui ita peccant, ideo gravissime peccare, quia spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Certum autem est, Apostolum loqui de peccatis vivorum, non de finali impœnitentia; alioqui idem esset ac si diceret, non posse mortuos revocari ad Pœnitentiam; quod indignum est tanto Apostolo.

Postremo, quia I Joan. v. 16, ubi dicitur : *Est peccatum ad mortem; non pro eo dico, ut roget quis etc.* sermo est de peccato in Spiritum sanctum, ut ipse Augustinus confitetur lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 43. et tamen Joannes de peccatis vivorum loquitur. Sunt quidem aliqui, qui existimant Joannem loqui de peccatis mortuorum, ac dicere, non esse orandum pro illis, qui usque ad mortem in peccatis suis permanserunt: tamen sextus Apostoli aperte reclamatur; ait enim : *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem; petat, et dabitur ei vita etc.* quibus verbis præsupponit, posse sciri cum aliquis peccat, an illud peccatum sit ad mortem, vel non: ac proinde non loquitur de finali impœnitentia, quæ non potest cognosci nisi post mortem. Præterea, si loqueretur de peccatis mortuorum, non diceret : *Si quis scit fratrem suum peccare; sed, Si quis scit fratrem suum peccasse.*

Tertia sententia est, peccatum in Spiritum sanctum, esse peccatum ex malitia, sicut peccatum ex infirmitate, dicitur peccatum in Patrem, et peccatum ex ignorantia, dicitur peccatum in Filium. Hæc sententia, præ cæteris videtur placuisse Magistro sententiarum in 2. dist. 43. B. Thomæ in 2. 2. quæst. 14. tametsi etiam alias sententias non repudiat.

Possumus autem idem de hac sententia dicere quod diximus de sententia B. Augustini, nimirum veram esse, sed non satisfacere nostræ quæstioni. Nam etsi quodlibet peccatum ex malitia, dici potest peccatum in Spiritum sanctum: tamen non quodlibet

peccatum ex malitia est illud, de quo Scripturæ loquuntur, quod proprie et singulariter dicitur peccatum in Spiritum sanctum et quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Id quod facile probari potest, quia peccatum in Spiritum sanctum est certa quædam blasphemia, ut patet ex Matth. 12. Marc. 3. et Lucæ 12, peccatum ex autem malitia, neque est speciale peccatum, sed generale, neque semper est blasphemia: dividunt enim auctores hujus sententiæ peccatum in Spiritum sanctum in sex species, ex quibus tantum una ad blasphemiam pertinet.

Est igitur quarta sententia, quam veram esse non dubitamus, peccatum in Spiritum sanctum proprie nihil esse aliud, quam veritatem cognitam et manifestam, ex malitia improbare, et tamquam dæmoniacam, et detestabilem calumniari. Dicitur autem peccatum in Spiritum sanctum, non quia non sit etiam contra Patrem et Filium, sed quia Spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum, et illustratio animorum ad cognoscendam veritatem: ipse enim est qui docet omnem veritatem, Joan. 16. et qui dividit singulis, pro ut vult, uni gratiam sanitatum, alteri donum linguarum, et operatur omnia in omnibus I Corinth. 12. Itaque ille peccat in Spiritum sanctum, qui cognitam veritatem Spiritu sancto illustrante, improbat, et signa ac prodigia, virtute Spiritus sancti facta, tribuit Satanæ.

Hanc sententiam veram esse, primo probatur ex communi consensu veterum: ita enim docent Athanasius in libello de hac re scripto, et etiam orat. 2. in Arianos. Chrysost. homil. 42. in Matth. Basilus in Moralibus, summa, 35. cap. 1. et in quæst. compendio explicatis quæst. 273. Hilarius in cap. 5. et 12. Matth. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 3. Hieronymus in cap. 12. Matth. et in epist. ad Marcellam, de blasphemia in Spiritum sanctum. Anselmus in cap. 12, Matth. Richardus de S. Victore, in libro de spiritu blasphemiam. Theophilactus, et Beda, in cap. 12. Matth. et cap. 3. Marci: et ante hos Pacianus in epist. 3. ad Sympronianum.

Verum observandum est, cum B. Hieronymus in epistola citata dicit, peccatum in Spiritum sanctum futurum, si quis ante tribunal Judicis constitutus, non solum neget Christum, sed etiam dicat cum esse Beelze-

(1) Marc. III, 29. — (2) Hebr. VI, 6; X, 26.

bub; non esse hæc verba simpliciter intelligenda. Tunc enim solum vult B. Hieronymus futurum peccatum in Spiritum sanctum, si is, qui dicit Christum esse Beelzebub, non dicat coactus tormentis, sed ultro ex malitia cognitam veritatem oppugnans, ut ex tota illa epistola perspicuum est: et tales aliquos fuisse suo tempore B. Cyprianus testatur in serm. de lapsis.

Secundo, probatur ex eo, quod Dominus peccatum in Spiritum sanctum vocat peccatum Phariseorum, quo dicebant Christum in Beelzebub ejicere dæmonia, ut Marcus cap. 3. scribit: peccatum autem hoc Pharisæorum, nihil erat aliud, quam oppugnatio cognitæ veritatis.

Tertio, probatur ex eo, quod Dominus Matt. 12. distinguit blasphemiam in Filium hominis, a blasphemia in Spiritum sanctum. Blasphemia autem in Filium hominis, secundum expositionem Athanasii, et Hieronymi, et aliorum, erat eorum, qui existimantes Christum non esse nisi hominem, opera ejus calumniabantur, et dicebant: *Ecce homo vorax, et potator vini*: ergo peccatum in Spiritum sanctum est eorum, qui scientes Christum in virtute Dei miracula operatum, tamen ex malitia et invidia, divina illa opera non Spiritui sancto, sed spiritui immundo adscribunt.

Ex his deduci potest, peccata Apostolorum Petri et Pauli, quorum prior Christum negavit, posterior aperte persecutus est, non fuisse peccata in Spiritum sanctum. Nam Petrus ex infirmitate negavit, timore videlicet pœnæ: Paulus autem ex ignorantia. 1. Tim. 1: *Misericordiam, inquit, consecuius sum quia ignorans feci in incredulitate*(1). At peccata Judæorum lapidantium Stephanum, in Spiritum sanctum erant; nam cum resistere non posset Spiritui sancto, qui loquebatur in eo, ut dicitur Actor. 6, tamen resistere conabantur. Et idem peccatum a multis Hæreticis committi credibile est, qui cum in Scripturis et Patribus assidue versentur, vix fieri potest, quin intelligant se vehementer errare: et tamen ne videantur sine causa de Ecclesia recessisse, doctrinam cognitam satis et exploratam obstinate reprehendunt.

Jam vero, qua ratione hoc peccatum dicatur irremissibile, dubium est propter quatuor loca Scripturæ. Primus est, Matth. 12.

Luc. 12. et Marc. 3. ubi dicitur blasphemia in Spiritum sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Secundus est Hebræor. 6: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, etc.* Tertius Hebr. x. 26: *Voluntarie peccantibus vobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccato.* Quartus I Joan. v: *Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis* (2).

Ad primum locum multiplex responsio dari solet. Prima est Theophylacti in hunc locum Matthæi, et Abulensis ibidem, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile, quia numquam remittitur sine Pœnitentia, peccatum autem in Filium hominis dici remissibile, quia remittitur sine Pœnitentia, quia enim ex ignorantia procedit non reputatur verum peccatum. At si hæc sententia vera esset, sequeretur, omne verum peccatum quod non est ex ignorantia invicibili; esse peccatum in Spiritum sanctum; quod certe absurdissimum est.

Secunda est Richardi in libello de Spiritu blasphemiam, peccatum in Spiritum sanctum dici irremissibile non ratione culpæ, sed ratione pœnæ; quia si homo Pœnitentiam non agit de hoc peccato, nihil ei remittitur de pœna damnationis; si vero Pœnitentiam agit, nihil ei remittitur de pœna temporali, quæ ad Satisfactionem requiritur: alia vero peccata dicuntur remissibilia, quia semper remittitur aliquid de pœna illis debita, ratione ignorantiam, vel infirmitatis, quæ peccata illa diminuunt.

Contra hanc solutionem est, primo, quod omnes alii Patres intelligunt, Dominum esse locutum de remissione culpæ. Secundo, quia Dominus non dixit: Nihil de hoc peccato remittetur, sed absolute: Hoc peccatum non remittetur, ergo non loquitur de diminutione pœnæ, sed de absoluta remissione totius peccati. Tertio, quia sine ratione asseritur, nihil pœnæ relaxari peccantibus in Spiritum sanctum, si Pœnitentiam egerint: nam si revera magno fervore aliquis talis convertatur, cur non poterit Deus et Ecclesia, ver partem aliquam pœnæ temporalis relaxare?

Alia igitur solutio est aliorum, peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dici, quia etiamsi remitti possit, si Pœnitentia adsit, tamen qui ita peccant, ad veram Pœnitentiam non perveniunt, quod justo judicio

(1) Tim. 1. 13. — (2) Hebr. VI, 4; X, 26; I Joan. 16.

Deus eos deseruerit, et in reprobum sensum traditi sint.

Hæc sententia videtur esse Athanasii, Hilarii, Hieronymi, et Anselmi in caput Matthæi 12. videtur tamen temperanda, ut eam temperant Chrysostomus in cap. 12. Matth. et Ambrosius lib. II. de pœnitentia cap. 4. Nam si simpliciter intelligamus, peccatum in Spiritum sanctum numquam remitti, sequetur, eos omnes qui sciunt se impugnare cognitam veritatem, merito desperare debere de salute, quod absurdissimum esse videtur : sequetur etiam, nos non debere pro talibus orare, sicut pro damnatis non oramus ; cum tamen S. Stephanus oraverit pro lapidatoribus suis, quos in Spiritum sanctum peccare sciebat, ut habemus Actorum 7. Et beatus Augustinus lib. I. Retractat. cap. 19. « Denullo, inquit, quamvis pessimo in hac vita constituto, desperandum est ; et pro eo non imprudenter oratur, de quo non desperatur. » S. Ambrosius quoque loco citato probat, peccatum in Spiritum sanctum per Pœnitentiam posse remitti, quia populus Judæorum, qui dixerat de Christo : *In Beelzebub principe Cæmoniorum eiecit dæmonia*, postea ad prædicationem Beati Petri conversus legitur, Actorum II.

Dicendum igitur, Scripturas et Patres dicere, peccatum in Spiritum sanctum non remitti, quia ordinarie et ut plurimum, non curatur : sicut de aliis peccatis Dominus ait : *Omnia peccata et blasphemix remittuntur*, non quia semper, et omnibus remittantur, sed quia ut plurimum et ordinarie remittuntur. Sunt autem duæ causæ cur ordinarie incurabile sit peccatum in Spiritum sanctum. Una, quia directe resistit, et repudiat gratiam Dei : quemadmodum si ægrotus unico medicamento curari posset, et illud admittere non vellet, recte diceretur morbus ejus incurabilis. Altera, quia cum sit peccatum ex malitia, non ex ignorantia vel infirmitate, nihil in se habet, unde vel modicum excusari possit, ac proinde nihil misericordiæ meretur : hinc enim Apostolus I Timoth. I : *Misericordiam*, inquit, *consecutus sum, quia ignorans feci, in incredulitate* (1).

Ac ne mirum videatur, si peccatum irremissibile, dicamus irremissibile ordinarie, sed non absolute, considerentur alia similia loca. Matthæi XIX, Dominus ait, facilius esse, ut camelus intret per foramen acus, quam ut

dives ingrediatur in regnum cœlorum. Quo loco videtur plane divitibus aditum ad salutem interclusisse : et tamen in eodem loco subjungit : *Quod impossibile est apud homines, apud Deum possibile est*. Et Hier. XIII. dicit Dominus : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, et pardus varietates suas ; et vos poteritis benefacere, cum didiceritis male* (2). Et tamen in toto eo libro hortatur eos Deus ut revertantur, et veniam pœlicetur.

Ad secundum locum ex epist. ad Hebræos cap. 6. posset primo eodem modo responderi, impossibile esse ut qui semel sunt illuminati, et voluntarie postea peccent, ad Pœnitentiam renoventur ; non absolute, sed ut in plurimum. Sed melior solutio est, quod Apostolus hic solum loquatur de Pœnitentia, quæ Baptismum præcedit : sic enim exponunt Chrysostomus, Ambrosius, et alii Patres. Et ipse Apostolus hoc insinuat illis verbis : *Qui semel sunt illuminati*, id est, baptizati : Nam apud veteres, illuminari est baptizari. Et illis : *Iterum renovari*. Renovatur enim proprie in Baptismo. Et illis : *Iterum crucifigentes Filium Dei*. Nam cum baptizamur, conformamur similitudini mortis Domini, ut dicitur ad Rom. 6. et sicut Christus tantum semel crucificus est, ita et nos tantum semel baptizamur, et qui vellet iterum baptizari, iterum sibi Christum crucifigeret.

Ad Tertium ex cap. ad Hebr. dico cum Chrysostomo, Ambrosio, et aliis : cum Apostolus dicit, non relinqui hostiam pro peccato, sensum esse, non esse expectandum alium Christum, qui pro nobis moriatur, vel ut ille, qui semel mortuus est, iterum veniat moriturus : et consequentur non esse secundum Baptismum expectandum. Eadem enim est sententia hujus loci, et superioris.

Ad quartum ex epistola Joannis, Augustinus de correptione et gratia cap. 12. et Gregorius lib. VI. Moralium cap. 31. sive ultimo, dicunt, peccatum ad mortem, esse peccatum in quo homo perseverat usque ad mortem. Sed tunc non dixisset : *Si quis scit fratrem peccare*, sed : *Si quis scit peccasse non ad mortem* : non enim cognosci posset peccatum ad mortem, nisi post mortem ejus, qui illud commisit. Ambrosius lib. I. de Pœnitentia cap. 9. dicit, Joannem non dixisse ut nemo oret pro iis, qui peccant peccata ad mortem, id est, gravissima peccata ; sed solum ut non orent homines vulgares, et

(1) Tim. I, 13 — (2) Matt. XIX, 26 ; Hier. XIII, 23.

imperfecti, ad quos epistolam illam scribebat : gravissima enim peccata perfectis oratoribus indigent. Hieronymus lib. II. in Jo-  
vinianum ultra medium, versus finem, tra-  
ctans hunc locum, dicit nihil hic significari  
aliud, nisi pro peccato ad mortem difficul-  
ter orationem exaudiri. Et hic videtur ve-  
rissimus esse hujus loci sensus ; nam imme-  
diate antea dixerat Joannes : *Scimus quo-  
niam audit nos, quidquid petierimus ab eo.*  
Ideo ne putaremus hoc habere locum etiam  
in petitionibus quibuslibet, quas pro aliis of-  
ferimus ; subdit : *Qui scit fratrem suum pec-  
care non ad mortem, petat, et dabitur ei etc.*  
id est, cum fiducia petat, nam impetrabit. Si  
vero peccatum est a morte, id est, gravis-  
simum ex genere illorum, quæ ordinarie non  
remittuntur, sed puniuntur æterna morte :  
Non dico, ut roget quis, id est, non prohibeo  
quidem orare, sed non audeo polliceri, quod  
facile impetrabitis ; ideo non dico ut roget  
quis, nimirum cum illa certa fiducia impe-  
trandi, sæpe enim Deus in tali negotio pre-  
cet Sanctorum non audit, juxta illud Hier-  
em. VII : *Noli orare pro populo hoc, quia non  
exaudiam te (1).*

## CAPUT XVII.

*Contritionem imperfectam, sive attritionem ex  
timore pœnæ ortam, bonam atque utilem  
esse.*

Decima sequitur quæstio : Utrum Contri-  
tio, sive Attritio quæ oritur ex timore servi-  
li, sit bona : siquidem Martinus Lutherus (ut  
ostendimus ex multis ejus testimoniis in lib.  
I. cap. 6.) initio defectionis suæ aperte dice-  
bat, Contritionem ex timore servili ortam,  
facere hominem hypocritam, et magis pec-  
catorem. Et quamvis Lutherani postea ab  
ea sententia recesserint, et jam communiter  
doceant, timorem pœnæ utilem esse, atque  
inde Pœnitentiam inchoari, ut perspicuum  
est ex Kemnitio in 2. par. Examin. pag. 954.  
et ex Calvino lib. III. Institut. cap. 3. §. 7.  
tamen operæ pretium esse duximus, Lutheri  
sententiam a Leone X. primum in Bulla  
contra articulos Lutheranos, deinde a Con-

cilio OEcumenico Tridentino sess. 14. can. 5.  
damnata, testimoniis Scripturarum, vete-  
rum traditione, et rationibus confutare.

Sed antequam ad argumenta veniamus, ex-  
ponendum erit paucis, de quo timore pœnæ  
potissimum controversia sit ; possumus enim  
doctrinæ causa quatuor timores distinguere,  
qui omnes pœnam, non culpam respiciant.

Primus est timor naturalis, qui passio  
quædam est partis inferioris ; et de hoc ti-  
more nulla controversia est, tum quod hic  
timor non se extendat ad pœnas æternas,  
quæ sola fide comprehenduntur, tum etiam  
quod neque sit bonus, neque malus, nec so-  
lum in hominibus, sed etiam in pecudibus re-  
periatur. Errat enim Rupertus Abbas lib. IX.  
de operibus Spiritus sancti cap. 5. ubi duos  
timores malos a duobus bonis distinguens,  
priorem malum esse dicit eum, qui in qua-  
tuor præcipuis animæ passionibus numera-  
tur, quæ sunt, timor, cupiditas, dolor, et  
gaudium ; posteriorem esse vult eum, qui  
nascitur ex fide, sed hominem non corrigit,  
qualis fuit in Felice præside Judææ, qui dis-  
putante Paulo Actor. XXIV. de judicio futuro,  
valde perterritus est, sed inde non evasit  
melior. At passiones illæ animæ non recte di-  
cuntur malæ, cum moraliter nec bonæ, nec  
malæ vocari possint, quippe quas non habe-  
mus in potestate ; naturaliter autem bonæ  
sint, et a Deo ad multa commoda nobis in-  
genitæ, ut S. Basilius demonstrat in orat.  
contra irascentes. Timor autem ille qui ex  
fide oritur, non ideo malus dici debet, quia  
hominem non corrigit, alioqui ipsa etiam fi-  
des dici posset mala, quando hominem non  
corrigit ; sed vitium illud non fidei, vel timo-  
ris, sed hominis est, qui fidei ac timoris du-  
ctum non sequitur.

Alter timor est is, quem Theologi munda-  
num appellare solent ; cum videlicet quis ita  
pœnas a rebus creatis infligendas metuit, ut  
propterea in creatorem peccare non metuat ;  
qualis timor in Petro fuit, cum Christum ne-  
gavit. Neque de hoc timore ulla quæstio esse  
potest : is enim timor consensu omnium ma-  
lus est, et ab ipso Christo damnatus, Matth.  
X. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Et ab  
Apostolo Petro, I Pet. III : *Timorem eorum ne  
timueritis. Dominum autem Christum sancti-  
ficate in cordibus vestris.* Et ab Isai. cap. LI :  
*Quis tu, ut times ab homine mortali, et a  
filio hominis, qui quasi fœnum, ita arefcet (2) ?*  
Hunc eundem timorem S. Basilius in expli-

(1) Hier. VII, 16. — (2) Matth. X, 28 ; I Petr. III, 14 ; Isai. LI, 12.



catione Psalm. xxxiii. hostilem appellat, ac sobolem incredulitatis esse dicit; et de eodem disputat S. Augustinus serm. 18. de verbis Apostoli.

Tertius est timor pœnæ, quem Deus ipse peccatoribus comminatur, sed cum timore offensionis divinæ ita conjunctus, ut licet homo vehementer pœnam timeat, magis tamen offensionem Dei, quam pœnam illam timeat. Atque hic timor servilis dici solet secundum substantiam, sed absque servilitate, et ordinatus, ac bonus est; neque de eo quæstio esse posse videtur, ac ne ipse quidem Lutherus, ut existimo, timorem istum reprehendisset. Nam et Dominus hortatur sanctos Martyres Matth. 10. ut timeant eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam: et sancti Patres hunc timorem passim laudant, et in ipsis etiam justis hominibus locum habere dicunt. S. Basilius orat. in Psalm. 33. docet peccatorum tentationes repellendas a viris justis timore futuri Judicii. Et oratione in principium Proverbiorum, dicit homines justos hoc timore impediri ne peccent, non secus ac impediuntur clavis, qui cruci affixi sunt, ne se commoveant, juxta illud Ps. 118: *Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui* (1). S. Joannes Chrysostomus homil. 15. ad populum Antiochenum, scribit, metum gehennæ esse in anima hominis justi quasi militem fortem et armatum, qui fures et latrones, et omnes hostes procul arcet a domo. S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 21. scribit, sanctos Martyres in agone martyrii constitutos, timore gehennæ ante oculos mentis propositæ, vincere solitos earum pœnarum timorem, qui a persecutoribus et carnificibus ingerebatur. S. Hieronymus in epist. ad Eustochium de servanda virginitate, scribit se metu gehennæ solitudinem, et genus vitæ durissimum elegisse. S. Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 18. scribit, sanctis viris timorem illum a Deo donari, de quo Dominus ait: *Timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam*. Et libro de sancta virginitate cap. 38. aperte docet, hunc timorem a charitate nequaquam excludi. Denique sanctus Gregorius hom. 26. in Evangelia, omneshortatur, ut futurum Judicium timeant antequam veniat, ne postea

cum appropinquare cœperit, timere debeant.

Quartus timor est proprie servilis, quo videlicet ita peccator Deum punientem timet, ut solius pœnæ fugiendæ causa a peccatis perpetrandis caveat, et de perpetratis doleat: quem timorem ita explicat S. Augustinus conc. 25 in Psalm. 118. « Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est, et ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas; cum vero pœna creditur secutura latenter vivit, vivit tamen: mallet enim licere, et dolet non licere, quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit, quod minatur. »

De hoc igitur timore tota controversia est, hunc enim Lutherus damnabat, ut qui faceret homines hypocritas, magisque peccatores; et hunc eundem Tridentina Synodus sess. 14. cap. 4. bonum atque utilem esse, et a Deo excitari docet. Quæ sententia probatur primo ex verbis illis Davidis, Psalm. 110. et Salomonis, Proverb. 1: *Initium sapientiæ timor Domini*, et Eccles. cap. 1: *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est non poterit justificari*. Et cap. 25: *Timor Domini initium dilectionis ejus* (2). Hæc dicuntur de timore qui est in peccatoribus, et qui dilectionem præcedit: in peccatoribus autem et ante dilectionem, timor filialis esse non potest, sed tantum servilis.

Item Isaia 26. secundum versionem LXX: *A timore tuo concepimus, et peperimus Spiritum salutis*. Hierem. 5. *Me ergo non timebitis, et a facie mea non dolebitis, dicit Dominus? Malach.: Filius honorat patrem et servus dominum: si ego pater, ubi est honor meus? si dominus, ubi timor meus* (3)? Quo loco Dominus exigit timorem a servis, qui eum ut patrem amare non noverant.

Illud etiam Domini, Matth. 10: *Timete eum qui potest corpus et animam perdere in gehennam* (4): etiamsi ad justos pertineat, qui timore isto juvantur, ne peccent, tamen dubitari non potest, quin etiam ad injustos referri debeat, qui timore eodem juvantur, ut ad Pœnitentiam veniant.

Præterea Scripturæ passim terrorem incutiunt peccatoribus, nec sane ad alium finem, nisi ut timorem concipiant, et ex eo timore

(1) Psalm. CXVIII, 120. — (2) Psalm. CX, 10; Prov. I, 7; Ecclesiast. I, 27; Eccles. XXV, 16. — (3) Hier. V, 22; Malach. I, 60. — (4) Matth. X, 28.

Pœnitentiam meditentur. Deuteron. 32. *Ignis succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima.* Psalm. 7 : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Isaiaë 33 : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Jonas cap. 3. illa comminatione Ninivitas convertit : *Adhuc quadraginta et Ninive subvertetur.* Math. 3. Joannes Baptista ex timore pœnæ ad Pœnitentiam homines adducere satagebat : *Genimina viperarum, quis vobis demonstravit fugere a ventura ira?* Et rursus : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur, et in ignem mittetur* (1). Et Christus ipse Matth. 5, 13, 24. et 25. Marc. 9. Luc. 12. et alibi sæpissime, ignem gehennæ, stridorem dentium, tenebras exteriores, vermem non morientem, et flammam inextinguibiles minabatur.

Denique eadem Scripturæ timorem istum a Deo inspirari tam aperte docent, ut nimis magna temeritas videri debeat, si quis eum adhuc damnare voluerit. Roman. 8 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum etc* (2). quo loco Beatus Paulus docet, in Testamento veteri datum a Deo spiritum servitutis, quo timeretur, quemadmodum in Testamento novo dedit spiritum adoptionis, quo diligeretur. Isaiaë 63 : *Quare nos errare fecisti de via tua? indurasti cor nostrum ne timeremus te* (3)? Ubi lamentatur Propheta, quod Hebræi caruerint dono timoris, quo converti ad Dominum potuissent. Nam (ut recte docet sanctus Augustinus in epist. 105, ad Sixtum) non indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.

Accedat nunc traditio veteris Ecclesiæ. Tertullianus in lib. de Pœnitentia : « Si de Exomologesi, inquit, retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguit : et pœnæ magnitudinem prius imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. » Idem lib. II. in Marcionem, timorem Judicii bonum, et salutarem esse demonstrat.

Clemens Alexandrinus lib. II. Stromatum, ante medium : « Fides, inquit, est prima ad salutem inclinatio, post quam timor, et spes,

et Pœnitentia. » Et infra : « Qui timorem damnant, ii legem etiam insectantur : quod si legem, clarum est quod et eum qui legem tulit. »

S. Cyprianus in serm. de lapsis, cum ad timorem lapsos hortaretur : « Deus, inquit, quantum pietate patris indulgens semper et bonus est, tantum judicis majestate timidus est. »

S. Basilius orat in Psal. 33 : « Timor, inquit, salutaris, qui ad sanctitatem deducit, et animæ divinitus insitus est, qualis existat, si cupis audire, attende : quando forte te ad aliquod peccatum videris paratum, illud horribile mandatum, et Christi judicium cogita. » Vide eundem oratione in principium Proverbiorum.

S. Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam fere extrema : « Timete, inquit, dilectissimi justa judicia, omittite errorem, damnate delicias : properat jam tempus extremum : Tartarus et Gehenna laxatos impiis sinus pandunt post animarum tempestiva supplicia, redivivis quoque corporis pœna servatur etc.

S. Ambrosius in libello ad virginem corruptam cap. 8 : « Pœnitentia, inquit, non verbis agenda est, sed et actu. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos ponas de quanta gloria rueris, et de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, et si te jam credas prope ipsas positam tenebras exteriores. »

S. Hieronymus in commentario ad caput primum Malachiæ : « Vult, inquit, Deus ut primum ejus filii simus, et bonum voluntate faciamus : si hoc consequi nolumus ; ut saltem nos servos habeat, a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus. » Et in caput secundum Micheæ : « Ut qui pudore, inquit, vel verecundia non tenentur, agant Pœnitentiam saltem comminatione pœnarum. »

S. Joannes Chrysostomus in I libro de compunctione cordis, extremo : « Hoc solum est, quod exposcitur a nobis, ut semper recordemur mala nostra, et ad animum revocemus, et conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus Deo, ut gehennam ponamus in conspectibus nostris, et Angelos, qui in die Judicii ubique discurrunt, et congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi sunt in Gehennam

(1) Deut. XXXII, 22 ; Psalm. VII, 13, 14 ; Isai. XXXIII, 14 ; Jonas III, 4 ; Matth. III, 7 ; id. III. 40. — (2) Rom. VIII, 15. — (3) Isai. LXIII, 17.

i  
gnis ac supplicii tradenti etc. » Vide etiam hom. 15. ad populum Antiochenum.

S. Augustinus in Psalm. 127. in illud : *Beati omnes, qui timent Dominum* : « Ille, inquit, timor nondum castus, præsentiam Domini et pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum : non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, utilis est. » Et tract. 9. in epist. Joannis : « Stimulat, inquit, timor, sed noli timere, intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor ; timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit ; opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniat charitas : timor medicamentum, charitas sanitas. »

Joannes Cassianus lib. iv. de institutis renuntiantium cap. xxxix : « Principium, inquit, nostræ salutis, ejusdemque custodia, sicut dixi, timor Domini est : per hunc enim, et initium conversionis, et vitiorum purgatio, et virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiritur. » Vide etiam eundem collat. III. cap. iv. et collat. XI. cap. vi.

S. Gregorius hom. 34. in Evangel. : « Prava mens, inquit, si non prius per timorem evertitur, ab assuetis vitiis non emundatur. »

S. Bernardus in serm. de S. Maria Magdalena, quasi prævidisset Lutherum soli fidei omnia tribuentem : « Fallitur, inquit, qui sic osculatur misericordiæ pedem, ut pedem Judicii non attendat ; qui totum de misericordiæ pede præsumit, hoc solum ad salutem sufficere credens, quod credit. » Et in lib. de præcepto et dispensatione : « Bonus quidem, inquit, obedientiæ gradus est, juxta Magistri nostri sententiam : sive propter metum gehennæ, sive propter professionem sanctam quam professus est, quisquis obediatur : melior tamen, cum ex Dei amore obeditur. »

Accedat denique etiam ratio ; nam consentaneum est naturæ, ac rationi, timere malum quod accidere potest, ac præsertim malum summum, et sempiternum, qualis est cruciatus gehennæ. Deinde, timoris hujus effectus optimus est : aut enim coercet voluntatem a peccando, aut saltem impedit opus : non potest autem arbor mala bonos fructus facere.

Postremo, non solum Deus causa est hujus timoris, sed etiam probabile est, huic eundem timorem inter illa præclara septem dona sancti Spiritus numerari, ut ex Scholasticis docuerunt Alexander in 3. par. summæ Theologicæ quæst. 76. m. 2. et S. Bonaventura in 2. Sent. dist. 34. par. 2, art. 1 quæst. 1. et ex antiquis Doctoribus S. Augustinus, et S. Gregorius, duæ columnæ Ecclesiæ.

S. Augustinus tract. 9. in epist. Joannis, docet timorem servilem esse, de quo loquitur Salomon cum ait Proverb. 1 : *Initium sapientiæ timor Domini* (1) ; quod etiam docent S. Basilius, oratione in principium Proverbiorum, Beda in 1. cap. Proverb. Bernardus homil. 23. in Cantic. et epist. 9. ad Episcopum Coloniensem, et Magister cum Theologis Scholasticis in 3. sent. dist. 34. Rursus idem Augustinus lib. 1. de serm. Domini in monte cap. 9. de Gregorius hom. 19 in Ezechielem, scribunt de eodem timore locutum esse Salomonem, qui ait : *Initium sapientiæ timor Domini* : et Isaiam cap. 11. qui ultimo loco inter dona sancti Spiritus posuit Spiritum timoris Domini. Igitur ex sententia Gregorii, et Augustini, inter septem dona Spiritus sancti timor servilis locum suum habet. Adde, quod Gregorius loco citato disertis verbis tradit, Spiritum timoris Domini, de quo loquitur Isaias, esse timorem pœnæ, qui minuitur crescente charitate. Et Augustinus in libro de gratia et libero arbitrio cap. 18. docet Spiritum timoris Domini, quem inter dona Spiritus sancti posuit Isaias, non esse timorem illum, quo Petrus Christum negavit, sed illum, de quo Dominus ait : *Timete eum, qui potest corpus et animam perdere in gehennam* (2). Qui quidem timor servilis est, saltem secundum substantiam.

Neque his repugnat, quod in Christo fuerint omnia dona Spiritus sancti, in quo tamen timor servilis non fuit. Nam neque timor ille castus fuit in Christo, quo timemus, né forte Deum offendamus : sciebat enim ille se impeccabilem esse ; et tamen quis affirmare auderet, timorem illum castum inter dona Spiritus sancti non esse numerandum ? Igitur Propheta Isaias, per Spiritum timoris Domini, intellexit timorem Domini in universum. ut comprehendit servilem et filialem : Christus autem repletus fuit spiritu timoris Domini, non secundum omnes species timoris, sed solum secundum speciem timoris filialis, qua-

(1) Prov. I, 7. — (2) Matth. X, 28.

tenus respicit reverentiam Patris, qui solus in ipso esse potuit.

### CAPUT XVIII.

#### *Solvuntur objectiones.*

Martinus Lutherus in sermone de Pœnitentia, et in assertionem articuli sexti, adversus ea, quæ jam explicata et constituta sunt, pauca quædam objicit argumenta, quæ licet jam olim a viris doctissimis Joanne Roffensi, et Ruardo Tappero dissoluta fuerint, nihil tamen oberit, si etiam a nobis brevissime dissolvantur.

Primo igitur objicit, Contritionem ex timore præcepti et minarum, extortam, ac violentam esse, et augere peccatum, non minuire. Nam remoto præcepto et minis, qui antea ex timore dicebant sibi displicere peccatum, jam dicerent placere, et eo magis peccant, et peccatis suis afficiuntur, quo magis coguntur : non autem volunt illa odisse ; siquidem lex et cognitio peccati, magis abundare facit peccatum, ut ait Apostolus ad Rom. 5.

Respondeo : dubitari non potest, quin dolor de peccato ex solo timore legis et pœnarum profectus, non sit ita liber ac voluntarius ut est ille, qui oritur ex amore justitiæ, et Dei, simpliciter tamen liber, et voluntarius est etiam ipse ; cum ex deliberato consilio, et electione nascatur et possit homo, ut etiam ipse re ipsa multi faciunt, malle peccando præsentem jucunditate frui, quam non peccando futuras pœnas evadere. Sed etiamsi dolor iste aliquo modo extortus dici queat, non ideo tamen est malus, neque peccatum auget, sed bonus est, et a peccato retrahit, alioqui lex ipsa, quæ timorem incutit, esset mala ; et Deus, qui timorem illum inspirat, mali auctor esset, Quod autem nitamur in vetitum, et inde peccatum ; abundet ex cognitione legis et timore pœnarum ; non oritur ex lege, vel timore, sed ex corrupta hominis voluntate, quæ ex bono accipit occasionem mali. Quocirca B. Paulus aperte scribit, non a lege occasionem dari, sed ex lege occasionem accipi : *Quid ergo, inquit ad Rom. 7, dicemus? lex peccatum est? absit : sed peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex dice-*

*ret : Non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me, omnem concupiscentiam. Et infra : Peccatum occasione accepta, per mandatum seduxit me et per illud occidit : itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (1).* Quod idem de timore dici potest, esse videlicet eum sanctum, et bonum, cum ex se retrahat a peccando, licet interdum corrupta hominis voluntas eo magis concupiscat, quo magis ab opere coercetur.

Sed sciendum est præterea, duos quasi gradus distingui posse in timore servili. Primus est, quando impedit opus peccati externum, sed non voluntatem : et hic timor est bonus, et bonæ rei causa, quia bonum est impediri opus externum ; sed quia conjunctus est cum mala voluntate, non gignit Contritionem neque Attritionem. Secundus est, quando non solum opus externum peccati, sed etiam voluntatem peccati coercet : sæpe enim homines etiamsi nondum toto corde Deum diligant, tamen consideratis malis effectibus peccati, et suppliciiis æternis, ad quæ ipsos perducit, simpliciter odium contra peccatum concipiunt, et serio abjiciunt peccandi voluntatem. Et hic timor est melior, neque ex eo ullo modo crescit peccandi voluntas ; et de eo loquuntur Theologi, cum dicunt, Attritionem ex timore conceptam, dispositionem esse ad justificationem, et Sacramento accedente, revera justificare, ut perspicuum est ex Concilio Tridentino, sess. 14. cap. 4, ubi legimus, attritionem disponere ad justificationem, si voluntatem peccandi excludat.

Secundo objicit idem Lutherus in eodem serm. de Pœnitentia, neminem posse perfecte odisse aliquid, cujus contrarium non prius dilexerit, cum amor sit prior odio, et odium ex amore naturaliter fluat ; proinde non esse verum odium peccatorum, quod ex timore pœnarum oritur, sed illud solum, quod nascitur ex amore justitiæ : atque ideo peccatores hortatur, ut si veram Pœnitentiam concipere volunt, non attendant ad peccati fœditatem, sed ad speciem, et pulchritudinem virtutis.

Respondeo : si admitteremus, quod Lutherus assumit, nihil aliud inde efficeretur, nisi dolorem de peccatis ob timorem pœnæ non esse perfectum odium peccatorum, quod quidem nos minime negamus : fatemur enim

(1) Rom. VII, et 7 et seqq.

perfectum odium peccati esse illud, quod ex amore Dei, justitiæque procedit, et ideo dolorem, sive odium ex timore pœnæ conceptum, non Contritionem, sed Attritionem nominamus. Verumtamen principium illud Lutheri, non posse videlicet aliquid vere perfecteque odio haberi, cujus contrarium prius non diligatur, non habet locum nisi in iis rebus, quæ propter se odio habentur: nam si quid alterius rei gratia odio habeatur, vere ac perfecte odio haberi poterit, si res illa diligatur, cujus causa istud odio habetur. Hoc modo sæpe cibum suavem detestamur, non quod ejus contrarium, id est, cibum insuavem diligamus, sed quia diligimus sanitatem, cui cibis ille suavis creditur obfuturus: sic igitur peccata verissimo, vehementissimoque odio prosequi possumus, etiamsi contrarias illi virtutes minime diligamus, quia diligimus felicitatem, a qua peccando nos excludi, atque excidere persuasi sumus. Porro, cohortatio illa Lutheri, ut Pœnitentiam acturus, non in ea damna quæ gignit peccatum, sed in speciem virtutis oculos mentis intendat, prorsus intempestiva est. Qui enim sordibus peccatorum assuetus est, non movetur ad speciem virtutis; neque fieri potest ut avaro liberalitas, luxurioso castitas, superbo humilitas repente placere incipiat, nisi Deus singulari miraculo in momento hominem aliquem divinitus illustrare, et immutare voluerit. At supplicia, quæ Deus peccatoribus comminatur, facile possunt cujuslibet hominis, quamvis impii et nefarii animum permovere: et idcirco ordinarie divina providentia a timore pœnarum incipere solet, cum peccatorem ad Pœnitentiam ducit. Vere enim a Davide, et Salomone scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini*. Et Augustinus tract. 9. in epist. Joannis, vere dixit: « Si nullus est timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi seta exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceretur charitas.

Tertio, idem Lutherus in assertionem art. 6. multa dicit ut probet, Contritionem ex timore pœnarum conceptam, esse hypocrisim quamdam, et homines hypocritas facere: sed summa ratiocinationis hæc est. Quod non sit ex corde ac sincere, simulatum et hypocriticum

est, juxta illud Matth. 15: *Cor eorum long, est a me* (1); rursus quod non fit ex charitate, non fit ex corde, et nihil, vanum, et falsum, est, I Corinth. 13. Igitur quod non sit ex charitate, simulatum et hypocriticum est. At Contritio ex timore concepta, non oritur ex charitate; ergo simulata et hypocritica est.

Respondeo: prima propositio verissima est, at secunda falsissima. Quod enim non fit ex charitate, non est quidem meritorium vitæ æternæ, quam Deus promisit diligentibus se, Jacob 1. Tamen verum, sincerum, et utile esse potest. Qui enim orat pro remissione peccatorum, et charitate accipienda, non frustra laborat, etiamsi ex charitate, quam nondum habet, id facere nequeat: et qui peccatum odit, quia ad interitum sempiternum ducit, vere, ac serio peccatum odit, sicut vere, ac serio interitum sempiternum timet: et qui peccata sua eleemosynis redimebat, juxta concilium Danielis, vel ad Jonæ prædicationem, urbis eversionem metuentes, jejuniis ac cilicio se affligebant, nequaquam hypocritæ erant. Neque Apostolus Paulus I Corinth. 13. scripsit, id quod fit sine charitate, nihil, vanum, et falsum esse; aut fidem, linguas, prophetiam, scientiam, miracula, sine charitate nihil esse, aut vana, et falsa esse: sed hominem, qui illa omnia sine charitate habet, nihil esse, quia non est amicus Dei, neque illa omnia, si charitas absit, beatum illum unquam facient.

Quarto objicit idem Lutherus in epistola ad Vicarium ordinis sui, Pœnitentiam nihil amarum, aut asperum, sed rem dulcem, et suavem sonare: timor autem pœnam habet, ut scribit S. Joannes.

Respondeo. id nimirum Lutherani audire cupiunt, Pœnitentiam agi suaviter dormiendo, ac potando: quibus aptissime convenit quod scribit Tertullianus in lib. de Pœnitentia, cum ait: « Num ergo in coccino, et tyrio pro delictis supplicare nos concedet? cedo acum crinibus distinguendis, et pulverem dentibus elimandis, et bisulcum aliquid ferri vel æris, unguibus repastinandis: si quid ficti nitoris, si quid coacti ruboris, in labia, aut genas urgeat. Præterea exquirito balneas lætiores, hortulani maritimive recessus; adjicito ad sumptum, conquirito altitium enormen saginam, defecato senectutem vini. Cum quis interrogarit, cur animæ largiaris? Deli-

(1) Matth. XV, 8.

qui (dicito) in Deum, et periclitor in æternum perire. » Hæc ille. Non sic Petrus, qui flevit amare; non sic publicanus, qui præ confusione non audebat oculos ad cælum levare, et cum dolore pectus suam percutiebat: non sic mulier illa peccatrix, quæ, ut sanctus loquitur Gregorius hom. 33, tanto dolore ardebat, ut etiam inter epulas flere non erubesceret. Denique longissime abest Pœnitentia ista Lutheri, tota suavis et blanda, ab illis præceptis, qui jubet affligere animos, scindere corda, luctum facere quasi unigeniti.

Quinto posset objici, quod timor servilis inordinatus videatur, ac per hoc etiam malus, cum magis pœnam, quam culpam timeat.

Respondeo: argumentum tecte probat, eos, qui timorem servilem habent, inordinatos ac malos esse, non tamen ipsum timorem inordinatum esse, vel malum. Nam timor servilis non dicitur servilis ab aliqua forma servilitatis sibi intrinseca et essentiali, sed a forma servilitatis extrinseca sibi, intrinseca autem subjecto suo. Dicitur enim timor servilis, quia reperitur in servis, quasi diceretur timor servorum: quomodo fides informis est fides hominum peccatorum, sed ipsa non est peccatum, quia informitas est conjuncta cum fide; sed non est illi intrinseca. Itaque qui serviliter timet, malus est, quia plura facit pœnam, quam culpam, sed timor ipse non est malus, sed bonus: quia non ideo ille est malus, quia vehementer timet pœnam, sed quia non vehementius timet culpam; quod autem non vehementius culpam timeat, non oritur ex timore pœnæ, sed ex defectu charitatis. Gregorius in 4. cap. Cant.: « Recti, inquit, diligunt te, non recti adhuc timent te. »

Dices: si hæc ita se habent, cur non potest etiam timor mundanus bonus et sanctus nominari, licet mali sint qui illum habent? Quod enim peccet qui timore mortis Christum negat, non videtur adscribendum timori, mors enim jure timetur, sed defectui charitatis. Respondeo: maximum est discrimen inter timorem servilem, et timorem mundanum: timor enim servilis, timor Dei est; timor mundanus, timor creaturarum.

Ex hoc autem discrimine duo alia oriuntur. Alterum est, quod timor servilis, licet cum peccato conjunctus sit, tamen non est peccati causa: neque enim fieri potest, ut quis ideo Deum offendat, quia Deum timet, sed contra potius a peccando se abstinat, quia Deum timet; et hujus boni effectus non nisi

bona causa esse potest. Timor autem mundanus non solum cum peccato conjunctus est, sed est etiam peccati ipsius causa, propterea enim timidus Deum offendit, quia nimis timet creaturam, et ex eo timore peccatum eligit, tamquam medium ad fugiendum malum temporale quod timet; et hujus mali fructus non nisi mala arbor causa esse potest.

Alterum est discrimen, quod timor servilis non potest esse nimis intensive: nemo enim Deum iratum, aut sempiternum exitium nimis timere potest; quin etiam nemo tantum in hoc mundo timet gehennam, quantum timeret si eam bene perspectam haberet. Potest quidem gehenna nimis timeri appetitive, ut si quis, data optione, mallet gehennam fugere, quam peccatum, sed iste excessus non oritur ex vitio timoris, quasi ille in se sit nimis, et proinde sit causa malæ æstimationis, sed ex defectu charitatis. Itaque qui plus timet pœnam gehennæ, quam culpam, non ideo peccat, quia nimium timet pœnam gehennæ, sed quia defectu charitatis non tantum culpam timet, quantum deberet. At mundanus timor, quia timor est mali creati, finiti, ac temporalis, facile potest esse nimis non solum appetitive, sed etiam intensive: et plerumque ideo nimis est appetitive, quia nimis est intensive, et tunc proprie dicitur timor mundanus. Quare mundanus timor in se, atque intrinsecè, inordinatus et malus est.

Ultimo posset objici, peccare eos qui Deum diligunt propter aliud: proinde peccare etiam eos, qui Deum timent propter aliud, id est, ad fugiendas pœnas.

Sed facilis responsio est. Nam quia objectum amoris est bonum, et timoris malum: et Deus in se bonus est, vel potius summum atque infinitum bonum; non autem est in se malus, sed solum in effectis, quibus juste peccatores affligit: idcirco propter se diligendus est, timendus autem propter aliud. Atque hæc de tota hac disputatione sint satis.

Una quidem adhuc quæstio tractari potuisset. An videlicet attritio, sive imperfecta Contritio, quam certum est sine Sacramento non sufficere ad justificationem; sufficiat cum Sacramento, ita ut pœnitens ex attrito virtute Absolutionis fiat contritus, et justificetur. Lutherus enim id aliquando negavit, ut perspicuum est ex ejus responsione ad dialogum Sylvestri Prieratis, ubi de conclusione sexta

loquens: Error est, inquit, quod attritus fiat contritus virtute Clavium. » Cæterum discipuli ejus, qui Contritionem in terroribus constituunt, et soli fidei ex verbo Absolutionis conceptæ, quæ terrores illos consequi-

tur justificationem adscribunt, nullo modo negare possunt, quin attritio, et sola non sufficiat, et cum Absolutione sufficiat: ut in Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. declaratum est.

---

## CONTROVERSIARUM

# DE PŒNITENTIA

## LIBER TERTIUS

### IN QUO DE CONFESSIONE DISSERITUR.

De Contritione, quæ prima pars est Sacramenti Pœnitentiæ, disseruimus libro superiore : sequitur, ut de secunda parte, quæ Confessio dicitur, disseramus. In qua controversia explicanda hic ordo servabitur, ut *primo* loco referantur errores, qui de hac re versantur inter adversarios. *Deinde*, sententia Catholicæ Ecclesiæ ex divinis litteris confirmetur. *Tertio*, proferantur sanctiones et decreta Conciliorum. *Quarto*, testimonia veterum Patrum. *Quinto*, rationes variæ. *Postremo*, argumenta adversariorum proponantur, et dissolvantur.

### CAPUT PRIMUM.

#### *De erroribus circa Confessionis necessitatem.*

Primi qui Confessionem sustulerunt, veteres illi Hæretici censendi sunt, qui potestatem absolvendi sustulerunt. Montanistæ videlicet, et Novatiani, de quibus in primo libro diximus : neque enim ulla necessitas confessionis est, si nulla sequitur Absolutio.

Fuit alia hæresis Audianorum, temporibus Valentiniani senioris, quæ (ut ex Theodoro lib. 4. de fabulis Hæreticorum intelligi potest) Confessionem quidem peccatorum iubebat, et Absolutionem largiebatur, sed nullam injungebat pœnitentibus mulctam ; et ideo pœnitentes, quia per jocum ac ludum Confessionem a se exigi intelligebant, gravia peccata celabant, et solum pauca quædam ac levia fatebantur ; plane ad eum modum,

quo nunc Lutherani confiteri peccata coram suis Ministris solent.

Messaliani quoque iisdem temporibus exorti (Damasceno teste, in libro de centum hæresibus) peccata dimittebant, nulla habita ratione Pœnitentiæ, et canonum Ecclesiæ.

Postmodum Joannes Wiclefus (teste Thoma Waldensi tom. 2. de Sacramentis cap. 135.) Confessionem Sacramentalem aperte oppugnare cœpit, asserens eam neque in Scripturis fundari, et ex sola institutione papali introductam esse.

Exstitit etiam ante annos circiter centum, quidam Petrus Oxoniensis, qui Confessionem peccatorum in specie affirmabat non esse de Jure divino, sed ex aliquo statuto, universalis Ecclesiæ : de quo vide summam Conciliorum in decretis Sixti Papæ IV.

Nostro sæculo in eodem errore versati sunt Erasmus Roterodamus, et B. Rhenanus. Ille, in Annot. ad epist. S. Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ, et in annotatione ad cap. 19. Actor. et in Methodo Theo-



logiæ; hic, in annotationibus ad librum Tertulliani de Pœnitentia: uterque enim docet, Confessionem secretam singulorum peccatorum, non modo non esse jure divino institutam, aut imperatam, sed neque in usu antiquæ Ecclesiæ fuisse.

Porro Lutherani, et quotquot ab illis sectæ Hæreticorum exortæ sunt, licet varie sentiant de Confessione, omnes tamen in eo conveniunt, ut non sit necessarium omnia peccata Sacerdotibus confiteri: ex quo illud etiam sequitur, ut Confessio integra peccatorum, qualis in Ecclesia Catholica exigi solet, non sit divinitus instituta.

Martinus Lutherus in lib. de captivitate Babylon. cap. de Pœnitentia scribit quidem Confessionem secretam, quæ modo celebratur, sibi valde placere, et esse utilem, vel potius necessariam: tamen addit tres errores. Primo, non posse eam probari ex Scripturis. Secundo, non esse necessarium confiteri omnia sacerdotibus. Si quis enim correptus a fratre, quem forte læsit, agnoscat coram illo peccatum suum, et veniam petat, docet Lutherus, eum non teneri peccatum illud sacerdotibus aperire. Tertio, damnat omnino eos, qui docent circumstantias peccatorum in Confessione esse detegendas: «Ego, inquit, quidquid est circumstantiarum, consuluerim penitus contemnere.»

Item in serm. de Pœnitentia, docet non esse confitenda venialia, nec omnia mortalia, sed ea tantum quæ sunt manifeste mortalia. Ex quo loco deprompti sunt articuli, quos Leo X. damnavit. Nam art. 8. negat omnia peccata mortalia esse confitenda, et addit, in antiqua Ecclesia, sola peccata manifeste mortalia ad Confessionem adduci consuevisse: et art. 9. scribit, dum volumus pure omnia confiteri, nos nihil aliud facere, nisi ut misericordiæ Domini nihil ignoscendum relinquamus: et in assertionem ejusdem articuli, carnificinam cruentissimam appellat, si quis a pœnitentibus omnium, et singulorum peccatorum confessionem exigat.

Dubitari solet, quid per manifesta peccata, quæ sola ad Confessionem pertinere voluit Lutherus, intellexerit: non enim defuerunt olim, qui eum excusare vellent. Aut igitur manifesta peccata occultis opposuit, aut dubiis, aut omnino incognitis etiam ipsi peccatori. De omnino incognitis non potest esse locutus, ea siquidem ne Catholici quidem volunt esse confitenda: neque carnificinam Lutherus appellasset sententiam Catholico-

rum, si in eadem sententia etiam ipse fuisset. De occultis non se etiam locutum, testatur ipse in assert. artic. 8. quare id solum restat, ut de dubiis intellexerit: qui certe non parvus est error.

Idem in serm. de Confess. et Eucharistia, edito anno 1519. dicit, Confessionem quæ fit coram Sacerdote, non esse præceptam a Deo, sed a Papa. Item in libro de ratione confitendi, cap. 6, valde dubitat, an peccata cordis sint confitenda. Item in libro contra Latomum, anno 1521: «Nego, inquit, in totum Confessionem esse exigendam»; et in sermone de Eucharistia, anno 1526, neminem vult cogi ad Confessionem faciendam. In visitatione Saxonica, anno 1528. iterum repetit, Confessionem non esse præceptam, licet sit utilis. Denique in articulis Smalchaldicis, anno 1527. in articulo de Confessione, dicit, enumerationem peccatorum debere esse liberam, ut quisque enumeret illa, quæ voluerit.

Joannes Oecolampadius librum scripsit, quod Confessio non sit onerosa Christiano: sed non agnoscit Confessionem a Deo præceptam, imo ne ab Ecclesia quidem, nisi manifestorum criminum.

Philippus Melanchthon in ipsa Confessione Augustana, art. de Confessione: «De confessione peccatorum, inquit, docent nostri, quod Absolutio privata in Ecclesiis retinenda sit, quamquam non sit necessaria delictorum enumeratio: est enim impossibilis enumeratio omnium delictorum, juxta illud: Delicta quis intelligit?» Hæc ille, qui quamvis ex ratione quam affert, eam solum enumerationem non necessariam esse significare videatur, quæ est omnium peccatorum, sive ea cognoscantur a nobis, sive ignorentur, tamen sine dubio reprehendere voluit enumerationem illam, quæ est in usu Catholice Ecclesiæ, videlicet omnium peccatorum, quæ post examen animo occurrunt. Nam in Apologia articuli de Confessione et Satisfactione, sæpius repetit, enumerationem quæ modo fit, et quæ erat apud veteres, non esse necessariam jure divino: «Porro, inquit, adversarii nostri multos doctores receptissimos damnabunt, si contendunt, enumerationem delictorum in Confessione necessariam esse jure divino. Quamquam enim Confessionem probamus, et quamdam examinationem prodesse judicamus, ut institui homines melius possint, tamen ita moderanda res est, ne conscientiis injiciantur laquei, quæ nun-

quam erunt tranquillæ, si existimabunt, se non posse consequi remissionem peccatorum, nisi facta illa scrupulosa enumeratione. » Idem in *Examine ordinandorum*, ubi de Confessione agit : « Nulla, inquit, enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquam extare præceptum divinum de enumeratione singulorum. » Similia habet in *Locis communibus*, titulo de Confessione, ubi tamen utilem esse judicat aliquam enumerationem, et idcirco satis prolixè instituit methodum discutiendi conscientiam per omnia præcepta decalogi.

Jannes Calvinus lib. III. *Instit.* cap. 4. §. 7 : « Miror, inquit, qua fronte ausint contendere, Confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini : cujus equidem vetustissimum usum esse fatemur ; sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum. » Deinde §. 11. admittit Confessionem generalem, quam Minister pro se et populo in Ecclesia faciat. Et §. 12 admittit etiam Confessionem privatam coram Pastore, quando quis ita angitur et afficitur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adjutorio nequeat ; sed addit hanc moderationem : Hinc sequitur, inquit, ejusmodi Confessionem liberam esse oportere, ut non ob omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur, qui ea se opus habere intelligent. Deinde ne ii ipsi, qui illa utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata vel præcepto aliquo cogantur, vel arte inducantur : sed quoad interesse sua putabunt, ut solidum consolationis fructum referant. » Denique §. 19. de Confessione, qualis fit apud Catholicos : « Nihil, inquit, mirum si auricularem istam Confessionem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam, damnamus, ac sublatam e medio cupimus. »

Martinus Kemnitius in 2. par. *Exam.* cap. 5. de Pœnitentia, pag. 976. et sequentibus de Confessione disputat ; sed pag. 121. ita explicat usum Confessionis, quem apud suos observari dicit : « Privatae, inquit, Confessionis usus apud nos servatur, ut generali professione peccati, et significatione Pœnitentiæ petatur absolutio. Cumque non sine judicio usurpanda sit Clavis, vel solvens, vel ligans, in privato illo colloquio pastores explorant auditorum judicia, an recte intelligant doctrinam de peccatis exterioribus et interioribus de gradibus peccatorum, de sti-

pendio peccati, de fide in Christum : deducuntur ad considerationem peccatorum : explorantur an serio doleant de peccatis, an iram Dei timeant, et cupiant illam effugere, an habeant propositum emendationis : interrogantur etiamsi in certis quibusdam peccatis hærare existimantur : traditur illis doctrina, et exhortatio de emendatione, quaeritur vel consilium, vel consolatio in gravaminibus conscientiae : et tali Confessioni imperitur Absolutio. » Hæc ille, qui non solum a Catholico ritu, sed etiam a Lutheri, et Melanchthonis, quos magistros habere se gloriatur, doctrina longe abesse videtur. Illi enim Confessionem peccatorum in specie faciendam esse docent, licet non omnium, neque ex legis divinæ præcepto : at Kemnitius generali confessione, et pœnitentis instructione contentus est.

Eadem generali confessione, ac pœnitentis instructione contentus est Joannes Brentius in Confessione Wirtembergensi artic. 14 de Confessione ; et alii, quos longum esset, et minime necessarium enumerare.

## CAPUT II.

### *Probatur Confessionis necessitas ex Evangelio.*

Adversus omnes jam notatos errores, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. et can. 6. 7. et 8. non solum declarat, Confessionem omnium peccatorum mortalium jure divino necessariam esse iis, qui post Baptismum in peccata labuntur ; sed etiam anathema dicit iis, qui contra ausi fuerint disputare.

Quam veritatem ex verbis Domini comprobaturus, ad hanc ratiocinationem, totam vim divinatorum testimoniorum revocandam esse censui : Qui mortali peccato se obstrinxerunt, tenentur jure divino Pœnitentiam agere, et reconciliationem cum Deo quaerere : sed medium necessarium ad reconciliationem post Baptismum, est confessio peccatorum omnium Sacerdoti facta : ergo tenentur jure divino, qui post Baptismum mortali peccato se obstrinxerunt Sacerdoti peccata omnia confiteri.

Propositio in libro superiore probata est, ex illis verbis Matth. III : *Pœnitentiam agite* (1) ;

(1) Matth. III, 2.

ex illis Luc. XXIII. *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (1); neque adversarii eam negant. Quare tota difficultas in assumptione posita est, quæ rursus hac rationatione concluditur: Christus instituit Sacerdotes iudices super terram cum ea potestate, ut sine ipsorum sententia nemo post Baptismum lapsus reconciliari possit: sed nequeunt Sacerdotes recte judicare, nisi peccata cognoscant: ergo jure divino tenentur qui post Baptismum lapsi sunt, peccata sua Sacerdotibus aperire; ac per hoc est confessio peccatorum medium necessarium ad reconciliationem iis, qui post Baptismum lapsi sunt.

Hujus argumenti sola propositio confirmanda est, nam assumptio ita per se est evidens, ut nullo modo negari possit: iudicium enim sine cognitione causæ, ne cogitatione quidem fingi potest. Quocirca adversarii communiter ad nostrum argumentum respondere solent, Ministrum in hac re non iudicem, sed præconem esse Dei, neque pro potestate absolvere, sed tantum annuntiare pœnitentibus indulgentiam.

Philippus in Apologia Confession. Augustanæ, art. de Confess.: « Quod objiciunt, inquit, iudicem debere cognoscere causam priusquam pronuntiet, hoc nihil ad hanc rem pertinet, quia Absolutio est executio alieni beneficii, non est iudicium. » Idem in locis anni 1543. tit. de Confessione, ad idem argumentum his verbis respondet: « Respondeo ad majorem: differunt iudicium et ministerium Evangelii. In iudicio necesse est fieri cognitionem: at ministerium Evangelii est mandatum certum impertiendi beneficii, scilicet annuntiandæ remissionis peccatorum sive nota sint, sive ignota. » Et infra: « Ministerium, inquit, est testimonium divinæ absolutionis. » Et infra: « Quod Evangelium publice multis, et privatim singulis applicari possit, testatur hæc sententia: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. »

Joannes Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. §. 18. Nam, inquit, quod contendunt, non posse fieri iudicium, nisi causa cognita; in promptu est solutio, temere hoc sibi arrogare qui sunt a seipsis iudices creati. Et infra: Jactant sibi ligandi, et solvendi munus esse mandatum, ac si quædam esset jurisdictio quæstioni adjuncta. Porro hoc jus Apostolis fuisse incognitum, tota eorum doctrina

clamat ». Et §. 21. declarat, remittere ac retinere peccata nihil esse aliud, nisi polliceri ex verbo Dei remissionem peccatorum credentibus, et edicere damnationem non amplectentibus Christum: quod idem copiosius docet lib. IV. cap. 11. §. 1: « Hoc, inquit, de remittendis, et retinendis peccatis mandatum, et illa de ligando et solvendo, Petro facta promissio, non alio debent referri, quam ad verbi ministerium; quod dum Apostolis committebat Dominus simul hoc ligandi, solvendique munere ipsos instruebat Quæ enim est summa Evangelii, nisi quod omnes servi peccati et mortis, solvimur ac liberamur per redemptionem, quæ est in Christo Jesu? qui vero Christum liberatorem, ac redemptorem non suscipiunt, nec agnoscunt, eos æternis vinculis damnatos, addictosque esse? »

Martinus Kemniti in 2. part. Examinis, cap. 5. de Pœnitentia pag. 129. proponit his verbis potissimum Catholicorum argumentum: « Christus, inquit, Sacerdotes iudices constituit, ut pro potestate Clavium pronuntient sententiam vel remissionis, vel retentionis peccatorum. Sed nullum iudicium recte exerceri potest incognita causa: ideo omnia peccata Sacerdoti ut iudici, in Confessione quando petitur Absolutio, sigillatim enumeranda, exponenda, et detegenda sunt. » Et infra ponit responsionem pag. 130: « Sed recte, inquit, respondetur discrimen esse inter iudicium, et functionem ministerii Evangelici: in iudicio enim juxta causæ cognitionem pronuntiatur, prout bona, vel mala est, vel prout reus adfert compensationem pro delicto: ministerium vero Evangelii mandatum habet annuntiandi et impertiendi alienum beneficium, Christi scilicet. » Et pagina 1033: « Ministri, inquit, tantum legatione funguntur, et sunt dispensatores alieni beneficii, quibus non mandatum est, ut corda scrutentur, sed ut iis, qui significant se Pœnitentiam agere, et Evangelio credere, annuntient remissionem peccatorum. » Hæc ille.

Quare si ex Evangelio probavero, Apostolos et eorum successores iudices esse a Domino in Ecclesia constitutos in causis pœnitentium, simul etiam probavero, jure divino confessionem peccatorum in specie coram Sacerdote esse faciendam.

Tria sunt loca præcipua, ex quibus judi-

(1) Luc. XIII, 3.

ciaria ista potestas demonstrari potest. Primus locus est Matthæi 16 : *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis*(1). Alter Matth. 18 : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo*(2). Tertius est Joan. 20 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt* (3).

Primus locus continet promissionem soli Petro factam : sed neque Catholici, neque Hæretici dubitant, quin Petrus acceperit Claves, non tantum ut ipse eis uteretur, sed etiam ut eas cum cæteris Sacerdotibus communicaret. Alter locus habet promissionem, factam Apostolis omnibus, sive prædictionem quamdam ejus potestatis, quam Apostoli et eorum successores accepturi erant. Et quia veritas mentiri non potest, etiamsi nihil aliud legeremus, non posset ambigi, quin eam potestatem alicubi accepissent. Tertius locus continet ipsam concessionem ejus potestatis, et Sacramenti totius constitutionem.

Et quoniam adversarii non negant, in his locis promitti vel dari Ecclesiæ potestatem solvendi, et ligandi, sive peccata remittendi aut retinendi ; sed hanc potestatem interpretantur ministerium prædicandi, et annuntiandi pœnitentibus remissionem peccatorum, et impœnitentibus iram, et damnationem, sive publice multis, sive privatim uni : idcirco probandum nobis est, ex his locis apertissime colligi, datam esse veram potestatem ex auctoritate absolvendi, ac per hoc Sacerdotes judices esse in causis peccatorum vice Christi.

Primum igitur id colligitur ex metaphora clavium, de quibus dicitur : *Tibi dabo claves*. Nam in primis claves non solent fieri, vel dari ad significandum, ostium esse clausum vel apertum, sed ad aperiendum et claudendum reipsa. Deinde, apud homines claves dari solent Magistratibus in signum potestatis : et in ordinatione Ostiariorum dantur claves ecclesiæ materialis, non ut Ostiarii declarent, sintne fores templi clausæ, vel apertæ, sed ut eas vere claudant atque aperiant. Denique, cum in Apocal. cap. 3. de Christo dicitur : *Qui habet clavem David, aperit, et nemo claudit ; claudit et nemo ape-*

*rit* (4), omnes intelligunt per clavem, veram et proprie dictam potestatem, qua possit Christus ex auctoritate judiciaria absolvere et ligare, non autem significare aut declarare, quissit ligatus, quis solutus.

Quare cum suas claves Christus cum Apostolis, eorumque successoribus communicaverit, veram potestatem ex auctoritate judiciaria solvendi et ligandi cum illis communicavit. Et quemadmodum nemo in clausam domum ingredi potest, nisi qui habet ejus domus clavem, ostium aperuerit : sic etiam nemo cui cælum ob culpam sit clausum, in illud ingredi poterit, nisi Sacerdotum ministerio aperiatur. Nam si aliunde pateret aditus, frustra claves Apostoli accepissent : quid enim prodesset habere claves domus, si absque clavibus ; invito etiam Ostiario, aditus pateret ? « Nemo, inquit S. Augustinus hom. 49. sibi dicat, Occulte ago, apud Deum ago. Ergo sine causa dictum est : Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cælo ? ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ Dei ? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi. »

Neque his repugnat, quod per Baptismum illi etiam, qui claves non habent, intromittere possunt homines in regnum cælorum. Nam potestas clavium, est potestas judiciaria, et ideo proprie erga eos tantum exercetur, qui sunt in Ecclesia. *Quid enim ad me de iis qui foris sunt judicare* (5) ? inquit Apostolus I Corinth. v. Itaque per Baptismum admittuntur homines ad Ecclesiam, et Sacerdotum judicio ac potestati subjiciuntur : sed si deinde peccaverint, sine Clavium beneficio nullo modo reconciliari queunt.

Secundo, idem colligitur ex metaphora ligandi et solvendi : ligare enim, et solvere, non significant denuntiare, vel declarare, sed reipsa vincula injicere, aut demere ; et præsertim Matth. 16. et 18. alioqui non dixisset Dominus : *Quodcumque solveris, erit solutum*, sive : *Quæcumque solveritis, erunt soluta* ; sed : *Quodcumque solveris, erit solutum* ; et : *Quæcumque solveritis, erant soluta*.

Dices : Esto, possint Sacerdotes solvere et ligare, non tamen idcirco necesse erit ad eorum tribunal accedere ; non enim Dominus ait : *Et quæcumque non solveritis, non erunt soluta* ; itaque poterunt illi quidem solvere si quis eorum ministerio uti voluerit,

(1) Matth. XVI, 19. — (2) Matth. XVIII, 18. — (3) Joan. XX, 23. — (4) Apo. III, 7. — (5) Corinth. V, 12.

sed poterit etiam peccator alia ratione sine ipsorum ministerio reconciliari. Quemadmodum cum regum auctoritate iudices publici constituuntur, possunt illi quidem iudicare omnes, qui ipsorum opera uti volunt; non tamen coguntur qui lites habent ad publicos illos iudices accedere, sed possunt arbitros eligere, aut etiam ipsi per se causam suam componere.

Sed hæc obiectio facile solvitur. Nam etiamsi possint privati homines, lites, quas inter se habent, sine publicorum iudicum sententia componere: non possunt tamen eas lites componere, quas cum rege ipso habent, nisi illum adeant, quem loco suo rex iudicem esse voluit. Porro peccata omnia causæ sunt, quas cum Deo ipso habemus, et ideo cum Deus iudicium de peccatis, Sacerdotibus permiserit in Ecclesia sua, non possunt qui in Ecclesia sunt, si ejusmodi causas habeant, sine Sacerdotum iudicio cum Deo reconciliari. Quare illa negatio, Quæcumque non solveritis, non erunt soluta quamvis expressa non fuerit in eo loco Evangelii: tamen aperte colligitur, tum ex illa affirmatione: *Quæcumque solveritis, erunt soluta*, qua Sacerdotes iudices futuri dicuntur in causis contra Deum; tum etiam ex illa: *Quæcumque ligaveritis, erunt ligata*, ligare enim non solum est novum vinculum addere, ut Excommunicationis: sed etiam vinculum peccati confirmare, ac retinere, ut in alio Evangelista explicatur, et denique nolle solvere. Quod si possent rei sine Sacerdotum sententia a peccatis absolvi, non esset vera Christi promissio: *Quæcumque ligaveritis, erunt ligata*.

Tertio, colligitur idem ex illis verbis Joan. 20: *Quorum remisieritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt* (1). Hoc enim loco expresse datur potestas non solum remittendi peccata, sed etiam retinendi: retinere autem quid est, nisi nolle remittere? proinde negatur remissio illis, quibus noluerint Sacerdotes remittere. Adde quod non ait Dominus: Quorum remisieritis peccata, remissa erant, quod certe dixisset, si per remissionem, declarationem significare voluisset, sed ait: *Remittuntur eis*, quia nimirum ratam habet Christus sententiam a Sacerdote, nomine suo, latam.

Quarto colligitur ex illa voce: Quorum, nec enim vult Dominus omnibus indefinite

peccata remitti, sed certis hominibus, iis videlicet, quos Sacerdotes absolvendos judicaverint. At Evangelium omnibus indefinite prædicatum est, juxta illud Marc. ult.: *Prædicare Evangelium omni creaturæ* (2), et omnibus omnino dari potest conditionalis illa absolutio Calvinii. « Remittuntur tibi peccata si credis. » Non igitur Dominus de prædicatione Evangelii, sed de vera potestate peccata remittendi loquitur.

Quinto, colligitur ex cæremonia insufflationis, qua Dominus usus est, cum potestatem remittendorum peccatorum Apostolis tribuit. Quemadmodum enim idem Christus Actor. 2: Spiritum sanctum dedit in specie linguarum, quia dedit eo tempore donum concionandi: sic etiam Joan. 20. dedit Spiritum sanctum insufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, ut adversarii somniant, sed plane extinguendo, ac dissolvendo. Ut enim status extinguit ignem, et dissipat nebulas; sic etiam absolutio Sacerdotis peccata dispergit, et evanescere facit; juxta quam metaphoram legimus Isaiaë 44: *Delevi ut nubem peccata tua* (3).

Sexto, idem probatur ex Patribus, qui loca notata ita exponunt, ut aperte significant, sacerdotes a Christo iudices factos, et peccata ex potestate dimittere, non autem concionando annuntiare esse remissa.

Ac primum. S. Joannes Chrysostomus lib. III, de Sacerdotio, multis modis sententiam nostram confirmat: « Etenim, inquit, qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cælis sunt dispensent: iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcumque alligaveritis in terra etc. » At certe possunt Angeli annuntiare hominibus, remitti peccata si credant, non remitti, si non credant: non igitur potestas annuntiandi, sed vere absolvendi ac ligandi data est Sacerdotibus ex sententia Chrysostomi.

Pergit ibidem Chrysostomus: « Habent quidem et terrestres principes vinculi potestatem, verum corporum solum: id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos usque pervadit, usque adeo, ut quæcumque inferne Sacerdotes confecerint, illa eadem

(1) Joan. XX, 23. — (2) Marc. XVI, 14. — (3) Isai. XIV, 22.

Deus superne rata habeat, ac servarum sententiam Dominus confirmet. » At principes terræ non solent annuntiare quis vincetus sit, quis solutus, sed plane pro imperio corpora subditorum ligant et solvunt. Igitur et sacerdotes cum animas ligant, vel solvunt, non annuntiant quis ligatus sit, quisve solutus : sed plane pro imperio, Christi vice, vincula injiciunt, vel tollunt, si comparatio Chrysostomi aliquid valet.

Pergit Chrysostomus : « Quorumcumque (ait) peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, quæso, potestas hac una major esse queat ? » At annuntiare peccata fidelibus remitti, infidelibus detineri, non magna res est, id enim quilibet facere potest, qui modo Evangelium legere noverit, non solum Sacerdotes, sed etiam laici ; nec tantum Catholici, sed etiam Hæretici, quin etiam ipsi Dæmones.

Pergit : « Pater omnifariam Filio potestatem dedit ; cæterum video ipsam eandem omnifariam potestatem a Filio illis traditam, nam quasi jam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab effectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. » At Pater Filio non nudam Evangelii annuntiandi facultatem dedit : sed plane ex auctoritate peccata demittendi. Alioqui Dominus Matth. 9. cum dixisset Paralytico : *Dimittuntur tibi peccata tua* (1), et quidam Pharisei adjecissent : *Hic blasphematur* : potuisset uno verbo calumniam repellere, ac dicere, non se peccata proprie remittere, sed solum annuntiare esse remissa ; cæterum non hoc fecit, sed ex potestate mirabili repente curandi corpora, demonstravit se habere etiam potestatem admirabilem curandi animas.

Addit Chrysostomus : « Quid multa ? Rex aliquis si cui ex subditis suis honorem hunc detulerit, ut potestatem habeat quoscumque velit in carcerem conjicendi, eosdemque rursus laxandi : beatus ille, et admirandus iudicio omnium fuerit. At vero qui a Deo tanto majorem accepit potestatem, quanto cælum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant : hic vilem eo usque dignitatem, accepisse nonnullis videri debet, ut vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoque posse aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulo ante dixi, fuerint concredita, cui ipsi munus

suum sordescat, quique donum sibi a Deo datum despiciat ? » Non poterat Chrysostomus apertius declarare, Sacerdotum potestatem vere ac proprie judiciariam esse, quam ea similitudine fecerit : comparat enim Sacerdotem non cum præcone regis, qui solum nuntiet quid factum, faciendumve sit : sed cum eo, qui pro potestate in carcerem detrudat, aut ex carceribus liberet.

Addit ultimo ibidem Chrysostomus : « Corporis lepram purgare, seu (verius dicam) haud purgare quidem, sed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus solis licebat : neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, et concertatione Sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. Ad vero nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est. » Hoc vero loco, tam perspicue Chrysostomus sententiam adversariorum damnat, ut nihil omnino contra responderi queat.

Sed audiamus etiam alios Patres. S. Gregorius Nazianzenus oratione ad cives timore percussos, et Principem, sive Præsidentem irascentem : « Ipsa, inquit, Christi lex, vos quoque Præsides, meo imperio, tum solio subjicit : nam et nos cum potestate sumus, addam etiam ampliore, perfectioreque. »

S. Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 2. et sequentibus, probat ex locis allegatis Matth. 16. et Joan. 20. Sacerdotibus datam a Christo potestatem remittendi peccata. Loqui autem Ambrosium de vera potestate remittendi, non de solo ministerio evangelizandi, perspicuum est ; tum quia Novatiani non negabant posse Evangelium omnibus prædicari, sed negabant peccata ex auctoritate remitti posse ; tum quia cap. 7. Ambrosius scribit, Christum communicasse cum Sacerdotibus eam potestatem, quam ipse habet. Christum vero veram potestatem remittendi, non autem solum annuntiandi habere, paulo ante ostendimus.

S. Hieronymus in epist. ad Heliodorum de vita solitaria : « Absit, inquit, ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, quodam modo ante diem iudicii judicant. »

S. Augustinus lib. xx. de Civ. Dei. cap. 9. explicans illud Apocalypsis : « Et vidi sedes,

(1) Matth. IX, 2.

et sedentes super eas, et iudicium datum est», ita loquitur : « Non hoc putandum est de ultimo iudicio dici, sed sedes præpositorum, et ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id, quod dictum est : Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in cœlo. Unde apostolus : Quid enim mihi est, inquit, de his, qui foris sunt iudicare ? nonne de his, qui intus sunt, vos iudicatis ?

S. Innocentius I. in epistola 1. ad Decentium cap. 7 : « De pondere, inquit, æstimando delictorum, Sacerdotis est iudicare. »

S. Gregorius hom. 26. in Evangelia, exponens illa verba Domini : *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis*, etc. « Principatum, inquit, superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent ».

Septimo probatur rationibus. Ac primum si non essent Sacerdotes iudices, nec vere peccata remitterent, sed solum annuntiarent esse remissa : nemo periret ex eo solum, quod sacerdotem reconciliantem habere non posset ; qui enim credit, ex sententia adversariorum, jam habet remissionem, etiamsi nemo sit, qui id verbis protestetur. Ad S. Augustinus in epist. 180. ad Honoratum aperte scribit, aliquos reconciliari cupientes, et proinde credentes in Christum, in æternum perire, quod ante moriantur, quam a Sacerdote absolvi potuerint. « An non cogitamus, inquit, cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri solcat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem, et erogationem, ubi si Ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati ? quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt ? » Hæc ille. Nec his dissimilia scribit S. Leo in epist. 91. ad Theodorum. Ex quibus loci intelligimus, sacramentalem reconciliationem vim habere justificandi, neque esse solam annuntiationem acceptæ, vel accipiendæ justificationis.

Deinde, si Sacerdos non aliter peccata remitteret, quam annuntiando divinas promissio-

siones : certe non nisi frustra ac ridicule absolventur surdi, et ii, qui ob vim morbi sensibus sunt destituti. *Ne effundas sermonem meum*, inquit Sapiens Eccles. 32, *ubi non est auditus* (1). At in Ecclesia veteri, non solum surdi, sed etiam ii, qui ob vim morbi extra se positi erant, aliquando reconciliabantur, ut patet ex Augustino lib. 1. de adulterinis conjugis cap. ult. et Leone in epist. paulo ante citata ad Theodorum, et ex Concilio Carthaginensi IV. can. 76. et Arausicano can. 12.

Tertio, si absolutio esset annuntiatio remissionis peccatorum, vel temeraria esset, vel superflua. Nam cum Minister dicit : *Remittuntur tibi peccata*, aut absolute hoc pronuntiat, aut ex hypothesi, si videlicet credas, et ut oportet pœnitentiam agas. Si absolute : temere id pronuntiat, cum ignoret, an is, qui reconciliationem petit, si vere pœnitens, et fidem habeat, qualis requiritur ad justificationem : et præterea etiamsi aliquo modo id Minister nosset, melius tamen novit ipse pœnitens, proinde non eget annuntiatione illa Ministri, quæ nihil ei addere potest certitudinis. Si vero est conditionalis Absolutio (ut Calvinus admittit) non potest talis Absolutio certum ac securum efficere pœnitentem, cum ex incerta conditione dependeat : et tamen adversarii, vix alium finem absolutionis agnoscunt, quam ut certum reddat hominem acceptæ justificationis.

Quarto, si absolutio non est actus judicialis, sed simplex annuntiatio divinæ promissionis, quæ in Evangelio scripta extat, non minus absolvere poterit laicus, imo etiam fœmina, aut puer, aut infidelis quispiam, aut diabolus, vel etiam psittacus, si doceatur ea verba, quam Sacerdos. Et quamquam adversarii id concedant, quia sequitur evidenter ex ipsorum principiis, tamen est contra omnium veterum confessionem, et contra consuetudinem omnium Ecclesiarum, et omnium sæculorum, de qua re suo loco plura dicemus.

(1) Eccl. XXXII, 6.

## CAPUT III.

*Confirmatur eadem veritas ex figuris, quæ  
Confessionem sacramentalem præcesserunt.*

Sacramenta Christiana, ac præsertim ea, quæ magis necessaria sunt, non simpliciter in divinis litteris indicantur, sed primum in lege naturæ et Mosis adumbrata, ac prænuntiata, deinde a Christo promissa, tum instituta, postea frequentata, et commendata in Scripturis inveniuntur.

Sic Baptismus in lege naturæ adumbratus fuit per arcam Noe, et circumcisionem in lege scripta, per transitum maris rubri, et probaticam piscinam; ac demum propinquante lege gratiæ, per Baptismum Joannis, deinde a Christo promissus fuit, Joan. III, 3: *Nisi quis renatus fuerit etc.* Postea disertis verbis imperatus Matthæi ultimo 19: *Baptizate omnes gentes etc.* denique in Actis Apostolorum, et in epistolis beati Pauli passim exhibitus, et commendatus legitur.

Sic etiam Eucharistia figurata primum fuit in lege naturæ per panem et vinum Melchisedech; in lege scripta per agnum paschalem et panes propositionis; in ipso Evangelio per multiplicationem panum: deinde, promissa Joan. VI, 52: *Panis quem ego dabo*, postea instituta Matth. XXVI, 26: *Accipite et manducate etc.* Denique frequentata, et commendata ab Apostolis Act. I. et II. Corinth. X et XI.

Quod idem de confessione demonstrari potest. Deus enim in lege naturæ non semel exegit confessionem peccati: clarius eamdem præscripsit in lege Mosis: eamdem Christus in Evangelio variis figuris expressit: eamdem postea promisit, et instituit: accessit denique usus ejus tempore Apostolorum, necnon exhortatio, et commendatio.

Et quoniam de promissione, et institutione, ex quibus præcipuum argumentum sumitur, diximus, cap. superiore: nunc de iis, quæ promissionem et institutionem, vel præcesserunt, vel secuta sunt, quæque ad eamdem veritatem confirmandam non parum valent, breviter dicemus.

Porro ex figuris duplex argumentum sumi potest. Primum enim si confessio, quam Deus in Testamento veteri exigebat, figura quædam erat, ut revera erat, cum omnia contingerent illis in figuram I Corinth. 10.

certe necesse est, ut in Testamento novo sit etiam confessio peccatorum a Deo præcepta, et quidem tanto exactior et perfectior, quanto res figurata figuris ipsis præstat. Deinde, si confessio necessaria erat coram Dei Ministro, eo tempore, quo nondum data erat Sacerdotibus potestas remittendi peccata: quis non inde colligat, multo majore ratione æquum fuisse, ut confessio tanquam necessaria imperaretur, tempore novi Testamenti, quo tanto cum fructu confiteri possumus, ut legitimam confessionem continuo certa Absolutio consequatur?

Prima igitur figura habetur Genes. 3. et 4. ubi Deus primum ab Adamo et Eva, deinde a Cain Confessionem peccati exegit. In his locis exigitur confessio, non solum cordis, sed etiam oris, nec solum in genere, sed etiam in speciali, nec tantum coram Deo, sed etiam coram ejus Ministro. Nam interrogatio illa facta est per Angelum in forma humana apparentem, ut patet ex eo, quod ambulabat in Paradiso ab auram post meridiem. Ex quo intelligimus magnam fuisse similitudinem inter illam confessionem, et eam, quæ nunc fit sacerdoti, qui est etiam Angelus Domini, teste Malachia cap. 2. ut non sine causa, una dicatur fuisse figura alterius.

Quare Tertullianus in lib. II. adversus Marcionem, hanc figuram expendens, ita loquitur: « Interrogat Deus quasi incertus, et ut hinc liberi arbitrii probans hominem, in causa vel negationis, vel confessionis, ut daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine revelandi: sicut de Cain sciscitatur, ubi nam frater ejus, quasi non jam vociferatum a terra sanguinem Abelis audisset, sed ut et ille habere potestatem ex eadem arbitrii potestate sponte negandi delicti, et hoc nomine gravandi: atque ita nobis conderentur exempla confitentorum potius delictorum, quam negandorum, ut jam tunc initiaretur Evangelica doctrina: Ex ore tuo justificaberis, et ex ore tuo damnaberis. »

S. etiam Ambrosius in lib. de Paradiso, cap. 14. et lib. II. de Cain et Abel, cap. 9. et S. Gregorius lib. XXII. Moral. cap. 13. et S. Joannes Chrysostomus hom. 18. in Genes. hæc loca de Confessione exponunt, ac dicunt, Deum ab illis confessionem extorquere voluisse, ut confessione delerent, quod transgrediendo commiserant.

Secunda figura habetur Levit. 13. et 14. ubi judicium lepræ solis committitur Sacerdotibus, et cogebantur leprosi se Sacerdo-



tibus sistere, ac prodere, et juxta eorum arbitrium vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reverti : quam etiam legem Dominus approbavit Matth. VIII, 4. cum leproso a se curato dixit : *Vade, ostende te sacerdoti, etc.*

Hanc figuram fuisse Sacramenti Confessionis, docent Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, et S. Hieronymus in cap. 16. Matthæi. Hinc enim colligit S. Hieronymus oportere Sacerdotes, cognoscere peccatorum varietates ; et S. Chrysostomus monet, officium Sacerdotum Christianorum longe excellentius esse quam olim fuerit Judæorum, cum illis, lepram non curare, sed curatam ostendere ; nostris, peccata non curata ostendere, sed vere curare concessum sit.

Joannes Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. § 4. hoc argumentum contemnere videtur, et tamen operose diluere conatur : « Videamus, inquit, quibus argumentis Confessionem hanc Dei esse mandatum probant. Misit, inquiunt, leprosos Dominus ad Sacerdotes ? Quid ? misitne ad Confessionem ? quis unquam fando audivit, audiendis confessionibus præfectos Leviticos Sacerdotes ? » At neque nos dicimus, missos leprosos a Christo ad Sacerdotes, ut illis peccata sua confiterentur, sed ex figura, cum Chrysostomo et Hieronymo, ducimus argumentum. Ut enim in lege veteri cognitio lepræ corporalis, ita in nova cognitio lepræ spiritualis ad Sacerdotes pertinet ; et ideo cum legimus ab ipso Christo leprosos ad Sacerdotes Leviticos missos, allegorice intelligimus, missos peccatores ad Sacerdotes Evangelicos.

Neque hoc Calvinus ignorasse, sed ansam calumniandi accipere voluisse, testantur verba sequentia : « Confugiunt, inquit, ad allegorias. Sancitum erat lege Mosaica, ut Sacerdotes discernere inter lepram et lepram. Peccatum spiritualis est lepra : de hac pronuntiare Sacerdotum est. Antequam respondeo, quæro obiter : Si hic locus, spiritualis lepræ eos judices facit, cur naturalis et carnalis lepræ cognitionem ad se trahunt ? scilicet hoc non est Scripturis ludere : Lex cognitionem lepræ defert Sacerdotibus Leviticis, hanc nobis usurpemus ; peccatum est lepra spiritualis ; simul et peccati cognitores. Nunc respondeo : translato sacerdotio, necesse est legis translationem fieri. Omnia Sacerdotia ad Christum translata sunt, in eo impleta, et finita : ad eum igitur unum jus omne, et honor sacerdotii translatus est. »

Ad quæstionem obiter propositam, respondeo, Calvinum obiter mentiri, cum scribit, Sacerdotes Christianos ad se trahere cognitionem lepræ corporalis. Neque enim hujus rei vel testimonium, vel exemplum producere poterit : apud nos enim de lepra corporali medici respondere solent, non Sacerdotes. Exstat quidem in jure canonico titulus de conjugio leproso ; sed is titulus nihil habet commune cum legibus leviticis de leprosis. Leges enim Leviticæ præscribunt rationem dijudicandæ lepræ, et sacrificia, quæ pro leprosis offerenda sunt. Jus vero canonicum neque de ratione lepræ dijudicandæ, neque de sacrificiis tractat, neque leges illas leviticæ ulla ex parte servandas præscribit ; sed solum docet, non esse lepram, ut neque ullum alium morbum corporalem, justam causam divortii inter conjuges. Non igitur in Scripturis ludimus, neque cognitionem lepræ corporalis nobis usurpamus, præsertim ex vi legis Mosaicæ : sed argumentum ex figura ducimus, ut ante diximus.

Ad solutionem autem argumento nostro a Calvino adhibitam, respondeo, sacerdotium in Christum esse translatum, sed Christum, non per se, sed per suos Ministros in terris fungi sacerdotio. Itaque sicut per Ministros suos concionatur, baptizat, absolvit, ligat, sacrificium offert etc., ita quoque per suos Ministros cognoscit causas lepræ spiritualis, et ad ejusmodi Ministros spirituales leprosi accedere, et morbos suos detegere debent. Quod si sacerdotium ita ad solum Christum translatum esset, ut ab ejus ministros nullo modo pertineret, vel etiam (ut Calvinus loquitur) in Christo completum, ac finitum esset, et nullum jam in terris sacerdotium remaneret, certe nec lex ulla in terris remaneret. Eadem enim ratio sacerdotii, et legis est : si translatum est sacerdotium in cælum, et lex in cælum translata est : si extinctum est sacerdotium, extincta quoque est lex. Si vero non nisi absurdissime dicitur lex Dei ita esse extincta, aut in cælum translata, ut nulla sit in terris : profecto non minus absurde dicitur, sacerdotium ita extinctum, aut in cælum esse translatum, ut inter homines nullum sit.

Addit deinde Calvinus : « Adhæc, importuna est ipsorum allegoria, quæ legem mere politicam inter cæremonias reponit. » At hic duo sunt errata. Primum enim lex de purgatione leprosi, non mere politica, sed maxima ex parte cæremonialis erat. Nam si

mere politica fuisset, ad principem politicum, non ad Sacerdotes pertinisset. Et quo modo politica lex est, et non potius cæremonialis, quæ jubet leprosum recludi septem diebus, dissutum gerere vestimentum, lavari aliquoties, offerre passeris, et agnos, tingi sanguine et oleo in extremo auriculæ dextræ, et in pollice manus ac pedis dextri, et alia id genus multa? Deinde etiamsi mere politica lex illa fuisset, quid prohiberet quominus alicujus mysterii figuram gerere posset? certe transitus maris rubri, manna de cœlo, aqua de petra, idololatrarum interfectio, non cæremoniæ, sed res gestæ fuerunt, et tamen Apostolus I. Corinth. 10. aperte scribit, omnia illa in figuram Hebræis contigisse, et ad nos earum rerum significationes pertinere. Neque cæremonia dici potest, quod Abraham duos filios habuerit, unum de ancilla, et unum de libera: et tamen ejus rei allegoriam B. Paulus exponit Galat. 4.

Concludit tandem Calvinus responsionem suam his verbis: « Quamquam in re clara suffragium ullius hominis accersere pudet: ubi Christus pronuntiat, se jus legale relinquere Sacerdotibus integrum, tanquam professis Evangelii hostibus, qui semper ad obstrependum intenti erant, nisi os fuisset occlusum. Quare ut hanc possessionem retineant Papales sacrificii, palam concedant in eorum partes, quos necesse est vi compesci, ne Christo maledicant, nam ad veros ejus Ministros nihil hoc pertinet. »

At quid est aliud acrem verberare, et sine hoste pugnare, si hoc non est? sic enim nos Calvinus ad Judaismum rejicit, quasi contenderemus, cognitionem lepræ corporalis juxta legem Leviticam, ad Sacerdotes Evangelicos pertinere, cum nos (ut sæpe diximus) non cognitionem lepræ corporalis, sed spiritualis, quæ per corporalem illam significabatur, nostris Sacerdotibus deferamus. Et vero si Calvini ratiocinatio quidquam valeret, illud etiã efficeret, neminem posse a circumcissione carnali ad circumcissionem spiritualem argumentum ducere, quin ad partes Judæorum Christi hostium, concedere videretur; et tamen Apostolus Paulus, qui in epistola ad Galatas circumcissionem Judaicam ab Ecclesia totis viribus amovet, idem in epist. ad Coloss. cap. 2. dicit nos omnes qui baptizati sumus, circumcisos esse circumcissione non manufacta, in expoliatione corpo-

ris carnis, sed circumcissione Christi. Sicut igitur circumcisio ad nos non pertinet, pertinet autem Baptismus, qui per circumcissionem significatur, et circumcisio spiritualis nominatur, sic etiã cognitio lepræ ad Sacerdotes Christianos non pertinet, pertinet autem cognitio peccati, quod per lepram significatur, et lepra spiritualis aptissime nominatur.

Tertia figura est Confessio, quam Deus instituit in Testamento veteri, et cui adjungi voluit loco cujusdam satisfactionis, oblationem sacrificii: de qua Num. 5. et Levitici etiã 5. testimonium habemus. Nam profecto si Confessio figuralis erat a Deo instituta, et necessaria jure divino, quanto magis Confessio figurata esse debet a Deo instituta et necessaria jure divino?

Sed quoniam Martinus Kemnitius in 2. part. Examinis pag. 984. contendit, Confessionem illam fuisse generalem. (Talis Confessio, inquit, in veteri Testamento erat, quando aliquis ad Sacerdotem adducebat hostiam offerendam pro peccato, pro delicto, pro ignorantia, pro contumacia etc. nec exigebatur ut peccatum illud in specie, et sigillatim cum omnibus circumstantiis sacerdoti exponeretur), ostendam breviter Confessionem illam certi peccati in specie fuisse.

Verba Scripturæ in lib. Num. cap. 5. sic habent: *Vir, sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum* (1). Ubi duo sunt observanda, primum illud, *Confitebuntur*, esse in conjugatione hitpael, quæ auget significationem, ita ut illud *התורו* recte verti possit: *Expresse, et distincte confitebuntur*. Deinde illa verba: *Confitebuntur peccatum suum*, in Hebræo haberi cum majori explicatione, sic enim legimus: *Confitebuntur peccatum suum אשר עשו*, id est, *quod fecerunt*. Ex quibus colligimus hoc loco imperari, ut peccatum in specie per manifestam confessionem prodatur; si enim in genere tantum confiteri sufficeret, non diceret Scriptura: *Confitebuntur aperte peccatum illud, quod fecerunt*, sed simpliciter, *Confitebuntur peccata sua*.

In Levitico cap. 5. ubi nostra editio habet: *Agat Pœnitentiam pro peccato* (2), in Hebræo est illud idem vocabulum, quod in lib. Numer. sic enim legimus, *יאשם לאהת מענה והתורה*

(1) Num. V, 7. — (2) Levitico. V, 5.

אשר הטא והיה כן : *Et erit cum peccavit in uno ex his, confitebitur aperte peccatum quod peccavit.*

Ad hæc testimonia Rabbinorum, et consuetudo gentis, satis aperte ostendit, præceptum hoc intelligendum esse de Confessione distincta, et in specie ejus peccati, pro quo expiando sacrificandum erat. De consuetudine Hebræorum, testes sunt Thomas Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 137. ubi scribit se in Austria ab ipsis Hebræis cognovisse hanc eorum consuetudinem : et S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 6. §. 1. summæ Theologicæ, ubi dicit, solere Judæos doctiores ante mortem confiteri omnia peccata Levitæ alicui, si quem forte nacti fuerint. De testimoniis Rabbinorum vide Petrum Galatinum lib. 10. cap. 3. ubi multis testimoniis Rabbinorum probat, oportuisse in Confessione detegere peccatum in specie, et cum suis circumstantiis.

Adde quod omnino probabile est, Ecclesiasticum cap. 4. ad hoc præceptum legale observandum exhortari, cum ait : « Non confundaris confiteri peccata tua. Porro confusio timeri non solet in confessione, quæ soli Deo fit, aut quæ fit homini generatim, sed in ea solum, quæ fit homini in specie, ut experientia satis testatur.

Quarta figura est Matth. 3. et Marci 1. ubi legimus plurimos accurrisse ad Baptismum Joannis, confitentes peccata sua. Sicut enim Baptismus Joannis figura fuit Baptismi Christi, ita quoque et confessio, quæ Joanni fiebat, figura fuit Confessionis, quæ Christi Ministris facienda erat.

Quod autem Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. §. 6. et Kemniti in 2. parte Examinis pag. 986. dicunt, eos qui confitebantur Joanni, non in specie peccata sua confessos, sed in genere tantum se peccatores agnovisse, non est conforme verbis Evangelistorum. Uterque enim Evangelista disertis verbis posuit : *Confitentes peccata sua*, et Græce ἐξομολογούμενοι τὰς ἀμαρτίας αὐτῶν, aliud autem est, agnoscere se peccatorem, aliud, peccata sua alicui confiteri.

Neque multum refert, quod illa confessio quæ coram Joanne fiebat, cum Baptismo conjuncta esset, cum nostra Confessio sacramentalis solum in iis locum habeat, qui post Baptismum peccant. Nam Baptismus Joannis non remittebat peccata ex opere operato, et ideo satis erat conveniens, ut non solum baptizarentur qui ad Joannem accedebant :

sed etiam confiterentur, ut variis modis ad veram contritionem, et satisfactionem excitarentur. Christi vero Baptismus non ponenti obicem, ex opere operato peccata omnia, tum quoad culpam, tum quoad pœnam omnino remittit, et ideo nusquam leguntur Apostoli ante Baptismum confessionem exegisse, aut satisfactionem ullam indixisse.

Quinta figura habetur Joan. XI, in historia Lazari. Quod enim Dominus e sepulchro prodire jusserit Lazarum, et ab Apostolis solvi voluerit funeralia illa vincula quibus legatus erat, significari Patres dicunt, peccatores divina voce excitatos, foras prodire per Confessionem, et ministerio sacerdotum liberari a peccatorum vinculis per Absolutionem. S. Irenæus lib. v. cap. 13 : « Hoc symbolum, inquit, ejus hominis, illigatus fuerat in peccatis, et propter hoc ait Dominus : Solvite illum, et dimittite eum abire. » S. Ambrosius lib. II. de Pœnitentia cap. 7. S. Augustinus tract. 49. in Joan. in Psal. 101. concione 2. serm. 8. et 44. de verbis Domini, et homil. 27. in lib. 50. homiliarum, et S. Gregorius hom. 26. in Evangel. et lib. 22. Moral. cap. 13. eandem figuram agnoscunt et exponunt.

Sed occurrit Joannes Calvinus lib. III. Institution. cap. 4. §. 5. ac primum dicit, argumenta ex allegoriis non multum valere ad dogmata confirmanda. Sed neque nos in ejusmodi argumentis præcipuum fundamentum ad confirmanda dogmata collocamus, nisi allegoriæ in ipsa Scriptura explicantur, vel communi Patrum consensu, aut certa aliqua Ecclesiæ definitione constet, quorsum pertineant : quin tamen probabile argumentum inde sumi possit, quando magni viri, quales sunt quos citavimus, allegorias exponunt, negari nullo modo debet.

Deinde addit Calvinus, mentiri eos, qui scribunt, Christum imperasse discipulis, ut Lazarum dissolverent : « Dicunt, inquit, Dominus discipulis præcepit, ut suscitatum Lazarum fuscis solverent, et expedirent. Hoc primum mentiuntur : nusquam enim legitur, hoc dixisse Dominum discipulis, estque multo virisimilis, dixisse astantibus, quo citra Judæis ullam fraudis suspicionem evidentius fieret miraculum, et major sua virtus eluceret, quod nullo tactu, sed sola voce mortuos suscitaret. »

Miror impudentiam Calvini, qui tam audacter S. Augustinum, et S. Gregorium mendacii arguere non veretur. Augustinus enim

est, qui serm. 8. et 44. de verbis Apostoli, scripsit, verba illa : *Solvite illum, et sinite abire*, ad discipulos dicta a Christo fuisse ; quod idem non semel repetit Gregorius, homil. 26. in Evangelia.

Sed quo argumento, quæso, Calvinus Augustinum et Gregorium mentitos esse convincet ? siquidem in Evangelio tantum legimus : *Dixit eis, solvite illum etc.* neque aliquid præcedit, unde certo colligamus, illud pronomen, eis, non referri ad discipulos.

Videtur autem illud, eis, ad eos referri, quibus paulo ante dictum est : *Tollite lapidem*, iisdem enim dixit : *Tollite lapidem, et, Solvite eum.* Porro : *Tollite lapidem*, dixit circumstantibus, non exprimendo hos aut illos ; sic enim legimus, *Ait Jesus : Tollite lapidem.* Domino autem absolute præcipiente aliquid circumstantibus, certe credibile est, discipulos, aut solos, aut cum primis obedivisse. Quare licet ex Evangelio non possit certo colligi, qui fuerint, qui Lazarum solverunt : tamen magna conjectura est, Apostolos fuisse.

Neque huic expositioni repugnat Chrysostomus, aut si qui sunt alii, qui in factum aliis quibusdam præter Apostolos tribuunt. Potuit enim fieri, et credibile est ita factum esse, ut Domino jubente multi simul accurrerent, tum ex Apostolis, tum ex aliis, et hi conjunctis viribus lapidem sustulerint, ac deinde alii manus Lazari, alii pedes solverint, alii velamen ex facie detraxerint, alii reliquum corpus expedierint : neque ex hoc, quod Apostoli cum aliis Judæis Lazarum solverint, aliquid detrahitur de magnitudine miraculi.

Atque hæc dicta sint de calumnia mendacii ; nam alioqui ad rem nostram nihil refert, utrum Apostoli, an alii quidam Lazarum solverint : ut enim hæc Lazari solutio figura sit Absolutionis sacerdotalis, satis est, si ii, qui Lazarum solverunt, in ea re ministri Christi fuerint, et Christo jubente id fecerint. Hoc enim contendimus, eos duntaxat potestatem habere peccata remittendi, quibus id Christus mandavit : quemadmodum ii soli Lazarum de monumento prodeuntem solverunt, quibus Christus dixerat : *Solvite eum.* Quare S. Augustinus tract. 49. in Joannem nominat discipulos, sed generatim, ministros, cum de illis agit, quibus Christus dixit : *Solvite eum.*

Addit postremo Calvinus aliam allegoriæ

hujus explicationem : « Sed demus, inquit, hoc dictum discipulis : quid tum obtinebunt ? Dominum dedisse Apostolis solvendi potestatem. Quanto aptius, et magis dextre hæc allegorice tractari poterunt, si dicamus, hoc symbolo Deum voluisse fideles suos instituere, ut solverent a se suscitatos : hoc est, ne in memoriam peccata revocarent, quæ ipse oblitus esset : ne ceu peccatores damnarent, quos ipse absolvisset : ne adhuc exprobrarent, quæ ipse condonnasset ; ne ubi misericors ipse esset, et ad parcendum facilis, ipsi ad puniendum severi, et morosi essent ? certe nihil ad ignoscentiam flectere nos magis debet, quam Judicis exemplum, qui se nimium rigidis et inhumans implacabilem fore minatur. Eant nunc et allegorias suas venditent. » Hæc ille.

Quæ sane explicatio nihil est mirum, si nulli veterum Patrum in mentem venerit, cum ineptissima sit. Nam quod Patres dicunt, per mortuum significari peccatorem ; per excitationem, conversionem, per egressionem ex monumento, confessionem ; per vincula, peccata ; per solutionem, remissionem ; id totum et maximam habet signi cum re significata similitudinem, et ex Scripturis sanctis confirmari potest. At quod Calvinus dicit, nullum habet neque in Scripturis, neque in rei similitudine fundamentum. Quis enim usquam legit, non exprobrare, aut non recordari, esse solve ? aut quis sanus diceret, non exprobare esse solve, cum solve sit aliquid agere, non exprobare sit non agere ? Sed his nugis omissis, ad alia veniamus.

#### CAPUT IV.

*Confirmatur eadem veritas ex aliis locis novi Testamenti.*

Diximus hactenus de figuris, quæ Confessionis institutionem præcesserunt : nunc de usu, commendatione, atque exhortatione, quæ institutionem consecuta sunt, breviter dicemus.

Primus igitur locus habetur in Actis Apostolicis, cap. 19 (1), ubi sic legimus : *Multi credentium veniebant, confitentes, et annuntiantes actus suos : multi autem ex is, qui erant cu-*

(1) Act. XIX, 48.

*riosa seclati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.*

Hic locus accipiendus est in primis de confessione fidelium post Baptismum; illi enim proprie dici solent credentes, ut patet Actor. 3. 4. et 5. I Thes. 1. et alibi: neque hoc negant adversarii. Deinde loquitur Scriptura de confessione peccatorum in specie, ut ex illis verbis colligitur: *Confitentes actus suos*. Denique agitur hoc loco de confessione facta non soli Deo, sed etiam homini: nam ad Paulum veniebant, ut confiterentur actus suos. Et quoniam eo tempore nulla extabat Ecclesiæ constitutio de confessione peccatorum facienda, id sequitur, ut ab ipso Christo ejusmodi Confessio fuerit instituta.

Sed occurrit in primis Lutherus, qui in sua versione, per actus, miracula intelligenda esse docuit: quem secutus est Joannes Brentius, in commentario hujus loci.

Sed hanc expositionem non solum rejicit communis Catholicorum consensus, et ipsius etiam venerabilis Bedæ, in cap. 1. Marc, sed multo maxima pars adversariorum, ut Melanchthon, Calvinus, Beza, Bullingerus, Sarcerius in Acta Apostolorum, et Illyricus Centur. 1. lib. II cap. 4. col. 347. et Kemniti- us in 2. par. Examin. pag. 987. Deinde inauditum est; ut miracula dicantur actus nostri, cum sint opera plane divina: multo etiam absurdus est, ut confiteri actus suos, sit, jactare miracula a se facta. Adde, quod causa hujus Confessionis, Luca teste, fuit ingens quidam terror ex divina ultione in eos, qui abutebantur nomine Jesu et Pauli ad quæstum: terror autem divinæ ultionis, ad confessionem peccatorum, non ad prædicationem propriæ laudis, homines impellere consuevit. Denique Syriaca editio disertis verbis reddidit, Offensas.

Kemniti- us loco citato duas indicat solutiones ad nostrum argumentum. Una est, quod in hoc loco Actorum agatur de confessione generali, qua Ephesii agnoscebant, actiones suas ad normam verbi Dei non congruere. Altera, quod in specie confessi sint aliqua peccata, per modum exempli, non tamen omnia.

Sed prima solutio facile refellitur. Nam in primis voces illæ, *actus suos*, satis indicant confessionem factam esse in specie: nemo enim proprie dici potest confiteri actus suos,

qui solum dicit se peccatorem esse. Deinde vox Annuntio, et græce ἀναγγέλλω, qua utitur hoc loco sanctus Lucas, significat distincte aliquod narrare: et in editione Syriaca habetur vox טערי, quæ idem significat quod Hebraicum ספח saphar: proinde recte verti posset: *Numerantes peccata sua*. Denique unde cognovisset B. Paulus illos fuisse curiosi sectatos, adeo ut libros eorum comburi juberet, nisi in specie peccata sua confessi fuissent?

Altera solutio, quæ est etiam Calvini in Comment. Actor et Magdeburgensium Centur. 1. lib. II. cap. 4. col. 360. repugnat toti Scripturæ: ubique enim Scriptura, cum absolute de peccatis loquitur, de omnibus peccatis intelligi solet, et debet; et si liceret exponere de quibusdam, non de omnibus, absurdissimæ sententiæ in divinis litteris invenirentur. Dan 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Matth. 1. *Ipsæ enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Matth. 9. *Confide fili, dimittuntur tibi peccata*. Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata*. Luc. 11. *Dimitte nobis peccata nostra*. Joan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi*. Actor. XXVI. *Ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* (1). In his et aliis infinitis locis non ponitur signum universale, et tamen nemo dubitavit unquam, quin subintelligeretur, et idem sit: *Peccata tua eleemosynis redime*, et, *Omnia peccata tua eleemosynis redime*. Quare secundum usum Scripturæ confiteri, et annuntiare actus suos, nihil potest esse aliud, nisi, palam facere omnia sua peccata.

Præter hanc solutionem, quam breviter refutavimus libuit Calvino in comment. Actor. aliquot anticheses proponere, inter confessionem horum Ephesiorum, et Confessionem, quæ nunc est in usu apud Catholicos; ut videlicet ostenderet, nihil hunc locum Actorum ad rem nostram facere: « Hoc, inquit, semel legimus confessos esse: Papæ lex quotannis ut minimum repeti jubet. Isti sponte prodierunt: Papa necessitate omnes obligat. Lucas multos venisse dicit, non omnes: in lege Papæ nulla exceptio. Isti coram fidelium cœtu se humiliarunt: Papæ longe aliud mandatum, ut clanculariis sussurris in aurem proprii Sacerdotis obmurmuret peccator. En quam dextre Scripturas ab probandas suas fallacias accommodent. » Hæc ille.

(1) Dan. IV, 24; Matth. I, 21; Matth. IX, 2; Luc. VII, 48; Luc. XI, 4; Joan. I, 29; Act. XXII, 16.

Sed has calumnias, plane leves, ac pueriles, nullo negotio dissolvemus. Nam etiamsi semel legamus Ephesios illos confessos, non tamen sequitur, non sæpius id ab eis factum : atioqui iidem Ephesii, quia nunquam leguntur Baptismum aut Eucharistiam suscepisse, juxta dialecticam istam Calvini, nunquam Baptismum, aut Eucharistiam suscepissent.

Quod autem illi sponte prodierint ad confitendum, mirum videri non debet, tum quod nulla tunc exstaret lex de confessione certo aliquo tempore faciendâ, tum quod etiam nostro tempore plurimi extra tempus Paschale, in quo solo, lege Ecclesiastica confiteri tenentur, sponte sua prodeant ad Confessionem. Itaque etiamsi tunc lege cautum fuisset, ut quotannis omnes confiterentur, potuissent tamen Ephesii illi sponte ac libere ad Confessionem prodire.

Multos autem venisse ad Confessionem, non omnes, quid habet repugnantiae cum ea lege, quæ jubet ut omnes quotannis ut minimum peccata sua confiteantur ? neque enim lex omnes absolute includit, sed omnes qui conscientiam habent peccati lethalis, neque istos omnes quovis tempore obligat, sed tantum semel per annum. Quare si lex ista Ecclesiastica tempore beati Pauli viguisset, adhuc potuisset Ephesii quidam ad Confessionem faciendam accedere, quando non omnes accedebant.

Denique quod illi coram cœtu fidelium se humiliaverint, ex capite suo deprompsit Calvinus, non enim Lucas tale aliquid scripsit : *Multi, inquit, credentium veniebant, confitentes, et annuntiantes actus suos.* Utrum autem venerint coram cœtu fidelium, aut privatim, ad Paulum, aut aliquem alium, Lucas non dicit. Deinde nonne etiam Catholici hoc tempore coram cœtu fidelium se humiliant, cum in mediis basilicis, tota inspectante Ecclesia, ad sacerdotum pedes se abjiciant, licet Confessionem secreto exponant ? Habes igitur quam dextre Calvinus antitheses suas ad calumnias pertexendas accomodat.

Secundus locus est, II Corinth. 5. in illis verbis : *Dedit nobis ministerium reconciliacionis, et posuit in nobis verbum reconciliationis : pro Christo ergo legatione fungimur etc.* (1). Hæc verba ad potestatem Clavium pertinere, fatetur Joannes Calvinus lib. iv. Instit. cap. 1. §. 22. et tam publice, quam privatim apud

fideles baptizatos esse debere usum harum Clavium, libenter agnoscit. At profecto qui mittuntur legati cum potestate reconciliandi inimicos regis cum ipso rege, non possunt recte munere suo defungi, nisi cognoscant ex ipsis reis, quid egerint, quam graviter regiam majestatem læserint, quam satisfactionem persolvere sint parati etc. Quare potestas ista ministerialis reconciliandi eos, necessario fert secum potestatem cognoscendi causas reorum, atque adeo confessiones exigendi, et audiendi : neque enim Ministris licet pro arbitrio quoslibet etiam non auditos reconciliare.

Tertius locus habetur Jacobi 5. ubi S. Jacobus ad Confessionem cohortatur, dicens : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (2) ; quæ cohortatio satis aperte indicat, Confessionem jam tum fuisse institutam, et quidem peccatorum, atque homini faciendam. Et satis aperte cohæret hæc sententia cum superioribus verbis, secundum Catholicorum explicationem. Nam paulo ante apostolus Jacobus monuerat ægrotos, ut Presbyteros accerserent, a quibus oleo sancto cum precibus ungerentur, et adjecerat effectum illius sacræ unctionis, et precum, futurum, ut allevaretur ægrotus, et sanaretur, et si in peccatis esset, ea illi remitterentur. Sed ne forte qui hæc legeret, existimaret illa etiam peccata lethalia, quorum homo conscientiam habet, per sacram unctionem posse deleri, subjunxit : *Confitemini alterutrum peccata vestra* ; non enim sacra unctio peccata lethalia remittit, quorum aliquis conscientiam habet, cum ea per Confessionis Sacramentum purganda sint ; sed aut venialia, aut etiam lethalia, quorum conscientiam non habemus, quæ reliquiae peccatorum dici solent.

Sed objiciunt adversarii, ac præsertim Philippus in Apologia Confessionis art. de Confessione et Satisfactione, et Joannes Calvinus lib. III, Instit. cap. 4. §. 14. et in annotatione ad hunc locum, particulam illam, *Alterutrum*. Videtur enim ea particula cogere, ut dicamus S. Jacobum non loqui de Confessione sacramentali, quæ soli Sacerdoti fieri potest, sed de confessione offensionis, quæ fit fratri offenso, ab obtinendam ab eo pacem et veniam, ut existimat Philippus, vel de confessione peccatorum, quæ fit homini spirituali, ut is cognito nostro spirituali

morbo, nos intruere, et pro nobis ad Deum preces fundere valeat, ut docet Calvinus : quæ Calvinus expositio confirmari videtur ex verbis sequentibus : *Et orate pro invicem, ut salvemini.*

Sed hæc objectio facile solvi potest. Nam Origenes homil. 2. in Levit. Chrysostomus lib. III de sacerdotio, Augustinus homil. 12. ex lib. I. homil. et Bernardus libro Meditationum, cap. 9. hunc locum de confessione quæ fit sacerdoti, simpliciter accepisse videntur, et ut recte exponunt Bedà in Commentario hujus loci, et Hugo de S. Victore lib. II. de Sacramentis, par. 14. c. 1. voces illæ, Alterutrum, et Invicem, accipiendæ sunt prout exigit consequentia verborum Scripturæ divinæ. Itaque : *Confitemini alterutrum*, nihil est aliud, nisi, Confitemini homines hominibus ; qui Absolutione indigetis, illis, qui potestatem habent absolvendi. Quemadmodum I Petri 4. cum Apostolus dicit : *Hospitaliter invicem, sine murmuratione, unusquisque sicut accepit gratiam. in alterutrum illam administrantes : si quis loquitur quasi sermones Dei etc.* (1) non significat, sine discrimine oportere omnes ab omnibus hospitio recipi, aut doceri, aut curari etc. sed, eos qui tecto indigent, hospitio recipiendos esse ab his, qui domum habent ; imperitos a doctis instruendos ; ægrotos a medicis curandos ; pauperes a divitibus sustentandos ; non contra nutriendos divites a pauperibus, aut curandos medicos ab ægrotis, aut doctos ab imperitis erudiendos, aut denique qui domibus abundant, excipiendos hospitio ab his, qui tecto carent : sic igitur qui peccatorum vinculis constricti tenentur, ad eos accedere debent, quibus dictum est : *Quæcumque solveritis etc.*

Quod etiam sequitur in verbis Jacobi : *Orate pro invicem, ut salvemini*, id significat, ut Presbyteri pro infirmis, non ut infirmi pro Presbyteris orent : respicit enim Jacobus ad id, quod antea dixerat : *Infirmatur quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum.* Quod etiam indicat lectio Græca, quæ ubi nos habemus : *Orate pro invicem, ut salvemini*, habet vocem ἰαθῆται, quæ ad sanitatem corporis proprie refertur.

Quartus locus habetur I Joan. 1 : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate* (2). Ex hoc loco probabi-

liter colligitur Confessio Sacramentalis singulorum peccatorum. Neque enim dubitari potest, quin loquatur Apostolus Joannes de confessione peccatorum, et quidem singulorum in specie : nam id significant illa verba : *Si confiteamur peccata nostra* ; non enim ait, Si agnoscamus, aut confiteamur nos peccatores ; sed, *Si confiteamur peccata nostra*. Et cum verba sequentia : *Remittet nobis peccata nostra*, omnium consensu, de remissione peccatorum omnium, et singulorum in specie, intelligantur ; non possunt verba præcedentia sine vitio æquivocationis aliter accipi quam de confessione omnium, et singulorum peccatorum in specie.

Sed respondent adversarii, Apostolum loqui de confessione peccatorum, quæ Deo fieri debet, non de ea, quæ fit homini.

At solutio hæc non difficulter refelli potest. Primum enim verba illa : *Fidelis est et justus etc.* referuntur ad promissionem divinam : ideo enim Deus fidelis et justus dicitur, dum peccata confitentibus remittit, quia stat promissis suis nec fidem fallit. At promissio de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo peccata sua, non videtur illa exstare in divinis litteris : exstat autem promissio apertissima iis, qui ad illos accedunt, quibus dictum est Joannis 20 : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, etc.* (3). Quare, si qui confitentur sacerdoti peccata sua, Deus fidelis et justus est, ut juxta suam institutionem, et promissionem, remittat eis peccata ipsorum.

Præterea si hoc loco promitteret Apostolus remissionem iis, qui Deo confitentur peccata sua, frustra dictum esset a Christo Apostolis : *Quorum remiseritis peccata etc.* et, *Quæcumque solveritis super terram etc.* nam cum multo facilius sit, Deo, quam hominibus confiteri ; nemo esset qui ab hominibus remissionem quæreret, si soli Deo confitendo remissionem obtinere posset.

Denique si quem sacerdos absolvendum non esse judicaret, atque adeo peccatum ejus retineret, frustra id faceret, si per confessionem soli Deo factam, invito etiam sacerdote, ille absolveretur. Quocirca nec vera est illa sententia : *Et quorum retinueritis, retenta sunt*, et, *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo.*

Ut igitur omnia intèr se apte cohæreant, et unus Scripturæ locus non pugnet cum altero, sed alter potius ex altero explicetur,

(1) I Pet. IV, 9. — (2) I Joan. I, 19. — (3) Joan. XX, 23.

omnino probabile est, S. Joannem de sacramentali confessione esse locutum.

## CAPUT V.

*Idem probatur ex testimoniis Conciliorum.*

Addemus nunc testimonia Conciliorum veterum, quæ in diversis provinciis, variisque temporibus celebrata sunt, ex quibus cognosci poterit Ecclesiæ universæ sententia. Porro testimonia Conciliorum, quæ afferemus, etiamsi non aperte contineant, Confessionem esse juris divini, continent tamen antiquam consuetudinem, et sæpe etiam indicant necessitatem confitendi peccata sacerdotibus. Ex quibus facile erit colligere, rem esse a Deo ipso præceptam; tum quia non invenitur prima origo hujus præcepti in ullo Concilio; tum etiam quia non est ullo modo probabile, populos fideles præceptum tam arduum ab hominibus admissuros fuisse, si per confessionem soli Deo, an generatim, factam, remissionem peccatorum obtinere potuissent.

Primum igitur in Ecclesia Orientali habemus testimonium Concilii Laodiceni, ante 1100. annos celebrati: sic enim legimus can. 2: « His qui diversorum peccatorum lapsus incurrunt, et instant orationi, confessioni, ac pœnitentiæ, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est. » Hic habemus confessionem, et quidem in specie, et hominibus faciendam: nam alioqui non possent homines pro qualitate peccati, tempus pœnitentiæ assignare.

In canonibus quoque sextæ Synodi qui a Græcis conditi sunt ante annos circiter 900. canon 102. ita legimus: « Oportet autem os, qui solvendi et ligandi potestatem a Deo accepere, peccati qualitatem considerare, et ejus qui peccavit ad eam conversionem promptum studium, et sic morbo convenientem afferre medici medicinam.

Ex quibus locis, ut etiam in testimoniis Patrum Græcorum, quæ in sequenti capite adducentur, intelligi potest, falsum esse quod quidam dicunt, Græcos non solere confiteri peccata, nisi soli Deo: et in eo quod scribitur apud Gratianum, de Pœnitentia, distinct. 1. can. Quidam: « Quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci »;

illud, « ut Græci », videtur irrepsisse in textum ex margine, et marginalem annotationem imperiti alicujus fuisse qui ex facto Nectarii collegit, sublatam omnino Confessionem sacramentalem apud Græcos. Nam alioqui in ipso capitulari Theodori, unde canon ille descriptus est, non habentur duæ illæ voces, « ut Græci », neque etiam habentur in Concilio II. Cabilonensi, cap. 33. unde Theodorus capitulum illud accepisse videtur: sed nec Magister Sententiarum in 4. libro distinct. 17. eandem sententiam adducens, addidit illud, « ut Græci ». Neque in concilio Florentino ulla fuit controversia de confessione cum Græcis, eo excepto, quod Eugenius pontifex a nonnullis Græcorum Doctoribus privatim quæsivit, cur sacerdotes ipsorum autem Sacrificii celebrationem peccata sua non confiterentur. Denique Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ, cap. 29. et Anastasius Nicenus in quæstionibus super Scripturam, quæst. 6. aperte docent Confessionem sacramentalem, cum tamen Græci sint; et nostris diebus Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura Confessionis Augustanæ, cap. xi. reprehendit quod Lutherani dicebant, non esse necessarium omnia peccata per singulas species, in confessione enumerari. Atque hæc de Ecclesia Græca.

In Ecclesia Latina, exstat in primis can. 31, Concilii III, Carthaginensis ante annos 1100. celebrati, ubi sic legimus: « Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam, Episcopi arbitrio, pœnitentiæ tempora decernantur. » Et idem canon repetitus invenitur in Concilio Africano, can. 10. Dubium vero esse non potest, quin oporteat peccata omnia in Confessione detegi, si juxta peccatorum differentias pœnitentiæ tempora discernuntur.

Deinde exstat canon. 8. Concilii I. Cabilonensis ante 1000. circiter annos celebrati, in hæc verba: « Ut pœnitentibus a sacerdotibus, facta confessione, indicatur pœnitentia, universitas sacerdotum noscitur convenire. »

Exstat, etiam canon 32. Concilii II. Cabilonensis, ante annos circiter 800. ubi sic legimus: « Sed et hoc emendatione indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet et corpore et interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagazione de-



bent inquiri ipsa peccata, ut, ex utriusque plena sit confessio; scilicet ut et ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, et ea quibus in sola cogitatione delinquitur. »

In Concilio Turonico III. circa idem tempus celebrato, cap. 22. ita legimus: « Episcopis et Presbyteris diligenti cautela tractandum est, qualiter hominibus sibi sua delicta confitentibus, tempus abstinendi adscribant. » Similia habentur in Concilio Remensi ejusdem antiquitatis, canon. 12. et 16, et Pariensi cap. 32. et 46. Atque hæc omnia Concilia sunt Ecclesiæ Gallicanæ.

Nec minus perspicua testimonia habemus Ecclesiarum Germaniæ; nam in concilio Moguntino sub Rabano Archiepiscopo, cap. 26. ita statuitur: « Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda. » Vide etiam cap. 27.

In Concilio Wormaciensi celebrato anno Domini 868, ut initio ejusdem Concilii legimus cap. 25, ita scriptum est: « pœnitentibus secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentiæ discernuntur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque, modumque culparum, et affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, et personarum, locorum quoque, et ætatum qualitates inspicere, ut pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum uniuscujusque delinquentis, a sacris regulis oculos non deflectat. » Ex his testimoniis satis apparet, antiquas Germaniæ Ecclesias longe aliter de Confessione sensisse ac docuisse, quam nunc sectarii, ac novatores Lutherani sentiant et doceant.

His accedant Concilia Generalia: Lateranense, sub Innocentio III. cap. 21. Constantiense sess. 8. Florentinum in Instruct. Armenorum, et Tridentinum sess. 14. quæ licet, quod recentiora sint, ab adversariis contemnantur, tamen injuria contemnantur: nam et antiquissimis Conciliis congruentem fidem ac doctrinam tradiderunt, et totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ his 400. annis floruit, sententiam continent, ut errare non potuerint, quin tota Ecclesia errasse, atque adeo portis inferi succubuisse dicatur.

## CAPUT VI.

*Idem probatur ex traditione veterum Patrum, qui floruerunt ab anno Domini 100 ad 200.*

Testimoniis Conciliorum merito adjungi possunt testimonia veterum Patrum Græcorum et Latinorum, qui singulis ætatibus in Ecclesia floruerunt.

Primus igitur sit S. Irenæus, qui in ipso primo sæculo post Apostolorum excessum floruit, quique proxime Apostolorum ætati successit. His in 1. libro cap. 9, ita scribit de quibusdam fœminis, quas Marcus hæreticus circumvenerat: « Hæ sæpissime conversæ ad Ecclesiam Dei confessæ sunt, et secundum corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, et inflammatas, valde se illum dilexisse. » Et infra de alia pariter seducta: « Cum magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in Exomologesi consummavit, plangens, et lamentans ob hanc quam passa est ab hoc mago corruptelam. » Et lib. III. cap. IV. « Cerdon, inquit, sæpe in Ecclesiam veniens, et Exomologesim faciens, sic consummavit, modo quidem latenter docens, modo vero Exomologesim faciens. »

Quo loco observandum est, nomine Exomologesis, apud veteres interdum non intelligi solam Confessionem, sed etiam contritionem et Satisfactionem, ut perspicuum est, tum ex Tertulliano in lib. de Pœnitentia, tum ex loco Irenæi citato ex lib. 1. cap. IX. interdum autem intelligi solam Confessionem, ut patet ex Cypriano in serm. de lapsis. Nunquam vero Contritionem vel Satisfactionem sine confessione per eam vocem significari. Itaque Exomologesis Confessio est, vel sola, vel cum adjunctis aliis Pœnitentiæ partibus.

Neque vera sunt quæ dicit Kemnitius pag. 1000. per Exomologesim intelligi ab Irenæo confessionem publicam publicorum scelerum, ob quæ excommunicari homines merebantur. Nam in 1. lib. cap. 9. loquitur de occulto crimine, imo etiam de occulta cupiditate, quæ nisi ex confessione fœminarum illarum cognosci non potuisset: in lib. autem 3. cap. 4. apertissime Irenæus dicit, Cerdonem Exomologesim fecisse, postquam latenter hæresim suam docuerat, Quare lo-

quitur in utroque loco de confessione secretorum, sive occultorum scelerum.

Secundo loco habemus Tertullianum, qui floruit ad exitum ejusdem sæculi, Severo imperante, ut ipse testis est in Apologetico, cap. 4. Is in libro de Pœnitentia, multa docet, quæ notanda sunt, quoniam Kemnitius hunc etiam locum depravat.

Primum igitur explicat Tertullianus, quid sit Exomologesis, ac dicit esse actum Pœnitentiæ, quo delictum nostrum confitemur Domino : « Is actus, inquit, qui magis Græco vocabulo exprimitur, et frequentatur, Exomologis est, qua delictum nostrum Domino confitemur. » Quod autem dicit, Exomologesim fieri Deo, significat, Deo fieri per sacerdotem, non autem soli Deo : id quod ex sequentibus aperte colligitur. Nam continuo adjungit, per Confessionem disponi Satisfactionem, et Pœnitentiam nasci: quia videlicet sacerdos audita Confessione, disponit atque ordinat, quæ satisfactio necessaria sit, et eam pœnitendi injungit.

Deinde paulo post addit, nonnullos ex pudore quodam, et humana verecundia a Confessione abhorruisse; quæ verecundia non habet locum in Confessione, quæ soli Deo sit : « Plerosque, inquit, hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumunt, pudoris magis memores quam salutis : velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ita cum erebuscentia sua pereunt. » Et paulo infra per ironiam ita scribit : « Grande plane emolumentum verecundiæ, occultatio dilecti pollicetur, videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus. Adeone existimatio hominis, et Dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere, quam palam absolvi? » Et in libro extremo, hanc Exomologesim a Deo institutam, atque adeo necessariam esse docet, cum ait : « Si de Exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi Exomologesis extinguit. » Et infra : « Peccator restituendo sibi institutam a Domino Exomologesim sciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit. »

Kemnitius loco notato duo dicit ad hoc testimonium Tertulliani. Primo loqui eum de Pœnitentia publica tantum. Secundo, loqui de Confessione, qui fiebat non solis Presbyteris, sed etiam laicis : nam sic loquitur Tertullianus : « Ergo cum te ad fratrum ge-

nua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. »

Respondeo, loquitur fortasse Tertullianus de Pœnitentia publica, sed quæ fiebat post Confessionem secretam. Sæpe enim agebatur publice Pœnitentia, et tamen peccatum in specie non aperiebatur, nisi sacerdotibus : nam peccata solum publica publice confitenda erant, quæ autem secreta erant, nemo cogebatur publice confiteri. Tertullianus autem loquitur de peccatis secretis, ut ex verbis ejus perspicuum est. Non enim diceret, homines suffugere aut differre Confessionem verecundiæ causa; neque compararet ejusmodi homines cum iis, qui morbo vexantur in partibus corporis secretis; neque illud adderet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, non tamen Deo posse celari; nisi de peccatis occultis, ac secretissimis loqueretur. Itaque occultorum et secretorum Confessionem homini faciendam, necessariam ad salutem existimavit Tertullianus : talium autem peccatorum confessio publica esse non debet, neque ab Ecclesia exigebatur, nisi secreta. Quod si etiam Tertullianus vellet, secretorum peccatorum confessionem publicam esse faciendam, certe multo magis concederet, saltem secretam esse necessariam. Proinde Tertulliani testimonio aut idipsum requiritur quod nos docemus, aut aliquid gravius, et durius : nullo autem modo id quod Kemnitius, et Lutherani volunt, qui solum in genere, aut de peccatis publicis confitentur.

Quod attinet ad id, quod Tertullianus dicit pœnitentes advolvi consuevisse fratribus, duobus modis responderi potest. Nam aut ipsos Presbyteros vocat fratres, siquidem paulo ante dixerat, pœnitentes adsolvi presbyteris; et recte vocare poterat eos fratres, quia de illis tractabat, ut distinguuntur a Deo, qui est communis omnium Pater : aut certe cum dicit, pœnitentes advolvi fratribus loquitur de oratione, non de Confessione, præsertim in specie. Solebant enim pœnitentes abjicere se ad pedes omnium fratrum, ut eorum precibus se commendarent : hoc enim sonant illa verba : « Cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. » Et paulo ante apertius omnia distinguens ait : « Presbyteris advolvi, aris Dei aggeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. » Ac de Tertulliano satis.

## CAPUT VII.

*Testimonia Patrum ab anno 200 ad 300.*

Origenes ad initium secundi sæculi post Apostolos floruit, imperante Alexandro Mameæ. Is in 2. homil. in Levit. sic ait : « Est adhuc et septima, licet dura, et laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam, secundum eum, qui ait : Dixi, pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei : in quo impletur et illud, quod Apostolus dicit : Si quis infirmatur, vocet Presbyteros etc. » Hoc loco Origenes loquitur de Confessione faciendâ Sacerdoti, ut verba ejus indicant, et de Confessione peccatorum in specie, et occultorum, quorum homines erubescere solent ; alioqui non diceret : « Non erubescit indicare peccatum suum. » Denique loquitur de confessione, quæ in divinis litteris fundamentum habet, ut patet ex eo quod testimonium sancti Jacobi adducit in medium.

Idem Origenes homil. 3. in Levit. explicans illud : « Si peccaverit unum ex istis, pronuntiet peccatum, quod peccavit. » — « Est inquit, aliquod in hoc mirabile secretum. Etenim omni genere pronuntianda sunt, et in publicum proferenda cuncta quæ egerimus ; si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri ; proferri autem ab illo, qui et accusator peccati est, et incensor : ipse enim nunc nos ut peccemus instigat ; ipse etiam cum peccaverimus, accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri et accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus ; sic enim et alibi Propheta dicit : Dic tu iniquitates tuas prior, ut justificeris. » His verbis Origenes, sicut docet in die Judicii omnia peccata nostra etiam occultissima, et solo sermone vel cogitatione patrata a Satana in medium proferenda ; ita docet, ut si velimus ea purgari, omnia, videlicet etiam occultissima, et solo verbo vel cogitatu admissa, sacerdoti prodamus.

Idem auctor homil. 2. in Psalm. 37 : « Vi-

de, inquit, quid edocet nos Scriptura divina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortasse enim sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis, stomacho graviter, et moleste imminentia, si vomuerint, relevantur ita ii qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum, intrinsecus urgentur, et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati : si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semet ipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius cui debeas confiteri peccatum tuum ; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, et compatiendi noverit disciplinam : ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et crudum medicum ostenderit, et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit, et præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari ex quo fortassis et cæteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari ; multa hoc deliberatione, et satis perito Medici illius consilio procurandum est. » Ex hoc loco discimus, Confessionem esse necessariam, etiam occultorum criminum, nec tamen oportere omnia peccata publice confiteri, sed omnia quidem privatim, publice autem solum publica, aut ea, quæ maturo consilio Sacerdos judicabit esse prodenda.

Kemnitius pag. 1004. ad hunc locum respondet, Origenem non loqui de omnibus peccatis, cum dicit, ea medico perito esse confitenda, sed solum de illis, de quibus dubitari poterat, an essent publice manifestanda. Quia enim nonnulli, temere peccata occulta publice confitebantur, consilium dari ab Origene scribit Kemnitius, ut ejusmodi peccata non sine consilio alicujus periti medici publicentur. Probat autem Kemnitius, Origenem non loqui de omnibus peccatis, hoc modo : « Quod, inquit, Origenes in illo loco non in genere de omnibus et singulis peccatis sacerdoti confitendis loquatur, inde manifestum. In prima enim homilia, loquitur de delictis, concupiscentiis, et commissis, quæ ante Deum proferuntur ; et in conspectu ipsius per gemitum exponuntur. Deinde in secunda homilia in principio, loquitur de lapsibus, qui olim ad publicam Confessionem pertinuerunt : quia vero inde seque-

bantur obtreccionibus, suadet Origenes, ut tales lapsus primum sacerdoti exponuntur, ut de ejus consilio vel suscipiatur publica Confessio, vel omittatur. »

Sed hæc distinctio Kemnitii vanissima est : siquidem Origenes in utraque homilia de omnibus peccatis loquitur. Ac in priore quidem, dicit omnia Deo esse confitenda, et pro omnibus gemendum, et supplicandum ; in posteriore manet, illa eadem hominibus confitenda, primum privatim, deinde publice juxta consilium sacerdotis. Hæc autem sunt verba Origenis in fine prioris homiliæ : « Omnia, inquit, ex quo deliqui, sive concupivi concupiscentiam sæcularem, sive quid aliud commisi, omnia ante te profero, et in orationibus meis in conspectu tuo pono. » Vides quam aperte de omnibus omnino loquatur in priore homilia, et non de quibusdam tantum, quæ ad publicam Confessionem non pertinerent, ut fingit Kemnitius.

Idem etiam Origenes homil. 17. in Lucam explicans illud : « Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes », ostendit peccata, quæ Deo confitemur esse etiam hominibus confitenda : « Unde, inquit, et nos si peccaverimus, debemus dicere : Peccatum meum notum tibi feci, et iniquitatem meam non abscondi, Dixi : Annunciabo injustitiam meam contra me Domino. Si enim hoc fecerimus, et revelaverimus peccata nostra non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, debentur peccata nostra ab eo, qui ait : Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua. » Hæc ille, qui satis aperte ostendit, non esse distinguenda peccata, quæ Deo, quæ Sacerdoti sint aperienda ; sed eadem utrique, atque omnia confitenda.

Secundo loco habemus S. Cyprianum, qui eodem sæculo, licet aliquando posterius, quam Origenes floruit. Hic igitur beatissimus Martyr, in epist. 16. lib. III. ad plebem suam ita loquitur : « Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, Pœnitentia agatur justo tempore, et Exomologesis fiat, inspecta vita ejus, qui agit Pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo et Clero manus fuerit imposita : quanto magis in his gravissimis et extremis delictis caute omnia et moderate secundum disciplinam Domini observari oportet? » Hic habemus Exomologesim necessariam secundum disciplinam Domini, et talem Exomologesim,

ut ex ea pœnitentis vita inspicere, et cognosci possit. Proinde habemus Confessionem omnium peccatorum. Jure divino esse necessariam : neque enim, Exomologesis generalis, aut aliquorum tantum peccatorum, vitam pœnitentis ita detegit, ut ea plane inspicere possit.

Idem auctor serm. 5. de lapsis : « Denique inquit, quanto et fide majore, et timore meliore sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter, et simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ faciunt, animi pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt. »

Ad hunc locum respondet Kemnitius, pag. 1003. ac dicit, hoc loco a Cypriano non proponi præceptum, vel consuetudinem universalem, sed exemplum quorundam, qui fide majore, et timore meliore erant. Addit etiam, non loqui Cyprianum de Confessione omnium peccatorum, vel omnium malarum cogitationum, sed ejus tantum cogitationis, quæ de Idololatria committenda, sive de Christo abnegando suscepta fuerat : proinde pertinere hanc sententiam ad publicam Pœnitentiam, et ad publica crimina.

Sed istæ objectiones ex eodem Cypriano facile refelluntur : non enim Cyprianus exemplum proponit Confessionis liberæ, sed necessariæ, ut patet ex sequentibus verbis. Nam posteaquam dixerat : « Salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt, » adjungit continuo : « Scientes scriptum esse : Deus non deridetur. Derideri et circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi : plusimo delinquit, qui secundum hominem Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit » ; et paulo infra de iisdem, qui sola cogitatione peccaverunt, ita loquitur : « Minus plane peccaverit non videndo idola, nec sub oculis circumstantis, atque insultantis populi sanctitatem fidei profanando, non polluendo manus suas funestis sacrificiis, nec sceleratis cibus ora maculando. Hoc eo proficit, ut sit minor culpa, non ut innocens conscientia ; facilius potest ad veniam criminis pervenire, non est tamen immunis a crimine ; nec cesset in agenda Pœnitentia, atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur ; confiteantur singuli, quæso, fratres, delictum suum, dum adhuc,

qui deliquit, in sæculo est, dum admitti Confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est. »

Ex his manifeste colligimus auctore Cypriano, necessarium esse confiteri peccata omnia mortalia, etiamsi sola cogitatione commissa sint. Quare verba illa : « Quanto et fide majore, et timore meliore sunt, qui etc. » non continent exemplum Confessionis non necessariæ, ut Kemnitiu existimavit, sed argumentum a minore ad majus. Si enim qui sola cogitatione peccant, Pœnitentiam agunt, atque Exomolegesim faciunt, quanto magis id fieri deberet ab iis, qui verbo et opere peccata committunt ?

Quod autem Kemnitiu addit, Cyprianum loqui solum de cogitatione abnegationis Christi, et proinde hanc sententiam pertinere ad Pœnitentiam publicam, et crimina publica, ridiculum est. Neque enim cogitatio de peccato aliquo patrando, publica dici potest, aut debet, etiamsi peccatum illud publicum esse possit : neque ullo modo ad peccatum publicum pertinet cogitatio, nisi peccatum ipsum publicum ex ea cogitatione prodierit. Quomodo enim ad peccatum publicum pertinet, quod neque in se est publicum, neque est peccati publici causa ? et quis unquam audivit in Ecclesia id fieri solitum, ut ob solam internam cogitationem abnegationis Christi, aliquis excommunicaretur, aut publicam Pœnitentiam subire cogeretur ? etiamsi qui palam Christum abnegant, jure excommunicentur, et Pœnitentiam publicæ subjiciantur. Non igitur Cyprianus Confessionem ejusmodi cogitationum exigebat, quod eæ cogitationes de peccata publica pertinerent : sed quod essent peccata lethalia, quamvis occulta, atque interna.

Adde quod si cogitatio abnegationis Christi necessario confitenda esset, quia ad peccatum publicum pertineret, nimirum ut causa quædam peccati, quod publicum esse potuit : eodem modo cogitationes rapinæ, adulterii, homicidii, blasphemix, perjurii, aliorumque ferme omnium criminum necessario confitendæ erunt, cum causæ esse possint scele- rum publicorum. Itaque quidquid dixerit, eo tamen illi veniendum erit, ut peccata omnia in Confessione detegenda esse fateatur.

## CAPUT VIII.

*Testimonia Patrum ab anno 300. ad 400.*

Jam vero tertio sæculo post Apostolos, habemus primum Lactantium, qui cum Crispi Cæsaris institutor fuerit, et Imperatori Constantino libros suos nuncupaverit, sine dubio ad initium tertiæ ætatis post Apostolica tempora floruit.

Is igitur in lib. VI. divinarum Institutionum, cap. 17. explicans rationem cur Deus Circumcisionem in Testamento veteri imperavit, ac docens, eam Confessionis ac Pœnitentiæ figuram fuisse, ita loquitur : « Ob hanc causam Deus nudari eam jussit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, id est, ne quod pudendum facimus intra conscientix secreta velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens enim vitæ ac salutis nostræ pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiam nobis in illa Circumcisione proposuit, ut si cor mundaverimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, et admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima, et arcana pectoris intuetur. »

Idem Lactantius in extrem. lib. Novatianos damnans, ponit pro nota veræ Ecclesiæ confessionem : « Sed tamen, inquit, quia singuli quique cœtus Hereticorum se potissimum Christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est, illam esse veram, in qua est Confessio, et Pœnitentia, quæ peccata, et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. » Hæc Lactantius.

Deinde habemus S. Athanasium, qui in serm. in illa verba : « Profecti in pagum, qui ex adverso est, invenietis pullum ligatum, etc. », ad finem sermonis ita loquitur : « Non ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, ut in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sint vincula, tradas te ipsum discipulis Jesu : adsunt enim qui te solvant pro potestate ea, quam a Salvatore acceperunt. Quæcumque enim ligaveritis, inquit in terra, erunt ligata, et in cœlis : et quæcumque solveritis in terra, erunt soluta et in cœlis : et

si quibus remisieritis peccata, remittuntur ei. Tertio, habemus S. Hilarium, can. 18. in Matth. ubi sic loquitur : « Ad terrorem autem metus maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ Judicium præmisit, ut quos in terris ligaverint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, Confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ, in cœlis quoque, an soluti sint, aut ligati. »

Quarto habemus sanctum Basilium in quæstionibus sive regulis brevioribus, ita præcipientem, regula 229 : « Omnino in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ etiam in apertione vitiorum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibusvis temere, homines aperiunt, sed iis tantummodo, qui rationem, qua ea curanda sint, teneant : eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare » ; et regula 228. explicat clarius, qui sint qui peccata possunt curare, nimirum soli sacerdotes : « Necessario, inquit, « iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. »

Ad hunc locum (Lactantio, Athanasio et Hilario, prætermisiss) respondet Kemnitius, pag. 988. et 1017. S. Basilium loqui de confessione generali, qua pœnitens peccatorem se agnoscit, ac fatetur : vel de confessione aliquorum peccatorum, quæ magis conscientiam gravant : quæ quidem confessio fiat instructionis, et consilii gratia. Itaque neque omnium peccatorum, in specie, neque necessario, sed aliquorum tantum, et non necessario Confessionem fieri debere Kemnitius docet.

At ex ipsius S. Basilii verbis utrumque refellitur. Quod enim omnia peccata in specie confitenda sint, patet ex duobus. Primo ex illa similitudine medici, et medicinæ corporalis, quam Basilus adhibet regula 229. Neque enim curari potest corporaliter, qui medico solum dicit, se morbo aliquo laborare, nisi in specie detegat morbum ; et si pluribus morbis laborat, nisi eos omnes singillatim exponat, alioqui enim medicamentum potius oberit, quam proderit, nisi ad certum morbum convenienter applicetur. Secundo ex ratione, quam idem Basilus reddidit regula 288. cur oporteat sacerdoti peccata detegere : ratio enim est, quoniam conversionis modus accommodatus esse debet ad rationem peccati, ut ipse Kemnitius ver-

tit pag. 1017. Quomodo autem poterit sacerdos accommodare modum conversionis ad rationem peccati, id est, actionem externam Pœnitentiæ injungere, qualem, et quantam peccata requirunt, nisi peccata ipsa omnia in specie noverit ?

Esse autem Confessionem necessariam, et non solum consilii gratia faciendam, perspicuum est, tum ex eadem morbi similitudine, et ratione jam explicata, tum ex ipsa voce, Necessario, qua Basilus usus est. Frustra enim Kemnitius pag. 988. vertit : « Necessarium videtur » ; et pag. 1017 : « Aptum est » : nam in ipso textu Græco non est, « videtur », neque « aptum est », sed simpliciter, « ἀναγκαῖον, Necessarium. » Quare sic reddidit Goddefridus Tilmannus : « Necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. »

Quinto habemus S. Ambrosium, qui lib. II. de Pœnitentia, cap. 6. sic ait : « Si vis justificari, fatere delictum tuum : solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum », et cap. 9. scribit multos fuisse, qui libenter confitebantur privatim Sacerdotibus, sed publice in Ecclesia satisfacere recusabant : « Plerique, inquit, futuri supplicii metu peccatorum suorum conscii, Pœnitentiam petunt : et cum acceperint, publicæ supplicationis revocantur pudore ; » et cap. 10 : « An quisquam ferat, ut erubescas Deum rogare, qui non erubescis rogare hominem ? et pudeat te Deo supplicare, quem non lates ; cum non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri ? »

Ipsum etiam S. Ambrosium Confessiones audire solitum, et quidem privatim, testatur Paulinus in vita ejusdem, his verbis : « Quotiescumque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset ; ita flebat, ut et illum flere compelleret ; videbatur etiam sibi cum jacente jacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur. »

Sexto habemus S. Gregorium Nyssenum in epistola canonica ad Episcopum Mitylenes, quæ exstat in Bibliotheca sanctorum Patrum, tom. I. Is enim c. I. epistolæ ejusdem, meminit confessionis peccatorum quæ singulis annis circa Paschæ festum fieri solet : « Recte, inquit, habuerit, si hodierno die non solum eos, qui ex regeneratione per lavacri gratiam transmutati sunt, adducamus, sed eos etiam qui per Pœnitentiam, et

Confessionem, a mortuis operibus ad viventem viam ascendunt, ad viventem spem tanquam manu deducamus, a qua per peccatum alienati sunt. »

Ac de confessione singulorum peccatorum, non autem generali, Gregorium loqui, testantur verba sequentia, in quibus ducta similitudine a morbis, et medicamentis, docet varias curationes adhibendas esse peccatoribus pro ipsorum peccatorum varietate. Non autem possunt Sacerdotes varietatem peccatorum cognoscere, nisi pœnitentes ipsi peccata sua singillatim aperiant : « Quemadmodum, inquit, in corporali medela unum est quidem institutum medicinæ, sanare eum qui laborat, varium autem est curationis genus (pro morborum enim varietate, convenienter quoque medicina ac disciplina unicuique morbo applicatur), ita cum multa sit in morbo quoque animæ affectionum varietas, multiformis quoque necessario fuerit medica curatio, ad affectionis rationem medicinam exercens. » Hæc ille.

Exstat etiam oratio ejusdem Gregorii in mulierem peccatricem, ubi hæc habentur verba de Confessione : « Audacter ostende sacerdoti, quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege : ipse et honoris, et valetudinis tuæ rationem habebit ; » quo in loco etiam occultorum Confessionem faciendam esse docet.

Septimo habemus S. Pacianum, qui in Parænesi ad Pœnitentiam, sic loquitur : « Vos primum appello fratres, qui criminibus admissis Pœnitentiam recusatis, vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos, qui peccare non erubescitis, et erubescitis confiteri. » Et infra : « Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem : Manus, cito nulli imponas, nec communices peccatis alienis. Quid facies tu, qui decipis sacerdotem ? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem, probandi difficultate confundis ? » Quo loco Pacianus docet oportere sacerdoti omnia peccata in Confessione detegi, ut his tuto manus imponere possit : addit etiam de occultis : « Rogo vos fratres etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam : prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem partibus, etiam secaturos, etiam perusturos. » Porro infra alloquitur eos, qui peccata quidem singillatim, et omnia ad plenum confitebantur, sed graviolem Pœnitentiæ mulctam refugie-

bant : « Nunc, inquit, ad eos sermo sit, qui bene ac sapienter vulnera sua, Pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid sit Pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, noverunt : similesque sunt illis, qui plagas quidem aperiant, ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur, sed admoniti quæ imponenda sunt negligunt, et quæ bibendâ fastidiunt » ; ex quo loco intelligimus, Confessionem accuratam semper in usu fuisse apud Christianos.

## CAPUT IX.

### *Testimonia Patrum ab anno 400. ad 500.*

Quarto sæculo habemus S. Joannem Chrysostomum, quem satis constat ad initium quarti sæculi post Apostolos floruisse. Is in homil. 30, in Genesin, meminit Confessionis quæ in hebdomada sancta ante festum Paschæ fieri debet, cujus etiam Gregorium Nysenum meminisse supra notavimus : « Quia, inquit, in magnam hanc hebdomadam pervenimus. Dei gratia, nunc maxime et jejunii cursus intendendus, et magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, et pura Confessio peccatorum. » Hæc ille, qui tametsi non aperte dixerit, Confessionem sacerdoti faciendam esse, tamen in aliis locis id non tacuit ; ut omittam, quod cum ejusdem consuetudinis meminerint Chrysostomus et Nysenus, et hic disertis verbis docuerit sacerdoti confessionem esse faciendam, dubitari non potest, quin etiam ille hoc senserit.

Idem Chrysostomus homil. 33. in Joannem hortatur ad confessionem criminum occultorum : et cum certum sit ex multis aliis locis, Chrysostomum non probasse Confessionem publicam, sequitur ut ad Confessionem privatam hortatus sit pœnitentes : « In peccatis, inquit, quæ commisimus, confitendis, neminem vereamur ; Deum duntaxat, ut decet, formidemus, qui et nunc opera nostra videt, et tunc quos in præsentia non pœnitet damnabit. » Et infra : « Commisisti aliquod scelus, aut animo agitasti, homines celas, non Deum, et nihil curas, oculos hominum formidas. » Et infra : « Vos autem hortor, dilectissimi, ut et si nemo opera nostra videat, ut singuli suam conscientiam ingrediatur, et judicem sibi rationem constituent, errata sua in medium adducant, nisi velint in die

illa horrenda universo orbi ea manifeste patere : sanentur jam vulnera : sumatur Pœnitentiæ medicina. »

Porro confessionem peccatorum apud sacerdotem faciendam esse, colligitur apertissime ex lib. II. et III. de sacerdotio : nam in II. libro sic ait Chrysostomus : « Quamobrem multa quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, ultro sibi persuadeant, Sacerdotum curationi sese submittere oportere. » Et paulo post : « Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quod digna ab eis pœna, et quæ peccatis perpetratis par esset, exigeretur. Neque enim temere ad delictorum modum oportet et mulctam ipsam adhibere : sed tanquam conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat, ut dum consueve vis quod interruptum est, scissuram deteriore facias. Quo loco docet Chrysostomus, in injungenda pœnitentia, non solum rationem habendam esse sacerdotis gravitatis, et multitudinis peccatorum, sed etiam infirmitatis et debilitatis ejus, qui peccavit. Constat autem non posse ista cognosci, nisi ex confessione diligenti et accurata delinquentis : quare voluit Chrysostomus, confessionem peccatorum omnium etiam occultissimorum, quæ non minus curatione egent, quam manifesta fieri debere apud sacerdotes. Vide etiam lib. 3. de sacerdotio.

Secundo, habemus S. Hieronymum, Chrysostomi æqualem. Is in comment. ad cap. 10 Ecclesiastæ, habet hæc verba : « Si quem serpens Diabolus occulte momorderit, et nullo conscio, peccati veneno infecerit ; si tacuerit qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister, qui habet linguam ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. »

Idem in comment. ad cap. 16. Matth. : « Legimus, inquit, in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant : non quo sacerdotes leprosos faciant, et immundos, sed quo habeant notitiam leprosi, et possint discernere qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immundum facit : sic et hic alligat vel solvit Episcopus, et Presbyter : non eos, qui insontes sunt, vel

noxii, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. » Hæc ille. Quo loco S. Hieronymus apertissime docet, oportere sacerdotem audire peccatorum varietates, atque id pro officio suo ; ex quo intelligimus, non satis esse si pœnitentes generatim, aut manifesta peccata tantum confiteantur, sed omnino necessarium esse, ut singillatim peccata omnia sacerdotibus detegant.

Neque movere nos debet comparatio illa cum sacerdotibus leviticis, qui lepram non vere curabant, sed declarabant. Nam similitudo in eo solum consistit, quod quemadmodum sacerdotes levitici non poterant leprosos curare sine ipsorum cooperatione, sola sua potestate, sed tantum judicabant eos esse leprosos et a consortio cæterorum segregabant : sic etiam sacerdotes Christiani, non possunt sola sua potestate peccatores justificare, nisi ipsi etiam per Pœnitentiam, et Confessionem cooperentur, tamen si cooperentur, plane possunt. Quare idem S. Hieronymus cum dixisset : « Pro officio suo cum peccatorum audierit varietates », non addidit, Scit qui ligatus sit, quive solutus, sed : « Qui ligandus sit, quive solvendus. » Sacerdos enim, pro potestate sibi a Christo concessa, peccatores impœnitentes ligat, pœnitentes solvit, et non solum ligatos aut solutos declarat. Quocirca non pugnat Hieronymus cum Chrysostomo, qui in lib. III. de sacerdotio, scribit, sacerdotes autem Christianos non declarare, sed plane purgare lepram spirituales.

Vide eundem Hieronymum in comment. ad 2. cap. Hierem. et in epist. ad Pammachium, et Oceanum, de erroribus Origenis, ubi docet, necessariam esse Confessionem, cum secunda tabula post naufragium sit, culpam simpliciter confiteri.

Tertio, habemus S. Innocentium I. Pontificem, qui in epist. I. ad Decentium Episcopum Eugubinum, cap. VII. ita loquitur : « Cæterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem. »

Quarto, habemus S. Augustinum, qui in lib. 50. homiliarum, homil. 12. docet, confessionem peccatorum a Deo esse præceptam : « Deus noster, inquit, quia pius est et misericors, vult ut ea confiteamur in hoc sæ-



culo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. »

Idem etiam in eodem opere homil. 41. docet Confessionem sacerdoti esse faciendam : « Non solum, inquit, post pœnitentiam, ab istis vitiis se homo servare debet sed et ante pœnitentiam dum sanus est : quia si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo, et Sacerdoti peccata sua confiteri poterit. »

Idem tractatu super Psal. 66. docet, peccata omnia esse confitenda : « Tristis esto, inquit, antequam confitearis, confessus exulta : jam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat : adhibet medicus fomenta verborum, et aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confesione, et defluat omnis sanies, jam exulta, jam lætare ; quod reliquum est, facile sanabitur. » Certe omnis sanies, omnia peccata significat, et sicut ex apostemate omnis sanies quam diligentissime exprimenda est, ita iudice Augustino, omnia peccata in Confessione aperienda sunt.

Idem etiam Augustinus interfuit Concilio III. Carthaginensi, et canonibus ejus cum cæteris Coepiscopis suis subscripsit : proinde canonem illum 31. supra citatum sine dubio approbavit.

Habetur item in iv. tomo operum S. Augustini, liber de vera et falsa pœnitentia, qui licet non videatur S. Augustini esse, tamen negari non potest, quin sit alicujus antiqui, probatque scriptoris, cum inde Gratianus, et Petrus Lombardus, multa testimonia in libros suos retulerint. In eo igitur lib. c. 10 : « Quem, inquit, pœnitet, omnino pœniteat, et dolorem lacrymis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præveniat iudicium Dei per Confessionem. Præcepit enim Dominus mundatis, ut ostenderent ora sacerdotibus : docens, corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, non per scriptum manifestanda. » Et infra : « Quare qui confiteri vult peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem scientem ligare et solvere : ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet. Et cap. 11 de peccatis occultis : « Si peccatum, inquit, occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis. » Et cap. 14. de circumstantiis peccatorum : « Consideret, in-

quit, qualitatem criminis, in loco, in tempore in perseverantia, in varietate personæ, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici executione. » Et paulo post : « Omnis, inquit, ista varietas confitenda est. »

Quinto, habemus S. Leonem in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, ubi cum prohibuisset, ne peccata secreta publice recitentur, reddidit rationem, dicens : « Cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. » Et paulo infra : « Sufficit illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti. »

Ad hunc locum respondet Kemnitius, pag. 1007. ac dicit, S. Leonem non loqui de confessione omnium peccatorum occultorum, sed tantum de confessione eorum, quæ si publicarentur, possent legum constitutionibus percelli, hoc est, eorum, quæ olim publicæ confessioni, et pœnitentiæ subjecta fuerunt. Id vero probat Kemnitius, quia S. Leo inter alias causas cur prohibuerit confessionem publicam peccatorum occultorum etiam illam reddidit, quia periculum erat, ne multi a Pœnitentiæ remediis arcerentur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta sua reserare, quibus possunt legum constitutionibus percelli.

Sed in promptu est refutatio. Nam S. Leo non unam, sed tres causas reddidit, cur prohibenda esset confessio publica scelerum occultorum. Una fuit, quam Kemnitius solum notavit, ne publicarentur crimina, quæ possent legum sanctione puniri ; ut homicidia, furta, prodiones, et similia. Altera, quia cum multi erubescant flagitia sua publice reserare, ob eam verecundiam a pœnitentiæ remediis arcerentur, si necesse esset occulta flagitia publicari. Ex hac autem secunda causa manifestum est, S. Leonem non esse locutum de illis solis criminibus, quæ legum severitate puniuntur. Tertia causa fuit, quia sufficit reatus conscientiarum solis sacerdotibus indicari confessione secreta ; proinde non sunt pœnitentes ad confessionem publicam adigendi : quæ sane causa generalis est, et peccata omnia comprehendit.

Deinde, nulla prorsus ratio fingi potest, cur peccata illa confitenda esse velit S. Leo, quæ si publicarentur, legum sanctionibus punirentur ; et non alia. Nam quod Kemnitius dicit, illa sola peccata apud veteres necessario confitenda fuisse, quæ si publica fuissent, ad confessionem publicam pertinuissent ; et supra refutatum est, et hoc loco

nihil Kemnitium juvat. Nam ad confessionem publicam pertinebant peccata publica, non ea solum, quæ legum constitutionibus coercerentur, ut adulteria : sed etiam ea, quæ impune committebantur, ut fornicationes. Non igitur recte Kemnitius probat, B. Leonem de illis tantum criminibus esse locutum, quæ per leges publicas prohibebantur, ea ratione, quia ejusmodi crimina confessioni publicæ olim subjecta fuerunt : nam ut jam diximus, non ea solum, sed alia multa præterea confessioni publicæ subjecta fuerunt.

Habemus præterea aliud S. Leonis testimonium, in epist. 91. ad Theodorum Forojulii Episcopum, ubi sic legimus : « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ ; et qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidii ordinatis, ut indulgentia Dei sine supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei et hominum, homo Christus Jesus, hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. » Hoc loco S. Leo apertissime docet, confessionem esse necessariam jure divino. Nam ab ipso Deo ordinatum esse scribit, ut indulgentia Dei sine sacerdotum ministerio nequeat obtineri : et deinde addit, Ministerium sacerdotum ex Christi instituto in eo consistere, ut confitentibus pœnitentiam injungant, et eosdem ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admittant. Loqui autem S. Leonem de confessione secreta, et peccatis omnibus etiam occultis, perspicuum est tum ex loco superiore, tum etiam, quia non possent sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, nisi peccata omnia accurate cognoscerent. Porro ad hunc locum Kemnitius nullam solutionem reperire potuit.

Sexto, habemus Sozomenum, qui lib. vii. hist. c. 16. ita loquitur : « Cum prorsus non peccare, natura sit humana diviniore, pœnitentibus, quamvis frequenter deliquissent, veniam dare Deus jussit, et ad impetrandam veniam, confiteri peccata necessarium est. » Hic audis ab homine Græco, et jus divinum, et Confessionis necessitatem.

## CAPUT X.

*Testimonia reliquorum Patrum ab anno 500. ad 1200.*

Nunc addemus testimonia aliqua eorum Scriptorum, qui floruerunt consequentibus ætatibus usque ad annum Domini 1200. quod demum tempore sub Innocentio III, Confessionis omnium peccatorum legem latam fuisse, adversarii mentiuntur.

Habemus igitur post annum Domini 500. Sanctum Gregorium I. qui homil. 26. in Evangelia explicans illa verba : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Videntur est, inquit, quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam ; ut quos omnipotens Deus, per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur Judicis. » Non potest autem sacerdos cognoscere an pro ratione culpæ pœnitentiam egerit, qui solvi desiderat, nisi culpam ipsam, vel potius culpas omnes pœnitens aperte confiteatur : quare necessaria est Confessio omnium peccatorum. Quod etiam eodem in loco idem Gregorius colligit, ex Lazari excitatione et solutione : « Lazaro, inquit, dicitur, veni foras ; ac si aperte cuilibet mortuo in culpa diceretur : Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis ? foras jam per Confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator : venientem vero foras, solvant discipuli, ut Pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. »

Eodem sæculo floruit Joannes Climacus, qui in suo libro, qui inscribitur Climax, gradu 4. ita loquitur : « Ante omnia vero culpas nostras præclaro Judici nostro soli confiteamur : omnibusque si ille jusserit, confiteri simus parati » ; et infra dicit, sine Confessione, quæ fit homini, nullum posse consequi remissionem.

Post annum Domini 600. habemus Cæsarium Episcopum Arelatensem. Is homil. 6. 7. 8. 9. et 10. de Pœnitentia egregie disputat, et in septima quidem scribit, peccata confitendo, et pœnitentiam agendo purgari :

in decima vero paulo fusius de necessitate Confessionis loquitur : « Unde vos, inquit, frequenter admonui, fratres charissimi, iterum atque iterum admoneo, et contestor, ut qui se cognoscit de littore continentiae, tempestate libidinis, in pelago luxuriae fuisse jactatum, et castitatis incurrisse naufragium, peccatorum confessionem velut tabulam fraetae navis velociter apprehendat, ut per ipsam de abisso ac profundo luxuriae possit evadere, et ad portum Pœnitentiae pervenire, ubi jam tutiori loco spei anchoram figere, et salutem perditam valeat reparare. » Porro, loqui Cæsarium de Confessione omnium peccatorum in specie, perspicuum est ex hom. 7. ubi comparat peccata morbis, confessionem medicinæ, sacerdotem medico : neque enim, ut etiam supra diximus, satis est ad sanandos morbos corporales, si medico ægrotus dieat, se male habere, nisi in specie morbum, vel morbos, si forte pluribus simul vexatur, aperiat.

Post annum Domini 700. venerabilis Beda in commentar. ad cap. 5. epist. S. Jacobi, exponens illud : *Confitemini alterutrum peccata vestra* : « In hac, inquit, sententia, illa debet esse discretio, ut quotidiana levique peccata, alterutrum eœqualibus confiteamur, eorumque eredamus oratione salvari : porro gravioris lepræ immunditiam, juxta legem, sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, et quanto tempore juserit, purificari euremus. »

Idem Beda lib. v. histor. Gentis suae, cap. 14. scribit insigne exemplum militis, qui cum confiteri peccata sua negligeret, vel erubesceret, etiamsi ab ipso rege sæpius moneretur, ut more Christiano Confessionem peccatorum suorum faceret, antequam de hoc sæculo exire compelleretur : tandem horribili præcedente visione, ad Inferni perpetuos erueiatus raptus, neglectæ dilatæque Confessionis pœnas justissimas dedit.

Eodem sæculo Theodorus Studytes in vita S. Platonis, laudat eundem Platonem, quod ab adolescentia, Pastori animæ suae confiteri consuevisset, non minus frequenter quam diligenter, peccata omnia, ad intimas usque cogitationes.

Post annum Domini 800. Rabanus Episcopus Moguntinus lib. vii. in Ecclesiasticum, cap. 7. de Confessionis necessitate ita loquitur : « Qui transgreditur mensuram in concupiscentiis carnis, et aggravatur ejus delictis, necesse est, ut per confessionem pecca-

torum, fœditatem evomat, et sic per jejunium et castigationem corporis, ad statum pristinae sanitatis redeat. » Vide eundem lib. ii. de institutione Clericor. cap. 30.

Eodem sæculo Nicephorus Cartophylas in epist. ad Theodosium, cujus fragmentum exstat in I tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum : « Olim, inquit, omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, et sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, cur hæc minus observentur : quamvis existimem Pontifices negotii tædio, frequentique multitudinis turbulentia defatigatos, id operæ ad Monachos transmisisse, ad eos seilicet, qui vere probati sint, aliisque valeant esse utiles. » Et infra : « Porro si quis expertus sit, et frugi, et cum hoc, sacerdotio fungatur, ad illum in primis accedendum. » Ex hoc loco intelligimus, communieatam fuisse a Pontificibus absolvendi potestatem etiam Monachis, non tamen quibuscumque, sed iis tantum qui et sacerdotio fungerentur, et doctrina ac probitate præditi essent.

Post annum Domini 900. Radulphus Flaviacensis, lib. iii. in Levitic. cap. 7. « Dignum est, inquit, ut qui peccatorum suorum confessionem facit, consummet ea omnia, quæ ad memoriam revocare potest, Domino pandens ; non alia prodens, alia abscondens. »

Post annum Domini 1000. Petrus Damianus in serm. de S. Andrea : « Quartus gradus, inquit, est confessio oris : hæc pure facienda est, quia non est pars peccatorum dicenda, et altera retinenda : neque leviter confitenda, et gravia diffitenda etc. » Et infra de sacerdote Confessario loquens : « Videat, inquit, ne unquam de his, quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem etc. »

Idem in epist. ad Desiderium, de miraculis sui sæculi, refert insigne exemplum de integritate Confessionis : « Hugo, inquit, Cluniacensis Abbas, eum ad suum me Monasterium perduxisset, frater quidam senex in infirmorum domo ingravescente totius corporis tumore languebat. Hic porro cum Abbatis comperisset adesse præsentiam, lætus effectus, divinam cœpit implorare clementiam : Domine, inquit, quem nullum latet occultum, quæso, si quid reatus in me est, quod non sim hucusque confessus, tu mihi misericorditer in memoriam revoca,

quatenus Abbati meo, dum præsens est, pure confitear, atque ab eo, qui jus hoc in me præ cæteris habet, judicatus absolvar. Hoc dicto hujusmodi vox auribus ejus insonuit : Certe est, certe est aliquid in te, quod confessus adhuc non es. Cumque ille vocem solum audiret, sed a quo procederet, non videret ; orando subjunxit : Exprime, Domine manifeste quid hoc sit, ut confessus corrigam quod erravi. Porro, vox eadem peccatum quoddam sicut quærebat, signanter expressit, quod ille a se commissum illico recognovit, et Abbati festinanter accito, facta Confessione purgavit : paucisque post diebus in sancta pace defunctus est. »

Post annum Domini 1100. S. Bernardus in sermone ad milites templi, cap. 12: « Quid, inquit, de Bethphage dicam, ubi et Confessionis Sacramentum, et sacerdotalis ministerii mysterium continetur? » Et infra : « Et quidem verbum in corde peccatoris, operatur salutiferam contritionem ; verbum vero in ore, noxiam tollit confusionem, ne impediatur necessariam confessionem. » Et infra sacerdotibus dicit : « Non absolvant etiam compunctum, nisi viderint et confessum. » Hic habemus primo, Confessionem Sacramentum esse, ac proinde juris divini. Secundo, necessariam esse etiam iis, qui cordis compunctionem videntur adepti. Tertio, sacerdoti esse faciendam, et ab eodem Absolutionem expectandam.

Esse autem peccata omnia confitenda, docet idem Bernardus serm. 16. in Cant. his verbis : « Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, fideliter. »

Huc addi potest testimonium Hugonis de S. Victore, lib. II. de Sacrament. par. 14. cap. 1. ubi explicans illud, Jacob. 5 : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini*, monet, ideo dictum esse, « confitemini ut salvemini, » quia non salvamur, nisi confiteamur. Item Richardi de S. Victore, in lib. de potestate ligandi et solvendi, cap. 4. ubi dicit, Pœnitentiam veram esse abominationem peccatorum, cum voto cavendi, confitendi, et satisfaciendi ; et probat tum ex natura, tum ex Scriptura. Denique, testimonium Petri Cluniacensis, qui Bernardi, Hugonis, et Richardi æqualis fuit. Is lib. I. de miraculis, apertissime docet, Confessionem omnium peccatorum lethalium omnino necessariam esse iis, qui post Baptismum peccaverunt.

Habemus igitur testimonia Patrum, par-

tim Græcorum, partim Latinorum, ad triginta, qui omnes ante Innocentii III. tempora floruerunt : ex quibus aperte convincitur eorum omnium error, qui Confessionem non a Christo, sed ab Innocentio III. institutam esse docent.

## CAPUT XI.

### *Refelluntur solutiones Kemnitii ad loca Patrum.*

Martinus Kemnitius initio Censuræ suæ ad cap. 5. Concilii Tridentini, pag. 976. instituens disputationem de Confessione, proponit novem quasi genera Confessionis, quæ apud Patres inveniri dicit : quæ nihil aliud sunt, nisi novem solutiones, excogitatae ad eludenda testimonia sanctorum Patrum, quæ a Catholicis Doctoribus ad Confessionem stabilendam proferuntur. Illis enim novem generibus Confessionis satis prolixè explicatis, ita subjungit, pagina 1019 : « Ad hæc novem capita, omnes veterum sententiæ commode referri possunt : longe aliud vero est, de quo præcipue Pontificia Confessio dimicat. » Quare ne Lutherani sibi ac suis persuadeant, ad omnia loca Patrum, quæ in superioribus capitibus adduximus, jam a Kemnitio esse responsum ; excutiam paucis totam hanc disputationem Kemnitii, licet etiam supra refutaverim ea, quæ ad certa loca Patrum ipse responderat.

Primum igitur docet Kemnitius, Confessionem quamdam esse, quæ soli Deo fit, et queritur hanc negligi in Ecclesia Catholica ; et Scripturarum, ac Patrum testimonia, quæ ad hanc Confessionem proprie pertinent, detorqueri dicit ad Confessionem auricularem, quæ homini fit.

In hac prima solutione, primo mentitur Kemnitius, Confessionem, quæ Deo fit, negligi in Ecclesia Catholica. Nam in primis Confessio generalis, quæ incipit : « Confiteor Deo omnipotenti, » quotidie recitatur a sacerdote et populo, ad initium sanctissimi Sacrificii : eadem in horis Canonicis a toto Clero bis in die pronuntiatur ; eandem frequentare omnes laici, tum viri, tum feminae, a Pastoribus admonentur. Deinde, Confessio, quæ soli Deo fit, in Contritione includitur, qui enim recogitant annos suos in amaritudine animæ suæ, et peccato omnia, quorum

conscientiam habent, ex animo detestantur, eaque sibi dimitti a Deo petunt, sine dubio confitentur Deo. Quare cum doctrina de vera Contritione, cum accurata discussione conscientiae, magis apud Catholicos, quam apud Lutheranos vigeat, ut libro superiore ostendimus, non potest non mentiri, qui Confessionem quae Deo fit, a Catholicis negligi, a Lutheranis frequentari dicit. Denique, Confessio quae Deo fit, includitur in Confessione quae fit sacerdoti, tum quia sacerdoti fit ut locum Dei tenet, tum quia qui sacerdotibus confitentur, expresse dicunt: « Confiteor Deo, et tibi. » Catholici igitur, qui Confessionem sacramentalem, quae fit homini, docent, simul etiam docent eam, quae Deo fit: atque hoc usque adeo verum est, ut non desint Patres, qui cum de Confessione sacramentali loquuntur, eam non tam homini, quam Deo fieri dicant.

Secundo, multa loca Scripturarum, et Patrum frustra Kemnitius adducit, quasi nos ea de Confessione sacramentali intelligamus, cum ad Confessionem, quae soli Deo fit, pertineant. Nullus enim Catholicorum testimoniis illis utitur; sed ipse solita fraude imponere voluit simplicibus. Ad quam etiam fraudem pertinet, quod loca quaedam omisit, ex quibus facillime detegi ejus insidiae potuissent: ut, exempli gratia, citavit homiliam priorem Origenis in Psalm. 37. ubi commendatur Confessio quae fit Deo, et omisit homiliam posteriorem, in qua disertis verbis commendatur Confessio, quae fit homini.

Tertio, quaedam loca huc trahit, quae satis aperte loquuntur de Confessione quae fit hominibus, et non soli Deo: proinde cum queritur de Catholicis, quod loca Scripturae et Patrum a Confessione, quae Deo soli fit, ad Confessionem sacramentalem detorqueant, ipse id crimen committit, quod aliis falso tribuit.

Talis est locus ille apud Salomonem, Prover. XXVIII: *Qui abscondit scelera sua, non dirigitur; qui autem confessus fuit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Neque enim ullus est, qui scelera sua Deo se abscondere posse credat, nisi forte insaniat: sed hominibus, vel ob pudorem, vel alia de causa, multi peccata sua abscondita esse cupiunt. Qui autem ejusmodi sunt, dirigi non possunt: quis enim dirigat eum, cujus pravitatem ignorat? ac potissimum sententia ista moralis illos objurgat, qui admoniti sec-

lerum suorum, nolunt ea agnoscere, sed abscondunt, et negant.

Tale est etiam testimonium illud Chrysostomi, ex hom. 3. in Matth.: « Confessio peccatorum, testimonium est conscientiae timentis Deum. Qui enim timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri; qui autem erubescit, non timet. » Nam erubescencia, de qua Chrysostomus loquitur, apud homines locum habet, non apud Deum: illis enim confiteri erubescimus, quibus arbitramur ignorata esse mala nostra; id quod unusquisque in se experitur. Adde quod si Chrysostomus loqueretur de erubescencia coram Deo, non diceret: « Qui timet judicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri; qui autem erubescit non timet, » sed e contrario diceret: « Qui timet judicium Dei, erubescit, confiteri; qui autem non erubescit, non timet: siquidem timor facit, ut magni faciamus eum, quem timemus, et proinde etiam facit, ut erubescamus coram illo turpes videri. Sed quia major timor vincit minorem, ideo rectissime Chrysostomus dicit, eos, qui timent judicium Dei, non erubescere peccata sua hominibus confiteri, quia videlicet timor dei vincit timorem hominum; et contra, eos qui confiteri hominibus erubescunt, non timere judicium Dei, quia si illud timerent, non sinerent se ab humano timore ita superari, ut medicinam vulnerum animae suae, Confessionem scilicet, recusarent.

Quarto, solutio Kemnitiana nihil efficit, quia etiamsi loca Origenis et Chrysostomi, quae ipse adducit, accipienda essent omnia de Confessione quae Deo fit, tamen multa sunt alia, tum horum duorum, tum aliorum Patrum, quae ipse omisit, quae nulla ratione detorqueri possunt ad Confessionem quae fit soli Deo; ut ex locis a nobis citatis, quibus cognoscere potest. Porro, loca quaedam Chrysostomi paulo obscuriora, cum ad Calvinii argumenta ventum fuerit, explicabo.

Secundum genus Confessionis, ex quo secundam solutionem Kemnitius petit, est, cum aliquis proximum laesit, et Pœnitentia ductus, confitetur eidem proximo se peccasse, atque ut sibi ignoscatur, rogat. Sed hæc solutio nihil omnino ad rem nostram facit, cum ad nullum testimonium sanctorum Patrum ex his, quae nos adduximus, accommodari possit, ut perspicuum est, tum ex ipsis testimoniis, tum etiam quia neque Kemnitius ad hoc genus Confessionis, ullum eorum te-

stimoniorum referre conatus est : solum enim protulit duo testimonia, unum sancti Augustini, alterum Theophylacti, quorum neutrum ex his est, quæ nos adduximus.

Tertium genus Confessionis est, cum aliquis confitetur non solum Deo, vel proximo quem læserat, sed etiam Ministris Evangelii, verumtamen generatim tantum se peccatorem agnoscit, aut in specie unum aliquod peccatum magis gravans Ministro detegit, non autem in specie omnia peccata enumerat. Atque ad hoc genus Confessionis pertinere vult multa testimonia Scripturæ et Patrum. Sed interim non allegat ex Patribus, nisi Basilium, in quæstionibus brevioribus, quæst. 288. de quo testimonio disseruimus cap. 8. ubi etiam solutionem Kemnitii refutavimus. Ex Scripturis allegat multa testimonia : sed quæ nihil ad rem faciunt, cum omnia (uno excepto) de confessione illa tractent, quæ erat in usu, antequam Confessio sacramentalis institueretur, de qua sola nos loquimur. Testimonium unicum ex Act. 10. ad rem facit, sed de eo disseruimus supra cap. 4. ubi etiam disputationem Kemnitii excusimus.

Quartum genus Confessionis est, cum aliquis publice, coram cœtu Ecclesiæ crimina confitetur : ad quod genus pertinent etiam V. VI. VII. et VIII. De quibus nihil hoc loco dicendum erit : nam loca Irenæi, Tertulliani, Origenis, et Cypriani, quæ Kemnitius de Confessione publica exponit, supra a nobis sunt explicata, cap. 6. et 7. De historia autem Nectarii, et testimoniis Chrysostomi, et Leonis, ex quibus demonstrare conatur Kemnitius, Confessionem publicam mutatam fuisse in privatam, et neutram esse necessariam jure divino, paulo post disseremus. Ista enim ad argumenta pertinent, quibus veritas ab adversariis oppugnatur, non ad explicanda testimonia Patrum, quæ nos pro veritate adduximus : hic vero non argumenta adversariorum dissolvenda, sed nostra, quæ a testimoniis Patrum petita sunt, a Kemnitii calumniis asserenda suscipimus.

Est igitur nonum, ac postremum genus Confessionis apud Kemnitium, cum aliquis confitetur privatim sacerdoti peccata sua, non quia sit necessarium jure divino confiteri omnia peccata in specie, ad remissionem peccati obtinendam, sed quia est utilis disciplina Confessio illa privata, qua sacerdoti peccata aliqua deteguntur. Primo, ad

instructionem rudiorum. Secundo, ad remedia contra peccata futura. Tertio, ad consilium capiendum in rebus dubiis. Quarto, ad consolationem recipiendam ex privata absolutione. Quinto, ad discernendum, an qui absolutionem petit, si vere pœnitens, necne? Atque huc refert Kemnitius multa loca Patrum, Chrysostomi, Origenis, Cypriani, Basilii, Hieronymi, Augustini, Ambrosii, et Cassiani.

Circa hanc solutionem, quæ potissima est, tria breviter observanda sunt. Primum, est Kemnitium plane invitum ad hanc solutionem descendisse. Nam cum sæpe antea dixisset, Confessionem privatam natam esse ex Confessione publica, et notasset etiam tempus, quo Confessio publica in privatam fuerit commutata, annum videlicet 450. ab adventu Domini, et denique addidisset, Confessionem auricularem posterioribus temporibus, ut ipse loquitur, generatam : nihil consequentibus dicere potuisset, quam veteres Patres, qui ante annum Domini 450. scripserunt, privatæ Confessionis nunquam meminisse. Sed non permisit cum evidentia rei tam aperte mentiri : et ideo licet invitus. admittit multas exstare sententias veterum Patrum de Confessione privata : « Et illa quidem, inquit pag. 1015, quæ hactenus ex Patribus annotavimus, ad ea potissimum crimina spectant, propter quæ excommunicari aliquis merebatur, sicut Augustinus, inquit, sive illa essent palam, sive clam, sive tantum voluntatis proposito commissa. Non dissimulandum tamen est, exstare præterea apud veteres, multas sententias, quibus exhortantur populum, ut alia etiam peccata sacerdoti per confessionem exponant. » Et infra : « Alias vero habuerunt rationes sancti Patres, propter quas et servarunt, et commendarunt privatam Confessionem. »

Secundo, observandum est, in hac postrema Kemnitii, solutione, duo quædam proponi. Unum negando. Alterum asserendo. Negat enim Kemnitius, sanctos Patres commendare Confessionem privatam omnium peccatorum, ut necessariam jure divino. Asserit autem, eos commendare privatam Confessionem aliquorum peccatorum, tanquam utilem disciplinam ad rudium instructionem; ad remedium contra futura peccata : ad consilium; ad consolationem; ad signum veræ Pœnitentiæ : « Considerandum est, » inquit pagina 1015, « qua ratione, quo sensu, et in quem finem privatam illam Confessionem

commendarint : nullo modo enim senserunt jure divino ad remissionem peccatorum necessariam esse, omnia peccata in specie, et sigillatim sacerdoti juxta omnes circumstantias enumerare. » Et infra : « Alias vero habuerunt rationes, propter quas, et servarunt, et commendarunt privatam Confessionem, quia scilicet sit utilis disciplina, primo ad rudiorum informationem etc. »

Ex his autem duobus, id quod asserendo proponitur, libenter admittimus; habet enim sacramentalis Confessio quinque illas utilitates et alias præterea non paucas : sed quod negando assumitur, id omnino falsum esse dicimus, et a Kemnitio non modo non esse probatum, sed ne probari quidem potuisse. Patres enim, quos hoc loco adducit Kemnitius ( uno excepto Cassiano, de quo in solutione argumentorum dicemus) nihil aliud docent, nisi confitendum esse peccata sacerdoti ad eum modum, quo morbi ab ægrotis aperiuntur medico. Ex hac autem similitudine non sequitur, Confessionem non debere esse omnium peccatorum, aut non esse necessariam jure divino : sed contrarium potius sequitur; nam et morbi necessario debent omnes aperiiri medico, et jure divino tenemur non minus animæ, quam corporis medicinam quærere, ut nos supra deduximus, cum ista ipsa Patrum testimonia adduceremus. Quare tametsi Patres, quos citat Kemnitius, non dicant disertis verbis, Confessionem omnium peccatorum necessariam esse jure divino (quod unum ipse urget), tamen neque disertis verbis dicunt, Confessionem omnium peccatorum non esse necessariam jure divino : quod quidem hoc loco nobis sufficeret, ad refellendam Kemnitii vanitatem : et ex similitudine, quam adducunt, colligimus id eos sensisse, quod nos sentimus, quodque alii omnes Patres senserunt et docuerunt.

Tertio ac postremo observandum est, Kemnitium ne in hac quidem nona solutione omnino acquievisse. Nam posteaquam omnia dixerat, quæ ad explicanda testimonia Patrum dicenda esse judicaverat, addidit pag. 1020. inveniri apud Patres sententias etiam duriores, quæ ad necessitatem Confessionis inclinent : sed iis opponendas esse alias dissimiles Patrum sententias. Itaque tandem confiteri coactus est, non posse ad omnia loca veterum Patrum quæ Catholici pro se adducunt, commode responderi.

## CAPUT XII.

*Confessionem esse juris divini, confirmatur aliquot argumentis.*

Post auctoritatem Scripturarum, traditionem Conciliorum, et testimonia Patrum, suum etiam locum in confirmandis dogmatibus obtinent rationes.

Prima igitur ratio duci potest ab antiquitate Confessionis. Nam quæ sunt juris humani, ea reperiuntur initium habuisse ex Concilii alicujus œcumenici, aut summi Pontificis decreto; Confessionem autem peccatorum in Ecclesia fuisse ante omnia Conciliorum, Pontificumve decreta, ex testimoniis supra citatis intelligi potest; siquidem Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, atque Origenes, non solum primi generalis Concilii, Nicæni videlicet, tempora antecesserunt, sed etiam omnium aliorum Conciliorum, quamvis Provincialium, omniumque Pontificum Romanorum, qui de sacramentali Confessione sanctionem aliquam ediderunt. Neque alia probatione hic indigemus, cum jam supra Conciliorum, tum Patrum testimonia protulerimus, et singulorum etiam tempora notaverimus.

Secunda ratio sumitur a difficultate Confessionis : nam si qua res est in Ecclesia Catholica, quæ gravis ac difficilis videatur, sine dubitatione ulla Confessio est. Quid enim molestius, quid onerosius, quam ut cogantur etiam viri principes, regesque potentissimi, sacerdotibus, qui et ipsi homines sunt, peccata sua omnia detegere, quamvis arcana, quamvis turpia, quamvis pudenda, quamvis horrorem etiam ipsi confitenti afferentia; et eorundem sacerdotum judicio stare, ac mulctam ab illis injunctam subire? Tanta profecto hujus rei difficultas est, ut nullo modo credibile sit, aut Ecclesiæ Præsides ausuros fuisse legem ejusmodi ferre, aut populi persuaderi potuisse, ut ejusmodi legem acciperent, et tot jam sæculis observarent, nisi divinum imperium, divina institutio, divina promissio accessissent. Igitur divina fuit auctoritas, quæ ad obedientiam in Confessione faciendam, populorum animos inclinavit; divina promissio, quæ eosdem, ut libenter ad Confessionem accederent, invitavit.

Tertia ratio ducitur ab utilitate : Confessio enim tot parit utilitates, ut plane divino consilio instituta videri possit, etiamsi id ita esse non aliunde constaret. Nam sive Deum consideremus, sive sacerdotes, qui Dei auctoritate Ecclesiam regunt, sive Ecclesiam ipsam universam, sive fideles singulos; undique insignis Confessionis utilitas se ostendit.

Elucet in primis in hoc opere admirabilis Dei misericordia, qui Confessionem non extorquet more judicum hujus sæculi, ut confessos damnet, sed potius instar medici, ut patefacta vulnera continuo sanet : elucet nihilominus etiam justitia, quæ superbiam peccatoris, Confessionis humilitate comprimit, et eos, qui turpia impudenter admiserunt, Confessionis ruborem tolerare voluit.

Ad pastores animarum magna utilitas reddit, dum per Confessionem, morbos ovium suarum intelligunt, et eo modo tum singulis seorsim convenientia remedia adhibere possunt, tum in publicis concionibus generatim ea vitia potissimum reprehendere, quibus gregem suum magis obnoxium esse sciunt.

Ad Ecclesiam universam, atque ad ipsam Rempublicam politicam, multiplex utilitas ex Confessione accedit : multa enim, quæ per iudices in externo foro emendari nunquam potuissent, nullo negotio per sacerdotes in foro conscientiæ emendantur, dum restituntur ablata, dimittuntur injuriæ, conciliantur paces, dissolvuntur contractus iniusti, dissociantur male icta fœdera, aliaque id genus plurima privatim perficiuntur, ex quibus scandala publica removentur, et pax ac tranquillitas Reipublicæ redditur.

Sed præcipua utilitas eorum est, qui Confessionem, sicut oportet integre ac fideliter obeunt. Nam, ut omittam, quod eis peccata remittuntur, et in gratiam cum Deo redeunt, qui est communis fructus omnium Sacramentorum, referunt ii, si volunt, ex Confessione consilium, instructionem, consolationem, quietem animæ ob præterita, remedium contra futura. Ille ipse rubor, quem inter confitendum patimur, et pars quædam est satisfactionis pro admissis, et frænum cohibens, ne deinceps talia admittantur. Et denique perexigua confusione, quam coram uno ex conservis nostris patimur, dum illi peccata nostra detegimus, redimimus ingentem illam confusionem, quam alioqui in die iudicii, coram omnibus Angelis et hominibus pateremur, quando juxta Apostolum I Co-

rinth. 4. illuminabuntur abscondita tenebrarum, et manifestabuntur consilia cordium. Quæ omnes utilitates, aliæque permultæ, ex Patribus, quos supra citavimus, colligi possunt.

Quarta ratio peti potest ex miraculis, quibus variis temporibus Deus testatus est, veram esse fidem illam, quam Ecclesia Catholica de Confessione habet, ac tradit. Referam autem pauca de multis.

Scribit Joan. Climacus, antiquissimus ac doctissimus Pater, in lib. qui dicitur Climax, gradu 4. cum latro quidam, Monachus futurus, peccata omnia confiteretur, conspectum fuisse a spirituali quodam sanctoque viro, procerum quemdam, ac terribilem, qui conscriptam chartam et calamum tenebat : et cum latro ille humi prostratus peccatum confitens pronuntiaret, hoc ille calamo debebat. Qua visione intelligi voluit Deus, quod ibidem Climacus scribit, et nos paulo ante diximus, per temporalem confusionem eos qui confitentur, ab æterna confusione liberari.

Contemptus sacramenti Confessionis divino iudicio sæpe graviter punitus fuit, cujus rei duo exstant exempla. Unum apud Bedam, lib. 5. histor. cap. 14. Alterum, apud Antoninum in Summa Theologica par. 2. tit. 9. cap. 13. § 5. Exstat etiam apud Petrum Damianum insigne miraculum de Confessionis integritate, quod superiore capite retulimus.

Petrus Cluniacensis lib. 1. de mirac. cap. 3. 4. et 5. tria miracula scripta reliquit, quibus apertissime Deus ostendit, Confessionem Sacramentalem integram esse debere ; ita ut nullum omnino mortale peccatum, quod in conscientia sit, reticeatur : capite autem sexto, addit aliud miraculum, quod se præsentem contigisse, et usque adeo notum, ac celebre fuisse affirmat, ut sine magna temeritate negari non possit. In ea narratione (quam ob nimiam prolixitatem non putavi hic inserendam esse) perspicue cernitur, nihil magis Satanam optare, et totis viribus suis contendere, quam ne Christiani peccata sua integre sacerdotibus confiteantur.

In vita S. Bernardi, quam Auctor probatissimus, ipso S. Bernardo vivente conscripsit, lib. 1. cap. 9, miraculum insigne narratur, quod ipsis verbis Auctoris referam : « Cum, inquit, aliquantos jam in Claravalle, » Bernardus, « explesset annos, contigit virum nobilem, et ipsius quoque secundum carnem propinquum, Josbertum de Firmita-



te, quod est oppidum proximum monasterio, graviter infirmari, qui subito præoccupatus, amisit intellectum pariter, et loquebamur : unde et filius ejus, Josbertus junior, et omnes simul amici eo magis affligebantur dolore, quod sine Confessione, et viatico, vir magnificus et magnifice honoratus obiret. Cucurrit nuntius ad Abbatem : neque enim tunc in monasterio erat. Venit et invenit eum jam triduo sic jacentem. Compassus autem homini, sed et motus lacrymis filii ejus, simul et lugentium cæterorum, confisus est de misericordia Dei, et sermonem magnificum protulit, dicens eis : Notum vobis est, quod in pluribus homo iste gravavit Ecclesias, oppressit pauperes, offendit Deum : si mihi creditis, ut Ecclesiis restituantur ablata, et usurpatæ in gravamen pauperum consuetudines dimittantur, loquetur adhuc, et suorum confessionem faciet delictorum, divina quoque suscipiet Sacramenta devotus. Mirantur omnes, lætatur filius, familia omnis exultat : quidquid præcipit homo Dei, firmiter ei promittitur, et impletur. Cæterum frater ejus Gerardus, et Galdricus avunculus, non parum territi et turbati, secretius eum super tali promissione conveniunt, durius arguent, acrius invehuntur ; quibus breviter, simpliciterque respondens : Facile, inquit, facere potest Deus, quod difficile credere vos potestis. Itaque post secretam orationem, ad oblationem sacrificii immortalis accedit : quo offerente, nuntius supervenit, qui indicaret, præfatum Josbertum libere jam loquentem, rogare obnixius, ut vir Dei festinaret ad eum. Cui etiam post oblatum sacrificium venienti, cum lacrynis, et gemitu peccata confessus, divina Sacramenta suscepit ». Ex hoc miraculo, et Confessionis necessitatem, et vim divini sacrificii simul intelligimus.

S. Bonaventura in vita B. Francisci, cap. 10. refert his verbis aliud insigne miraculum : « Alio quoque tempore cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum prædicaturus S. Franciscus accederet : miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitem exultavit in ingressu. Ante vero, quam cibum sumerent, juxta solitum morem vir mente devotus offerens Deo preces et laudes, oculis stabat elevatis in cælum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter advocatum in partem, sic

allocutus est : Ecce, frater hospes, tuis victus precibus, ut manducarem, domum tuam intravi : meis nunc cito monitis acquiesce, quoniam non hic, sed alibi manducabis : confitere nunc peccata tua, veræ poenitiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam, quod veridica confessione non pandas : reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta devotione suos pauperes suscepisti. Acquievit continuo vir ille sermonibus Sancti, socioque ipsius universa peccata in Confessione detegens, disposuit domum suam, et ad mortem suscipiendam se quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem ad mensam, et incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei, repentina morte sublatus : sicque factum est, hospitalitatis gratia promerente, ut juxta verbum veritatis, Prophetam recipiens, mercedem Prophetæ acciperet, dum per sancti viri prænuntiationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit, quatenus armis Poenitiæ præmunitus, perpetuam damnationem evaderet, et in æterna tabernacula introiret. »

Idem auctor in eodem lib. extremo, dum ea miracula enumerat, quæ post mortem S. Francisci, ipso intercedente, contigerunt : inter alia unum refert de foemina quadam, quæ ob S. Francisci preces ad vitam ex morte rediit, cum jamjam sepelienda esset, ut peccatum quoddam in Confessione detegeret, quod nunquam antea confessum fuerat. Item etiam aliud, de fonte quodam divinitus ad S. Francisci preces exorto, ex cuius aqua qui biberent, a languoribus curarentur, modo peccatorum confessionem ante præmisissent.

Nostro etiam sæculo, quo per Lutheranos Confessio in Septentrione, cum incredibili animarum pernicie multis in locis extincta est : apud novos Christianos, ubi Ecclesia in dies magis ac magis reflorescit, ac propagatur, atque apud Japones potissimum, ita viget, ut sæpe etiam divinis miraculis illustretur ; quod ante nos annotavit Alanus Copus, lib. II. Dialog. cap. 28. Atque hactenus argumenta pro confirmanda Confessione produximus : nunc ad solvenda adversariorum argumenta veniemus.

## CAPUT XIII.

*Solvitur argumentum I Joannis Calvinii.*

Sequitur ut adversariorum argumenta diluamus. Ac ut a Calvino incipiamus, is lib. III. Instit. cap. 4. §. 7. objicit primo in hunc modum : « Miror qua fronte ausint contendere, Confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini : cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur ; sed quem facile possumus evincere, olim fuisse liberum, Certe nullam de ea statam fuisse legem aut constitutionem, ante innocentii III. tempora, eorum quoque Annales narrant. » Et infra : « Itaque ipsis testibus, nondum elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus ab Innocentio III. laqueus, et imposita confitendi necessitas. Atque ut de tempore taceam, sola verborum barbaries fidem legi abrogat. Nam quod jubent boni Patres, omnem utriusque sexus quotannis semel proprio sacerdoti confiteri omnia peccata ; faceti homines, lepide excipiunt, hoc præcepto teneri solos hermaphroditos, ad neminem vero spectare, qui sit vel mas, vel foemina. »

Respondeo, Calvinum more suo, mendacii, et calumniis magis niti, quam solidis rationibus. Primum enim quod ait, legem de Confessione omnium peccatorum, nullam exstare, ante constitutionem Innocentii III. sive potius Concilii Lateranensis, cui Innocentius præfuit, falsum esse, ex tam multis nostris argumentis intelligi potest. Exstat enim lex Christi, ut supra copiose deduximus : neque opus fuit, ut Concilia aut Pontifices id legibus suis præciperent, quod ab ipso Christo imperatum, et multorum sæculorum consuetudine roboratum esse noverant.

Sed neque Innocentius aut Lateranense Concilium, Confessionem simpliciter imperavit, sed solum tempus determinavit, quo ea facienda esset ; quemadmodum etiam Concilia vetera supra citata, ex Græcia, Africa, Gallia, Germania, et Pontificum, Innocentii I. ac Leonis I. decreta, non Confessionem simpliciter imperarunt, sed aut de secreto Confessionis, aut de aliis id genus circumstantiis regulas statuerunt. Id quod ex simili decreto Zepherini Pontificis probari potest. Zepherinus enim, ut in ejus vita refert Platina, statuit, « ut omnes Christiani adulti in olemni die Paschæ, Eucharistiæ Sacramen-

tum perciperent » : quo decreto, non intelligitur præcipere voluisse ut Eucharistiam Christiani aliquando sumerent, quod a Christo ipso esse præceptum, neque Catholici, neque Hæretici negant : sed tantum negligentiae aliquorum occurrere, ac tempus determinare, ultra quod perceptionem tam salutiferi Sacramenti differe non liceret. Sic igitur et Innocentius III. non Confessionem instituit, aut simpliciter imperavit, sed tempus, ultra quod nemo Christianus eam differret, utiliter omnino præscripsit.

Neque vero decretum hoc Innocentii novum dici debet, sed innovatum potius et adjuncta pœna, severius, id postulante conditione temporum, imperatum. Jam enim supra ex gregorio Nysseno, et Joanne Chrysostomo demonstravimus, circa Paschæ celebritatem Christianos omnes ad Confessionem accedere debuisse.

Deinde, cum certum, atque exploratum semper in Ecclesia fuerit, non licere iis, qui peccatorum mortalium sibi conscii sunt, ad Eucharistiam accedere, nisi per Confessionem et Reconciliationem purgati essent, ut ex Cypriano in serm. de lapsis, et ex Leone epist. ad Theodorum Forojulii Episcopum, et ex aliis notissimum est : et rursus cum omnes Christiani saltem in Paschate ad Eucharistiam accedere semper consueverint, et obligati fuerint, certe sequitur, semper hanc legem in Ecclesia fuisse, ut omnes Christiani saltem semel singulis annis peccata sua confiterentur.

Deinde, quod idem Calvinus ait : nullam statam legem de Confessione fuisse ante Innocentii constitutionem, in nostris Annalibus contineri, et nobis ipsis testibus, nondum elapsos esse trecentos annos, ex quo ab Innocentio confitendi necessitas injecta est : credo mendacium tuto appellari posse. Solus enim est Platina, qui in vita Zepherini scribit, decretum Zepherini de percipienda Eucharistia in Paschate, extensum fuisse ab Innocentio III. ad Confessionem.

Sed neque Platina publica auctoritate, et ex publicis archivis vitas illas Pontificum scripsit, ut Annales nostri dici possint : et sæpe ab Historicis nostris reprehenditur, quod Martinum Polonum secutus, in varios errores inciderit : neque idem Platina dicit, nullam antea fuisse legem de Confessionis necessitate. Id enim solum ille scripsit, a Zepherino de Eucharistia, ab Innocentio de Confessione decretum fuisse, ut nemo eorum

Sacramentorum perceptionem ultra annum differret ; quod quidem verum est, sed non inde sequitur, ut ante Zepherini et Innocentii tempora nulla fuerit lex de confessione facienda, vel Eucharistia percipienda. Nam, ut jam diximus, ne adversarii quidem negant, Christi præcepto obligari Christianos ad Eucharistiam aliquando percipiendam ; et ex Patribus notissimum est, nunquam licuisse, non præmissa Exomologesi, ad Eucharistiam accedere iis, qui lethalium criminum conscientiam haberent : sic enim ut cæteros omittam, loquitur S. Leo epist. 91. ad Theodorum : Christus Jesus « hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. »

Denique, quod barbariem objicit Calvinus Innocentio, propter voces illas : « Omnis utriusque sexus, et ex barbarie colligit, nullam fidem decreto illius habendam ; incredibilis tum impudentiæ, et arrogantiam, tum etiam stultitiæ et temeritatis argumentum est. Esto enim barbaræ essent voces, barbara dictio Innocentii, num ideo fides ejus decreto abroganda esset, quod in Concilio orbis terræ maximo, et celeberrimo omnium quæ unquam habita fuerint, editum, universa Ecclesia debito cum honore ac devotione suscepit ? num Apostolus Paulus non ait : *Et si imperitus sermone, sed non scientia ?* num hoc idem Matthæus, et Joannes, Jacobus, et Judas, et ipse Princeps Apostolorum Petrus, dicere non potuissent ? An ideo Apostolorum scripta fidem non mereantur, quod sermonis elegantia careant ?

Sed neque facile concesserim, in verbis illis : « Omnis utriusque sexus », ullam inesse barbariem. Nam S. Hieronymus, quem barbarum dicere non possumus, imo qui longe melius Latinas voces noverat quam Calvinus, iisdem vocibus non semel uti voluit in interpretatione Scripturarum.

Deut. vii. quod in Hebræo erat : *Non erit apud te vir sterilis, neque mulier sterilis*, sic Hieronymus Latine redditit : *Non erit apud te sterilis utriusque sexus*, neque timuit, ne sciolus aliquis diceret, ad solos hermaphroditos eam benedictionem pertinere. Item Judic 16. ubi ad verbum verti potuisset : *Quasi tria millia veri et fœminæ, spectantes dum luderet Samson*, sic Hieronymus vertit : *Circiter tria millia utriusque sexus spectantes*

*Samson*, neque timuit, ne tria millia hermaphroditorum introducere videretur. Lib. 2. Paralip. cap. 31. ita legimus, eodem interprete Hieronymo : *Universæ multitudini, tam uxoribus quam liberis eorum, utriusque sexus, fideliter cibi præbebantur*, neque Hieronymus timuit, ne sibi barbaries objiceretur, nisi verteret : *Filiis et filiabus*, ut in Hebræo legimus.

Possem si liberet, ex Maræo Tullio quoque aliisque optimis auctoribus demonstrare ; verba illa Innocentii non modo nullam barbariem, sed etiam elegantiam redolere ; sed nolo in his nugis tempus terere.

## CAPUT XIV.

*Solvitur argumentum II. Calvinii, ubi tractatur historia de facto Nectarii.*

Objicit secundo Calvinus in eadem sectione, veterum testimonia, his verbis : « Deinde luculenta testimonia exstant, tum in historiis, tum apud antiquos alios Scriptores, quæ docent, hanc fuisse politicam disciplinam, ab Episcopis institutam, non legem a Christo, aut Apostolis positam. Unum duntaxat e multis proferam, quod non obscurum ejus rei documentum erit. Refert Sozomenus, fuisse hanc Episcoporum constitutionem, diligenter observatam in Ecclesiis Occidentalibus, præsertim vero Romæ : quo significat, non fuisse universale omnium Ecclesiarum institutum. Unum autem e Presbyteris peculiariter destinatum fuisse dicit, qui huic muneri præset : quo abundè confutat, quod isti de Clavibus, universo sacerdotali ordini in hunc usum promiscue datis, mentiuntur, siquidem non omnium Sacerdotum communis erat functio, sed singulares unius partes, qui ad id electus ab Episcopo fuerat. Is est, quem hodie quoque in singulis Cathedralibus Ecclesiis Pœnitentarii vocant, graviorum criminum, et quorum censura ad exemplum pertinet, cognitor. Subjicit deinde, eum quoque morem Constantinopoli fuisse, donec matrona quædam, confitentem simulans, ea specie consuetudinem, quam habebat cum Diacono, prætexuisse deprehensa esset. Ob id facinus, Nectarius vir et sanctitate, et eruditione clarus, illius Ecclesiæ Episcopus, confitendi ritum abrogavit. Hic, hic aures asini isti arrigan!. Si lex Dei erat auricularis Confessio, qui ausus esset Nectarius eam refigere, et convellere ? Nectarium sanctum Dei hominem,

omnibus veterum suffragiis probatum, hærescos et schismatis accusabunt? Sed eodem calculo damnabunt Ecclesiam Constantinopolitanam, in qua, confitendi morem non ad tempus modo dissimulatum fuisse, sed ad suam usque memoriam obsolevisse, affirmat Sozomenus : imo non Constantinopolitanam, sed Orientales omnes Ecclesias, defectionis reas agant; quæ inviolabilem, si verum dicunt, legem, et Christianis omnibus mandatum neglexerunt. »

Respondeo, multos in hac una objectione Calvini lapsus exstare, quos breviter annotabimus, ac tum demum objectionem ipsam perspicue diluemus. Primum igitur mirum est, cur tam audacter jactaverit Calvinus, luculenta testimonia exstare, tum in historiis, tum apud antiquos alios Scriptores : si unum Sozomenum proferre ad medium constituerat. Neque enim ignoramus, Sozomenum in historia multa esse mentitum, teste S. Gregorio lib. VI, epistol. 31. et neque antiquitate, neque doctrina cum multis eorum comparandum, quos nos citavimus.

Deinde mirum est, cur non adverterit Calvinus, ipsum Sozomenum in eodem loco, qui ab eo citatur, disertis verbis asserere Confessionis necessitatem, ut nos supra notavimus.

Tertio, assumit tanquam certum Calvinus, constitutionem Episcoporum, quæ tempore Sozomeni in Occidentalibus Ecclesiis, et præsertim Romæ vigebat, fuisse constitutionem de Confessione omnium peccatorum simpliciter facienda; quod probandum, non assumendum fuerat. Sozomenum enim ut mox demonstrabimus, non loquitur de confessione omnium peccatorum absolute facienda, quam necessariam esse fatetur, et nos divini juris esse contendimus; sed de confessione uni certo Presbytero, certo ritu facienda; de qua constitutionem quamdam Episcopi ediderant, Novatiana hæresi grassari incipiente.

Quarto ex eo, quod in singulis Ecclesiis unus certus Presbyter super pœnitentes olim constituebatur, perperam colligit Calvinus, Claves non esse datas universo ordini sacerdotali. Nam unus ille Presbyter, ut paulo post docebimus, non super omnes pœnitentes, sed super publicos tantum, qui simpliciter pœnitentes dicebantur, constitutus erat : quare ii, quorum peccata occulta erant, poterant aliis Sacerdotibus privatim confiteri. Et licet etiam solus ille Presbyter super omnes omnino pœnitentes constitutus fuisset, non tamen sequeretur, mentiri Catholicos,

cum dicunt universo ordini sacerdotali datas esse Claves : id enim Catholici omnes intelligunt de potestate Ordinis, quam Sacerdotes omnes in ordinatione suscipiunt, quamque exercere non possunt, nisi præterea jurisdictionem ab Episcopis accipiant.

Quinto, depravat Calvinus historiam, cum dicit, fœminam quamdam confitentem simulasse, eaque specie consuetudinem, quam cum Diacono habebat, prætexuisse. Nam neque Sozomenus, lib. VII. cap. 16, neque Socrates, lib. V. cap. 49. neque Nicephorus, lib. XII. cap. 28. neque alius ullus ex veteribus scribit fœminam illam confitentem simulasse etc. Socrates autem, qui antiquissimus est, et qui rem ab illo ipso audiverat, qui interfuerat, scribit fœminam illam scelus suum cum Diacono, sponte in Confessione aperuisse. Quare tantum abest, ut specie Confessionis consuetudinem cum Diacono fœmina illa prætexuerit, quod Calvinus ad infamandam Confessionem impudenter confinxit; ut contra potius flagitium suum in Confessione, ut diximus, patefecerit.

Sexto, duo simul falsa Calvinus scribit, cum addit : « Nectarius vir sanctitate et eruditione clarus, illius Ecclesiæ Episcopus, confitendi ritum abrogavit. » Nectarius enim jam senex, et laicus, et quod majus est, nondum baptizatus erat, cum ad Episcopatum assumeretur; ut non sit credibile, aut eo tempore clarum eruditione fuisse, aut postea ad insignem aliquam eruditionis gloriam pervenire potuisse. Quocirca Sozomenus lib. VII. cap. 8. laudat eum a canitie, et morum suavitate; sanctitatis et eruditionis mentionem nullam facit. Sed qualiscumque tandem Nectarius fuerit, non ritum confitendi abrogavit, sed Presbyterum duntaxat exauctoravit, qui publicis pœnitentibus præerat; Socrates enim, Sozomenus, et Nicephorus locis notatis, id solum memoriæ prodiderunt. Fortasse Calvinus Sozomenum Græcum non legit, aut fidelem aliquam versionem, sed in Musculum incidit, qui ita reddidit titulum cap. 16. lib. VII. Sozomeni : « Quomodo abrogata fuerit privata Confessio », qui titulus quam sit falsus, perspicuum est ex principio capitis ipsius Sozomeni, ex quo titulus colligi debuit : sic enim ait : ἐν τούτῳ δὲ ἐπὶ τῶν μετανοησάντων τεταγμένον πρεσβύτερος οὐκέτι συνεχώρησεν εἶναι πρῶτος Νεκτάριος, quod sic ad verbum reddi potest : « Hoc tempore Presbyterum constitutum super pœnitentes, non permisit amplius esse, primus Nectarius. »

Septimo, contumeliosis illis vocibus, atque Hæreticorum propriis : « Hic, hic aures asini isti arrigant », manifestum mendacium Calvinus adjungit, dum auricularem confessionem a Nectario abrogatam scribit. Nam non modo nullus Historicorum hoc scripsit, sed etiam tota illa narratio clamat, non auricularem, sed publicam confessionem a Nectario abrogatam; neque enim ex auriculari confessione flagitium illud patefieri potuisset, ob cujus solius manifestationem, Nectarius ritum illum confessionis publicæ abrogavit.

His igitur in Calvinum breviter annotatis, tota illa historia explicanda est, ut perspicue pateat, nullum argumentum ex ea narratione adversus Confessionis necessitatem posse colligi.

Tribus capitibus tota illa narratio comprehenditur. Primum enim referunt auctores citati, Socrates, Sozomenus, et Nicephorus, Presbyterum quemdam pœnitentibus præpositum fuisse. Deinde addunt flagitium Diaconi cum muliere, ex occasione illius ritus pœnitentialis. Tum docent, ob scandalum ex eo flagitio natum, abrogatam fuisse Presbytero potestatem, ac permissum fuisse omnibus, ut pro sua quisque conscientia ad sacra mysteria accederet.

De primo capite constat primum ex Socrate, constitutionem illam de certo Presbytero pœnitentibus præficiendo, factam esse ab Episcopis occasione hæresis Novatianorum : sic enim scribit lib. v. cap. 19 : « Ab illo tempore quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitata, lapsi erant, communicare; Ecclesiarum Episcopi canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset; quo qui post Baptismum lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. »

Quæ autem esset functio ejus Presbyteri, non est omnino certum : quod enim Sozomenus tradidit, contrario sensu retulerunt Cassiodorus et Nicephorus, ob variam interpunctionem Græci codicis Sozomeni. Ille enim in Historia Tripart. lib. ix. cap. 35. ita reddidit verba Sozomeni : « Quoniam omnino non peccare, divinum, et ultra humanam naturam esse cognoscitur, peccantibus autem, et pœnitentiam agentibus, veniam Deus dari præcepit; qui vero confiteri refugiunt, majus peccatorum onus acquirunt : propterea visum

est antiquis Pontificibus, ut velut in theatro, sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur; et ad hanc rem Presbyterum bonæ conversationis, servantemque secretum, ac sapientem virum statuerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, delicta propria fatebantur etc. » Nicephorus autem lib. xii. cap. 28. ita ex Sozomeno rem eandem narrat : « Quandoquidem nihil peccati admittere, non humanæ, sed divinæ, et immortalis naturæ proprium est, nos autem per transgressionem semel peccandi hæreditatem adivimus; delictorum eis veniam Deus concedere jussit, qui legitima et convenienti pœnitentia usi, deinceps simul peccatum, et aversantur, et confitentur. Grave autem Episcopis qui proxime post Christum fuere, visum est, in media plebe, vel in theatro, noxam confiteri. Quapropter ex Presbyteris unum delegere, qui probata vita esset, et simul taciturnus, et prudens, apud quem per pœnitentiam resipiscentes, commissua proferrent etc. »

Et quamvis sententia hæc posterior non sit improbabilis, quam etiam secutus est Joannes Christophorus in interpretatione Sozomeni : prior tamen anteposenda videtur, quam secutus est Joannes Hasselanus, teste Ruaro Tappero, in explicat. art. 5. Lovaniensium; nam Cassiodorus floruit non longe ab ætate Sozomeni; Nicephorus autem annis plus octingentis Sozomeno posterior est. Quare credibile est, codicem quem habuit Cassiodorus, vel Epiphanius, qui primus historiam Tripartitam confecit, certiore fuisse, magisque integrum et incorruptum, tum quoad interpunctionem, tum quod cætera, quam eum, quem Nicephorus aut Christophorus habuere.

Deinde voluisse Episcopos, ut peccata quasi in theatro publice recitarentur, ut habet Cassiodorus, non autem ut non recitarentur, ut scribit Nicephorus, colligi videtur ex Chrysostomo, qui hom. 5. de incomprehensibili natura Dei, et hom. 4. de Lazaro, et hom. 8. de pœnitentia, et homil. de Publicano in cap. 18. Lucæ, alludens aperte ad factum Nectarii, et abrogationem priscae constitutionis Episcoporum, ubique repetit, non esse opus jam quasi in theatro peccata pandere. Verba Chrysostomi in sequenti capite reperies.

Denique idem colligi potest ex hac ipsa narratione. Nam et Socrates, et Sozomenus, et ipse etiam Nicephorus, dum reprehendunt,

factum Nectarii, qui ritum illum sustulit; causam reddunt, quia eo ritu sublato, non possumus invicem peccata arguere, juxta illud Apostoli: *Nolite communicare operibus infrugiferis tenebrarum, sed ea potius arguite*; et quia sublato illo freno publicæ confessionis, majora ac plura nunc fiant peccata, quam olim: quæ certe causæ id requirunt, ut ritus ille, quem Nectarius sustulit, quemque olim Episcopi constituerant, confessionem publicam continuerit.

Dices: si peccata publicanda erant, cur oportebat Presbyterum illum secretorum tenacem, ac taciturnum esse, qui pœnitentibus præsidebat? Respondeo, quia non omnia peccata publicanda erant, sed ea solum, ob quæ pœnitentia publica indiciebatur. Itaque audiebat Presbyter omnia omnino pœnitentium peccata; sed quæ occulta erant, secreta habebat, atque ad hoc taciturnitas exigebatur; quæ autem publica erant, licet multis fortasse incognita, ea palam in Ecclesia tanquam in theatro pandebantur.

Atque hinc forte conciliari possunt diversæ illæ narrationes Cassiodori, et Nicephori. Quod enim Cassiodorus dicit, visum esse priscis Episcopis, ut peccata publice in Ecclesia tanquam in theatro, pronuntiarentur, de publicis peccatis intelligi debet: quod autem scribit Nicephorus, grave visum esse, ut peccata coram cœtu multitudinis, quasi in theatro efferrentur, de peccatis occultis accipiendum erit.

Noluisse autem Episcopos illos, peccata occulta, sed publica dumtaxat (in quo a Ruaro et Hasselano dissentire cogor) confessioni publicæ subjicere, tribus argumentis comprobabo.

Primum testantur Sozomenus et Nicephorus locis notatis, ritum illum, quem Nectarius Constantinopoli sustulit, Romæ suo tempore integre perseverasse, ut etiam in reliquis Occidentis Ecclesiis: ex Leone autem qui Sozomeni æqualis fuit, appertissime constat nunquam Romæ fuisse ejusmodi ritum, ut peccata occulta publicarentur. Si quidem in epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, vehementer objurgat nescio quos Episcopos, qui omnia peccata pœnitentium per libellum in Ecclesia recitari volebant, ac dicit; eam præsumptionem pugnare eum Apostolica regula, et ritum esse improbabilem, ac modis omnibus submovendum. Quare non fuit Romæ, neque in reliquo Occidente unquam talis consuetudo, ut peccata omnia,

quamvis secreta, publice efferrentur, sed solum in angulo Campaniæ, abusus quidam, qui etiam continuo sublatus fuit.

Deinde, si peccata omnia etiam occultissima, publicanda erant, quorsum in Presbytero pœnitentiaro taciturnitas illa, et secreti tenacitas requirebatur, cujus omnes Historici meminerunt?

Denique, cum secreta peccata in Confessione excepta revelare, si contra jus naturæ, ut Theologi docent, et contra Apostolicam regulam, ut S. Leo affirmat; si constitutio illa veterum Episcoporum id habuisset, optimo jure a Nectario abrogata fuisset, quin etiam mirum videri posset, a Gregorio Nazianzeno, Basilio, Athanasio, et cæteris Græcis Doctoribus, qui Nectarium præcesserunt, tolerari potuisse. Videmus autem Nectarium ob eam rem potius reprehendi, quam laudari, a Soerate, Sozomeno, Casiodoro, Nicephoro, et cæteris Scriptoribus: non igitur probabile est, ritum quem veteres Episcopi introduxerant, id habuisse, ut secreta peccata publicæ confessioni subjicerentur.

Illud etiam hoc loco est observandum, Presbyterum illum pœnitentiarum, non omnibus fidelibus, qui quocumque modo pœnitentiam agebant, sed solis publicis pœnitentibus præpositum fuisse: id quod tribus aliis argumentis demonstrari potest.

Primum, Sozemus, ubi disertis verbis affirmasset, constitutionem de Presbytero pœnitentiaro, quam prisci Episcopi invexerant, et Nectarius postea Constantinopoli abrogaverat, Romæ potissimum accurate servari; continuo explicare cœpit ritum pœnitentiæ publicæ, quæ Romæ suo tempore servabatur: igitur constitutio illa ad solos pœnitentes publicos pertinebat.

Deinde nullo modo fieri potuit, ut unus Presbyter fatifaceret tantæ multitudini, quanta Constantinopoli, vel in aliis civitatibus, pœnitentiæ remedio indigebat: non igitur omnes eum Presbyterum adire cogebantur, sed ii solum, qui pœnitentiam publicam suscipiebant.

Denique, apud veteres nomine Pœnitentium, soli publici pœnitentes intelligi solebant, ut in lib. I. sub finem annotavimus: eum igitur Historici sæpe citati dicunt, Presbyterum super Pœnitentes constitutum fuisse, id accipiendum est de iis, qui simpliciter Pœnitentes dicebantur, hoc est, de publicis.

Ex his, quæ hactenus dicta sunt, colligimus, constitutionem Episcoporum, de qua Historici loquuntur, id solum complexam, ut qui publice lapsi essent post Baptismum, ii ad sacram Eucharistiam non accederent, nisi Presbytero pœnitentiario privatim omnia peccata sua confessi essent, et deinde ad ejus arbitrium publice coram cœtu Ecclesiæ peccata publica detexissent, et pœnitentiam publicam egissent. Quam constitutionem Socrates recte vocat, appendicem additam ad veteres canones : nam ante exhortam hæresim Novati, nemo cogebatur certum Presbyterum adire, neque peccata ulla publice confiteri. Consueverant quidem aliqui juxta consilium Sacerdotis, cui peccata omnia confessi fuerant, aliqua graviora et publica publice confiteri, ut ex Origene cognosci potest, hom. 2. in Psal. 37, tamen ut dixi, non tenebantur, sed satis erat, peccata omnia privatim confiteri, et Pœnitentiam privatam vel publicam juxta Sacerdotis imperium, agere. Cæterum post Novati hæresim excitatam, placuit Episcopis aliquid addere, ne Novatiani Catholicos reprehendere possent, quod nimis facile lapsos ad communionem admitterent. Hæc de primò capite.

Jam quod attinet ad secundum de flagitio Diaconi cum muliere, scribit Sozomenus, sed clarius Nicephorus, occasionem illius flagitii fuisse, quod mulier illa jussa esset a Presbytero pœnitentiario in Ecclesia diutius permanere orationis causa : ex eo enim, quod sæpe et diu mulier in Ecclesia morabatur, occasionem habuit Diaconus cum ea flagitium perpetrandi. Porro crimen hoc ad aures populi pervenit, ex ipsius mulieris publica Confessione. Tametsi enim peccatum occultum esset, neque Presbyter ei mandasset, ut illud populo patefaceret, ipsa tamen cum alia peccata, quæ publica erant, publice confiteretur, longius progressa quam par erat, etiam hoc peccatum confessa est.

Narrat hoc totum Socrates : qui duplicem Confessionem illius mulieris distincte refert. Unam secretam coram solo Presbytero. Alteram publicam coram populo. « Mulier inquit, nobilis ad Presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur, » ecce privatam Confessionem omnium peccatorum : subjungit deinde mulctam injunctam : « Presbyter, inquit, mulieri mandatum dat, ut jejuniis, et continuis precibus se dederet, quo una cum peccatorum confessione ejus dig-

num pœnitentia ostenderet », ecce satisfactionem post privatam Confessionem : addit deinde confessionem publicam, quæ fuerat illi injuncta una cum jejuniis, et precibus : « Mulier, inquit longius in confitendo progressa, alterius culpæ se ipsa insimulat : docet Diaconum Ecclesiæ cum ipsa dormivisse », ubi illud : « Longius in confitendo progressa », id significat, quod diximus, non fuisse mandatum mulieri ut peccatum illud publice detegeret sed ipsam ex indiscreta devotione id fecisse. Publice autem confessam esse mulierem hoc suum facinus, docet Socrates his verbis, quæ superioribus continuo subjunxit : « Ob quod facinus hoc modo patefactum, Diaconus ab Ecclesia ejectus est ; tumultus inde in populi multitudine excitatus, etc. »

Quod ad tertium pertinet, abrogavit Nectarius omnium consensu, Presbyterum Pœnitentiarium, id enim omnes Historici communiter tradunt. Abrogavit etiam Pœnitentiam publicam, nam ex occasione ejus acciderat flagitium Diaconi cum muliere, et inde tumultus contra clerum exortus fuerat. Abrogavit denique Confessionem publicam, tum quia pars erat pœnitentiæ publicæ, tum quia ex ea cognitum fuerat sacrilegium Diaconi, et mulieris : utrumque enim populo displicebat, et tantum scelus in Ecclesia perpetratum, ut scribit Sozomenus, et ex ejus publicatione magnam infamiæ notam ordini Sacerdotali inustam, ut tradit Socrates. Non autem abrogavit, nec abrogare potuit, Confessionem et Pœnitentiam privatam.

Quare quod scribunt Socrates et Sozomenus permissum esse a Nectario, ut unusquisque secundum conscientiam suam ad sacra mysteria participanda accederet, non significat, permissum esse fidelibus, ut sine Confessione et judicio Sacerdotis, sacræ mensæ participes fierent, sed ut non cogèrentur adire publicum Ecclesiæ tribunal, verum ipsi conscientiæ suæ rationem haberent, et si quidem sine peccato mortali essent, ad communicationem divinorum mysteriorum tuto accederent ; sin autem, unum ex Presbyteris eligerent, cui privatim peccata sua confiterentur.

Esse autem hunc sensum eorum verborum, et a Nectario non fuisse Confessionem privatam abrogatam, his argumentis confirmari potest. Primum, non sustulit Nectarius, nisi appendicem ad veteres canones, quæ accesserat initio hæresis Novatianæ : illa autem

appendix, ut jam satis ostendimus, ad publicam tantum Pœnitentiam pertinebat.

Deinde non sustulit Nectarius, nisi id, quod necessarium erat ad sedandum populi tumultum ex occasione detecti illius flagitii excitatum; ad hoc autem satis superque erat, de medio tollere Confessionem et Pœnitentiam publicam, neque enim ex Confessione Pœnitentiaque privata ullus tumultus exoriri poterat.

Tertio, post Nectarii tempora mansit semper in Ecclesia Græca, usus Confessionis privatæ, ut perspicuum est Chrysostomo, Nicephoro, Cartophylace, Concilio Trullano, aliisque testimoniis supra citatis. Nulla autem historia refert, ab ullo Episcopo vel Concilio revocatum esse ac retractatum id quod Nectarius fecerat: non igitur abrogaverat ille Confessionem privatam.

Quarto Sozomenus, qui fusius historiam istam conscripsit, et quem adversarii potissimum citant, affirmat Deum ipsum præcepisse, ut pœnitentibus venia daretur, et necessariam esse Confessionem: idem autem Sozomenus non reprehendit Nectarium, ut eversorem juris divini, sed tantum dubitanter, et modice illum carpit, quod occasionem sustulerit peccata invicem arguendi. Neque ullus alius scriptor in tot annorum centuriis Nectarium accusavit: quod certe multi fecissent, si rem tam necessariam, et ab Apostolorum temporibus in Ecclesia frequentatam, ipse unus Episcopus abrogare tentasset.

Quinto ipsi etiam adversarii non admittunt homines ad Eucharistiam, nisi prius exploratos, ut intelligi potest ex Philippo in Confess. Augustana art. de Confessione, ubi sic ait: « Confessio apud nos non est abolita: non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis, et absolutis. » Item ex Calvinio, qui lib. III. Instit. cap. 4. § 13. sic ait: « Interim quin sistant se oves Pastori quoties sacram Cœnam participare volunt, adeo non reclamo, ut maxime velim hoc ubique observari. » Quis igitur credat Nectarium tam fuisse imprudentem, ut non videret, quam malum esset, permittere unicuique accessum ad sacra mysteria, sine ulla purgatione ac reconciliatione? Hæc de historia Nectarii hoc loco sufficiant.

Non ignoro Thomam Waldensem in II. tomo, cap. 141. in ea sententia fuisse, ut existimaret, a Nectario Confessionem simpliciter abrogatam fuisse, eumque in ea re

graviter errasse, sed non facile id concederem, tum quod Nicolaus Papa in epistola ad Photium, quæ recitatur in VIII. Synodo act. 4. Nectarium vocet Hæreticorum expugnatorem, et Ecclesiarum defensorem; tum quod Nectarii sententiam S. Joannes Chrysostomus apertissime tueatur, ut in sequenti capite ostendemus; tum denique, quod Nectarii sententiam omnes Orientis Ecclesie secutæ sint.

Scio etiam, quibusdam visum esse, totam hanc historiam esse confictam a Socrate: sed non facile adduci possum, ut credam historiam illam falsam esse, quæ tum scribcbatur, cum adhuc viverent, qui rei gestæ interfuerant; præsertim cum res, quæ narratur, non in angulo aliquo, sed in urbe celeberrima, conscio populo universo, contigisse dicatur.

## CAPUT XV.

### *Solvitur argumentum III. Joannis Calvinii.*

Pergit Calvinus in eodem capite sectione 8. et adducit Chrysostomum: « Hanc, inquit, abrogationem tot locis evidentem Chrysostomus testatur, Constantinopolitanæ et ipse Ecclesiæ præsul, ut mirum sit, istos audere contra mutire. Peccata tua, inquit hom. 2. in Psal. 50, dicito ut deleas illa. Si confunderis alicui dicere, quæ peccasti, dicito quotidie ea in anima tua: non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobret; dicito Deo, qui curat ea. »

Addit ibidem Calvinus alia loca similia ejusdem Chrysostomi, ex serm. de Pœnitentia et Confessione, item ex homil. 5. de incomprehensibili natura Dei, item ex hom. 4. de Lazaro. Addit Philippus in Confess. August. artic. de Confessione alium locum similem superioribus, ex hom. 31. cap. 12. epist. ad Hebræos.

Respondeo, Chrysostomum, qui Nectarii successorem se agnoscebat, diligenter, ut par erat, judicium prædecessoris sui defendere voluisse, sic tamen, ut veritati, et fidei nulla in re detrimentum afferret. Quemadmodum igitur Nectarius non Confessionem privatam, sed publicam abrogavit, sic etiam Chrysostomus passim Confessionem publicam carpit, privatam autem nusquam reprehendit.

Id perspicuum est ex omnibus locis, quæ



vel objecta sunt ab adversariis, vel objici: potuissent. Nam hom. 2. in Psal. 50. cum ait: « Non dico, ut confitearis conservo tuo, qui exprobrat », aperte indicat se loqui de Confessione publica, ex qua exprobratio sequi solebat. Nam ut refert Origenes hom. 2. in Psal. 37, cum publica fieret Confessio, non deerant qui exprobrarent: « Si hujusmodi, inquit, homo memor delicti sui, confiteatur quæ commisit, et humana confusione parvi pendat eos, qui exprobrant eum confitentem, et notant, vel irrident etc. » Ex privata autem Confessione nulla sequi potest exprobratio, tum quod sine testibus ea confessio fiat, tum quod arctissimo vinculo teneantur Sacerdotes altissimo silentio tegere, quæ in privata Confessione audierunt. Quod igitur Chrysostomus ait hom. citata in Psalm. 50. *Si confunderis alicui dicere, quia peccasti*, intelligi debet ad hunc modum: Si confunderis alicui dicere, qui exprobrare possit, id est, publice, ut ipse continuo explicat, cum ait: « Non dico ut confitearis conservo tuo, qui exprobrat. »

Idem Chrysostomus homil. de Pœnitentia et Confessione, qui est secundus locus a Calvino adductus, sic ait: « Nunc autem neque necessarium, præsentibus testibus confiteri etc. » ubi videmus, confessionem illam improbari, quæ fit coram testibus, quamque Nectarius abrogaverat: siquidem verba illa: « Nunc autem neque necessarium », notant, aliquando fuisse necessarium coram testibus confiteri, sed eam necessitatem tunc fuisse sublatam.

Item hom. 5. de incomprehensibili natura Dei: « Non te, inquit, in theatrum conservorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo ». Hic etiam cernere est, quam aperte Chrysostomus alludat ad illam veterem Episcoporum constitutionem, qui teste Sozomeno in Tripart. lib. ix. cap. 35. voluerant, ut quasi in teatro peccata panderentur: quam constitutionem Nectarius, ut sæpe diximus, abrogavit.

Item in hom. 4. de Lazaro: « Cave, inquit, homini dixeris, ne tibi exprobrat ». Et infra: « Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes: mihi soli dic peccatum privatim etc. » Idem hom. 31. in epistol. ad hebræos: « Non tibi, inquit, dico ut te prodas in publicum; neque ut te apud alios accuses ». Idem homil. 8. de Pœnitentia: « Non reveles, inquit, ulcus, non in commune theatrum accusationem

prodeas, non delictorum testes statuas ». Idem hom. de publicano ad cap. 18. Lucæ: « Admoneo te ut assidue confiteare: neque enim te ad theatrum duco conservorum tuorum etc. » Ex his locis evidenter colligitur, Chrysostomum de publica Confessione loqui, cum a confessione hominibus facienda populum dehortatur.

At, inquires, Confessioni, quæ fit hominibus, Chrysostomus opponit Confessionem, quæ fit soli Deo in anima, sive intra conscientiam confitentis, cogitatione, non lingua; igitur excludit omnem confessionem quæ fit hominibus, sive publicam, sive privatam: non enim Confessio privata facta coram Sacerdote, dici potest facta esse in anima, sive intra conscientiam, sive cogitatione, non lingua. Verba ejus hæc sunt hom. 2. in Psalm. 50. « Si confunderis dicere alicui quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. » Homil. de Pœnitentia et Confessione: « Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri: cogitatione fiat delictorum exquisitio: absque teste sit hoc judicium: solus te Deus confitentem videat ». Hom. 31. in epist. ad Hebræos: « Ante Deum confitere peccata tua: apud verum Judicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria ». Homil. 8. de Pœnit. « Non delictorum testes statuas: intus in conscientia, astante nemine, præter eum, qui cuncta videt, Deum, reforma quod deliquisti. »

Respondeo; Chrysostomum in his locis opponere Confessioni publicæ, confessionem, quæ fit soli Deo in conscientia, sine sono verborum: quia non loquitur de Confessione, ut ordinatur ad Absolutionem Sacerdotalem, quæ proprie pars est Sacramenti Pœnitentiæ essentialis, sed de Confessione ut ordinatur ad confusionem et erubescerentiam, quæ pars dici potest Satisfactionis. Illa enim Confessio publica, quam sustulit Nectarius, non erat instituta, ut per eam Sacerdos cognosceret, peccata pœnitentis, et inde recte judicaret, esset ne pœnitens ligandus, vel absolvendus, aut quæ Pœnitentia imponenda esset: sed solum ut pœnitens publica illa confusione accepta, pareret pœnæ, quæ peccatis ejus debebatur, lucret. Porro Chrysostomus recte monet, non esse necessarium ad ejusmodi finem obtinendum, publice, vel etiam privatim confiteri hominibus: sed satis esse, cum dolore et lachrymis confiteri Deo, et sic satisfacere; adjunctis precibus, elemosynis,

jejuniis, aliisque piis, laboriosisque operibus. Quod autem ad alium finem, nimirum, ut Sacerdos noverit morbos pœnitentis, quibus medicinam Pœnitentiæ applicare debet; necessaria sit Confessio, ostendimus supra ex lib. 2. de sacerdotio, ejusdem Chrysostomi, nec non ex testimoniis Basilii, Nysseni, et aliorum Patrum Græcorum, a quibus nullo modo credibile est Chrysostomum dissen- sisse.

Adde quod si Chrysostomus in locis supra citatis, de Confessione respectu cujuscumque finis loqueretur, non solum nobiscum, et cum tota Ecclesia, sed etiam cum adversariis nostris pugnaret. adversarii enim Confessionem saltem aliquorum gravium delictorum coram Ministro utilissimam, vel etiam necessariam esse censent; Chrysostomus autem, confessionem coram hominibus non solum dicit non esse necessariam, sed etiam aperte damnat, ac rejicit: sic enim loquitur hom. 4. de Lazaro; « Cave homini dixeris, ne tibi exprobrat », et hom. 8. de Pœnitentia; « Non reveles ulcus, non delictorum testes statuas ». Quare Chrysostomus solum Confessionem publicam rejicit, ut erat pars quædam Satisfactionis: ex quo sequitur confessionem etiam privatam, non esse necessariam ad illum eundem finem, licet ad alium finem necessariam esse, neque ipse hoc loco neget, et alibi satis aperte confirmet.

## CAPUT XVI.

### *Argumentum IV. Calvinii.*

Post objectionem illam ex Chrysostomo, Calvinus multa disserit in eodem capite, a sectione 9. usque ad 16. de variis Confessionum formis; non pauca etiam more suo, non tam argumentando, quam calumniando, dicit in decretum Concilii Lateranensis. Sectione autem 16. redit ad argumenta, atque objicit verba illa Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* et illa Psal. 37. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* (1), ex quibus locis ita concludit; « Quis suorum peccatorum nunc supputationem cogitet, ubi Davidem videt suorum numerum inire non posse? » Deinde sectione 17. et 18. rem exaggerat

multis verbis, quæ frustra hoc loco adscriberentur: summa est, enumerationem peccatorum esse impossibilem, et idcirco neque a Deo fuisse imperatam, neque ab Ecclesia imperari jure potuisse.

Sed objectio ista, qua etiam utitur Philippus in Confessione Augustana, et cæteri sectarii passim, non modo per se tenuis est, sed etiam ex verbis ejusdem Calvinii eodem in loco positus, apertissime solvitur. Docet enim Calvinus, sectione 18. in Confessione quæ Deo fit, non satis esse, generatim confiteri ac dicere, Peccator sum: sed oportere quantum in nobis est, singula peccata accurate confiteri. Quod idem Catholici omnes docent de Confessione quæ fit Sacerdoti. Neque enim jubent omnia omnino peccata enumerari, sed ea solum, quæ post diligentem excussionem memoriæ occurrunt; diligentem autem excussionem vocant, quam in rebus gravioribus ordinarie homines adhibere solent. Denique id solum jubent, ut peccata omnia, quantum in nobis est (qua phrasi Calvinus utitur in explicanda Confessione quæ Deo fit) enumeremus, dum coram Sacerdote conscientiam nostram aperimus,

Quæcumque igitur Calvinus objicit contra enumerationem peccatorum in Confessione quæ fit homini, eadem objici possunt contra enumerationem peccatorum in Confessione quæ fit Deo. Nam si illa enumeratio est impossibilis, et hæc est impossibilis: si illa est crudelis carnificina, et hæc est crudelis carnificina: si illa facit hypocritas, et hæc facit hypocritas: et contra, si hæc ab his incommodis libera est (ut Calvinus dicere cogitur) quia non est facienda, nisi quantum in nobis est: et illa ab his incommodis libera est, quia non est facienda nisi quantum in nobis est: quemadmodum in Confessione quæ Deo soli fit, post enumerationem eorum, quæ recordamur, addimus: « Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, et, Peccavi super numerum arenæ maris: » et tamen omnium peccatorum indulgentiam expectamus: sic etiam in Confessione, quæ fit homini, vel potius per hominem Deo; post enumerationem eorum quæ recordamur, addimus: « Delicta quis intelligit etc. » et nihilominus integram peccatorum omnium indulgentiam expectamus.

(1) Psal. XVIII, 13; Psal. XXXVII, 5.

## CAPUT XVII.

*Diluitur argumentum V. Calvini.*

Ultima Calvini objectio habetur in eadem sectione 18. ubi ex verbo Dei jactat se demonstrasse, sine Confessione aut ejus voto, posse homines justificari: Non alia, inquit, nunc est peccatorum remissio, quam semper fuit. Quotquot remissionem peccatorum a Christo obtinuisse leguntur, non leguntur in aurem Sacrificuli cujusdam confessi, nec sane confiteri poterant, ubi nec Sacrificuli Confessionarii erant, nec ipsa etiam Confessio: et multis postea sæculis inaudita fuit hæc Confessio, quibus sine hac conditione remittebantur peccata. Sed ne quasi de re dubia longius disceptemus, verbum Dei apertum est, quod æternum manet: Quotiescumque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Huic verbo, qui aliquid audet adjicere, non peccata ligat, sed Domini misericordiam.»

Hæc objectio quatuor quasi membris continetur, quæ singillatim excutienda sunt. Primum assumit Calvinus, non aliam esse nunc remissionem peccatorum, quam semper fuit, et quia Confessio auricularis non semper fuit, inde colligi vult, eam non esse ad justificationem impii necessariam.

Sed si hæc argumentatio aliquid vere concluderet, non solum Confessio, sed etiam Baptismus in discrimen adduceretur: Nam ut Confessio, ita etiam Baptismus non semper fuit, et tamen scriptum legimus Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (1): quæ tempore legis veteris nusquam legebantur. Quare si nunc est remissio peccatorum, quæ semper fuit; aut Baptismus nunc necessarius non est, et Christus (quod absit) mentitur; aut ab initio sæculi, Baptismus ex aqua et Spiritu sancto necessarius fuit, quod nemo sanæ mentis dicere potest. Quemadmodum autem ex Evangelio demonstramus, nunc Baptismum ad remissionem peccatorum requiri, qui in lege veteri non requirebatur; quia scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit etc.* sic etiam ex Evangelio demonstramus, Confessionem peccatorum ad justificationem hoc tempore necessariam esse, quæ tempore Pa-

trum Testamenti veteris necessaria non erat: quia scriptum est Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (2). Quod in lege veteri scriptum non erat.

Deinde assumit Calvinus, eos omnes, quibus Christus peccata dimisit, sine Confessione auriculari justificados fuisse; ex quo concludi vult; nunc etiam sine Confessione auriculari homines justificari posse.

Sed facilis est solutio, eaque triplex. Primum enim quo tempore Christus propriæ vocis ministerio homines justificabat, nondum Sacramentum Confessionis instituerat: proinde nihil est mirum, si absque Confessione poenitentes reconciliavit. Deinde Christus auctor Sacramentorum, a Sacramentis suis non dependebat, et ideo non modo sine Confessione, sed etiam sine Baptismo peccata interdum remittebat.

Denique Christus Deus erat, et ideo peccata contra se, suamque legem facta, simpliciter donare poterat: nos autem ministri sumus, neque ut Domini, sed ut Judices a Domino constituti, vel solvimus, vel ligamus: quare necesse habemus, causas diligenter expendere, et ex ipsa reorum Confessione dijudicare, quid in re tanta sit nobis agendum, ne forte perperam ligemus, aut solvamus, et dum hominibus peccata remittimus, Dominum offendamus.

Tertio Calvinus assumit, multis postea sæculis inauditam fuisse hanc Confessionem.

Sed hoc falsum esse, Calvinus ipse testatus est in hoc eodem capite §. 7. cum ait: «*Mirror qua fronte ausint contendere, Confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini: cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur*». Et quamvis id Calvinus non diceret, testimonia a nobis allata, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, et aliorum, ad quæ Calvinus respexit, cum usum Confessionis, de qua loquimur, vetustissimum esse confessus est, plane evincerent, falsum esse quod hoc loco idem Calvinus ait, multis sæculis post Christum inauditam fuisse hanc Confessionem.

Quarto denique adjungit verba illa: *Quotiescumque ingemuerit peccator omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ex quibus evidenter concludi existimat, sine Confessione aut ejus voto, remitti posse peccata.

Sed hoc argumentum adeo non timuit S.

(1) Joan. III, 3. — (2) Joan. XX, 23.

Leo, ut in eadem epist. 91. ad Theodorum, hunc ipsum locum Ezechielis adduxerit, ubi paulo ante scripserat, Deum ordinasse, ut sine Sacerdotum supplicatione indulgentia divina nequeat obtineri. Et jure non venit in mentem S. Leoni, ut hoc argumentum time- ret, cum non ignoraret neminem esse, qui, ut oportet, ingemiscat, qui non cupiat ea remedia animæ suæ vulneribus applicari, quæ Deus pro temporum varietate instituit. Alioqui si simpliciter gemitus quicumque sufficeret ad salutem, non solum Confessio, sed etiam Baptismus necessarius non esset; addo etiam, sine fide, spe, et charitate ho- mines justificandos; quis enim prohibet, quo- minus ob solum temporale damnum aliquis ingemiscat? Quemadmodum igitur in eo gemitu, cui salus a Deo promittitur, inclu- ditur fides, spes, charitas, peccati detestatio. et propositum vitæ melioris, ita etiam Ba- ptismi aut Confessionis votum ac propositum continetur; et sicut non addit ad verba Do- mini, sed illa congruenter exponit, qui ad justificationem præter gemitum, fidem, spem, charitatem, et alia quæ diximus, exi- git; sic etiam non addit sed exponit, qui præter gemitum, votum Baptismi aut con- fessionis requirit.

## CAPUT XVIII.

### *Diluitur I. objectio Martini Kemnitii.*

Martinus Kemnitiuſ in 2. par. Exam. pag. 976. et sequentibus multa argumenta contra necessitatem Confessionis adducit, quæ cum ex Calvinii Institutionibus fere deprompta sint, dissoluta videri possunt. Percurram nihilominus omnia, ut vel ea solvam, vel jam soluta esse ostendam.

Prima objectio habetur pagina 986. ubi hoc argumentum Kemnitiuſ facit: « Non aliter Christus Apostolos misit, quam ipse mis- sus fuerat. Joan. XX. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). » At ipse ad generalem confessionem, vel ore, vel signis aliis expres- sam, Absolutionem impertiebatur, neque singulorum peccatorum enumerationem exi- gebat, ut patet Luc. 7. de peccatrice, et Matth. 9. de paralytico: non igitur debent

Ministri a pœnitentibus exigere singulorum peccatorum enumerationem. »

Respondeo: verba illa: *Sicut misit me Pa- ter, et ego mitto vos*, non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli om- nia facere, quo a Christo ipso fiebant: alio- qui enim non debuissent, Auctor. II, Apo- stoli baptizare in remissionem peccatorum, quia Christus sine Baptismo peccata remisit Magdalenæ, et paralytico; nec debuissent Act. 8. per impositionem manuum Spiritum sanctum dare, quia Christus non manus im- ponendo, sed insufflando Spiritum sanctum dedit, Joan. 20.

Igitur misit Christus Apostolos, sicut ipse missus fuerat a Patre: quia potestatem eis dedit ligandi, et solvendi, ut ipse a Patre acceperat: quæ est Chrysostomi expositio. Sed tamen accepit ipse ut Filius, et proinde talem, ac tantam, ut posset etiam sine Sa- cramentis justificare: dedit autem eam Apostolis, ut ministris, ac servis, ac per hoc longe minorem, et Sacramentis, aliisque me- diis a se institutis alligatam.

Misit etiam Christus Apostolos, ut ipse a Patre missus fuerat, quia ad id eos misit, ad quod ipse fuerat missus, videlicet ad re- conciliandos homines Deo, ad Evangelium prædicandum, ad Ecclesiam propagandam; quæ est expositio Cyrilli.

Denique misit Christus Apostolos, ut ipse a Patre missus fuerat, quia misit eos, non ad delicias, sed ad crucem, licet vehementer amaret: quemadmodum ipse a Patre infi- nito amore diligebatur, et tamen ad passio- nem, et mortem, non ad mundi gaudia mit- tebatur: quæ est explicatio S. Gregorii homil. 26. in Evangelia.

## CAPUT XIX.

### *Diluitur II. objectio Kemnitii.*

Secunda objectio Kemnitii habetur pag. 1007. usque ad pag. 1014. ubi argumen- tum ducit ex historia Nectarii, cujus hæc summa: « Confessio publica abrogata fuit, et mutata in privatam ab Episcopis, tem- pore Decii imperatoris, et postea. Confessio autem privata abrogata fuit tempore Necta-

(1) Joan. XX, 21.

rii : igitur nec publica, nec privata Confessio necessaria est jure divino; neque enim sancti illi Patres jus divinum tollere ausi fuissent. »

Confirmat etiam hoc argumentum Kemnitius ex historia Socratis lib. 5. cap. 19. ubi legimus mulierem quamdam confessam esse Presbytero pœnitentiario *κατὰ μέρους*, id est, ex parte : ex quo sequitur, non fuisse tunc necessarium, confiteri omnia peccata integre jure divino. Confirmat rursus ex eadem historia, ubi legimus, unum fuisse Presbyterum pœnitentiarum in Ecclesia Constantinopolitana. Hinc enim colligimus, non fuisse necessarium eo tempore, ut singuli peccata omnia confiterentur; neque enim in tam ampla urbe, ubi erant 60. Presbyteri, tempore Justiniani, potuisset unus presbyter, tot ac tam longas Confessiones audire.

Respondeo; totum hoc argumentum ex imperitia coagmentatum esse. Nam quod primo loco Kemnitius dicit, Confessionem publicam abrogatam fuisse tempore Decii ab Episcopis, falsum est, et ex ignorantia manifesta profectum. Nam quod Sozomenus scripsit juxta fidem Cassiodori in hist. Tripartita, lib. 9. cap. 35. visum esse sacerdotibus ab initio, ut peccata tamquam in theatro panderentur : refert Kemnitius ad ea tempora, quæ Novatianam hæresim, et imperium Decii præcesserunt. Deinde, vult istam constitutionem de publica Confessione faciendam abrogatam fuisse ab Episcopis, qui fuerunt tempore hæresis Novatianæ, Decio imperante : et hanc esse appendicem illam, de qua loquitur Socrates.

Sed toto cœlo aberrat. Sozomenus enim cum dicit (juxta fidem Cassiodori) visum esse Episcopis, qui ab initio fuerunt, ut peccata tamquam in theatro panderentur, loquitur de constitutione facta tempore Novatianæ hæresis; non de aliqua alia priore : et hæc ipsa constitutio, non autem hujus constitutionis abrogatio, est appendix, de qua loquitur Socrates; proinde tantum abest, ut tempore Decii fuerit abrogata Confessio publica, ut potius tunc primum fuerit ab Episcopis imperata.

Id autem ita esse probatur primo. Si Episcopi tempore Decii abrogassent Confessionem publicam, et solum privatam retineri voluissent, ut Kemnitius dicit, illa non fuisset appendix, sive additio ad veterem canonem, sed potius detractio, sive abrogatio veteris canonis. At vera fuit additio atque

appendix, teste Socrate, ut eam etiam vocat Kemnitius, quam Episcopi tempore Decii fecerunt: ergo non abrogarunt Confessionem publicam, sed eam potius addiderunt ad privatam.

Secundo si tempore Decii abrogata fuisset Confessio publica, non potuisset accidere scandalum tempore Nectarii ex Confessione, neque ulla fuisset causa cur Nectarius Presbyterum pœnitentiarum de Ecclesia tolleret: constat enim ex Socrate, scandalum illud ex publica Confessione mulieris natum esse.

Tertio, Sozomenus scribit, ab illis ipsis Episcopis constitutum fuisse Presbyterum pœnitentiarum, qui decreverant, peccata quasi in theatro publice esse pandenda. Sed Presbyterum pœnitentiarum constitutum fuisse tempore Decii, scribit Socrates : ergo decretum illud de Confessione publice faciendam, ab Episcopis illis editum est, qui fuerunt tempore Decii, non autem ab antiquioribus, ut Kemnitius, somniat.

Neque obstat, quod Sozomenus dicat, decretum, illud factum esse ab Episcopis, qui ab initio fuerunt : Nam qui fuerunt tempore Decii, dicuntur fuisse ab initio, quia proximi fuerunt temporibus Apostolicis, et multa antiquiores erant, quam esset Nectarius, qui decretum illorum sustulit, aut Sozomenus, qui sublatum retulit.

Quarto, Sozomenus scribit, decretum Episcoporum, qui ab initio fuerunt, quique Presbyterum pœnitentiarum constituerunt, a Nectario abrogatum fuisse. Constat autem ex Socrate, a Nectario abrogatum decretum Episcoporum, qui tempore Decii Ecclesias gubernabant : iidem igitur sunt Episcopi, qui ab initio apud Sozomenum, et qui tempore Decii apud Socratem fuisse dicuntur. Quare appendix, de qua loquitur Socrates, est ipsa constitutio, de qua loquitur Sozomenus, non autem ejus abrogatio, ut sine ulla causa fingit Kemnitius.

Porro hoc fundamento everso, ruit ædificium totum argumenti Kemnitiani. Nam quod secundo loco Kemnitius affirmat, Confessionem privatam abrogatam fuisse a Nectario, falso nititur fundamento, quod videlicet appendix ad veterem canonem, quam Nectarius sustulit, fuerit mutatio Confessionis publicæ in privatam. Præterea cap. 14, demonstravimus contra Calvinum, Confessionem publicam, non autem privatam, a Nectario abrogatam fuisse.

Quod etiam Kemnitius dicit in Confirmatione prima; mulierem quamdam confessam esse ex parte, non autem integre: ex perversa interpretatione græcæ vocis natum est: illud enim κατὰ μέρος, non significat hoc loco, ex parte, sed particulatim, ut reddidit Joannes Christophorus, omnium iudicio Græcæ linguæ peritissimus. Ex quo intelligimus, foeminam illam confessam ille in particulari omnia peccata, ut Catholici faciunt, non autem generatim, ut faciunt Lutherani.

Quod denique in 2. confirmatione Kemnitius addit, non potuisse tot Confessiones ab uno Presbytero audiri, jam supra explicitum est in solutione 2. objectionis Calvinii cap. 14 ubi ostendimus, Presbyterum illum, non omnium pœnitentium Confessiones audire debuisse, sed eorum tantum, qui publicam Pœnitentiam agebant.

## CAPUT XX.

### *Diluitur III. objectio Kemnitii, et simul objectiones Brentii.*

Tertia objectio Kemnitii, quæ habetur pag. 1019. sumitur a testimoniis Patrum: ac præter loca quædam S. Joannis Chrysostomi, ad quæ responsum est supra cap. 14. adducit primo Cassianum, qui collat. 20. cap. 8. sic loquitur: « Quod si verecundia retrahente revelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt confiteri jugi supplicatione non desinas, qui et absque ullius verecundiæ publicatione curare, et sine improprio peccata donare consuevit. »

Sed non potest dubium esse, quin Cassianus doctorem suum Chrysostomum secutus sit, et ideo in eundem sensum hæc ejus verba accipienda sint, in quem accipienda esse demonstravimus verba Chrysostomi cap. 15. quamquam Cassiani verba facilius explicentur, cum nihil adjunctum habeant, unde excludi videatur Confessio privata. Quod enim ille dicit in numero multitudinis: « Si revelare coram hominibus erubescis, » ad Confessionem publicam pertinet, quæ coram multis fieri solebat: quod autem addit, Deo esse confitendum, commode accipi potest de Confessione, quæ fit Deo per sacerdotem. Nam circumstantiæ illæ; « Qui

et absque verecundiæ publicatione, et absque improprio peccata donare consuevit, » satis aperte indicant, Confessionem illam notari ex qua publicatio, et improprium sequebatur: quæ duo longe absunt a Confessione secreta, quæ fit uni soli, ut locum Dei tenet.

Secundo loco adducit Origenem, qui homil. 2. in Levit. enmerat varios modos, quibus peccata purgantur, et inter eos ponit Confessionem, quæ fit sacerdoti: ex quo sequitur, ut licet Confessio peccatorum sacerdoti facta, sit utilis, non sit tamen necessaria.

Sed facilis est responsio. Modi siquidem illi, quos eo loco ponit Origenes, non sunt omnes et singuli per se sufficientes ad peccati remissionem, sed plerique eorum includunt alios, saltem in voto: hi sunt enim modi, quos ille enumerat: « Baptismus, Martyrium, Eleemosyna, Injuriarum condonatio, Conversio peccatoris, Charitas, et Pœnitentia, sive Confessio. » Certum autem est, solam Eleemosynam, aut injuriæ condonationem, aut cætera, quæ ibi enumerantur sine Baptismo in re vel in voto, non sufficere ad justificationem, licet suo modo juvent: et quemadmodum non baptizatis illa non sufficiunt sine Baptismo, ita etiam baptizatis illa non sufficiunt sine Confessione, in re, vel in voto. Denique observent Lutherani, inter tot modos ab Origene numeratos, nullum locum fidei esse tributum, cui soli tribuere solent ipsi justificationem: ex quo admittere vel inviti coguntur, nullum eorum modorum per se solum sufficere.

Huc referri possunt duo alia testimonia Patrum, quæ omissa sunt a Kemnitio, sed citata a Brentio in Confessione Wirtembergensi cap. de Confessione.

Primum testimonium est Augustini lib. x. Confess. cap. 3. ubi sic legimus: « Quid mihi est cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos: curiosum genus ad cognoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendam suam? »

Sed hoc nihil est aliud, nisi simplicibus imponere: nemo enim libros illos legit, qui nesciat, Confessionem, de qua loquitur Augustinus, non esse Confessionem Sacramentalem, sed confessionem peccatorum præteritorum, ac per Baptismum dimissorum, ad finem institutam, ut inde cognoscatur et laudetur misericordia Dei.

Alterum testimonium est Ambrosii lib. x. in Luc. cap. 96. ubi sic legimus : « Petrus doluit, et flevit, quia ut homo erravit, non invenio quid dixerit, invenio quod flevit, lacrymas ejus lego, Satisfactionem non lego. » Et infra : « Lavent lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. »

Respondeo primum, eo tempore nondum institutam fuisse Confessionem sacramentalem, ac per hoc nihil esse mirum, si Petri confessio non legatur. Dico deinde S. Ambrosium loqui de lacrymis, quæ Confessionem quamdam continent, ut cum quis convictus erroris ab alio, non voce, sed lacrymis fatetur errorem. Sic enim S. Petrus, cum sciret Christo notum fuisse crimen suum, non voce, sed lacrymis confessus est : id quod omnino sufficit in Confessione, quæ fit Deo, qui omnia novit. Quod autem S. Ambrosius in lacrymis B. Petri confessionem agnoverit, perspicuum est ex illis verbis : « Maluit Petrus suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando. Justus enim in principio accusator est sui : et ideo flevit. » Item ex illis : « Verecundæ lacrymæ sine horrore culpam loquuntur : lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ fatentur. » Quæ omnia accipienda sunt de Confessione quæ fit Deo, aut etiam homini, qui crimen antea noverit.

## CAPUT XXI.

### *Solvitur IV. objectio Kemnitii.*

Quarta Kemnitii objectio habetur pag. 1024. ubi sex causæ numerantur, ob quas Lutherani rejecerunt Confessionem, in qua enumerantur omnia peccata : « Hæc est, inquit, vetus illa carnificina conscientiarum, quam gladio Spiritus Ecclesiæ nostræ excuserunt, propter multas gravissimas causas, Primo, quia imponitur conscientis, cum nec Christi, nec Apostolorum, vel præceptum, vel exemplum habeat. Secundo, nullam in verbo Dei promissionem habet. Tertio, Evangelium transformat in legem : statuit enim remissionem pendere ex enumeratione. Quarto, gratuita condonationi substituit meritum enumerationis, et Satisfactionis. Confessionem meri-

toriam esse ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, paradisi apertionem, et salutis fiduciam, Scholastici expresse tradunt. Quinto, conscientiam adducit in dubitationem, et desperationem, scrupulosa illa enumeratione : videns enim se non posse omnia delicta colligere, nunquam acquiescit ; dubitatio vero extinguit, fidem. Sexto, exigit rem impossibilem, constat enim plurima peccata nos, intelligere, nec meminisse, juxta illud, Delicta quis intelligit. »

Respondeo ; tam esse veras istas causas, quam est elegans illa sententia, qua dicitur, carnificina gladio excuti. Ac primam quidem causam falsam esse, cognosci potest ex iis, quæ supra a nobis disputata sunt, ubi ex Evangelio, ex Actis Apostolorum et ex epistolis Pauli, Joannis et Jacobi, Confessionem deduximus omnium peccatorum.

Secundam causam falsam esse, testantur illa verba Domini Joan. xx : *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (1). Neque enim (ut supra docuimus) scire possunt Sacerdotes, quæ peccata remittere, et quæ retinere eos oporteat, nisi peccata ipsa plene atque integre noverint. Item illa I. Jo. i : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra* (2).

Tertia causa calumniam manifestam, ac mendacium continet. Neque enim ita pendere remissionem ab enumeratione, Catholici docent, ut nisi quis omnia peccata enumerare potuerit, reconciliari nequeat : siquidem facile potest accidere, ut vel propter oblivionem, vel propter ignorantiam, vix minimam partem suorum criminum quis aperiat, et tamen absolvitur, et vere absolutus creditur ab omnibus peccatis.

Neque vero Evangelium in legem convertit, quicumque conditionem alicujus operis exigit ad justificationem, nisi totum Evangelium negare velimus. Quid enim sonant verba illa : *Nisi quis renatus fuerit etc.* Joan. III. et, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis etc.* Joan. VI. et, *Nisi Pœnitentiam habueritis etc.* Luc. XIII. et, *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*, Matth. XIX (3), et alia permulta, nisi conditionem ? Deinde si Evangelium in legem converteret, quicumque diceret remissionem peccatorum, pendere aliquo modo ab enumeratione, quæ fit in Confessione coram Sacerdote, in eundem errorem

(1) Joan. XX, 23. — (2) I Joan. I, 9. — (3) Joan. III, 5 ; Joan, VI, 54 ; Luc. XXIII, 3 ; Matth. XIX, 17.

incideret, qui diceret, remissionem pendere ab enumeratione, quæ fit in confessione coram Deo. At hoc ipsum, ex doctrina veterum Patrum, disertis verbis affirmat Kemnitiu pag. 982. ubi sic loquitur : « Dicunt Patres peccata confessione revelanda, in specie expendenda, curiosius discutienda, explicanda, detegenda, enumeranda : dicunt peccata solvi per Confessionem ; impossibile esse salvari citra Confessionem. Sed Chrysostomus addit interpretationem ; hæc intelligenda esse non de externa Confessione homini facienda, sed de interiori, quæ fit Deo. » Hæc ille.

Non disputo nunc, an sententiæ Patrum patiantur interpretationem istam, et num ad eam solam Confessionem pertineant, quæ Deo fit : sed tamen nemo, opinor, tam excors erit, qui non videat Kemnitium ex sententia Patrum id admittere, quod paulo post in Catholicis reprehendit, nimirum remissionem ab enumeratione pendere.

Quarta causa similis est tertiæ. Scholastici enim Doctores tradunt quidem, multum conferre tum Confessionem, tum Satisfactionem ad salutem ; sed nec dicunt, per Confessionem nos mereri remissionem peccatorum, nisi forte ex congruo, nec substituunt meritum enumerationis gratuitæ condonationi : hæc enim mendacia Kemnitii, non Theologorum sententiæ sunt.

Porro encomia Confessionis longe majora extant apud Patres, quam apud ullos Scholasticos, ut mirum sit, Kemnitium ea in Scholasticis reprehendere, quæ negare non potest, multo uberius in antiquis Patribus inveniri. Ac ut pauca exempli gratia referam : S. Ambrosii est illa sententia lib. II. de Pœnitentia cap. 6 : « Solvit criminum nexus verecunda confessio peccatorum. » S. Paciani verba sunt, in Parænesi ad Pœnitentiam : « Gehennam recordemini, quam

vobis exomologesis extinguit. » S. Joannis Chrysostomi est illud homil. 20. in Genes : « Confessio peccatorum abolitio est delictorum, » qui etiam hom. 5. in Gen. antea dixerat, Confessione peccata lavari, et fiduciam salutis in fine præberi.

Ac (ut omittam cætera) nonne ipse Kemnitiu paulo ante ex Patribus annotavit, peccata solvi per Confessionem, et impossibile esse sine Confessione salvari ? Neque refert, quod Patrum sententias Kemnitiu intelligendas esse velit, de Confessione, quæ fit Deo. Nam si gratuitæ condonationi repugnaret virtus et efficacia, quam tribuunt Scholastici Confessioni, quæ fit Sacerdoti ; repugnaret etiam virtus et efficacia, quam tribuunt Patres Confessioni, quæ fit Deo : utraque enim Confessio est opus nostrum.

Quinta et sexta causa, quod illa enumeratio sit impossibilis, et ad desperationem adducat, jam supra refutatae sunt, et rursus ex ipso Kemnitio refutari possunt. Nam si enumeratio in Confessione, quæ coram Sacerdote faciendâ est, in desperationem adducit, et impossibilis est, idem profecto dici poterit de enumeratione in Confessione coram Deo, vel potius longe facilius desperabunt, qui coram Deo, qui falli nullo modo potest, omnia peccata enumerare debebunt quam ii, qui coram hominibus id facturi erunt.

Admisit autem Kemnitiu pagina 982. peccata coram Deo in specie explicanda, enumeranda et confitenda esse, et citra istam Confessionem impossibile esse hominem salvari. Quare necessario jam cogitur, aut carnificinam illam, quam gladio spiritus excussisse jactaverat, amplecti, ac tueri : aut certe concedere, enumerationem, quam Catholici exigunt, neque impossibilem esse, neque ad desperationem adducere, neque carnificinam nominari posse.



## CONTROVERSIARUM

# DE PŒNITENTIA

## LIBER QUARTUS

### IN QUO DE SATISFACTIONE AGITUR.

Restat Satisfactio, quæ tertia est Pœnitentiæ pars, de qua breviter disseremus, tum quod hæc disputatio fere pertineat ad locum de Justificatione, quem tomo 4. reservamus; tum quod Adversarii Catholicorum disputationibus eruditi, aut convicti, multa jam concedant, quod attinet ad Satisfactionem, de quibus acerrime antea dimicabant.

Porro universa hæc disputatio tribus partibus continetur. *Primum* enim explicandus est controversiæ status. *Deinde* quoniam statu controversiæ explicato, quinque existent quæstiones, tractandæ erunt singulæ seorsum. *Postremo* dissolvenda erunt argumenta, quæ ab adversariis afferuntur.

### CAPUT PRIMUM.

#### *Status controversiæ explicatur.*

Ut igitur controversia de Satisfactione intelligatur, animadvertendum est, Satisfactionem nihil esse aliud, nisi actionem, qua is qui alternum læsit, tantum facit, quantum satis est ad injuriam compensandam; sive quantum is qui læsus est, juste exigit.

Ex quo sequitur, ut non sit idem Restitutio, quod Satisfactio. Restituere enim, est cessare ab injuria, non injuriam factam resarcire: nam qui rem alienam invito Domino retinet, tamdiu facit injuriam, donec rem illam non reddit. Adhæc restitutio respicit damnum reipsa illatum: Satisfactio personam injuria affectam, etiamsi illa dam-

num nullum acceperit. Quocirca Deo nihil restitui potest, cum ipse damnum nullum patiatur: potest tamen eidem satisfieri, cum injuria a nobis afficitur. Itaque restitutio in rebus Satisfactio in actionibus versatur: et restaurat justitiam restitutio quoad æqualitatem rerum, ut cum ea quæ furto ablata sunt redduntur: restaurat Satisfactio justitiam quoad æqualitatem actionum, ut cum is qui alium contumelia affecerat, ab eo veniam petit.

Quemadmodum autem justitia, quæ in actionibus versatur, duplex est; ita duplex etiam est Satisfactio. Alia justitia est, quæ versatur in absoluta, et perfecta æqualitate; ut cum tantum honoris unus alteri tribuit, quantum ejus dignitas absolute exigit. Alia est justitia, quæ non consistit in perfecta, et absoluta æqualitate sed in æqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptance alterius pendet; veluti cum quis eum

honorem principi defert, quem is sibi deferri lege mandavit, licet is honor inferior sit principis dignitate.

Ita Satisfactio aliquando sit ad absolutam, et perfectam æqualitatem; ut cum actio contumeliosa inter duos homines æquales recompensatur per aliam contrariam, tantum habentem honoris, quantum alia habuerat contumeliæ. Aliquando autem fit ad æqualitatem imperfectam; ut cum is, qui pertulit jacturam decem millium aureorum, satisfieri sibi patitur cessione omnium bonorum, licet ea bona ad summam tot millium non perveniant.

Jam igitur inter omnes convenit, inter Deum et homines non posse esse justitiam illam perfectam, et absolutam: proinde nec Satisfactionem. Quidquid enim sumus, Dei sumus: quidquid habemus, a Deo habemus; cum in eum peccamus, infinitum bonum, quod in nobis est, lædimus, quidquid autem nos habemus, et sumus, exiguum est, ac finitum. Quare nisi aliqua acceptatio aut donatio intercedat, nemo potest illi pro peccatis in eum admissis satisfacere; neque de hac re ulla controversia esse potest, cum etiam ethnici philosophi intellexerint et scripserint, Deo non posse ab hominibus paria reddi. Tota igitur controversia est: Utrum saltem imperfecta illa Satisfactio, quæ acceptatione, et donatione ejus nititur, locum habeat in Sacramento Pœnitentiæ.

Rursus animadvertendum est, Satisfactione compensandam esse in æqualitatem, quæ non solum justitiæ, sed etiam amicitiae contraria est, ut S. Thomas recte docet in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 3; quemadmodum enim qui alterum lædit, justitiam simul, et amicitiam violat, ita qui satisfacit, et justitiam et amicitiam restaurare, ac redintegrare debet. Et quamvis una actione possit aliquando justitiæ simul, et amicitiae satisfieri, tamen sæpe contingit, ut una actio solam justitiam aut solam amicitiam restituet.

Si quis a judice comprehensus, tantum pœnæ subire cogatur invitus, quantum ipse injuriæ in alium intulit, satisfiet sine dubio supplicio illo justitiæ, nec tamen inter eos amicitia reformabitur, quæ inter invitos esse non potest. Contra autem, si quis ita graviter aliquem læserit, ut non possit, nisi longo tempore, injuriam compensare, is quidem poterit humili prece continuo veniam petere, atque in gratiam ejus redire quem læserat;

deinde tamen suo tempore pro injuria integre satisfacere tenebitur.

Jam igitur cum homines peccant in Deum, amicitiam simul, et justitiam violant, ut notum est. Ac pro amicitia quidem reformanda, non potest homo Deo satisfacere: nam, ut supra diximus, satisfactio hominis erga Deum, acceptatione ipsius Dei necessario indiget; acceptatio autem amicitiam præsupponit. Et præterea ut satisfactio sit aliquo modo ad æqualitatem, oportet ut sicut offensio habuit infinitatem quamdam ex parte objecti: sic habeat satisfactio infinitatem aliquam ex parte principii satisfaciens; proinde requiritur, ut opera satisfactoria fiant a Spiritu Dei hominem inhabitante, sive ab ipso homine ut membro Christi, ac filio Dei jam per gratiam et charitatem effecto. Non igitur fieri potest, ut pro instauranda amicitia cum Deo, homines satisfaciant: et hoc est quod Theologi communiter docent, Satisfactionem non offerri Deo, neque exigi ab hominibus pro culpa; gratis enim nos a culpa justificat Deus, gratis amicitiam suam nobis restituit.

Quod si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico amicum reddant, atque adeo pro expianda culpa satisfaciant interpretandi sunt de Satisfactione ex congruo, non ex condigno, ut libro superiore diximus, de vi, et merito Contritionis.

Docet quidem Ruardus Tapperus, insignis Theologus in explicatione art. 6. Lovaniensium, posse hominem satisfacere Deo pro culpa, et pœna æterna, per actus quosdam, qui ordine naturæ sequantur gratiæ gratum facientis infusionem, et præcedant remissionem peccatorum; et in eadem sententiam citat S. Thomam in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. sed neque necesse est nunc de his subtilitatibus disputare, neque certo constat an S. Thomas id voluerit; satis nobis est hoc loco, Doctores omnes in eo convenire, ut non possit ullus ante gratiam gratum facientem adeptam, Deo satisfacere: in quo ne Hæretici quidem nobis adversantur.

Quod etiam Andreas Vega lib. XIII. in Concilio Trident. cap. 36. contendit satisfieri pro culpa, non repugnat, iis, quæ diximus. Neque enim vult ille, satisfieri posse pro culpa, quatenus ea inducit inimicitiam cum Deo, sed solum quatenus eam sequitur reatus pœnæ: quare quæstio solum est de nomine.

Restat igitur controversia solum de Satisfactione, qua justitiæ restauretur æqualitas: restituta siquidem amicitia per gratuitam Dei misericordiam, et per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Posset quidem Deus universum pœnæ debitum condonare, ut certum est eum facere, cum primum per Baptismum nos in filios recipit, vel cum martyrium pro nomine ejus subimus: sed potest etiam id velle, ut cum peccamus post Baptismum, amicitia quidem gratis pœnitentibus, et confitentibus peccata sua, restituatur; sed maneat tamen debitum luendæ pœnæ, quo justitiæ satisfiat. Quæstio igitur est, An velit Deus, ut peccantibus post Baptismum, remissa culpa, remaneat debitum luendæ pœnæ, an non: atque hoc est primum, in quo Catholici ab Hæreticis dissident.

Quod si probatum fuerit, ut paulo post, Domino bene juvante fiet, remissa culpa non semper remitti debitum pœnæ, existet alia quæstio: An debitum illud pœnæ, post culpæ remissionem manens, possit per opera bona redimi. Nam (ut recte explicat Card. Cajetan. in tract. De contritione quæst. 4.) pœna illa quæ luenda restat post culpæ remissionem, est illa ipsa pœna sensus, quam in gehenna pati debuisse peccator, remota solum æternitate. Tria enim complectitur pœna gehennæ: pœnam damni, pœnam sensus et utriusque pœnæ æternitatem; quorum primum respondet aversioni a Deo. Secundum, conversioni inordinatæ ad creaturas. Tertium inimicitiae cum sempiterno, et infinito Rege. Ex his autem tribus malis quæ sunt in gehenna; a primo et tertio liberantur continuo, qui ad amicitiam Dei, et ejus gratiam redeunt: solum autem remanet malum illud secundum, debitum videlicet pœnæ sensus, ad tempus luendæ.

Et quoniam posset Deus velle, ut ea pœna necessario lueretur post hanc vitam, posset etiam admittere redemptionem ejus pœnæ per opera laboriosa hujus vitæ; et quid re ipsa Deus velit, non convenit nobis cum adversariis: propterea nascitur secunda quæstio, An satisfacere possint homines, pro expiando reatu illius pœnæ, qui interdum remanet post remissionem culpæ.

Postquam autem demonstratum fuerit, posse pœnam illam temporalem futuræ vitæ, quæ proprie debetur peccato, per opera laboriosa hujus vitæ redimi: nascetur quæstio tertia, An opera laboriosa, quibus pœna peccati redimitur, tum sponte assumenda

siut, tum etiam per Sacerdotes in Sacramento Pœnitentiæ injungenda: nam in hoc etiam articulo, non parum ab adversariis dissidemus.

Tum succedet quarta, Quibus potissimum operibus pro reatu pœnæ Domino satisfiat.

Ac demum quinta et postrema. Utrum ista opera sint dicenda proprie satisfactoria, ita ut nos dicamur vere ac proprie Domino satisfacere.

## CAPUT II.

*Quod sæpe remissa culpa, maneat debitum luendæ pœnæ.*

Prima igitur controversia est, An remissa culpa, remaneat aliquando reatus pœnæ temporalis. Adversarii partim inter se conveniunt, partim dissident. Conveniunt enim de reatu pœnæ alterius vitæ, nullum ejusmodi reatum remanere, eaque de causa omnes communi consensu purgatorium, et suffragia, atque Indulgentias pro defunctis negant: dissident autem de pœnis hujus vitæ.

Lutherus enim initio suæ novæ doctrinæ, negabat ullam pœnam a Deo exigi post culpam, ut cognosci potest ex concione de Indulgentiis, quam habuit anno 1518. et ex Astericis, quos opposuit Eckii obeliscis, ad initium secundi asterisci. Deinde tamen idem Lutherus, admisit reatum pœnæ temporalis in hac vita, post culpam remissam, ut patet ex assertione articulorum suorum art. 5.

Porro priorem Lutheri sententiam secutus est Joan. Calvinus lib. III. Instit. cap. 4. §. 31. et 32. ubi docet Deum a justis nullas expectere pœnas in vindictam peccati præteriti, sed eos tantum paterne castigare ad profectum, et emendationem in posterum. Sententiam posteriorem secuti sunt multi ex Lutheri discipulis, ac præcipue Philippus in locis ultimo editis, tit. de Satisfactione, et Kemnitius in 2. par. Exam. Trident. Conc. pag. 1074.

Catholici autem summo consensu docent, post remissam culpam sæpe remanere reatum pœnæ temporalis, ut ex Concil. Trid. constat, sess. 6. cap. 14. et sess. 14. cap. 12. pœnam autem temporalem intelligunt, tum in alia vita, tum etiam in præsentem: sed

pœna alterius vitæ, proprie peccatis omnibus, et ex condigno debetur; pœna autem hujus vitæ, solum ex congruo (ut sic loquamur) certis peccatis a Deo infligi solet. Et quoniam de pœna futuræ vitæ, satis multa diximus in primo libro de Purgatorio, nunc de pœna hujus vitæ breviter dicemus.

Igitur de pœna temporali hujus vitæ, extant in divinis litteris varia testimonia, ex quibus ea primo loco excutienda sunt, quæ contra se Calvinus adduxit.

Primum igitur testimonium est, II Regnum XII. ubi David post impetratam veniam adulterii, atque homicidii, punitus est morte filii.

Secundum est II Reg. cap. XXIV. ubi idem David ob numeratum populum Pœnitentiam agit, et a Deo in gratiam recipitur: et tamen post remissam culpam, datur illi optio ut eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut pestem.

Ad hæc duo loca respondet Calvinus lib. III Instit. cap. 4. §. 31. et 35. pœnas istas non fuisse a Deo Davidi impositas in vindictam peccati præteriti; sed in admonitionem cavendi de cætero; esseque ejusmodi flagella, correptiones paternas, non iudicis ultiones: et in hac re citat Chrysostomum in hom. de Pœnitentia et Confessione, qui sic ait: « Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis sumens supplicium sed ad futura nos corrigens. »

At frustra nititur Calvinus. Nam in primis II Regum XII. Scriptura ipsa causam referens mortis filii David, non ait: caveas in futurum; sed: « quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. » Ubi videmus, pœnam Davidi inflictam, referri ad præteritum potius, quam ad futurum; quod expresse negabat Calvinus, cum diceret loco citato §. 33: « Ferulis verberantur filii, non ut mulctam delictorum persolvant, sed ut inde ad resipiscentiam proficiant: proinde in futurum eas potius, quam in præteritum tempus respicere intelligimus. »

Deinde nemo melius potest intelligere, quæ de causa Deus pœnam illam injunxerit Davidi: quam ipsemet David. David autem intellexit sibi injunctam fuisse propter peccatum præteritum, non ad cavenda futura: id quod testantur lacrymæ, jejunium, humi cubatio, et cætera, quibus mortem filii aver-

tere conabatur. Neque enim pœnam sibi utilem ad cavenda futura, et ad hunc solum finem inflictam, deprecatus fuisset vir sanctus sed quia intelligebat, luendam sibi fuisse pœnam ob peccatum præteritum, per aliam viam Deo satisfacere cupiebat.

Præterea S. Gregorius lib. IX. Moral. cap. 27. disertis verbis scribit, Davidem punitum fuisse ob peccatum præteritum, quamvis remissum quoad culpam: quia Dominus delictum sine ultione non deserit.

Adhæc multa sunt alia Scripturæ testimonia, quæ indicant, mortem ipsam sæpe infligi in pœnam peccati, etiam post culpam remissam: ridiculum autem esset dicere morte puniri homines, ut deinceps cautius vivant; proinde ad ea testimonia nullo modo applicari potest Calvinus responsio.

Primum testimonium est Gen. II.: *Quicumque die comederis, morte morieris.* Et Rom. V.: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (1). Neque adversarii negant, mortem esse pœnam peccati originalis; quam multi autem moriuntur, quibus peccatum originale remissum est?

Quod si forte Calvinus dicat, mortem esse non nunquam exercitationem virtutis, ut S. Augustinus recte docet lib. II. de peccatorum meritis et remission. cap. 34. quem locum Calvinus adducit: quid dicemus de parvulis, qui post Baptismum repente moriuntur? Nam sine dubio peccatum illis originale per Baptismum dimissum est, neque ejus ætatis sunt, ut virtutes exercere possint, et tamen in pœnam peccati ante legitimum tempus rapiuntur: neque solum mors, sed etiam morbi, et dolores, quibus iidem parvuli non raro torquentur, sunt pœnæ peccati originalis, neque ullo modo eis ad cavenda futura proficiunt.

Deinde etiamsi quibusdam mors interdum virtutis materia esse possit, tamen non ideo desinit esse pœna peccati: cujus signum est, quod non aliqui tantum, sed omnes omnino moriuntur, etiamsi aliqui justis sint, et nullam in morte virtutem exercere valeant ut qui repentina morte rapiuntur. Quocirca idem Augustinus lib. XIII. de Civit. Dei cap. 6. mortem, et peccati pœnam, et exercitium virtutis simul esse dicit: « Cum, inquit, exprimi hominis perpetuata propagine, procul-

(1) Gen. II, 17; Rom. V, 12.

dubio sit mors pœna nascentis, tamen si pro pietate, justitiaque pendatur, sit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato. »

Alterum testimonium est Exod. 32, ubi sine discrimine multa hominum millia interfecta sunt, propter peccatum adorati vituli: nec tamen credibile est, omnes illos in peccato mortuos esse, cum Dominus testatus sit, se ob Moysi preces peccatum illud dimisisse.

Tertium est Num. 14. ubi populus universus murmuravit, ac deinde ad Moysis intercessionem, reconciliatus est Deus Israeli, et tamen in pœnam criminis illius, omnes omnino Hebræi qui numerati fuerant, mortui sunt in deserto, exceptis Caleb et Josue, qui non murmuraverant. Ac præterquam quod (ut diximus) pœna mortis non infligitur ad emendationem in futurum, Deus ipse testatur eo loco, eam pœnam in ultionem scelestis a populo se exigere: « et scietis, inquit, ultionem meam. »

Quartum est Num. 20, ubi Moyses, et Aaron, quia non glorificaverunt Deum ad petram, ea pœna damnantur, ut moriantur in deserto: et de Aaron in eodem capite loquitur Scriptura: « Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. » Et continuo describitur mors ejus. De Moyse autem sic legimus Deuteronom. XXXII: *Ascende in montem istum Abarim, in montem Nebo, et morere in monte: quem conscendens, jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus, et appositus populis suis; quia pravariicati estis contra me, etc.* (1). Nemo est autem qui neget Moysem et Aaronem post peccatum illud in gratiam Dei rediisse: mansit igitur pœna luenda post culpam remissam.

Quintum est I Cor. XI. ubi Apostolus scribit, multos eorum qui indigne communicabant Sacramento corporis Domini, in pœnam peccati morte punitos, cum ait: *Ideo inter vos multi imbecilles, et dormiunt multi* (2). Quos ante mortem reconciliatos Deo fuisse, idem Apostolus monet, cum addit: *A Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Neque huic loco accommodari potest Calvini responsio.

Simile est quod scribitur III Reg. XIII. de

Propheta Domini, qui ob peccatum quoddam a leone occisus fuit in itinere: et quia paulo ante prædicta illi fuerat ea calamitas, dubium esse non potest, quin Pœnitentiam egerit, et remissionem a Domino impetraverit: nam in testimonium sanctitatis ejus, in qua vitam finierat, stabat leo juxta cadaver, impastus, et ne asinum quidem Prophetæ attingere audebat.

Denique Chrysostomus, et Augustinus, quos pro se Calvinus adducit, si recte inspiciantur, eidem Calvino manifeste repugnant. Nam Chrysostomus in hom. de Pœnitentia et Confessione, a Calvino citata, utrumque scribit: et supplicium, quod Deus de nobis post culpam remissam interdum sumit, ultionem esse peccatorum, et simul remedium contra futura; quod quidem verissimum est « Ne peccantes, inquit, et inulti manentes, nos efficeremur deteriores, non remisit nobis supplicium, sed vidit hoc manifeste, quod peccatis ipsis non minus damnosum sit non puniri: propter hoc imponit pœnam ». Quare illud quod sequitur: « Non exigens supplicium de peccatis, sed ad futura corrigens », non significat ut verba sonare videntur, pœnas, quas Deus infligit, non esse supplicium pro peccatis: id enim repugnaret apertissime verbis superioribus, ubi legimus, non remitti supplicium, et peccantes non manere inultos: sed significat, Deum magis intendere in pœnis utilitatem nostram, quam ultionem peccati, et ideo peccata ulcisci, quia nobis id utile est, quemadmodum Osee 6. legimus: *Misericordiam volo, non sacrificium* (3).

Sic etiam S. Augustinus lib. II. de peccatorum meritis et remission. cap. 33. et 34. dicit quidem (quod notavit Calvinus) pœnas, quibus Deus amicos suos affligi sinit, esse materiam virtutis, sed non negat esse etiam ultionem peccatorum. Et in Psalm. 50. apertius de hac re loquens, ultiones esse confitetur: « Veritatem, inquit, dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoscis, non dimisisti, sic prærogasti misericordiam, ut servares et veritatem. »

Quid quod ipse etiam Calvinus in lib. eodem c. 8. §. 6. agnoscit puniri a Deo peccata etiam in filiis, et amicis? sic enim loquitur: « Adde, quod non modo infirmitatem nostram prævenire, sed præteritu etiam delicta sæpe corrigere habet clementissimus Pater:

(1) Deut. XXXII, 49, 50, 51. — (2) I Corinth. XI, 30. — (3) Osee VI, 6.

ut nos in legitima erga se obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, subire protinus in mentem debet anteactæ vitæ recordatio : ita procul dubio reperiemus, nos admisisse, quod dignum ejusmodi castigatione esset.

### CAPUT III.

*Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum Deo reformatam bonis operibus redimi posse.*

Sequitur altera quæstio : An reatus pœnæ temporalis, quem interdum superesse demonstravimus post culpam remissam bonis operibus redimi queat ; sive quod idem est, An pro reatu pœnæ satisfieri possit.

Joannes Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. §. 30. docet, pœnas peccatorum nullis operibus redimi posse : sic enim loquitur de lege Testamenti veteris : « Qui fit ut nullis prorsus operibus admissa delicta procurare jubeat, sed sola in expiationem sacrificia requirat ; nisi quod ita testari vult unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur ? nam quæ tunc immolabant sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur : sed a sua veritate, hoc est, unico Christi sacrificio extimabantur. » Et §. 36. explicans locum illum Danielis : *Peccata tua elemosynis redime* : « Non voluit, inquit, significare justitiam, et misericordiam esse Dei propitiationem, et pœnarum redemptionem : absit enim, ut alia unquam fuerit ἀπολύτρωσις, quam sanguis Christi. »

At Lutherani fere communiter fatentur pœnas temporales, quarum apud Deum summus rei, posse interdum aliis pœnis sponte assumptis tolli, aut mitigari.

Martinus Lutherus in assertione articulorum suorum art. 5. non admittit quidem nomen Satisfactionis, sed tamen concedit (quod solum hoc loco quærimus) posse præveniri manum Dei, et pœnis sponte susceptis pœnas illas averti, quas alioqui ob nostra scelera merebamur. Quod idem admittit Philippus in locis communibus ultimo editis tit. de Satisfactione, et in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Confessione et Satisfactione ; et Kemnitius in 2. par. Examinis pag. 1078.

Porro Catholici tria docent. Primo pœnas temporales alterius vitæ, quæ in purgatorio luendæ essent, redimi posse jejuniis, precibus, elemosynis, aliisque piis ac laboriosis operibus hujus vitæ : de qua re satis diximus in libris de Purgatorio.

Secundo, pœnas temporales hujus vitæ interdum non posse redimi, sed necessario perpetiendas esse : id quod extra omnem controversiam esse videtur. Deus enim aliquando ita pœnam aliquam constituit, ut nullam pro ea redemptionem accipere velit. Talis in primis pœna mors est, quam nullus quantumvis justus, ullo pio opere avertere potuit. Talis fuit pœna illa Davidis, II Reg. XII. « Quia blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. » Tametsi enim David jejunaverit, et humi prostratus oraverit, non tamen mortem illam filii sui redimere potuit. Talis etiam fuit pœna illa Moysis, ne intraret in terram promissionis, ob peccatum, quod ad petram Oreb commiserat : rogavit enim Moyses (ut ipse testatur Deut. III.) Deum, ut pœnam illam sibi condonaret, et exauditus non est. Vide S. Gregorium lib. IX. Moral. c. 30. in illa verba S. Job : « Deus cujus iræ nemo resistere potest. »

Tertio posse aliquando pœnas temporales hujus vitæ aliis operibus tolli : id quod tam est in Scripturis evidens, ut mirum sit ab ullo negari potuisse. Certe Ninivitæ ob gravia peccata meruerant id, quod Deus illis comminatus fuerat, ut post quadraginta dies Ninive subverteretur : et tamen jejuniis, saccis, et precibus Ninivitarum placatus Dominus, civitatem illam conservavit. Jonæ ult.

Secundi Paralip. VII Dominus ait : *Si clausero cælum, et pluvia non fluxerit, et mandavero : et præcepero locustæ, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum : conversus autem populus meus super quos invocatum est nomen meum deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit pœnitentiam a viis suis pessimis : et ego exaudiam de cælo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum (1).*

Hieremiæ 18. Dominus dicit : *Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem, et destruiam, et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei (2).*

(1) II Paral, VII, 13, et seqq. -- (2) Hier. XVIII, 7, 8.

Dan. 5. Cum propheta exposuisset regi visionem, per quam indicata fuerat pœna temporalis, quam ille ob sua scelera merebatur : continuo subiecit : *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordis pauperum* (1). Ubi apertissime S. Daniel docet, posse pœnas peccatorum piis operibus redimi.

Neque potest accommodari huic loco solutio illia Calvinii, quod loquatur Daniel de redemptione debiti ad homines, ut videlicet restitueret Nabuchodonosor quæ injuste rapuerat. Nam peccatum præcipuum Nabuchodonosor, ob quod pœnam illam meruerat, quam Propheta Eleemosynis averti posse dicit, non fuit rapina honorum alienorum, aut aliquod aliud peccatum in homines, sed superbia, et cordis elatio. Sic enim legimus in illo ipso IV capite Danielis : *In aula Babylonis deambulabat : responditque Rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei ? Cunque sermo adhuc esset in ore regis, vox de cælo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum transibit a te, etc.* (2).

Præterea etiamsi peccatum regis fuisset iniquitas in homines, tamen non solum illud peccatum habuit Nabuchodonosor, sed multa alia. Daniel autem omnia peccata Eleemosynis redimi posse dicit : *Peccata tua, inquit, eleemosynis redime.* Quod clarius scribitur Tob. 4 : *Eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat* (3) ; Loquitur igitur Daniel de eleemosyna non tam ut hominibus ablatum restituit, quam ut Deum offensum placat.

Huc etiam facit quod ait Apostolus I Corinth. II : *Si nos metipsos dijudicavimus, non utique iudicavimus* (4).

Denique, huc pertinet sententia illa S. Augustini in Psalm. 50. *Impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis non dimisisti : sic prærogasti misericordiam, ut servares et veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti : sic servatur misericordia, et veritas.* Et illa sancti Gregorii lib. IX. Moral. cap. 27 : « Procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit : aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. » Et cæteræ Patrum sententiæ, quas infra cap. 9. afferemus.

## CAPUT IV.

*Opera laboriosa, quibus reatus pœnæ temporalis expiatur sponte suscipi posse.*

Tertia quæstio erat, Utrum opera laboriosa, quibus pœnæ temporalis reatus expiandus est, tum sponte assumenda sint, tum etiam a Sacerdotibus injungenda.

Concilium Trident. sess. 14. cap. 9. docet, tribus modis Domino satisfieri : pœnas et flagella a Deo immissa patienter ferendo : opera laboriosa sponte assumendo ; et multam Sacerdotum arbitrio injunctam subeundo. Ex quibus modis solum primum sine controversiâ adversarii admittunt : modum secundum et tertium, Philippus in locis, tit. de Satisfactione, prope finem, videtur omnino rejicere, cum sic loquitur : « Recte, inquit, Ecclesia imponit aliquas mortificationes agentibus pœnitentiam : Hic iterum admonendi sunt pii, ut discernant hypocrisim seu opera indebita a mortificatione debita. Mortificatio non simulata, est aut verus dolor in contritione, aut patientia sustinens veras afflictiones : ut David objurgatus a Nathan, cum vere expavisset agnitione iræ Dei et esset in vero dolore ; idem deinde cum calamitates, quæ secutæ sunt, perferret, sustinuit mortificationem. » Et infra : « Non sunt mortificationes sine mandato Dei accersitæ corporis lacerationes, sicut sacrificuli Baal sibi vulnera faciebant. Tales ultro accersiti cruciatus, pertinent ad regulam, frustra colunt me mandatis hominum ; item pugnant cum his præceptis, Non occides ; item, Habeto honorem corpori. »

Martinus etiam Kemnitius in Examin. suo part. 2, pag. 1079. satis aperte rejicit duos illos modos, ubi tractans locum Apostoli : *Si nos ipsos iudicavimus etc.* I Corinth. X (5). « Non utitur, inquit, verbo *ἐπίταται*, sicut Pontificii interpretantur de electitiis pœnis, quæ tanquam satisfactiones, aut compensationes pro peccatis, vel voluntarie suscipiuntur, vel a Confessario injunguntur. » Et infra pagin. 1092. negat pertinere ad claves, injunctionem satisfactionis : et pag. 1093, ita scribit : « Quod dictum est, Optimam et ap-

(1) Dan. IV, 24 — (2) Dan. IV, 26, seqq. — (3) Tob. IV, 11. — (4) I Corinth. XI, 31. — (5) I Corinth. XI, 31.

tissimam pœnitentiam esse, novam vitam, hanc habet sententiam : post acceptam fide propter Christum remissionem peccatorum, non requiri præterea aliam satisfactionem, aut expiationem pro peccatis, cum simus in Christo consummati, sed requiri illud quod Scriptura præscribit ; Desine a malo, et fac bonum.»

Martinus Lutherus in assert. art. 5. admittit quidem, recte facere Ecclesiam, dum, ut pia mater quibusdam castigationibus filios suos puniens, prævenit manum Dei : non tamen admittit hoc pertinere ad Claves, cum (ut ipse notat) ligentur et solvantur peccata, non autem Confessio, vel Satisfactio ligari aut solvi recte dici possit.

Sed facile nobis erit, utrumque modum satisfaciendi, et per pœnas sponte assumptas, et per injunctas a Sacerdotibus, ex divinis litteris, et Patrum testimoniis demonstrare.

Ac primum de pœnis sponte assumptis tot sunt in Scripturis, exempla, ac testimonia, ut mirum sit, potuisse in mentem alicujus cadere, ut id negaret. Quis S. Job coegit pœnitentiam agere in favilla, et cinere, ejus delicti, quod verbo commiserat? sic enim ipse ait cap. ult : *Insipienter locutus sum, idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla, et cinere* (1). Quis Davidem coegit jejunare, et humi jacere? II Regum 12. et ponere vestimentum suum cilicium? Psal. 68, et panem sicut cinerem manducare, et potum cum fletu miscere? Psalm. 101. Nonne hæc omnia, et alia id genus multa, S. David sponte sua faciebat, ut de se pœnas sumeret, ob peccata in Deum admissa? Nonne etiam Achab sponte sua cilicium ad carnem induit, ut Deum placaret, jejunavitque, et dormivit in sacco, ut legimus III Regum 21. et Dominus de eo ad Eliam dixit : *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus* (2). Quid rex Ninivitarum nonne sponte sua surrexit de solio, et abjecto vestimento suo, indutus est sacco, et sedit in cinere, et jejunium toti populo suo indixit? Si pœnæ istæ sponte assumptæ, hypocritæ essent, et cum præceptis divinis pugnarent, ut Philippus cum novis Epicureis dicit; qua ratione Deum placassent, et ruinam jam impendentem avertissent, ut scribitur Jonæ 3.

Porro libri veterum Patrum, ac præsertim Tertulliani in lib. de Pœnitent. S. Cypriani in sermone de lapsis, Faciani in Parænesi ad Pœnitentiam, S. Ambrosii in lib. ad Virginem corruptam; plenissimi sunt exhortationibus, ad opera pœnitentiæ laboriosa sponte suscipienda.

Ac inter alia Pacianus in Parænesi ad pœnitentiam, post Tertullianum sic ait : « In quantum pœne vestræ non peperceritis, in tantum Deus vobis parcat. » Et S. Gregorius loco supra cit. lib. ix. Moral. cap. 27. « Delinquenti, inquit, Dominus nequaquam parcat : aut enim ipse homo in se hoc pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. » Cui consonat quod scribit S. Augustinus apud Bedam in comm. cap. II. prioris ad Corinth. in illud : *Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* « Pro illis peccatis, quæ legis Decalogus continet, et de quibus Apostolus ait : Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt; in pœnitentia majorem in se quisque severitatem debet exercere, ut a se ipso judicatus, non judicetur a Domino, ut idem Apostolus ait : Si enim nos judicaremus, a Domino non judicaremur. »

Ex quo intelligimus, parum ad rem facere quod notavit Kemnitius, Apostolum non usum esse verbo κρίνειν, sed διακρίνειν, cum ait : *Si nos judicaremus* : siquidem Apostolus per vocem διακρίνειν, intellexit quidem discutere ac discernere, ut vox ipsa proprie significat, sed haud dubie voluit, ut qui se discutunt, si malefacta in se inveniunt, ea corrigant, et puniant, ne a Domino gravius puniantur, ut S. Augustinus recte exposuit. Quem sequitur Anselmus in eundem locum; et ab his non discrepat Commentarius, qui tribuitur Ambrosio, qui per διακρίνειν intelligit errata non solum discernere, sed etiam corrigere : cum quibus apertissime sentit Chrysostomus hom. 42. in Matth. : « Audi, inquit Chrysostomus, Paulum dicentem : Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur. Et quonam modo, inquires, a meipso rationes vivendi, et supplicium exigam? Largos lacrymarum effunde fluvios, laboribus ac vigiliis te ipsum afflige etc. »

Neque argumenta illa Philippi, quod pertineant pœnæ sponte assumptæ ad regulam : « Frustra colunt me mandatis hominum », et quod pugnent cum præceptis : « Non occi-

(1) Job. XLII, 3. — (2) III Reg. XXI, 29.



des», et, «Habeto honorem corpori,» concludunt aliquid : alioqui reprehendere cogemur S. Job, Davidem prophetam, et alios sanctissimos homines, quos constat pœnas multas sponte suscepisse, ut peccata in se punirent.

Illud igitur : « Frustra colunt me mandatis hominum », non habet locum in re proposita : tum quia Dominus eo loco non loquitur de eo, quod sponte agimus, sed de eo, quod facimus ex hominum imperio : tum quia non displicet Deo obedientia erga homines, nisi quando contraria Deo præcipiunt homines : tum denique quia non hominum sed Dei mandatum est, ut qui peccavit pœnitentiam agat ; et pœnitentiam Scripturæ passim describunt per fletum, planetum, jejunium, saccum etc. Itaque cum dicuntur aliqui pœnas sponte sua assumere ; illud, Sponte sua, non excludit mandatum Dei de pœnitentia agenda, et operibus laboriosis assumendis ; sed excludit tum peculiare Sacerdotis imperium ; tum etiam certum genus, aut mensuram operum laboriosorum, quam Scriptura aut Ecclesia in particulari præscripsit.

Illud autem : « Non occides », quorsum adducitur ? neque enim ullus nostrum probat ejusmodi pœnas, quæ mortem, aut mortis periculum afferant. Porro jejunia, preces, sacci, et cæteræ corporis asperitates, adeo non occidunt, ut eremitæ illi veteres, qui in ejusmodi operibus præter cæteros homines exercebantur, diutissime vixisse legantur : neque illud negari potest, quin plures crapula, quam jejunium, deliciæ, quam labores occiderint.

Denique illud : « Habeto honorem corpori, » quod ex cap. 2. ad Coloss. Lutherani, corporis, quam animæ studiosiores, passim afferre solent, duobus modis commodissime explicatur. Nam si commentarium sancti Joannis Chrysostomi sequi velimus, sententia Apostoli erit ut debitus honor corpori tribuatur. Exigit autem debitus honor corporis, ut ei necessaria provideantur, quod faciendum esse nos minime negamus ; non autem exigit, ut ob animæ salutem non affligatur, alioqui Paulus ipse contra suum præceptum egisset, quando castigabat corpus suum, et in servitatem redigebat, 1. Cor. 9. Si vero sanctum Augustinum audiamus in epist. 59. ad Paulinum, tantum aberit, ut

hic locus sit contra nos, ut etiam maxime faciat pro nobis. Nam ex Augustini sententia, B. Paulus reprehendit quosdam, qui ex superstitione corpus affligebant, non autem ut illud ob animæ salutem castigarent : ubi corporalis afflictio sponte assumpta laudatur, sed finis malus reprehenditur : « Videntur quidem, inquit Apostolus, quæ isti faciunt rationem habentia sapientiæ in superstitione, et humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. » Hoc est, Videtur quidem abstinentia istorum habere quasdam rationes sapientiæ, quia hoc facere videntur ad humiliandum cor, et castigandum corpus, non honorandum et saturandum : tamen quia ex superstitione id faciunt, non ex vera pietate, nihil eis prodest.

## CAPUT V.

*Opera quibus reatus peccati præteriti expiatur, recte a Sacerdotibus injungi.*

Demonstravimus hactenus opera laboriosa sponte assumi posse : sequitur, ut ea posse quoque ac debere a Sacerdotibus injungi, breviter ostendamus.

Primum igitur verba illa Domini : *Quodcumque ligaveris*, Matth. 16. et, *Quæcumque alligaveritis*, Matth. 18. (1), satis aperte hoc docent. Recte enim Concilium Tridentinum sess. 14. can. 15. docet, Claves Sacerdotibus datas non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum ; et ideo sicuti a culpa pœnitentes absolvunt, ita etiam posse ac debere eosdem ad certa pœnitentiæ opera alligare : et quemadmodum peccata remittunt quoad culpam, et pœnam æternam, dum absolvunt, sic etiam peccata retinent quoad pœnam temporalem, dum multam pœnitenti imponunt.

Ridicula autem est objectio Lutheri, quod peccata, ligari et solvi dicantur : non Confessio, aut Satisfactio. Nam neque nos dicimus, ligari vel solvi Confessionem, aut Satisfactionem : neque proprie peccata solvuntur, aut ligantur ; sed homines sunt, qui a vinculis peccatorum absolvuntur, vel pœnarum vinculis alligantur.

Porro in potestate Clavium contineri, ut

(1) — Matth. XVI, 19 ; Matth. XVIII, 18.

Sacerdotes pœnitentibus opera quædam laboriosa præscribant; ac per hoc, ad jus divinum, non ad humanas traditiones hoc pertinere, testatur S. Leo in epist. 91. ad Theodorum his verbis: « Mediator Dei et hominum, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, et ut confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. »

Sanctus etiam Cyprianus in serm. de lapsis, dum contendit non oportere ad Martyrum preces, remittere peccata lapsis, nisi prius expleverint impositas mulctas, ad Evangelium recurrit: « Contra Evangelii, inquit, vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita, et falsa pax, periculosa dantibus, et nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanctitatis patientiam, nec veram de Satisfactione medicinam, » et infra: « Contra Evangelium facere non possunt, qui de Evangelio Martyres fiunt. »

Et S. Gregorius lib. 3. in I Regum, explicans cap. 7: « Afflictio, inquit, Pœnitentiæ, ad delenda peccata idonea est, cum Sacerdotis fuerit iudicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis. »

Ad hæc pleni sunt Conciliorum libri canonibus (quod nec adversarii negant) quibus certum tempus ad satisfaciendum pœnitentibus præscribitur. Et quamvis opera laboriosa, pœnitentibus olim ante Absolutionem imponebantur et explebantur; tamen non fuisse id absolute necessarium, sed potuisse etiam expleri post Absolutionem, ut hoc tempore fieri solet; ac per hoc satisfactiones illas non tam ad culpam, quam ad pœnam temporalem expiandam, referri consuevisse, perspicuum est ex Conciliis illis, quæ in articulo mortis jubent pœnitentibus Communionem dari, etiamsi nulla, aut non plena præcesserit satisfactio; sed tamen admoneri, ut si forte supervixerint, integre pœnitentiam sibi injunctam expleant. Vide Concilium Nicænum, can. 12. alias 13. Carthaginiense IV. can. 76. Arausicanum I. can. 3. Moguntinum sub Rabano, canon. 26. Item cap. 83. Græcarum Synodorum a Martino Bracarensi collectarum: et ex Pœnitentiali Theodori apud Gratianum, 26. quæst. 7. can. Ab infirmis.

Nec vero desunt optimæ rationes, ob quas

plane congruens fuerit, ut in Sacramento Pœnitentiæ Deus vellet per ministros suos certam mulctam peccatoribus imponi.

Primum enim id exigebat differentia inter eos, qui ante Baptismum, et qui post Baptismum peccant. Qui enim peccant ante Baptismum, majori misericordia digni sunt, quam qui post Baptismum, cum illi in tenebris ignorantiae, isti in lumine fidei, et agnitionis Dei versarentur: illi Diabolo, et pompis, atque operibus ejus nondum nuncium remisissent; isti remisissent: illi sine adjutorio gratiæ gratum facientis, et absque Spiritu sancto inhabitante viverent; isti filii Dei affecti, pignus Spiritus in cordibus suis haberent: illi denique nunquam antea ad indulgentiam pervenissent: isti post indulgentiam, et tot beneficia, ingrati, tantum benefactorem iterum ad iracundiam provocassent. Itaque omnino par erat, ut Deus ministris suis mandaret, ut peccantes post Baptismum non sine mulcta injuncta ad indulgentiam divinam per januam reconciliationis admitterent.

Quam rationem Michael Psellus in ea disputatione quam edidit, An plena remissio detur in fine suscipienti habitum monachalem, egregie his verbis complexus est, ex sententia Gregorii Nazianzeni: « Quot afferemus lacrymas, ut fonti Baptismi exæquentur? et enim nisi tantæ fuerint lacrymæ, ut per eas nostræ iniquitates obruantur, non invenientur eis superiores. Et infra: Divinum quidem lavacrum, sicut superius est dictum, etiam sine lacrymis largitur remissionem peccatorum. Quamobrem, quod talis lavaero adest potestas, et quod facile condonari possunt, quæ ante Baptismum peccata sunt, ut quæ sint admissa propter ignorantiam, ostensum est: quæ autem post Baptismum, multis lacrymis indigent, et non facile condonantur, quoniam prudentes, scientesque peccamus. »

Altera ratio peti potest a misericordia, et justitia Dei, quæ in divinis litteris passim conjunctæ prædicantur: siquidem maxime consentaneum est rationi, ut sic Deus ex misericordia peccata condonet, ut etiam justitiæ, quoad ejus fieri potest, satisfieri velit.

Neque solvitur argumentum, si quis dixerit, Christum pro nobis Deo Patri abunde satisfecisse. Nam etiamsi ad amicitiam Dei recuperandam, et pœnam sempiternam evadendam congruens fuerit, ut nobis Christi satisfactio applicaretur, cum nos tanto oneri

omnino impares essemus; tamen ad expiandam pœnam temporalem, per Christi gratiam idonei effecti, par erat, ut nos ipsi, qui Deum offenderamus, eidem nostro labore satisfaceremus.

Tertia ratio ducitur a differentia Sacramenti Baptismi, et Pœnitentiæ. Nam Baptismus, cum sit lavacrum regenerationis, non requirit, ut is qui regeneratur, in ea re multum laboret: at Pœnitentia quia medicamentum est animæ vulneratæ, ac ægrotantis, id plane exigit, ut qui curatur, medicinales ustiones, incisiones, pharmaca amara, aliaque id genus multa sustineat.

Quarta ratio sumitur ab utilitate ipsius pœnitentis: utilissimum enim peccatori est ut non maneat penitus impunitus, ne ex veniæ facilitate ad peccandum iterum incitetur. Atque hæc est ratio S. Gregorii Nazianzeni, orat. 14. quam habuit in funere parentis sui Gregorii: « Deus, inquit, ultionum est Dominus, qui licet ob clementiam a severitate ad remissionem inclinare consueverit, non tamen in omnibus parcit peccantibus, ne illi bonitate sua fiant deteriores. » Hæc ille.

Neque solum timor satisfactionis cum labore exsolvendæ, coercet a peccando, sed etiam admonet quanta sit peccati gravitas, et eo modo aminam erudit, et illustrat, atque ex eo lumine ingens quoddam odium erga peccatum nascitur, ut jam non timore pœnæ, sed amore justitiæ, et odio peccati in bonis actionibus perseveretur.

Neque exigua est illa utilitas Satisfactionis, quæ multum conducit ad habitus vitiorum eradicandos, et virtutum inserendos, quodque Christi crucem gustare nos facit, et Christo ipsi compati, ut cum eodem postea (juxta Apostolum) regnemus: quas rationes breviter attigit Concilium Tridentinum, sess. 14. cap. 8.

Quinta ratio petitur ab utilitate, quæ in alios redundat. Nam sæpe ob peccatum unius, non punitum, ut oportebat, in totum populum Dei furor accenditur: cujus rei testis est Josue, qui cap. 7. scribit, populum Israel tandiu coram hostibus terga vertisse, donec peccatum Achan detectum, et punitum non fuit. Neque exigua est illa utilitas, quod ex pœna unius. præsertim si publica sit, sæpenumero corriguntur multi. Denique, illud quoque accedit, quod, ut sanctus Cyprianus ait in sermone de lapsis, extremo: « Is qui Deo pro peccatis suis satisfacere, ut par est, laborat, non solum veniam apud

Deum impetrat, sed etiam quam contristaverat nuper lætam facit Ecclesiam. »

## CAPUT VI.

*Opera satisfactoria esse, Orationem, Jejunium, et Eleemosynam.*

Quarta sequitur quæstio, Quænam sint illa opera, quibus pro reatu pœnæ expiando, satisfacere debemus. Et quidem Philippus Melanchthon cum in Confessione Augustana, art. de Confessione, inter eos qui sunt de abusibus, et in Apologia art. de pœnitentia, tum in locis, titul. de Satisfactione, absolute damnat ea opera, in quibus Catholici Satisfactionem constituunt, ac dicit esse cæremonias, res inutiles, non mandatas divinitus, traditiones humanas etc.

Martinus autem Kemnitius in 2. par. Examin. pagin. 1094. admittit, opera quæ satisfactoria dicuntur a Catholicis, ut Orationem, Jejunium, Eleemosynam, in genere, et ut ad vitæ novitatem pertinent, mandata esse divinitus: tamen certam mensuram eleemosynæ, certos dies jejuniorum, certas preces ad expianda peccata, vel sponte suscepta, vel a Sacerdotibus indicta; contendit esse traditiones humanas, et opera electitia, quæ nullius sint apud Deum pretii, aut valoris.

Nobis igitur duo probanda sunt. Primum, opera Satisfactoria in genere, non esse cæremonias, aut res inutiles, sed res utilissimas, quarum in divinis litteris extent exempla, promissiones, et præcepta. Deinde hæc ipsa opera in particulari, quatenus a Deo non imperantur, sed sponte ad peccata expianda suscipiuntur, gratissima esse Deo, et exemplis Scripturarum, ac promissionibus confirmari.

Quod igitur ad primum attinet, sciendum est, opera satisfactoria, ex communi Theologorum sententia, et ex Concilio Tridentino, sess. 14. can. 13. esse Orationem, Jejunium, et Eleemosynam, ac præterea illa omnia, quæ ad hæc tria, tamquam ad quædam præcipua capita revocantur.

Cur autem hæc tria præcipue a Theologis statuuntur, duæ sunt causæ. Una est, quod debeamus satisfacere per ea bona, quæ nostra sunt, quoad ejus fieri potest. Habemus autem tria genera bonorum animi, quæ Deo damus per Orationem; corporis, quæ Deo

damus per Jejunium ; externa, quæ Deo damus per Eleemosynam. Altera ratio est, quod omnia vitia revocantur ad illa tria, quæ S. Joannes posuit in epist. cap. 2. concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. Jejunium comprimit concupiscentiam carnis, Eleemosyna concupiscentiam oculorum, id est, avaritiam, Oratio superbiam vitæ.

Revocantur autem ad Jejunium ea omnia quæ corpus affligunt, et concupiscentiæ carnis repugnant, ut cilicia, cineres, flagellationes : revocantur ad Eleemosynam, quæ repugnant avaritiæ, aut certe in proximi utilitatem cedunt, ut opera omnia misericordiæ : revocantur ad Orationem, quæ Deo proprie exhibentur, ut laudes, gratiarum actiones, Contritionis et Confessionis actus.

Quocirca recte Theologi docent, per actum Contritionis, ut est opus pœnale, semper aliquid pœnæ temporalis, pro qua satisfaciendum erat, remitti : et aliquando tam vehementem esse posse dolorem Contritionis, ut tota pœna remittatur. Quod etiam a nostris docere, agnoscit Philippus in Apolog. Confess. in articulo de Confess. et Satisfactione, et tamen mentiri audet, nos Satisfactionem in cæremoniis, et rebus inutilibus constituere.

His ita constitutis, facile erit probare Scripturarum testimoniis ea, in quibus nos ponimus Satisfactionem. Nam de Oratione loquitur Deus in Psalm. 49 : *Invoca me in die tribulationis, eruam te etc.* (1), ubi simul præceptum, et promissionem videmus. Exemplum habemus Davidis, qui tot Psalmis compositis, peccata sua coram Deo deflevit ; item Manasse, de quo sic legimus, II Paralip. 33. *Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit Pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, et exoravit intense : et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Hierusalem in regnum suum* (2). De jejunio habemus exemplum Davidis, ut cætera prætermittam, II Reg. 12 ; item præceptum, et promissionem, Joelis 2 : de Eleemosyna insigne exstat exemplum Tob. 1, præceptum, et promissio, Lucæ XI : *Date Eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (3).

Rursum hæc tria commendantur ab Angelo, Tobiaë 12 : *Bona est Oratio cum jejunio, et*

*Eleemosyna* (4). Et regulas eorundem trium operum explicat Dominus, Matth. 6. De cinere, et cilicio, quæ ad Jejunium reducuntur, exstant exempla in divinis litteris, ut Ninivitarum, Jonæ 3. Davidis, ac seniorum Israel, I Paral. 21. Idem imperatur Hier. 4. Joel. 1 et alibi. Idem confirmat ipse Dominus, Matth. 11. Denique Hieronymus in comment. ad 3. cap. Jonæ : « Saccus, inquit, et jejunium, arma sunt pœnitentiæ. »

De flagellatione, ac percussione sui ipsius, quod genus pœnitentiæ præter cætera damnant adversarii, habemus exemplum Apostoli Pauli, I Corinth. 9 : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* (5). Quo loco verbum Græcum ὑποπιέζω (ut Theophylactus notat) significat, usque ad livorem contundere. Et quamvis Apostolus similitudinem ducat ab iis, qui in stadio pugnant, ac dicere velit, eo se modo corpus suum male accipere, ac subicere, quemadmodum athletæ, cum in stadio adversarium suum pugnis, ac cæstibus ad livorem usque contundunt, tamen omnino probabile est Paulum etiam proprie corpus suum verberibus affecisse ; tum quod vox Græca id significet, tum quod hoc genus pœnæ etiam veteribus fuerit usitatum. Nam Lucæ 18. publicanus pœnitens percutiebat pectus suum : et S. Hieronymus postquam dixerat in epist. ad Eustochium de custodia virginittatis : « Horrebant sacco membra deformia », et : *Nuda homo vix ossa cohærentia collidebam* ; et « Repugnantem carnem, hebdomadarum inedia subjugabam. » Subjungit : « Memini me clamantem, diem crebro junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret Domino increpante tranquillitas. »

Jam vero hæc ipsa opera quatenus quoad certum modum in particulari, divinitus mandata non sunt, ac per hoc indebita dici possunt ; grata esse Deo, et sancta, atque utilia, demonstratum est a nobis in 2. lib. de Monachis, ubi de Conciliis Evangelicis, et Operibus supererogationis disputavimus.

Ac præter alia, insigne testimonium habemus in lib. Num. cap. 30. ubi Deus approbat, et sibi reddi jubet, vota sponte facta de jejuniiis, aut alia quavis corporis afflictione. Atqui Deus nusquam imperaverat, non solum in specie aliqua certa vota, sed ne in genere quidem ulla vota : et tamen vota sponte

(1) Psal. XLIX, 15. — (2) II Paral. XXXIII, 12. — (3) Luc XI, 41. — (4) Tob. XII, 8. — (5) I Corinth, IX, 27.

facta Deo grata esse, perspicuum est, tum ex eo, quod jubet sibi reddi, tum ex illa Prophetæ cohortatione: *Vovete, et reddite Domino Deo vestro* Psalm. 75 (1). Falsum igitur est quod adversarii passim scribunt, opera indebita, sive non imperata divinitus, minime Deo placere.

Insigne quoque est exemplum S. Joannis Baptistæ, cujus vestis, pili camelorum erant; cibus, locustæ; lectus, humus; domus, desertum. Matth. 3. Luc. 3. et Marc. 1. Neque poterunt adversarii in Scripturis ostendere ubi Deus tantam vitæ asperitatem imperaverit, ut omnino fateri cogamur, ejusmodi labores sponte susceptos fuisse, atque ad opera supererogationis pertinuisse. Neque illud dici potest, resipiscentiam, ac vitæ novitatem eos labores postulasse. Nam nec S. Joan. unquam a Deo alienus fuerat, ut conversione, et resipiscentia, ac vitæ novitate indigeret: neque conversio, ac vitæ novitas ex sententia præcipue adversariorum, tantum severitatem requirit. Joannes igitur quia Pœnitentiam prædicaturus venerat; ut eam non solum verbo, sed etiam exemplo prædicaret: « Elegit, ut scribit Chrysostomus homil. 10. in Matth. vestem, et victum, ac reliquam vitam compunctioni, et pœnitentiæ accommodatam. » Et placuisse Deo ejusmodi vitam, testis est Christus ipse, qui Joannem Matth. 2. et Luc. 7. mirifice laudavit.

Huc etiam pertinet Annæ illius exemplum quæ ut Lucas scribit cap. 2, *non recedebat a templo, jejuniis ac obsecrationibus serviens, die ac nocte* (2). Nam a templo non recedere, et perpetuo jejunare et orare, non erat in lege Domini usquam imperatum: et tamen hæc opera indebita, et supererogationis, fuisse cultum Deo gratum, ex verbis Evangelii satis aperte colligitur. Neque enim Evangelista in laudibus ejus mulieris posuisset, assidua illa jejuniis et preces, et in templo commemorationem; neque dixisset, illam Deo servisse jejuniis et orationibus, nocte ac die; nisi opera illa cultum Dei esse credidisset. Omitto alia plurima, quæ et per se obvia sunt, et a nobis alibi annotata.

Porro veteres Patres, afflictiones istas carnis non imperatas in particulari, sed sponte assumptas, apertissime laudant, et ad cultum Dei pertinere dicunt.

Tertullianus in libro de resurrectione carnis; seras et aridas escas, et reliquam cor-

poris afflictionem, sacrificia esse Deo grata, scribit. Gregorius Nazianzenus in epistola ad Hellenium, scribens de quibusdam sanctis viris, qui aut nunquam homines videbant, aut totos viginti dies sine cibo transigebant, aut integro anno in oratione stabant: quæ certe opera non sunt divinitus imperata: « Talis, inquit, est Christi pars, talis passionum Christi fructus, quem ipse e terra ad Patrem defert; religionis, inquam, Christianæ columen, populi decus, mundi fundamentum cum cœlestibus pulchritudinibus elegantia propemodum certans. » Augustinus homil. 29. in lib. I. homiliarum, eleemosynarum largitionem, sacrificium vocat. Idem, sive quicumque fuit auctor, in libro de dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 68. « Pro amore castigandi corporis, abstinentibus a vino vel carnibus, nihil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Joviniani est. » At profecto a carnibus, et vino abstinere, non est divinitus imperatum. Leo serm. 2. de jejuniis decimi mensis: « Pro consummata, inquit, perceptione omnium fructuum dignissime largitorum, eorum Deo continentiae libamen offertur. » Quo loco S. Pontifex, sacrificium, ac per hoc, cultum Dei, jejunium illud appellat, quod certum est non esse a Deo Christianis impositum. Denique, pleni sunt libri Patrum ejusmodi testimoniis.

Postremo, accedit etiam ratio. Nam si Deo placent opera, quæ ipse neque in genere, neque in specie imperavit, modo cum debitis circumstantiis fiant, ut paulo ante ostendimus de votis; quanto magis certum erit, placere Deo, quæ ipse saltem in genere imperavit, qualia sunt, Oratio, Jejunium, et Eleemosyna, et quæ ad ista revocantur? Argumenta Philippi soluta sunt capite superiore.

## CAPUT VII.

*Posse hominem justificatum vere Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis.*

Ultima restat quæstio: Utrum opera quæ fiunt ad redimendam pœnam temporalem, cujus reatum sæpe manere ostendimus post culpam dimissam, vere satisfactoria dici possint. Adversarii siquidem etiamsi cogantur

(1) Psal. LXXV, 12. — (2) Luc. II, 37.

admittere (ut jam disputavimus) manere interdum reatum pœnæ temporalis post culpam remissam; et pœnis sponte assumptis præveniri manu Dei, et flagella divina averti, ac denique Jejunium, Orationem, et Eleemosynam esse opera laboriosa, ac Deo grata: tamen nullo modo adduci possunt, ut fateantur, per hæc opera satisfieri Deo, aut pœnas, debitas compensari; vix etiam nomen ipsùm Satisfactionis ferunt.

Lutherus in assert. art. 5: « Vehementer, inquit, odi, et sublatum vellem hoc vocabulum (Satisfactio), quod non modo in Scripturis non invenitur, sed et periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere, cum gratis ille agnoscat omnia. »

Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ artic. de Confessione et Satisfactione: « Sed tamen, inquit, fatentur adversarii, quod Satisfactiones non prosint ad remissionem culpæ: verum fingunt Satisfactiones prodesse ad redimendas pœnas, seu Purgatorii, seu alias. « Et infra: » Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate Scripturæ, et veterum scriptorum Ecclesiasticorum. » Et infra: « Scholastici viderunt in Ecclesia esse Satisfactiones, sed non animadvertebant, illa speculata instituta esse, tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, et rem prorsus politicam: ideo superstitiose finxerunt, eas non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere. »

Joannes Calvinus lib. III. Instit. cap. 4. §. 39. loquens de Satisfactionibus, quæ leguntur apud veteres: « Vocarunt, inquit, ut plurimum Satisfactionem, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui Excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiore: indicebantur enim illis pœnitentibus certa jejunia, et alia, quibus se prioris vitæ vere, et ex animo pertæsos esse approbarent, vel potius priorum memoriam oblitterarent: atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere. » Hæc ille, qui his verbis satis ostendit, se non admittere Satisfactionem qua Deo satisfiat; et in superioribus explicaverat, se non solum satisfactionem quoad culpam, sed neque etiam quoad pœnam, ullo modo admittere: cujus argumenta paulo infra dissolvemus.

Martinus etiam Kemnitius loco sæpius notato, ac præcipue pag. 1087. id præcipue in Tridentino Concilio reprehendi, quod exigat Satisfactionem in reconciliatione, quæ fit post Baptismum: « Ita, inquit, Concilium sententiam suam explicat: Eos qui ante Baptismum deliquerunt, dicit in gratiam a Deo recipi sine propriis satisfactionibus, propter meritum et Satisfactionem Christi: qui vero post Baptismum lapsi sunt, illis ait divinam clementiam non dimittere peccata absque uila propria ipsorum satisfactione, quam pro peccatis ipsi exsolvant. Hoc lector bene notet etc. »

Nos igitur Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. et sess. 14. canon. 13. et Ecclesiæ totius sententiam sequentes, probare aggrediemur, per opera illa pœnalia, de quibus hactenus locuti sumus, vere ac proprie Domino satisfieri pro reatu pœnæ, qui post culpam dimissam remanet expiandus.

Illud tamen antea præmittendum putamus, quod et initio libri hujus attigimus nos hoc loco de Satisfactione illa verba facere, quæ (ut nostri loquuntur) ex condigno quidem pœnam temporalem expiet, non tamen ex rigore justitiæ. Satisfactio enim ex rigore justitiæ, duo requirit: ut satisfiat ex propriis, et ad æqualitatem, nulla videlicet præveniente, aut intercedente gratia ejus, cui debetur Satisfactio. Nos autem neque aliquid habemus, quod Dei non sit, neque possumus ullo genere honoris adæquare injuriam, quam Deo fecimus: cum injuriæ mensura æstimetur ex dignitate Dei, quæ infinita est; mensura honoris, quem illi impendimus, æstimetur ex dignitate nostra, quæ est finita, ac perexigua. Nihilominus tamen accedente gratia Dei, eaque multiplici, vere possumus aliquo modo ex propriis, et ad æqualitatem, ac per hoc juste, et ex condigno satisfacere.

Primum enim accedit gratia justificationis, per quam efficimur filii Dei, membra Christi, habitacula Spiritus sancti: et hac ratione, opera nostra, ut a Spiritu Christi in nobis habitante procedunt, quamdam habent infinitatem, ac per hoc etiam quamdam æqualitatem cum injuria, qua Deum peccando affeceramus.

Accedit rursus alia gratia, cum Deus, qui nostra omnia sibi jure vindicare posset, non omnia, quæ facere possumus, imperat, sed certa quidem opera duntaxat, alia vero permulta non imperat, suadet, atque ad ea facienda hortatur, ut lib. II de Monachis copiose

ostendimus. Ex qua Dei benignitate illud consequitur, ut habeamus opera propria, et indebita, quibus pro injuria satisfaciamus : quanquam ea est benignitas Dei, ut etiam quæ munera ipsius sunt, nostra esse merita patiatur et quæ de manu ejus accepimus, sibi donari libenter admittat.

Accedit præterea alia gratia. Nam Deus cum nos ad amicitiam suam per reconciliationem iterum recipit, a pœna, cujus debitores eramusæt, ernitatem aufert, ac de æterna temporalem facit. Ita igitur intelligimus, per nostra opera Domino satisfieri, non ex rigore justitiæ, sed gratia ipsius eaque multiplici præcedente, et comitante, atque id nobis donante, ut habeamus, unde ex propriis, et ad æqualitatem pro pœna temporali satisfacere valeamus.

Hac explicatione præmissa, probanda est veritas primum testimoniis Scripturarum, Deinde, traditione veteris Ecclesiæ.

## CAPUT VIII.

*Ex Scripturis probatur, Deo satisfieri posse pro pœna temporali, culpa dimissa.*

Primum igitur Scripturæ testimonium esse potest, quod habetur Isaïæ cap. 4, ubi Dominus promittit remissionem plenam, ac perfectam peccatorum quasi præmium quoddam, iis qui non tantum laverint ac mundaverint se per contritionem, sed etiam in bonis operibus misericordiæ se exercuerint. Sed de hoc loco plura dicemus cap. 15. in solutione tertii argumenti Joannis Calvinii.

Alterum testimonium habetur Daniel. 4 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Et Prov. 16 : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas* (1). Hic enim habemus vocem Redemptionis, quæ æquivalet voci Satisfactionis, quam Lutherus in divinis litteris inveniri negabat. Certe enim non minus ad justitiam pertinet Redemptio, quam Satisfactio : et si absurdum esset dicere, nostris operibus satisfieri pro peccatis, multo esset absurdus dicere, nostris operibus redimi peccata : quemadmodum ipsi etiam hæretici gravius ferunt, si dici velimus aliqua ex parte redemptores, quam satisfactores. Cum igitur Scriptura non uno in loco

disertis verbis tradat, nostris operibus redimi peccata, profecto non abhorret ab usu Scripturæ quod nos dicimus, nostris operibus satisfieri pro peccatis. Quemadmodum autem refellatur Calvinii expositio cap. 3. ostendimus.

Sed fortasse objiciet aliquis, non dixisse Danielem, Pœnas tibi debitas eleemosynis redime ; sed, *Peccata tua eleemosynis redime*, proinde locutum esse de redemptione culpæ ; quam nos ipsi fatemur non esse veram et propriam redemptionem.

Respondeo : in sacris litteris nomen peccati sæp numero accipi pro pœna, sive pœnæ reatu, ut Gen. 43. *Nisi reduxero puerum, ero peccati reus in te omni tempore.* Deuteron. 5. *Reddens iniquitatem patrum in filios.* III Regum I. *Erimus ego, et filius meus Salomon peccatores.* Et hoc modo accipi potest illud quod adduximus ex Proverbiis : *Misericordia et veritate redimitur iniquitas* (2).

Locus autem Danielis duobus modis exponi solet. Uno modo ut per peccatum intelligatur culpa, sive inimicitia cum Deo : et tunc significatur illis verbis, posse hominem pœnitentiam per eleemosynas placare Deum ex congruo, atque ab eo gratiam reconciliationis impetrare. Ex qua interpretatione id sequitur, ut si opera hominis nondum justificati, tamen cum auxilio Dei speciali facta tantum valent ad reconciliationem, ut ex congruo dicantur redimere culpam : multo magis opera hominis justis, ex Spiritu inhabitante facta, tantum valeant ad expiandam pœnam temporalem, ut ex condigno dicantur redimere pœnam.

Alio modo exponuntur a nonnullis ea verba, ut per peccatum sola pœna intelligatur. Sed quia Nabuchodonosor impius erat, et non solum pœnæ sed etiam culpæ remissione indigebat, idcirco auctores illi volunt, sententiam Danielis esse hiuleam, ac subintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam, et quærendam reconciliationem Daniel regem sit cohortatus, ac tum demum addiderit de expianda pœna : *Peccata tua eleemosynis redime.* Cæterum plenus commentarius erit si verba Danielis intelligamus de perfecta remissione peccati quoad culpam et pœnam ; ita ut cohortatio sit ad magnas et frequentes eleemosynas, quibus primum disponatur Rex ad reconciliationem, deinde etiam pœnam ex condigno redimat ; quemadmodum

(1) Dan. IV, 24 ; Prov. XVI, 6. — (2) Gen. XLIII, 9 ; Deut. V, 9 ; III Reg. I, 21 ; Prov. XVI, 6.

intelligendus esse videtur locus ille Luc. 2 : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (1). Ad quem modum etiam loquitur S. Cyprianus in serm. de lapsis, ubi opera pœnitentiæ requirit, quibus primum venia peccatorum impetretur, deinde etiam corona gloriæ acquiratur.

Tertium testimonium positum est in illis verbis præcursoris : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, Luc. III (2), quod testimonium adversarii non recte exponunt de novitate vitæ, et observatione legis divinæ. Nam facere fructum dignum pœnitentiæ, est operari eo modo, quo decet eum qui Pœnitentiam profitetur; qui autem pœnitentiam profitetur quod aliquem læserit, non solum cessat a lædendo, nec solum cavet in futurum ne quid in eum committat, sed etiam damnum resarcit, compensat injuriam, male facta corrigit, et emendat.

Atque in hunc modum locum istum veteres exposuerunt. S. Gregorius homil. 20. in Evang : « Aliud, inquit, est fructum facere Pœnitentiæ, aliud dignum Pœnitentiæ fructum facere. Ut enim de dignis pœnitentiæ fructibus loquamur, sciendum est, quod quisquis illicita non commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur, sicque opera pietatis faciat, ut tamen si voluerit, ea quæ mundi sunt non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortassis, quod gravius est, in adulterium lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto se meminit et illicita perpetrasse. » Vide eundem lib. VI. cap. 2. in primum Regum, ubi cum tria ad Pœnitentiam requirat, mentis conversionem, oris confessionem et peccati vindictam; hoc tertium, ex testimonio a nobis allato de dignis Pœnitentiæ fructibus confirmat.

Beda lib. I. in Luc. cap. 2. repetit verba Gregorii jam citata. Idem etiam Beda in Psalm. 4 : « Sacrificate, inquit, sacrificium justitiæ, quasi dicat : Ita dico ut irascamini præteritis peccatis, ut sacrificetis sacrificium, id est, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus Pœnitentiæ, tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit Pœnitentia, quod erit sacrificium justitiæ. »

Petrus Dàmiani in serm. 2. de S. Andrea : « Ne tibi blandiaris, si graviter peccanti, levior Pœnitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur, cum in Purgatoriis ignibus

perficiendum sit, quidquid hic minus feceris : quia dignos Pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. »

Christianus Druthmarus in cap. 3. Matth. : « Fructum, inquit, dignum Pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, et bona e contrario agere, et male commissa eleemosynis redimere. »

Isichius lib. IV. in Levit. cap. 14 : « Hæc, inquit, opera necessaria habet, quæ virtutibus, et actionis studio valeant delere peccata : propter quod Joannes Baptista populo Judæorum dicebat, Facite fructum dignum Pœnitentiæ. » Et paulo infra, explicans quæ sint ista opera, sive fructus Pœnitentiæ, dicit esse Orationem intentam, Eleemosynam, vigiliis, saccum, jejunium, lacrymas.

Sanctus Joannes Chrysostomus homil. 10. in Matthæum, exponens hunc ipsum locum : « Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus? si utique peccatis adversa faciamus. Verbi gratia, aliena rapuisti? incipe donare jam propria; longo es tempore fornicatus? a legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare; injuriam, vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conviciis; et percutientes te, nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende; neque enim vulnerato sufficet ad salutem, tantummodo spicula de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antea, et temulentia diffluebat? jejunio, et aquæ potu utrumque compensa. »

Pacianus in epist. 3. Sympronianum : « Vides, inquit, in sarmentis fructum requiri, id est, bona opera Pœnitentiæ, sicut Joannes ait, Facite fructum dignum pœnitentiæ. Vides sarmenta purgari : quæ sunt detrimenta carnis damna lætitiæ, damna patrimonii, vitæ labores, qui actus proprie pœnitentium sunt. »

Hi certe Patres non solum vitæ novitatem, et legis obedientiam requirunt, ut digni fructus Pœnitentiæ censeantur, sed etiam ut a licitis nos abstineamus, ut opera faciamus quæ valeant delere peccata, ut male facta laboriosis operibus puniamus, ut scelera bonis operibus redimamus, ut vitiorum plagas abstinentiæ medicina curemus, ut crapulam et ebrietatem (ut Chrysostomus loquitur)

(1) Luc. XI, 41. — (2) Luc. III, 8.



aquæ potu, ac jejuniis compensemus. Denique Pacianus, detrimenta carnis damna lætitiæ damna patrimonii, et vitæ labores, id est, jejunia, fletus, eleemosynas profusas, et cæteras vitæ asperitates, quas alioqui nulla lex imperat, fructus dignos pœnitentiæ esse definit. Digni autem fructus recte dici non possent, nisi re vera sufficerent ad injuriam compensandam, si non ad æqualitatem quantitatis, saltem ad æqualitatem proportionis, et juxta acceptationem ejus qui fuerat læsus.

Quartum testimonium habetur II Cor. VII, ubi B. Paulus inter alios bonos fructus sanctæ tristitiæ, quæ Pœnitentiam in salutem stabilem operatur, ponit Vindictam. Neque multum refert an Apostolus loquatur de vindicta, quam is, qui Pœnitentiam agit, de seipso sumit, an de ea, quæ injungitur ab alio: satis enim nobis est, probari ab Apostolo pœnas, quæ vindictæ nomine inveniuntur in Pœnitentia. Vindicta enim ad præteritum respicit, et ad justitiam pertinet, neque aliud est, nisi id quod nos dicimus Satisfactionem: ideo enim sumit unusquisque de peccatis suis pro amore Dei vindictam, vel a Sacerdote injunctam libenter admittit, ut injuriam Deo factam ea ratione compenset.

Et quamvis Calvinus, ut supra notavimus, multis in locis neget, ullam pœnam pro peccatis nostris exigi a nobis; tamen lib. III. Instit. cap. 3. §. 15. hunc locum Apostoli tractans, ita loquitur: « Postrema est vindicta: quo enim severiores in nos sumus, et acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium, ac misericordem Deum. Et certe fieri non potest, quin anima divini Judicii horrore percussa, partes ultionis in exigenda de se pœna occupet ». Quo loco aperte concedit, Apostolum Paulum loqui de pœna, quæ vindictæ nomine a pœnitente suscipitur.

Quintum testimonium colligitur ex Levit. cap. 4. 5. et 6. ubi sacrificia diversi pretii, pro æstimatione ac mensura delicti imperantur. Fuisse autem ea sacrificia compensationem, ac satisfactionem pro reatu pœnæ temporalis expiando, probabitur cap. 15. in responsione ad argumenta Calvini, in solut. 5. argumenti.

Huc afferri possunt illa omnia Scripturæ loca, quæ docent, opera hominum justorum, meritoria esse vitæ æternæ. Nam si opera

justorum eam vim habent, ut vitam æternam vere, et proprie mereantur: nullo modo negari potest, quin etiam efficacia esse possint ad satisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis; siquidem longe majus est gloria æterna, quam pœnæ temporalis remissio. Certe inter homines, si quis Regem suum injuria affecisset, ac deinde in amicitiam restitutus, ita se gereret, ut merito operum suorum in societatem regni admitteretur; quis ambigeret, eundem officiis erga regem, pecuniarum debitum facile posse redimere?

Scripturæ testimonia pro meritis vitæ æternæ passim occurrunt: sed duo nobis hoc loco sufficient. Alterum est Matth. XX: *Voca operarios, et redde illis mercedem* (1), quo loco, et vox Mercedis, et nomen operariorum, et pactum cum operariis ex denario diurno, non permittunt nos aliter hunc locum exponere, quam de meritis proprie dictis, quibus ex justitia merces debetur: denarium autem diurnum, qui eo loco pro mercede ponitur, communi consensu Patres docent esse vitam æternam. Vide Ambrosium lib. VII, in Lucam cap. 66. Hieronymum lib. II. in Jovinianum. Augustinum lib. de sancta Virginitate, cap. 26. Gregorium lib. IV. Moralium, cap. 42. Chrysostomum, et alios in hunc locum Matthæi.

Alterum testimonium est. II Timoth. IV. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus* (2), certe corona justitiæ, quæ redditur a justo judice, veram et propriam laborum, meritumque mercedem significat. Sed de his hactenus: nam de meritis operum suo loco fusius disseremus.

## CAPUT IX.

*Ex traditione veteris Ecclesiæ probatur Satisfactio.*

Nunc afferemus testimonia veteris Ecclesiæ. Ac primum ætate prima post Apostolos, id est, post annum Domini 100, habemus Justinum, sive quicumque fuit auctor quæstionum, quæ in Justini operibus continentur. Is igitur quæst. 79. quærit, cur Josiam regem Deus permiserit gladio cædi, cum vir san-

(1) Matth. XX, 8. — (2) II Tim. IV, 8.

ctissimus fuisset ; respondet autem his verbis : « Cæterum luctuosum vitæ finem propterea Jesias retulit, quod jussioni Hieremiæ non paruerit, qui ei ex mandato Dei dixerat, ut ne progredere ad obviandum regi Ægypti in bellum, sicut ait Hieremias. Quapropter ut eum purum a peccatis ex hac vita reciperet Dominus Deus, ideo permisit illum inobedientiæ ejus ferro Ægyptio pœnas exsolvere. » Quod si mortem illam Deus permisit, ut purum Josiam a peccato reciperet : ergo mortis pœna expiatio fuit peccati ; et proinde (quod est idem) satisfactio pro peccato ; et si pœna illa mortis violentæ, expiatio fuit peccati, ad eundem modum cæteræ pœnæ, quæ post peccatum exiguntur a pœnitentibus, non sunt satisfactiones coram hominibus tantum, sed etiam coram Deo : neque solum in remedium contra futura, sed etiam in vindictam, et compensationem præteritorum exiguntur.

Œ. Irenæus lib. III. cap. 37. loquens de Pœnitentia Adami : « Timor, inquit, Domini initium intelligentiæ, intellectus vero transgressionis fecit Pœnitentiam, pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus. Etenim per succinctorium in facto ostendit suam Pœnitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, existentibus et aliis foliis multis, quæ minus corpus ejus vexare potuissent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, et retundens petulantem carnis impetum. » Et infra ponit verba ipsius Adami : « Quoniam, inquit, eam, quam habui a Spiritu sanctitatis, stolam amisi per inobedientiam : et nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præstat, mordet autem, et pungit corpus. Et hoc semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos. » Ex hoc testimonio discimus, fructum Pœnitentiæ dignum, non esse solum ut Adversarii volunt, novam obedientiam mandatorum ; non enim Deus mandaverat, ut Adam indumento illo tam aspero uteretur : sed esse pœnam sponte susceptam, quæ dolore corpus afficiat, et voluptatem ex peccato perceptam ea ratione compenset. Quocirca recte Irenæus indumentum illud Adami vocat condignum inobedientiæ amictum. Inobedientia enim ex superbia nata fuerat, et idcirco justum, et condignum erat, ut humilitate compensaretur : amictus autem ille, non solum carnem punctionibus affligebat, ut ob dele-

ctationem illicitam Domino satisfaceret, sed etiam vilitate ad cor humiliandum valebat, ut superbiam, et inobedientiam compensaret. Atque hinc videtur postea factum, ut pœnitentes sacco, sive cilicio communiter uterentur. Idem lib. IV. cap. 26. in fine : « Dicebat, inquit, ut facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, et ut veterem cupiditatem per opera bona solverent, et sequerentur Christum. Quoniam autem ea, quæ possidentur, pauperibus divisa, solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus fecit manifestum : Ecce, dicens, dimidium bonorum meorum do pauperibus. »

Tertullianus in lib. de Pœnitentia : « Offendisti, inquit, sed reconciliari adhuc potes, habes cui satisfacias, et quidem volentem ». Et infra : « Satisfactio confessione disponitur ». Et paulo ante : « Quam porro ineptum, Pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere ? hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere : hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit : hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. » Ex hoc testimonio habemus nomen Satisfactionis, quod Lutherus sublatum cupiebat : habemus satisfieri Deo, non autem soli Ecclesiæ, ut Adversarii docent : habemus, Satisfactionis opera ex condigno redimere pœnas peccatorum, nam ideo pretium, redemptionem, et compensationem Tertullianus appellat.

Post annum Domini 200. habemus Origenem. Is homil. 6. in Exod., sic loquitur : « Si quis forte hujusmodi pecuniam a Diabolo deceptus, accepit, non usquequaque desperet, misericors enim et miserator Dominus, et creaturæ suæ non vult mortem, sed ut convertatur et vivat. Pœnitendo, flendo, satisfaciendo delet quod admissum est ». Item homil. 15. in Levit. ubi dixerat posse redimi peccata in hac vita, subjungit : « Si tamen invenerit manus tua pretium, quod restituat. Quale pretium ? Pœnitentiæ suæ dubio lacrymis congregatum, et manibus, id est, labore boni operis inventum ». Homil. 3. in lib. Judic. : « Vide, inquit, benignum Dominum, misericordiam cum severitate miscentem, et ipsius pœnæ modum justa et clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti ; tanto nihilominus tempore humilia te ipsum Deo, et satisfacito ei in confessione Pœnitentiæ. »

S. Cyprianus lib. i. epist. 3. scribens adversus eos, qui non præmissa plena satisfactione, pacem pœnitentibus dabant : « Elaborant, inquit, ne Deo indignanti satisfiat. » Et infra : « Datur opera, ne satisfactionibus, et lamentationibus justis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur ». Item lib. iii. epist. 14 : « Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros, ut qui possunt agere Pœnitentiam veram, Deo Patri, et misericordii, precibus et operibus suis satisfacere, seducentur ut magis pereant. » Item in sermone de opere et eleemosynis : « Nec haberet, inquit, quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens justitiæ, et misericordiæ operibus ostensis, viam quamdam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodum quascumque contrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, et dicit : « Eleemosynis et fide delicta purgantur : non utique, illa delicta, quæ fuerant ante contracta ; nam illa Christi sanguine, et satisfactione purgantur. » Ex hoc testimonio apertissime dicimus, discrimen inter Baptismum, et Sacramentum Pœnitentiæ, quod adversarii perspicere nunquam potuerunt. Nam ante Baptismum non exigitur Satisfactio, cum Christi sanguine per Baptismum plenissime applicato, purgantur peccata omnia, non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam alterius vitæ, tum æternam, tum temporariam : post Baptismum autem necessaria Satisfactio est, quoniam (ut supra ostendimus) per absolutionem Sacerdotalem remittitur quidem culpa, et pœna æterna, sed non tota pœna temporalis alterius vitæ. Idem Cyprianus in sermone de lapsis : « Dominus, inquit, orandus est, Dominus nostra Satisfactione placandus ». Et infra, in ultimis verbis, posteaquam dixerat : « Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis, ac noctes fletibus ducere, stratos solo adhærere cineri, in cilicio et sordibus volûtari, etc. », ita subjungit : « Qui sic Deo satisfecerit, qui Pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit ; exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper lætam faciet Ecclesiam : nec jam solam Dei veniam merebitur, sed coronam. »

Post annum Domini 300. S. Antonius Magnus in epist. 4. extrema, dicit Deum aspicerre ad jejunia plurima, vigiliis, meditationes assiduas, preces largas, abdicationem rerum

hujus mundi, et cæteros labores pœnitentium, et sic eorum misereri.

Lactantius lib. iv. de vera sapientia, cap. 17 : « Volens, inquit, vitæ ac salutis nostræ pro æterna sua pietate consulere, Pœnitentiam nobis in illa circumcissione proposuit, ut si cor nudaverimus, id est, si peccata nostra confessi, satis Deo fecerimus, veniam consequamur. » Idem. lib. v. de Justitia, cap. 13. « Deo, inquit, satisfacere licet; et lib. vi. de vero cultu, cap. 13. « Circumspice, inquit, conscientiam tuam, et quantum potes, medere vulneribus : nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim si Deo largiare, quia peccaveras : nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoque agere Pœnitentiam jubet. » His verbis Lactantius Cyprianum, ut videtur, secutus, hortatur Pœnitentes ad eleemosynarum largitionem : ac dicit peccata tolli et aboleri per eleemosynas, si hominem pœniteat peccasse ; et ideo quia peccavit, nimirum ut satisfaciatur Deo ; eleemosynas largiatur : non tolli autem nec aboleri, si fiducia largiendi homines peccent, id est, si eleemosynas largiantur : ut liberius peccent. Eodem lib. cap. 24. idem auctor : « Potest, inquit, reduci, et liberari, si eum pœniteat actorum, et ad meliora conversus, satisfaciatur Deo. »

S. Hilarius in Psalm. 118. exponens versiculum ultimum litteræ Phe : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei* : « Conscius, inquit, peccatorum veterum, ut historia ipsa docetur, licet toto corde se direxerit, tamen quia et peccati sui dolorem ante re ipsa scripserit, tunc cum Nathan Propheta arguente, crimen suum recognovit, et flevit : nunc quoque non desinit veræ Pœnitentiæ lacrymis, facti veteris crimen abluere. » Et infra : « Hæc penitentiæ vox est lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, et per hanc confidentiam dicere : Lavabo per singulas noctes lectum meum. Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, ut largo lacrymarum imbremadiefieri. » Ex hoc testimonio habemus Davidem post perfectam conversionem, et indulgentiam culpæ adeptam, lacrymis peccatum olim commissum abluisse, quia videlicet intelligebat, post culpam remissam, reatum pœnæ remansisse ; qui Satisfactione purgandus esset : habemus etiam, veniam peccati esse, fonte fletuum fluere, id est, copiosis lacrymis veniam sine dubio obtineri :

Idem can. 4. in Matth. non procul a fine : « Quia charitas, inquit, plurimum peccatorum tegit, et errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est; novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius aliquantum criminum culpa redimamur. » Vide quam perspicue magnus hic Doctor operibus charitatis redimi dicat eam pœnam, quam culpa debebamus.

S. Basilius in Psal. 29. exponens versiculum illum : *Convertisti planctum meum in gaudium mihi* : « Sed, inquit, et lamentantur nobis prophetæ, ad luctum nos provocantes, ut simul ad confessionem, et cognitionem peccatorum nostrorum delati, ex Prophetice sermonibus, nostrum lugeamus exitium, laboribus multis, et ærumnis nostram carnem affligendo. Et sane qui talis est, lugubris vestis dirumpitur, quam sibi circumposuerat, suum lugens peccatum : huic tandem circumponitur amictus lætitiæ, et pallium salutis etc. » Hoc loco satis aperte Magnus Basilius docet laboribus et ærumnis, quibus affligitur caro, acquiri lætitiæ indulgentiæ, ac salutis. Idem etiam in oratione super illa verba : *Attende tibi*. « Attende, inquit, tibi, ut pro delicti proportionem, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est, et grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso, et continenti jejunio. Levis est : nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur Pœnitentia. » Hic vero apertissime agnoscit Basilius Satisfactionem condignam esse debere, et eam proportionem cum peccato exigere, ut vere per eam offensio compensetur.

S. Ambrosius in epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem : « Quæ nobis, inquit, salus esse potest, nisi jejunio eluerimus peccata nostra? » Idem lib. II. de Pœnitentia, cap. v : « Utrumque, inquit, beatum dixit, et cuius iniquitas remittitur per lavacrum, et cuius peccatum tegitur operibus bonis; qui enim agit Pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendationibus factis operire, et tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum. » Idem ad Virginem lapsam, cap. 8 : « Grandi plagæ, inquit, alta, et proluxa opus est medicina : grande scelus, grandem necessariam habet Satisfactionem. » Idem in lib. de Elia, et jejunio, cap. 20. « Habemus, inquit, plura subsidia, quibus peccata no-

stra redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venialis es, peccatis tuis venundatus es : redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. »

S. Gregorius Nazianzenus in oratione de pauperum amore, prope extrema : « Misericordia, inquit, et fide peccata purgantur. Ergo miseratione purgemur, animique labes, et inquinamenta, egregia illa herba detergamus ac dealbemus, alii ut lana, alii ut nix pro misericordiæ videlicet proportionem. » Idem in oratione in sanctum lavacrum, dicit, cicatricem ex peccatorum vulneribus remanentem, obduci obnixis precibus, multo luctu, et gemitu, et lacrymis. Idem oratione in sancta lumina, posteaquam multa dixerat de Baptismo laborioso Pœnitentiæ, subjungit : « Æquale est malum, et dimissio absque castigatione, et castigatio sine venia; quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc vero nimium restringit; » qua sententia pulchre refellit Novatianos et Lutheranos (licet hi nondum nati essent) Novatiani enim castigationem admittebant sine spe absolutionis; Lutherani contra absolutionem sine castigatione concedunt. Quare sicut Cyprianus de Novatianis dixit, illos subtraxisse de Satisfactione medicinam, lib. IV epist. 2. ita nos dicere possumus de Lutheranis, eos e contrario subtrahere de medicina satisfactionem.

S. Pacianus in Parænesi ad Pœnitentiam, extrema : « Obtestor, inquit, et deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna, quam primum remedia salutis invadere, dejectere mœroribus animum, sacco corpus involvere, cinere perfundere, macerare jejunio, mœrore conficere, multorum precibus adjuvare. In quantum pœnæ non vestræ pepercitis, in tantum vobis Deus parcat. » Et infra : « Ecce polliceor, si ad patrem vestrum vera Satisfactione redeatis, nihil ulterius errando, nihil pristinis adjiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid, et flebile; Peccavimus in conspectu tuo, Pater, jam non sumus digni nomine filiorum : continuo de vobis et pecus illud recedet immundum, et siliquarum esca deformis etc. »

Post annum Domini 400. habemus in primis tres summos sanctissimosque Pontifices. S. Innocentius I. in epist. I. cap. VII. « Cæterum, inquit de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis et ad fletus, atque lacrymas corrigentis; ac tum debere dimit-

ti cum viderit congruam Satisfactionem. » Idem in epist. 22. ad Episcopos Macedoniae, cap. IV : « Ergo, inquit, si ita est, applicentur ad ordines sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione Ordinationis crimina, vel vitia putantur auferri : nullus sit Pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. » Hinc certe sine ambiguitate discimus, longa Satisfactione criminum, remissionem acquiri.

S. Leo I. serm. 1. de jejunio decimi mensis : « Oratione, inquit, propitiatio Dei quaeritur, jejunio concupiscentia carnis extinguitur, eleemosynis peccata redimuntur. » Idem in epist. 79. ad Nicetam, cap. v : « De iis Christianis, qui inter eos, a quibus fuerant captivati, cibus immolatiis asseruntur esse polluti, consultationi tuæ charitatis hoc etiam respondendum esse credidimus, ut Pœnitentiæ Satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione spectanda est. » Idem in epistola 91. ad Theodorum, rursum repetit, salubri Satisfactione pœnitentes purgari; et in epist. 92. ad Rusticum, cap. 2, de Sacerdotibus pœnitentibus loquens : « Unde, inquit, hujusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei, privata est petenda secessio, ut illis Satisfactio si fuerit digna, sit etiam fructuosa. »

S. Gelasius I. in epist. 1. ad Episcopos Lucaniae, Brutii et Siciliae, cap. XXIII : « Viduæ, quæ propria voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali Deum Satisfactione placare debeant. »

Præter hos Pontifices, habemus insignes Theologos, Græcos et Latinos. Sanctus Johannes Chrysostomus in 2. lib. de Sacerdotio, non longe a principio : « Non temere, inquit, ad delictorum modum oportet et mulctam ipsam adhibere : sed tanquam ex conjecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus etc. » et homil. 41. ad populum Antiochenum : « A nobis, inquit, ultionem sumamus, ita placabimus Judicem. » Idem hom. 2. de lapsu primi hominis : « Ostendit, inquit, Dominus quibus officiis possint delicta purgari : ostendit, confessione et deformitate cultus, veniam posse facillime impetrari.

Theophilus Alexandrinus in 1. Paschali epist. extrema : « Præterita, inquit, peccata pœnitentia corrigamus, præsentis fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conscien-

tiæ in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus. »

S. Hieronymus in cap. I. Joelis, explicans illa verba : *Accingite vos, et plangite* : « Qui, inquit, peccator est, et quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur; et plangat vel propria delicta, vel populi; et ingrediatur ecclesiam de qua propter peccata fuerat egressus, et cubet, vel dormiat in sacco, ut præteritas delicias, per quas offenderat Deum vitæ auteritate compenset. » Idem in epist. ad Eustochium de obitu Paulæ matris, ita Paulam loquentem inducit : « Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, et cerussa, et stibio sæpe depinxi : affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis : longus risus perpeti compensandus est fletu : mollia linteamina, et serica pretiosissima, asperitate cilicii commutanda. »

S. Augustinus in Enchiridio, cap. LXX : « In melius, inquit, est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus, ut ea semper liceat impune committere : nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non Satisfactio congrua negligatur »; et cap. LXXI : « De quotidianis autem brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. » Item in epist. 56. ad Macedonium : « Nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat : eo quippe modo sibi non parcenti ille parcent, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit. » Item homil. 50. cap. II. ex lib. 50. homiliar : « Veniat peccator ad Antistites, per quos in Ecclesia claves ministrantur, et tamquam bonus incipiens jam esse filius, maternorum membrorum ordine custodito a Præpositis sacramentorum accipiat Satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus, et supplex, id tamen agat, quod non solum illi prosit ad suscipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum; » et infra cap. xv : « Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo, etc. » Item in Psalm. 50. in illa verba : *Et a peccato meo munda me* : « Implora misericordiam, sed attende justitiam; misericordia est ut ignoscat peccato, justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam? peccatum impunitum remanet? respondeat David, respondeant lapsi,

respondeant cum David, ut misericordiam mereantur sicut David, et dicant : Non Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, sed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio. » Hic certe locus aperte convincit, Satisfactionem nostram non requiri solum ad exemplum, vel disciplinam politicam, sed ut injuria Deo compensetur, et divinæ justitiæ satisfiat.

Maximus homil. in die Cinerum : « Non reprehenditur, inquit, ille, qui dudum corde devio, et lubricis gressibus a tramite elapsus salutis, redintegrare se Deo mesta pœnitentiæ Satisfactione conatur. »

Severus Sulpitius lib. II. Dialogorum de miraculis S. Martini, cap. XIII : « Fornicatio, inquit, deputatur ad pœnam, nisi Satisfactione purgetur. »

Joannes Cassianus collat. 20. cap. VII. « Dum agimus pœnitentiam, et vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est, ut ignem conscientiæ nostræ abortus ex confessione culpæ lacrymarum imber extinguat : cum vere cuiquam in hac humilitate cordis, et spiritus contritione defixo, atque in labore et gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, et conscientiæ spine de medullis animæ, gratia Dei miserantis evulsa, certum est eum ad Satisfactionis finem, atque indulgentiæ merita pervenisse, et ad universorum criminum labe purgatum. » Vide etiam eundem collat. 23, cap. XV.

Theodoretus in Epitome divinatorum decretorum, cap. de Pœnitentia : « Sunt, inquit, medicabilia etiam quæ post Baptismum fiunt, vulnera : medicabilia autem non ut olim, per solam fidem data remissione, sed per multas lacrymas, et fletus, et luctus, et jejunium, et orationem, et laborem facti peccati quantitati contemperatum. »

S. Paulinus in epist. 12. ad Severum : « In sæculo, inquit, corrupti muneribus reorum iudices condemnantur : sed quisquis homo præventus in aliquo peccato, diffidens innocentiae tuæ, affers pretium salutis tuæ Judici nostro ; ne verearis quasi corruptionis injuriam justitiæ Dei faceres : accipit a te Christus libenter salutis tuæ pretium ; » et paulo ante de eodem pretio, id est, de eleemosynis loquens, sic ait :

Iste docet fuis redimens sua crimina nummis,  
Vilior ut sit res, quam sua cuique salus.

Salvianus Massiliensis, in libris quos no-

mine Timothei ad Ecclesiam scribit, lib. 1. de misericordia, sic ait : « Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit ? quando satisfaciet, qui tempus Satisfactionis amisit ? » Et infra : « Si novit quisquam hominum peccatorum, quantum redimere delicta possit, utatur scientia ad redemptionem : si vero nescit cur non offerat quantum potest ? »

Post annum Domini 500. Cassiodorus in Psalm. 37 : « Et cogitabo pro peccato meo, id est, talia te donante faciam, quæ meum possint abolere peccatum : scilicet fletus adhibebo, eleemosynas faciam, et ab hoc quod deliqui, mandatorum tuorum me observatione purgabis. »

S. Gregorius lib. 6. in I Regum, explicans cap. 15 : « Non solum, inquit, confitenda sunt peccata, sed etiam pœnitentiæ austeritate delenda. » Item ibidem : « Corrigibilia e quidem peccata portantur, quia postquam a delinquentis voluntate discedunt, purgari Satisfactione salubriter possunt. » Vide eundem lib. 3. in I. lib. Regum, cap. 7. et lib. 2. epist. 27.

Hesychius, sive Isichius (quem æqualem Gregorii fuisse putamus, ut diximus in secundo lib. de Eucharistia, cap. 32.) lib. 2. in Leviticum, exponens cap. 6 : « Carnes, inquit, pœnitentiæ intelligimus jejunium, vigiliam, cilicinum vestimentum, cum lacrymis orationem, eleemosynam : ex his enim consistit pœnitentia, quæ qui tangit recte, sanctificatur. » Vide eundem lib. 7. in cap. 25. et in cap. 27.

Post annum Domini 600. Isidorus lib. II. de summo bono cap. 13. « Ille, inquit, pœnitentiam digne agit, qui reatum suum Satisfactione legitima plangit. »

Cæsarius Arelatensis serm. 1. de eleemosyna, in quo explicat illud Apostoli I Corinth. III *Si cujus opus arserit detrimentum patietur* : Si autem, inquit, nec in tribulationibus Deo gratias agimus, nec bonis operibus ipsa peccata redimimus : tam diu illo in Purgatorio moras habebimus, quamdiu supradicta minuta peccata tamquam lignum, et fœnum, et stipula consumantur ; et homil. 6. « Non quidem dicimus, Pœnitentiam prodesse non posse : certum est, quia prodest, si cum grandi eleemosyna illam unusquisque accipiat etc. » Idem auctor in homiliis illis passim repetit, bonis operibus peccata redimi, elui, purgari.

Post annum Domini 700. Beda in 1. Psal. « Delectatio, inquit, seu voluntas peccandi,

quando ad Satisfactionem venit, leviter eleemosynis, et aliis talibus purgatur : consensus vero, non nisi gravi pœnitentia deletur : consuetudo autem, non nisi recta et ponderosa Satisfactione absolvitur. » Idem in Psalm. 4 : « Mortificetis propria vitia vestra, faciendo fructus dignos pœnitentiæ ; tantum scilicet pro singulis vos affligendo, quantum digna expetit pœnitentia, quod erit sacrificium justitiæ, id est, justum sacrificium. »

Post annum Domini 800. Rabanus lib. vi. in Eccles. cap. 7 : « Quid, inquit, est aliud pœnitere, nisi irasci sibi, ut horreat quod fecit, et cruciatus a se exigat, ne Judex iratus potius affligat ? » Vide eundem lib. viii. cap. 3.

Post annum Domini 900. Radulphus lib. xii. cap. 1. in Leviticum : « Ab unoquoque nostrum, inquit, pœnitentiæ Satisfactione commissa culpa detergitur ; » et lib. xviii. cap. 4. « Venditores possessionis hæreditatis æternæ hi sunt, qui claves regni cœlorum a Domino susceperunt, quibus commissa est potestas, ut ligent et excludant peccantes, solvant et introducant pœnitentes. Istitis ergo juxta Domini præceptum, providendum est, ut in hoc mercimonio non gravent cives suos, majorem Satisfactionem exigentes ab eis, quam peccati qualitas requirit. Emptor quoque caveat necesse est, ne Dei dispensatorem contristet, si tepida mente sui delicti veniam petens, justam Satisfactionis mensuram non explet. »

Post annum Domini 1000, Petrus Damianus serm. de S. Andrea : « Ne tibi blandiaris, si graviter peccanti, levior pœnitentia a mansueto, vel a dissimulante dictatur : cum in Purgatoriis ignibus perficiendum sit, quidquid hic minus feceris : quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus. »

Post annum Domini 1100. S. Bernardus serm. 4. in Cantica : « Cum, inquit, satisfacimus ut ablato, quod separat, peccato reconciliemur, indulgentiam quam recipimus, quid nisi quoddam osculum dixerim pacis ? Idque interim non alibi, quam ad pedes sumendum : humilis quippe, et verecunda debet esse Satisfactio, qua emendatur superba transgressio. »

Huc usque testimonia Patrum annotasse sufficiat ; nam Doctorum scholasticorum, qui post hæc tempora de iisdem rebus accuratius scripserunt, adversarii ne legere quidem, vel audire dignantur.

## CAPUT X.

*Responsiones Hæreticorum ad testimonia Patrum.*

Videamus nunc, quid adversarii ad Patrum testimonia responderè solcant. Lutherus in assert. artic. 5. non concedit, testimonia ulla veterum esse, quæ de Satisfactione loquatur : « Quare, inquit, verum dixi, arbitrariam istam Satisfactionem nec in Scripturis, nec in Patribus inveniri ; inveniri autem pœnam irremissibilem a Deo impositam, ut Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. » Sed Lutherus, aut non legerat, aut se non legisse fingeat, monumenta veterum ; jam enim ostendimus, singulis ætatibus non defuisse, qui Satisfactionem docerent.

Lutherum secutus Philippus in Apologia Confessionis Augustanæ, art. de Confessione et Satisfactione, negat exstare veterum testimonia de Satisfactione, qua Deo pro peccatis satisfiat : « Hæc tota res, inquit, commentitia est, recens conficta, sine auctoritate Scripturæ, et veterum scriptorum Ecclesiasticorum. Ac ne Lombardus quidem de Satisfactionibus hoc modo loquitur. Scholastici viderunt in Ecclesia esse Satisfactiones, nec animadverterunt, illa spectacula instituta esse, tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi in Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, et rem prorsus politicam : ideo superstitiose finxerunt, eas non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere. »

Primum nescio qua fronte Philippus negare audeat, apud Lombardum exstare testimonia de Satisfactione illa, de qua Scholastici loquuntur, cum Scolastici apud Lombardum invenerint ea, de quibus ipsi copiosius disserunt. Certe Lombardus lib. 4. Sentent. dist. 16. posteaquam multa de Satisfactione dixerat, eamque ex Scriptura, et Patribus deduxerat, ita conclusit totam eam distinctionem : « Ad agendam pœnitentiam non sufficit, mores in melius commutare, et a malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt, satisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperatoribus eleemosynis. » Et quoniam hæc

verba Lombardus ex homil. 50. S. Augustini mutuatus est; ex iisdem verbis simul ostendimus, non solum apud Lombardum, sed etiam apud Augustinum exstare testimonium de Satisfactione, qua ipsi Domino, non autem solis hominibus satisfacimus.

Deinde non solum testimonia a nobis allata plane convincunt errorem Philippi, sed etiam Calvinus, Kemnitius, et Illyricus ejusdem Philippi vanitatem redarguunt. Illyricus enim ingenue fatetur, omnes fere Patres agnoscere Satisfactionem, quæ Dominum placet, et peccata redimat. Nam Centur. 3. partim cap. 4. in fine, ubi ponit inclinationem doctrinæ, partim cap. 10. ubi ponit vitas Doctorum, citat Tertullianum, Origenem, et Cyprianum. Centur. 4. partim cap. 4. in inclinatione doctrinæ, partim cap. 10. citat Hilarium, Nazianzenum, Ambrosium, Lactantium, Hieronymum, Theophilum Alexandrinum, Antonium Magnum. Centur. 5. partim cap. 4. in inclinatione doctrinæ, partim cap. 10. citat Chrysostomum, Augustinum, Leonem, Prosperum, Maximum, Paulinum, Cassianum, Hesychium. Centur. sexto, septimo, octavo, nono, decimo, et undecimo, in iisdem locis, citat Cassiodorum, Gregorium, Isidorum, Bedam, et alios, quos omnes reprehendit ut qui ea de Satisfactione docuerint, quæ a Catholicis nunc docentur.

Sed quemadmodum laudanda est Illyrici ingenuitas, et diligentia, qui sententias omnium ferme Patrum studiose collegit, eaque Lutheri dogmatibus esse contraria, negare contra manifestam veritatem noluit: ita cæcitas animi, et impudentia, ne dicam stoliditas, et vecordia vituperanda, quod sibi persuadere potuerit, plus uni Lutheri, quam omnibus omnium ætatum Doctoribus esse credendum. Scilicet omnes Patres, quamvis alioqui doctissimi, et sapientissimi, in hoc articulo cæsi fuerunt, et sacras litteras ignorarunt: unus Lutherus lumen aspexit, unus Scripturas recte interpretari potuit.

Joannes Calvinus tametsi conetur utcumque respondere, tamen fatetur, quod res est, Patres a partibus nostris stare, eosque reprehendere, quam sequi, utilius esse, stultissime judicavit. Lib. III. Institut. cap. 3. §. 16: «Ejusmodi, inquit, exercitia sæpe commemorant vetusti scriptores, cum de pœnitentiæ fructibus loquuntur: quamquam autem vim pœnitentiæ minime in illis reponunt, veniam tamen mihi dabunt lectores, si dixero quod sentio. Plus æquo certe insistere in his mihi

videntur: ac si quis prudenter expendat, mihi (ut spero) assentietur dupliciter eos modum excessisse.» Et cap. 4. §. 38. «Patrum, inquit, me movent, quæ in veterum Scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes fere quorum libri exstant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis aspere, et dure locutos.» Et lib. IV. cap. 12. §. 8: «Qua in parte, inquit, excusari nullo modo potest immodicæ veterum austeritas, quæ et prorsus a Domini præscripto dissidebat, et erat mirum in modum periculosa.» Hæc ille, qui satis aperte arrogantiam suam, et superbiam intolerandam prodit; dum ipse unus tot Ecclesiæ lumina, quæ variis temporibus non solum insigni doctrina, sed etiam probitate incomparabili, pars etiam miraculis, aut martyrio claruerunt, prorsus contemnere, et castigare non erubescit.

Sed videamus quid præter contemptum istum Patrum, pro responsione Calvinus afferat. Lib. III. Institut. cap. 4. §. 38 et 39. tria proponit, ex quibus testimonia nobis prolata nonnihil infirmari videntur.

Adducit primum duo loca Chrysostomi, et alia duo Augustini, contra Satisfactionem. Sed ea paulo post in argumentorum solutione discutiemus. Interim nemo non videt, quatuor obscura loca duorum Auctorum, præjudicare non posse testimoniis plurimis, atque apertissimis Auctorum supra triginta, quæ nos adduximus.

Deinde dicit, «Vocasse Patres Satisfactionem, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cum in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiores.» Et paulo post: «Atque ita dicebantur non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere: quod etiam his ipsis verbis ab Augustino expressum est in Enchiridio» cap. 65.

At dicit quidem loco notato S. Augustinus oportere pœnitentes Ecclesiæ satisfacere, sed non addit negationem illam, «Non Deo.» Idem autem Augustinus, non uno in loco disertis verbis scribit, ipsi etiam Deo satisfaciendum. In eodem Enchiridio cap. 70: «Per eleemosynas, inquit, de peccatis præteritis est propitiandus Deus,» et cap. 71. «De quotidianis, levibusque peccatis, quotidiana oratio fidelium satisfacit»; ubi licet non exprimat, cui, tamen sine dubio intelligitur, Deo: neque enim pro levibus,



quotidianis peccatis jubemur publice orationem Dominicam quotidie recitare, sed satis est si privatim in cubiculo, ubi solus Deus exaudiat, recitetur. Idem homil. 50. cap. 15 : « Non suffieit mores in melius commutare, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo. » Quid clarius? Nec minus perspicue id ipsum tradunt Tertullianus, Cyprianus, et cæteri, quos capite superiore produximus. Idem quoque S. Augustinus Psal. 50. ut supra notavimus, Satisfactionem requirit, ut peccatum non maneat impunitum, ut eo modo non solum misericordia Dei in remissione resplendeat, sed etiam veritas, et justitia locum habeant; quo etiam pertinet, quod multi veterum quos supra citavimus, peccata per Satisfactiones redimi, deleri, expiari, purgari dicunt.

Ultimo addit Calvinus, testimonia, quæ Catholici scriptores pro Satisfactione adducunt, bona ex parte esse Canones ex insulsis Monachorum deliriis, quæ sub Ambrosii, Hieronymi, Augustini, et Chrysostomi nomine feruntur, a Petro Lombardo collectos.

Sed testimonia, quæ citavimus, non ex Lombardi sententiis, sed ex ipsis veterum Patrum monumentis accepimus : et res ipsa per se fidem faciet, si quis ea testimonia legere, et ad suos fontes revocare voluerit. Quamquam neque illud admittimus, Petrum Lombardum Canones collegisse ex insulsis Monachorum deliriis : fuit enim is vir apprime doctus, et in Hilarii, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, aliorumque Patrum, ac præter cæteros in Augustini libris diligenter versatus.

Jam vero Martinus Kemnitius non negat in Patribus multa de Satisfactione extare, sed partim aperte reprehendit eorum sententias, partim revocat ad tropicas, atque hyperbolicas locutiones; sic enim loquitur in 2. par. Exam. pag. 1082 : « Veteres, ut ritus illos Satisfactionum hominibus magis commendarent, sæpe cohortatorie magis, quam vere, juxta Chrysostomi dictum, de ritibus illis per hyperbolem locuti sunt, peccata scilicet, et pœnas peccatis debitas, purgari, compensari, tegi, judicem placari, et reconciliari operibus illis Satisfactionum; » et paulo infra, ubi citasset Origenem, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, et Gregorium, ita subjungit : « Et Cyprianus in illis hyperbolicis Satisfactionum commendationibus, eo usque progreditur, ut affirmet peccatum non dimitti, nisi absolutis, et com-

pletis illis canonicis Satisfactionibus; et in sermone de eleemosyna, excidit ipsi hoc inconsiderate dictum : Delicta, quæ ante Baptismum contracta fuerunt, Christi sanguine, et Satisfactione purgari; sordes vero postmodum contractas, eleemosynis ablui : et addit, remedia propitiando Deo in lapsibus post Baptismum, hæc esse : operationibus justis Deo satisfacere, misericordiæ meritis delicta purgare. Hæc profecto nimium transcendens veritatem est oratio. Joannes enim illis, qui post Baptismum peccant, dicit : Hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : nec pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi. » Hæc ille.

Sed quod attinet ad reprehensionem sanctorum Patrum, qui clarissima illa lumina vituperare audet, non illis ignorantiae, aut imperitiæ, sed sibi superbiæ, atque arrogantiae, notam inurit.

Neque loca illa Cypriani censuram Kemniti metuant. Ubi enim Cyprianus scribit, peccata non dimitti, nisi completis canonicis Satisfactionibus, non loquitur de quacumque remissione peccati, sed de plena, atque integra remissione quoad culpam, et pœnam tum æternam, tum temporalem. Quare non negat Cyprianus, hominera lapsum post Baptismum, ante completam Satisfactionem posse Deo reconciliari; sed negat plene remitti peccatum illi quoad culpam, et omnem pœnam, nisi per opera laboriosa divinæ justitiæ fuerit satisfactum. Id autem non negari a Cypriano, perspicuum est ex epist. 17. et 18. lib. 3. ubi periculo mortis imminente, jubet idem Cyprianus lapsos reconciliari, etiamsi nondum pœnitentiæ tempus impleverint : et quia recte noverat Cyprianus, eis qui plene dum viverent, non satisfecerant, peccata non esse plene remissa quoad omnem pœnam, ideo disertis verbis in epist. 2. lib. iv. scribit, nonnullos post mortem longo tempore cruciari : « Aliud, inquit, est pro peccatis longo tempore cruciatum purgari, et emendari diu igne : aliud peccata omnia passione purgasse. »

In alio vero loco a Kemnitio reprehenso, non negat Cyprianus peccata post Baptismum commissa merito passionis Christi deleri; sed negat, solo illo merito plene deleri, quoad omnem culpam et pœnam. Hoc enim (ut sæpius dictum, et probatum a nobis est)

interest inter Baptismi, et pœnitentiæ Sacramenta, ex sententia Scripturæ, et sanctorum Patrum, quod in Baptismo non requiritur satisfactio ex parte nostra, sed plene atque integre, ad omnem culpam et pœnam delendam, Christi passio applicatur : in Sacramento autem Pœnitentiæ ita Christi passio applicatur ad culpam et pœnam æternam tollendam, ut tamen requirat ex parte nostra opera laboriosa, quibus pro reatu pœnæ temporalis divinæ justitiæ satisfiat. Quocirca idem Evangelista Joannes, quem adversus Cypriani sententiam perperam adducit Kemnitijs, licet in epistola sua vere dixerit peccata post Baptismum facta Christi sanguine expiari, tamen adolescenti cuidam post Baptismum in multa crimina delapso, ac pœnitentiam agere cupienti, non id præcepit, quod Lutherani solent, ut Christi sanguine peccata sua purgata esse certo crederet, sed preces, et jejunia indixit ; neque id solum, sed ipse etiam Joannes pro eo longo jejunio se maceravit, ut ex Clemente refert Eusebius lib. III. histor. Eccles. cap. 47. Atque hactenus de reprehensione testimoniorum Cypriani.

Quod autem Kemnitijs hyperbolem esse contendit in sententijs Patrum de Satisfactione, duobus modis refellitur. Primum enim etiamsi concederemus esse hyperbolem in illis testimonijs Patrum, adhuc tamen haberemus argumentum solidissimum contra adversarios. Hyperbolica enim locutio requirit, ut vere aliquid subsit in re, licet non tam excellenter, quam verba significant alioqui enim non hyperbole, sed mendacium esset, neque tamen ejusmodi figuris ornaretur, quam vitaretur oratio. Scribit David Ps. 106. de navibus in mari periclitantibus : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* ; hæc quidem hyperbolica locutio est tamen nisi revera naves a fluctibus interdum valde alte sustollerentur, et deprimerentur, non figuram, sed mendacium (ut diximus) contineret. Ad eundem igitur modum, nisi opera laboriosa aliquid, vel potius nisi multum valerent ad pœnam peccatorum expiandam, et Deum placandum, non hyperbolice, sed falsæ prorsus veterum sententiæ dici deberent. Itaque si qua est hyperbole in illis encomiis Satisfactionis, quæ apud Patres inveniuntur ; in eo est, quod verba Patrum significare videantur, operibus

Pœnitentiæ purgari peccata, quoad culpam et pœnam, eamque tum æternam, tum temporalem : cum tamen re ipsa, ac sine hyperbole, quoad pœnam tantum eamque solum temporariam, ejusmodi operibus crimina expientur.

Cæterum etiamsi in eorum Patrum testimonijs hyperbole admitti possit, qui in concionibus ad populum de Satisfactione dissecebant ; tamen nullo modo probabile est, hyperbolice esse locutos eos, qui vel contra Hæreticos libros de Pœnitentia scripserunt, ut Ambrosium, Tertullianum, et alios ; vel in epist. Decretal. ad consulta Episcoporum respondebant, ut Innocentium, Leonem, Gelasium ; vel in commentarijs, aut alijs ejusmodi libris doctrinam Ecclesiasticam simpliciter tradebant, ut Hieronymum in comment. Prophetarum, Augustinum in Enchiridio, Gregorium in explicatione lib. Regum, Theodorum in Epitome divinarum decretorum, Cassiodorum, Isichium, Isidorum, Bedam, Rabanum, Radulphum, et alios, quos capite superiore protulimus. Porro isti omnes non minus perspicue Satisfactionibus peccata redimi docent, quam Cyprianus, Pacianus, Chrysostomus, et alii, qui in concionibus ad populum de Satisfactione dissebuerunt. Ac de his satis.

## CAPUT XI.

*Solvuntur argumenta quædam Lutheri contra sententiam Ecclesiæ de Satisfactione.*

Nunc demum argumenta solvenda sunt, ac præcipue Lutheri, Melanctonis, Calvinii, Kemnitijs. Sed quoniam Lutheri argumenta et leviora sunt, et a multis viris doctissimis jamdudum excussa, et dissoluta, pauca solum attingam, ut ex iis judicium de cæteris fiat.

Primum igitur in serm. de indulgentiis, quem habuit anno 1518. ad initium videlicet tragœdiæ a se excitatæ, ex verbis Ezechielis Prophetæ demonstrare nititur, post dimissam culpam, nullam exigi a Deo pœnam, sive pœnitentiam, sed novam tantummodo vitam. Ezechiel enim cap. 33. inducit Domini

(1) Psal. CVI, 26. — (2) Ezech. XXXIII, 12.

num ta loquentem : *Impietas impii non nocebit ei quacumque die conversus fuerit ab impietate sua* (1) ; ex quo loco colligi videtur, nullas superesse pœnas, quas Deus repetat ab impio post conversionem ; quia si aliqua superesset pœna, certe adhuc noceret impio impietas sua.

Respondeo : sententia Prophetæ non est, quod nihil omnino impietas noceat impio post conversionem ; sed quod non noceat ad obtinendam et conservandam gratiam Dei, et salutem æternam : nam quid sit nocere, aut non nocere explicat ibidem Propheta, cum non semel repetit, impium post conversionem non moriturum, et justum post aversionem non victurum. Quemadmodum igitur non prosunt justitiæ justo, si a Domino avertatur, quia non possunt efficere ut non moriatur : sic etiam non nocent impio omnes impietates, si ad Dominum convertatur, quia non possunt efficere, ut moriatur.

Et confirmatur hæc explicatio evidentissimo argumento. Nam si impietas impio post conversionem nullo modo noceret, etiam quoad pœnam temporalem : eodem modo justitia justo post aversionem nullo modo prodesset, etiam quoad præmium temporale. Nam Deus in eo loco dicit : « Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit, et impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit » ; et cap. 18. sicut dicit Deus non recordaturum se iniquitatum, quas impius gessit, si Pœnitentiam egerit, ita quoque dicit, non recordaturum se justitiarum, quas justus operatus est, si peccaverit. At negari non potest, quin sæpe numero Deus opera bona impiorum remuneret temporali mercede, ut sancti Patres docent, Chrysostomus hom. 67. ad populum Antiochenum Hieronymus in cap. 29. Ezechielis ; Augustinus lib. v. de civit. Dei, cap. 15. Gregorius homil. 40, in Evangelia. Sicut igitur bona opera post aversionem dicuntur non prodesse justo, quia non eum liberant a morte sempiterna, licet non fraudentur temporali aliquo præmio : sic etiam impietas dicitur post conversionem non nocere impio, quia non impedit vitæ æternæ consecutionem, licet pœnam temporalem secum ferat.

Denique si Deus per Prophetam testaretur nullam omnino pœnam se de peccatore sumpturum post conversionem : qua ratione Mosem, Aaronem, Davidem, et alios tam

multos post conversionem temporaliter punivisset, ut Scripturæ divinæ testantur, quarum testimonia jam ante protulimus ? Quare necesse est, aut Scripturam Scripturæ repugnare, quod absurdissimum est ; aut (quod est verissimum) alteram ex altera explicari : proinde pœna temporalis de Davide post conversionem sumpta, apertissime docet, locum Ezechielis intelligendum esse de pœna sempiterna, quæ per conversionem tollitur, non de pœna temporali, quæ post conversionem manet.

Secundum argumentum habetur in lib. de captivitate Babylon. quem edidit anno 1520. Nam in eo lib. cum ad Sacramentum Pœnitentiæ venisset, multa scripsit de Satisfactione, sed inter multa verba partim inania, partim mendacia, nihil est quod aliquam argumenti speciem ostendat, præter exemplum Christi, Joan. 8. qui cum adulteram absolvens, dixit : *Vade, et noli amplius peccare* (1) ; non aliam satisfactionem ab illa exegit, nisi ut deinceps bene viveret.

Respondeo, primum non constat, utrum adulteram Dominus a peccatis solverit, an solum a pœna lapidationis liberaverit ; certe verba illa : *Nec ego te condemnabo : vade et noli amplius peccare*, nihil aliud significare videntur, nisi : Neque ego te ad lapidationem adjudico, sed cave ne iterum peccando in idem periculum incidas. Quare nihil hic locus pro Satisfactione, vel contra Satisfactionem facit.

Deinde esto, remiserit Dominus adulteræ peccatum : quis novit, an non tantam in ea Dominus contritionem viderit, ut nulla præterea satisfactione opus esse judicaverit ? nam nec nos diffitemur, tantam aliquando vim contritionis in aliquo reperiri posse, ut sola sufficiat ad omnem culpam, et pœnam expiandam ; qualem fuisse in Maria Magdalena, facile mihi ipse persuadeo.

Denique alia ratio Christi est, alia Sacerdotum. Ille, qui Dominus erat, suo jure poterat omnem culpam et pœnam adulteræ condonare : Sacerdotes, qui ministri sunt, juxta leges sibi traditas coguntur pœnitentibus multam injungere.

Tertium argumentum Lutherus habet in assertionem omnium articulorum suorum, quam edidit anno 1521. Nam in assertionem articuli quinti, more suo ab auctoritate negativa sumit argumentum, et quidem his verbis :

(1) Joan. VIII, 15.

« Satisfactionem, inquit, negavi, qualem ipsi docent : quod mihi non erit difficile probare. Ostendant si possunt ubi in tota Scriptura unus apex, aut iota scribatur, pro peccato mortali uno debere satisfieri septem annis : dicant ubi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuatur Christus, et Apostoli. Nonne hæc omnia sunt postea inventa ab Episcopis ? imo dent unum ex antiquis Patribus, in quo legantur quadragenæ, septenariæ, et similia. Ubi fecerint, libens revocabo.»

Respondeo : non esset quidem necessarium ex Scripturis, et Patribus ea demonstrare, quæ requirit Lutherus, si summo jure agere vellemus : non enim contendimus determinationem certarum pœnarum sive quoad tempus, sive quoad modum, esse juris divini. Quemadmodum enim in multis aliis rebus generatim Christus præscripsit quid agi vellet, determinationem autem quoad tempus, locum, modum, et cætera similia, Ecclesiæ potestati reliquit, ut sanctus Augustinus testatur in epist. 86. ad Casulanum de jejuniis, et in epist. 118. ad Januarium, de sumenda Eucharistia : sic etiam dicere nobis liceret, Christum in genere Pœnitentiam peccatoribus imperasse, modum autem et tempus, et similia, definitioni Ecclesiæ reliquisse.

Verumtamen non erit difficile, in divinis litteris ostendere multam septem annorum pro peccato, quam Lutherus quærit. Lib. II. Regum cap. 24. cum David peccasset in Deum, ac deinde resipiscens dixisset : *Pecavi valde in hoc facto, sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egimus* (1), non remisit ei Deus continuo, ut Lutherus in primo argumento contendebat, omnem culpam et pœnam, sed culpa remissa pœnam indixit septem annorum, aut si mallet, aliam brevioris, sed durioris, trium videlicet mensium, aut denique aliam brevissimam, dierum trium, sed gravissimam. Habemus igitur non apicem, aut iota unum, sed integram, planamque sententiam Scripturæ divinæ, ubi pro uno peccato pœna septennis indicitur. Neque longe abest a proposito nostro quod scribitur Daniel. 4. regem Nabuchodonosor pro peccato superbiæ septem temporibus, id est, septem annis, gravissimam pœnam Deo jubente luisse. Num. XII, Maria soror Mosis pro peccato murmurationis jussu Domini septem diebus extra castra morari coacta est.

Quod autem Lutherus indicari postulat locum, ubi pro differentibus peccatis differentes pœnæ constituantur ; habemus testimonium luculentum in Deuteronomio. cap. XXV. *Pro mensura delicti, erit et plagarum modus* Et Apocal. XVIII. *Quantum se glorificavit, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum* (2) ; ex his enim locis perspicue discimus diversa peccata, diversas exigere pœnas, majora videlicet majores, et minora minores.

Quod vero pertinet ad sanctos Patres, quorum vel unum sibi demonstrari cupit Lutherus, qui meminerit quadragenarum et septenarum, id est, pœnitentiæ quadraginta dierum, aut septem annorum : nos pro uno Patre Concilia antiquissima Patrum plurimorum dabimus. In Concilio Ancyrano celebrato ante Nicœnum I. Concilium, id est, ante annos 1270, can. 8, injungitur septennis pœnitentia iis, qui coacti bis, terve, idolis sacrificaverant, et in eodem Concilio pro variis delictis, aliquando duorum, aliquando trium, aliquando etiam decem annorum pœnitentiæ indicuntur. In Concilio Nicæno I. trecentorum decem et octo sanctorum Patrum, can. 11. indicitur pœnitentia annorum undecim iis, qui præter necessitatem prævaricati sunt ; et can. 12. quibusdam aliis annorum 13. pœnitentia imperatur. In Concilio Elibertino, quod circa tempus Concilii Nicæni celebratum est, can. 5. mulieri, quæ ancillam verberando necavit, septem annorum injungitur pœnitentia.

Denique innumerabilia sunt ejusmodi testimonia, quæ tum in ipsis Conciliis, tum apud Ivonem, et Burchardum decretorum collectores legi possunt, ex quibus Lutheri imperitia, qui ne unum quidem Patrem pro septenni pœnitentia proferri posse credidit, facile cognosci potest.

## CAPUT XII.

*Solvuntur argumenta Philippi, Melanchthonis ex Locis communibus.*

Jam vero Philippus Melanchthon in Locis communibus tit. de Satisfactione, quædam alia argumenta congessit, quæ hoc loco solita brevitate solvemus.

Primum, exemplo Gentilium conatur

(1) II Reg. XXIV, 40. — (2) Deut. XXV, 2 ; Apoc. XVIII, 7.

ostendere, Satisfactionem apud veteres Christianos nihil aliud fuisse, nisi publicam excommunicationem, et certa signa reatus, atque etiam pœnas externas, quæ injungebantur publicis peccatoribus exempli et disciplinæ causa : et profert exempla quædam de Phœnice apud Homerum de Oreste, Peleo, Antilocho, Adrasto, et similibus, qui leguntur in historiis, sive potius in fabulis Græcorum.

Respondeo, exstare vestigia quædam Satisfactionis apud Ethnicos libenter admittimus, id enim argumento est, naturale iudicium docere, post admissam culpam necessariam esse Satisfactionem : tamen nullo modo credibile est, Christianos ab Ethnicis satisfaciendi ritum habuisse ; cum in utroque testamento tam multa et tam perspicua inveniuntur præcepta, et exempla Satisfactionis. Cur enim, obsecro, primi illi Christiani a Phœnice, potius, aut Oreste, Peleo, Antilocho, vel Adrasto, Satisfactionem didicissent, quam a Job, Davide, Achabo, Manasse, Ninivitis, et aliis, qui in Scripturis sanctis Deum verum per opera Pœnitentiæ placare studuisse inveniuntur ? et quid opus erat in fabulis Græcorum opera Pœnitentiæ quærere, cum in Scripturis Prophetæ, et Apostoli, et Christus ipse tam frequenter ad ea opera homines adhortetur.

Sed illud nullo modo ferendum est, quod Philippus scribit, exempli solum, et disciplinæ causa impositas satisfactiones in usu fuisse apud veteres. An exempli, et disciplinæ causa. Rex Achab, cui nemo Satisfactionem imponere ausus fuisset, cilicium ad carnem sponte sua gerebat, et dormiebat in sacco, ac jejunabat, ut legimus lib. III. Regum cap. 21. an potius ut soli Deo, qui videt in abscondito, satisfaceret ? Joram quoque rex Israel, cum tempore belli et famis Deum per Pœnitentiam placare cuperet, cur cilicium gerebat occulte, ut habemus lib. IV. Regum cap. 6. nisi quia non hominibus, sed Deo satisfacere cupiebat ? Quod idem ex rege David intelligi potest, qui solo Dei oculo contentus, lavabat per singulas noctes lectum suum, et humiliabat in jejunio animam suam, et panem sicut cinerem manducabat, ut ipse de se in Psalmis loquitur : ut omittam testimonia Patrum, qui disertis verbis testantur, per opera Pœnitentiæ Deum esse placandum, atque illi potissimum satisfaciendum : quæ testimonia supra posuimus.

Alterum Philippi argumentum constat ex

variis causis, quibus Deus in hoc mundo affligit Ecclesiam. Nam posteaquam enumeravit decem causas, ita concludit : « Omittantur ergo fabulæ de compensatione Purgatorii, quæ nulla habent testimonia in Scriptura prophetica, et apostolica, et cogitentur aliæ majores causæ calamitatum, ut iram Dei agnoscamus, et expavescamus, et rursum veram consolationem nobis proponamus. »

Respondeo, multis modis argumentum peccat. Primum, non reddit causam afflictionum, quas vel ipsi pœnitentes sponte sua assumebant, ut Ninivitæ, Job, David, et cæteri ; vel Ecclesia pœnitentibus injungebat, ut ex tot Conciliis supra probavimus ; sed earum tantum quas a Deo immisas, velint nolint, homines tolerare coguntur. Etsi autem nos fatemur flagella divinitus immissa, si æquo animo tolerantur, non parum prodesse ad Satisfactionem : tamen magis proprie satisfactionis dicuntur labores sponte assumpti, vel a iudice spirituali inpositi ad compensandam injuriam Deo factam.

Deinde non probat Philippus non esse alias causas calamitatum, quas Deus immittit, præter illas decem, quas ipse enumerat. Et quemadmodum ipse reperit causas, non unam, aut duas, sed decem, ita possumus et nos undecimam addere, quæ cæteris nihil repugnet : ea vero est, ut homines Christiani calamitates, quibus a Deo premuntur, libenter sustinentes, Purgatorii pœnas evadant.

Denique ex illis ipsis causis, quas ipse adducit, colligi potest, valere Satisfactiones ad pœnas Purgatorii compensandas, quod ipse negat. Fatetur enim Philippus in prima et octava causa, Deum calamitatibus suos affligere, ut eorum peccata puniat : fatetur etiam paulo post, id est, pag. sequenti, ejusmodi calamitates per Pœnitentiam nostram mitigari, et aliquando penitus tolli, idque ex divinis litteris probari posse dicit. Quod igitur ipse docet de pœna temporali hujus vitæ, nos extendimus etiam ad pœnam temporalem vitæ futuræ, quæ Purgatorii pœna nominatur. Esse autem Purgatorium post hanc vitam negat Philippus, et ideo negat pœnam alterius vitæ per Pœnitentiam mitigari, vel tolli : sed si admitteret Purgatorium, admitteret consequenter (quod ex iis quæ ipse docet, aperte sequitur) Purgatorii pœnam per pœnitentiam mitigari, vel tolli. Porro, Purgatorium esse, nos in 2. tomo Controversia-

rum ex Scripturis et Patribus clarissime demonstravimus : proinde nihil est, quod in hoc argumento diutius immoremur.

Postremum argumentum in Locis communibus, ducit Philippus ab absurdis, quæ in Scholasticorum doctrina, quam ipse doctrinam Monachorum vocat, reperiri dicit : « Multa sunt, inquit, deliramenta in opinione Monachorum, quorum aliqua satis est refutasse. Satisfactiones Monachorum obscurant legem, et Evangelium, et amplificat dignitatem traditionem humanarum : fingunt enim in Satisfactionibus aliquid amplius fieri, quam legem Dei ; somniant reliquis operibus legi Dei satisfactum esse. Necesse est autem in Ecclesia exstare hanc doctrinam, quod in hac vita procul absint etiam renati a perfectione legis. Deinde obscurant Evangelium, quia fingunt, mortem æternam nostra compensatione aboleri, imo indocti facile transferunt Satisfactiones etiam ad remissionem culpæ. Tertio amplificat traditiones humanas ; definiunt enim Satisfactiones esse opera non debita, hoc est, cæremonias humanas, certorum dierum jejunia, certorum ciborum abstinentiam, certarum precum lectionem. Necesse est autem in Ecclesia exstare hanc doctrinam : Frustra colunt memandatis hominum, id est, observationes humanæ non sunt cultus Dei, ac multo minus æstimationis tantæ, ut sint compensatio pro morte æterna. »

Respondeo, omitto quod doctrinam Catholicam, per contemptum Philippus doctrinam Monachorum nominat : neque enim conviciis, sed argumentis certare mihi propositum est, quamquam eam doctrinam, quam Philippus oppugnat, non Theologorum tantum Scholasticorum, quorum plerique Monachi fuerunt, sed etiam omnium veterum Patrum esse, paulo ante ostendimus.

Quod igitur attinet ad illa tria, quæ adversus doctrinam de Satisfactione objiciuntur, quod videlicet obscuret legem, quod obscuret Evangelium, et quod amplificet dignitatem traditionum humanarum. Primum repugnat Scripturæ et Patribus universis. Secundum, non modo est falsum, sed etiam ipso teste Philippo falsum esse convincitur. Tertium et est aperte falsum, et supra a nobis cap. 4. et 6. refutatum.

Primum Scripturæ et Patribus repugnare,

perspicuum est ex cap. 19. Matthæi, ubi Dominus consilia a præceptis distinguens, ostendit, posse homines justificatos per gratiam Dei non solum implere legem ; sed etiam aliqua alia opera Deo gratissima facere, quæ imperata non sint. Nam interroganti adolescenti : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* (1) respondit Dominus : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Cumque ille diceret, se omnia servasse a juventute sua, adjecit Dominus, et ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni sequere me ;* de quo loco fuse disseruimus in II. lib. de Monachis, cap. 9. ubi etiam multa alia adduximus testimonia Scripturarum ad rem eandem confirmandam : et in eodem libro, cap. 11. adduximus testimonia Patrum Latinorum et Græcorum, qui disertis verbis affirmant, posse hominem Christianum per Dei gratiam plus facere, quam Deus præcipiat. Quare necesse est in Ecclesia exstare hanc doctrinam, posse omnes Christianos (ut Concil. II. Arausicanum, can. ultimo tradit) post acceptum Baptismum, cum Dei adjutorio, quæ ipsi Deo sunt placita, si fideliter laborare voluerint ad implere.

Alterum autem (ipso teste Philippo) falsum esse, ac proinde Philippum sibi non constare, ex ejus verbis demonstrari potest. Scribit enim hoc loco, per Satisfactiones Evangelium obscurari, propterea quod Monachi fingant, mortem æternam nostra compensatione aboleri : at non dicunt hoc, sed negant potius Monachi, id est, Scholastici Doctores ; quod in eodem titulo de Satisfactione, docuit Philippus his verbis : « Monachi hic definiunt Satisfactiones Opera non debita, quibus volunt redimi pœnas Purgatorii, aut certe alias pœnas temporales : Sic enim docent, Deum cum sit misericors, remittere culpam, sed cum sit justus, et vindex, mutare pœnam æternam in temporalem Purgatorii. Deinde addunt, partem pœnarum remitti potestate Clavium, partem redimendam esse Satisfactionibus : hæc est summa commenti. » Hæc ille ; qui cum docet, ex sententia Monachorum, Satisfactionibus redimi pœnas purgatorii, aut alias pœnas temporales, pœnam autem æternam non redimi nisi prius ex misericordia Dei mutata sit in temporalem, certe simul docet, ex

(1) Matth. IX, 16.

sententia Monachorum, absolute et simpliciter non redimi mortem, sive pœnam æternam, sed solum temporalem.

Porro, pœnam temporalem Purgatorii nostris operibus redimi, non solum Monachi docent, sed etiam Scripturæ, et Patres, quorum testimonia alio loco allata sunt : inter quæ illud S. Cypriani insigne est, ex epist. 2. lib. iv. « Aliud est pro peccatis longo dolore cruciatum emendari, et purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse. »

Quamvis autem Satisfactiones nostræ non sint ex condigno compensationes mortis æternæ, ut sæpe jam repetivimus, tamen opera laboriosa, quæ cum Dei auxilio fiunt a pœnitentibus, sive ex congruo, sive ut dispositiones concurrere et prodesse ad culpæ remissionem, et mortis æternæ liberationem ; Scripturæ et Patres perspicue docent, ut lib. ii. cap. 12. demonstravimus : inter cætera Paciani in Parænesi ad Pœnitentiam, post Tertullianum in libro de Pœnitentia, testimonium illud apertissimum est : « Si de cruciatu Exomologesis retractatis, Gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet. »

De tertio, id est, de amplificatione traditionum humanarum, nihil est hoc loco addendum, cum satis sit id totum cap. 4. et 6. ut paulo ante diximus, refutatum. Atque hæc ex locis.

### CAPUT XIII.

#### *Solvuntur argumenta Philippi ex Apologia Confessionis Augustanæ.*

In Apologia Confessionis Augustanæ idem Philippus præter ea, quæ ex Locis communibus adducta confutavimus, quædam profert argumenta, quibus probare nititur, Scripturas, quæ pro Satisfactione a Catholicis adducuntur, ad rem non facere, ac proinde sententiam nostram de Satisfactione non niti solidis argumentis. Sic igitur loquitur in articulo de Confessione et Satisfactione : « Multa colligi possunt argumenta, quod hæc dicta Scripturæ nullo modo pertineant ad Scholasticas Satisfactiones. Isti fingunt Satisfactiones esse opera indebita : Scriptura autem in his sententiis requirit opera debita : nam hæc vox Christi : Agite

Pœnitentiam ; vox præcepti est. » Primum hoc argumentum si ad formam ratiocinationis revocetur, ejusmodi erit : Scripturæ, quæ pro satisfactione adducuntur, præceptum divinum sonant. At Satisfactio quam Scholastici docent, ipsorum opinione, continet opera indebita, id est, non mandata divinitus : igitur pro Satisfactione Scholastica Scripturæ divinæ perperam allegantur.

Respondeo : In assumptione latet vitium ; neque enim Scholastici docent, opera Satisfactoria debere esse omnino indebita, sed alias (ut ipsi loquuntur) indebita, id est, indebita, nisi peccassent : siquidem assidua jejunia, vigiliæ, cineres, et cilicia indebita essent, si homines in innocentia permanerent.

Adde quod licet sententia sit valde probabilis sancti Thomæ, Durandi, Paludani, et aliorum in 4. distinct. 13. non recte satisfieri per opera alias debita : tamen non est improbabilis sententia Adriani in tractatu de Pœnitentia, et Cajetani quæst. 1. de Satisfactione, per opera alias debita satisfieri posse, cum Satisfactio, quam Deo reddimus, non pertineat ad solam justitiam, sed etiam ad amicitiam.

Pergit deinde Philippus et ait : « Item Adversarii scribunt, confitentem si recuset suscipere Satisfactiones, non peccare, sed persoluturum esse has pœnas in Purgatorio. Jam hæc sententiæ sine controversia præcepta sunt ad hanc vitam pertinentia : Agite Pœnitentiam ; Facite fructus dignos Pœnitentiæ ; Exhibete membra vestra servire justitiæ : quare non possunt detorqueri ad Satisfactiones, quas recusare licet ; non enim licet recusare præcepta Dei. »

Respondeo : neutra propositio hujus argumenti vicio caret. Nam quod attinet ad primum, si loquatur de Satisfactione a Sacerdote injuncta, de qua Philippus loqui videtur, non concedit melior pars Theologorum Catholicorum, posse confitentem sine peccato recusare Satisfactionem. Nam tametsi Scotus et Gabriel, et pauci quidam doceant, quod Philippus retulit : tamen Magister Sententiarum, S. Thomas, Richardus, Durandus, Paludanus, et alii permulti in 4. dist. 16. vel 18. omnino contendunt, quod et nos supra docuimus, Sacerdotem habere Claves, quibus non tantum absolvat a culpa, sed etiam ut Judex vice Dei liget ad pœnam, quam pœnitens recusare non potest, nisi judici divinitus constituto, ac proinde ipsi

Deo resistat. Veteres autem Patres tantum abest, ut recusantes mulctam a Sacerdote injunctam admissuri essent, ut nunquam ad communionem Eucharistiæ pœnitentes adire permiserint, nisi prius salubri satisfactione purgatos. Ipsa denique Concilia OEcumenica. Florentinum et Tridentinum, non facerent Satisfactionem partem Sacramenti Pœnitentiæ, nisi et a Deo institutam, et necessariam in re vel in voto esse credidissent.

Altera vero propositio ideo non caret vitio, quia præceptum illud : *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, quod unum ex tribus a Philippo notatis, nos adduximus, pro Satisfactione, datur quidem hominibus in hac vita, sed intelligitur cum conditione, si videlicet quis velit perfectam remissionem peccati, non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem pœnam : omnino enim probabile est, non obstringi eos novo peccato, qui non plene satisfaciunt in terris pro pœna temporalis alterius sæculi. Etsi enim vult Deus dignos pœnitentiæ fructus, tamen si quid minus hic solverimus, id Purgatoriis ignibus expiabitur, ut Petrus Damianus scribit in 2. serm. de S. Andrea.

Addit Philippus argumentum tertium his verbis : « Tertio, Indulgentiæ remittunt illas Satisfactiones, ut docet capit. Cum ex eo, de Pœnitentia et remissione. At indulgentiæ non solvunt nos illis præceptis : Facite fructus dignos Pœnitentiæ ; Agite pœnitentiam. Itaque manifestum est, male detorqueri illa dicta Scripturæ ad canonicas Satisfactiones. »

Respondeo. Indulgentiæ (de quibus suo loco fusius disseremus) non solvunt nos divinis præceptis, sed faciunt tamen, ut pro iis pœnis, quæ nobis per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus. Et habemus simile aliquid apud Apostolum Roman. XIII. imperat enim Apostolus, ut reddamus omnibus debita : *Cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui honorem, honorem* (1). Igitur si cui creditor debitum donaverit, aut Princeps tributum remiserit, non solvetur ille quidem Apostolico præcepto, ut non teneatur reddere omnibus debita ; sed non habebit debita, quæ reddat : neque poterit impune negare tributum ei, cui debet tributum ; sed non habebit cui debeat tributum.

Addit quarto hoc modo : « Videte porro quid sequatur, si pœnæ Purgatorii sunt Satisfactiones, seu satisfationes, aut Satisfactiones, sunt redemptio pœnarum Purgatorii. Num etiam hæ sententiæ præcipiunt, ut animæ castigentur in Purgatorio ? id cum sequi necesse sit ex adversariorum opinionibus, hæ sententiæ novo modo interpretandæ erunt : *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, hoc est, patiamini pœnas Purgatorii post hanc vitam. »

Respondeo : miror novam istam Philippi Dialecticam : Satisfactio est redemptio pœnarum Purgatorii ; igitur sententiæ, quæ præcipiunt Satisfactionem, præcipiunt ut animæ castigentur in purgatorio. Quis ita colligeret, nisi plane amens ? an qui præcipit redimi captivos, ne divexentur, aut occidantur ab hostibus, is tibi videtur præcipere, ut captivi ab hostibus vexentur, vel interficiantur ? Ergo ita colligi debet : Satisfactio est redemptio pœnarum Purgatorii. Sententiæ igitur, quæ Satisfactionem præcipiunt, id præcipiunt, ut detur opera, ne animæ purgatoriis ignibus addicantur : et sententia illa : *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*, non significat, Patiamini pœnas Purgatorii, post hanc vitam, sed ; redimite pœnas Purgatorii, et sponte satisfacite in hac vita, ne, velitis nolitis, satis patiamini post hanc vitam.

Quintum argumentum his verbis proponit : « Præterea cum certissimum sit, remissionem peccatorum gratuitam esse, seu gratis propter Christum donari sequitur non requiri Satisfactiones. »

Respondeo : Remissionem peccatorum, quod attinet ad reconciliationem amicitiae, et pœnam mortis æternæ, gratuitam esse, libenter admittimus, tum quia Scripturæ divinæ id passim testantur, tum quia certum est, non posse hominem sine Dei gratia boni aliquid agere : remissionem autem peccati quoad pœnam temporalem, ita fatemur esse gratuitam, ut etiam per Satisfactionem acquiri posse non dubitemus. Gratuitam esse dicimus, quia sine gratia Dei satisfacere non possemus, acquiri nihilominus per Satisfactionem asserimus, quia ipsa opera bona et pœnalia per Spiritum Christi facta, ex condigno reatum pœnæ temporalis expungunt. Et quemadmodum B. Paulus ad Rom. VI. vitam æternam, gratiam Dei vocat, quam II Timoth. 4. justitiæ coronam appel-

(1) Rom XIII. 7.



lat, quia ut recte docet Concilium Arausicanum can. 19, debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant, sic etiam pœnæ temporalis remissio ad gratiam, et justitiam pertinet; quia debetur remissio pœnæ temporalis Satisfactioni, si fiat, sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiat. Adde, quod si non repugnat gratuitæ remissioni peccati, redemptio pœnæ temporalis cujus vitæ, quam Philippus admittit: nulla est ratio cur eidem repugnat redemptio pœnæ temporalis Purgatorii.

Sextum argumentum in verbis sequentibus ita proponitur: « Evangelium habet mandatum gratis remittendi peccata, non imponendi pœnas, et novas leges, aut partem pœnarum imponendi, parte remissa.

Respondeo: Mandatum istud Evangelicum de peccatis remittendis gratis, id est, nulla Satisfactione imposita: nos adhuc in quatuor Evangelistarum voluminibus reperire nequivimus; invenimus autem Matth. 16. et 18. mandatum omnino contrarium. Ubi enim Apostolus dantur claves solvendi, et ligandi, ibi sine dubio sic illi iudices hominum peccatorum constituuntur, ut non solum eos a culpis absolvant, sed etiam ad pœnas ligent, prout ad salutem ipsorum judicaverint expedire. Quod enim potestas ligandi nihil sit aliud, nisi potestas refinendi peccata impœnitentibus, quod hoc loco scribit Philippus, adversarii non probant, sed dicunt tantum: quod autem ea potestas ad ea omnia vincula se extendat, quæ necessaria, vel utilia sunt ad salutem hominum renatorum, ac nominatim ad vinculam Satisfactionis, nos probamus, tum quia verba Domini generalia sunt: *Quodcumque ligaveris, et Quæcumque alligaveritis*; neque nostrum est restringere, quod Dominus amplum esse voluit: tum quia Ecclesiæ consuetudo locum istum apertissime declaravit, siquidem (ut ex Conciliis, et Patribus supra citatis perspicuum est) nullum unquam fuit tempus, quo lapsi in Ecclesia sine Satisfactione recipebantur. Quis autem credat, Ecclesiam universam ab initio prædicationis Evangelicæ, noluisse lapsos sine Satisfactione admittere si in Evangelio mandatum exstaret de peccatis sine satisfactione remittendis?

Argumentum postremum, si tamen argumentum, et non potius figmentum dici bebet, in illis verbis habetur: « Præterea mors Christi non est solum Satisfactio pro culpa,

sed etiam pro morte æterna, juxta illud: Ero mors tua o mors. Quid est igitur monstri, dicere, quos Christi Satisfactio redimat culpam, nostræ pœnæ redimant mortem æternam; ut jam illa vox (Ero mors tua) intelligi debeat, non de Christo, sed de nostris operibus; et quidem non de operibus a Deo præceptis, sed de frigidis quibusdam observationibus, excogitatis ab hominibus; et dicantur mortem abolere etiam cum fiant in peccato mortali? »

Respondeo. Tria sunt hic mendacia. Primum enim non docent Catholici, Satisfactionibus nostris redimi mortem æternam, sed pœnam solum temporalem, ut jam sæpius diximus: atque illud: *Ero mors tua*, de Christi morte, non de nostris operibus intelligendum esse, gratissime confitemur. Deinde, satisfactoria opera non in observationibus ab hominibus excogitatis, sed in Jejunio, Elemosyna, et Oratione, quæ in Scripturis præcepta, exempla, et promissiones amplissimas habent, ut supra docuimus, collocamus. Denique nemo Catholicorum docet; opera in peccato mortali facta, abolere mortem: dicunt quidem aliqui, opera in peccato mortali facta, fore satisfactoria, si is iterum ad gratiam Dei redeat, qui ea opera fecerat; sed tunc satisfactoria esse, dum is est in peccato mortali, nemo (quod sciam) dicit. Porro meliores Theologi neque satisfactoria esse, neque unquam futura concedunt ea opera, quæ in peccato mortali facta sunt; tantum abest ut his operibus mortem abolere dicant. Atque hæc ad argumenta Philippi respondisse sufficiat.

## CAPUT XIV.

*Solvuntur quædam argumenta Joannis Calvinii.*

Joannes Calvinus lib. III. Institut. cap. 4. §. 25. incipit exagitare doctrinam de Satisfactione, et quasi alter Thraso, vel Goliath Philistæus, admirabili confidentia insultat agminibus Dei viventis: « Tertium, inquit, locum Satisfactioni in Pœnitentia assignant: de qua quidquid blaterant, uno verbo subverti potest. Dicunt non sufficere pœnitenti a præteritis malis abstinere, et mores in melius commutare, nisi de iis, quæ facta sunt, satisfaciatur Deo: esse autem multa ad-

minicula, quibus peccata redimamus, lacrymas, jejunia, oblationes, charitatis officia ». Et paulo post : « Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem : qua nihil in Scripturis clarius prædicatur. »

Responsio. Quod nos blaterare dicit Calvinus, et quod uno verbo subverti posse affirmat, totidem verbis tradit S. Augustinus in homil. 50. cap. 15. ubi sic loquitur : « Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de iis, quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium cooperantibus elemosynis ». Quod etiam de subsidiis peccatorum redimendorum in nobis Calvinus reprehendit, his verbis tradit S. Ambrosius in lib. de Elia et Jejunio, cap. 20. « Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes ? redime peccatum tuum. » Neque his dissimilia leguntur in Scripturis et Patribus, quos supra citavimus : non igitur ista nos blateramus, aut fingimus, sed ex Scripturis et Patribus hausimus.

Porro gratuita peccatorum remissio, quæ clarissime in divinis litteris prædicatur, sicut Augustinum et Ambrosium, et Patres cæteros, Scripturarum diligentissimos tractatores non terruit, ita neque nos terret : in iisdem enim Scripturis utrumque legimus, gratuitam videlicet peccati remissionem, et redemptionem peccatorum per bona opera. Idem enim Spiritus sanctus, qui per Isaiam dixit : « Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non ero memor, » Isaiæ XLIII. et cætera, quæ citat Calvinus : dixit etiam per Salomonem : *Misericordia, et veritate redimitur iniquitas*. Proverb. XVI. et per Danielelem : *Peccata tua elemosynis redime*. Daniel IV. et per Lucam : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (1). Luc, VII. Itaque gratuita est peccatorum remissio, quia gratis Deus fidem et pœnitentiam nobis inspirat ; gratis ad amicitiam, et gratiam suam nos recipit, gratis culpam, et reatum mortis æternæ condonat ; gratis denique gratiam illam infundit, per quam pro pœna temporali, quæ dimissa culpa remanet, satisfacimus ; ex quo sequitur, ut gratuita peccati remissio, non solum cum Satisfactione non pugnet, sed eam potius gignat. In eo vero potissimum errat Calvinus, quod gratiam quæ in sacris litteris

prædicatur, non animadvertit opponi proprie illis tantum operibus, quæ ex propriis viribus liberi nostri arbitrii fiunt : opera enim, quæ ex gratia ipsa procedunt, adeo non opponuntur gratiæ, ut in ea potius tamquam effectus in causa includantur.

Pergit Calvinus §. 26. « Verum qua sunt perversitate, et peccatorum remissionem, et réconciliationem fieri semel dicunt, cum in gratiam Dei per Christum in Baptismo recipimur : post Baptismum resurgendum esse per Satisfactiones : sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per Claves Ecclesiæ dispensatur, etc. » et contra allegat illud 1. Joan. II : *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris*. Et illud Joan. I. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (1).

Respondeo, quod hoc loco in Catholica doctrina Calvinus reprehendit, ante mille et trecentos annos scripsit S. Cyprianus in sermone de opere et elemosynis, ubi sic loquitur : Non haberet quid fragilitatis humanæ infirmitas, atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas divina subveniens justitiæ, et misericordiæ operibus ostensis, viam quamdam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodum quascumque contrahimus, elemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis Spiritus sanctus, et dicit : *Elemosynis et fide delicta purgantur : non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta, nam illa Christi sanguine, et sanctificatione purgantur* ». In eadem sententiam loquitur Ambrosius libr. II. de Pœnitentia, cap. 5. Utrumque beatum dixit ; et cujus iniquitas remittitur per Lavacrum, et cujus peccatum tegitur operibus bonis ; atque alia id genus multa passim in Patribus reperiuntur.

Neque vero ita distinguimus inter Baptismum et Pœnitentiam, quasi peccata, quæ post Baptismum fiunt, sine Christi sanguine, solis operibus nostris expientur ; nam (ut supra non semel docuimus) peccata omnia, sive ante Baptismum, sive post Baptismum commissa fuerint, Christi sanguine, et redemptione purgantur, ut testimonia Scripturæ a Calvino adducta probant : sed hoc inter ea discrimen agnoscimus, quod in Baptismo ita plene, ita perfecte, ita copiose Christi sanguis operatur, ut peccata omnia non solum quoad culpam, sed etiam quoad omnem

(1) Isai. XLIII, 25 ; Prov. XVI, 6 ; Dan, IV, 24 ; Luc, VII, 47. — (2) I Joan. II, 1 ; Joan. I, 29.

pœnam alterius vitæ, cum æternam, tum etiam temporalem delet, ita ut nullus satisfactioni proprie locus relinquatur; in Sacramento autem Pœnitentiæ, idem Christi sanguis culpam quidem, et pœnam æternam delet, sed pœnam temporalem totam, nisi propria Satisfactione cooperante, non expiat: cujus discriminis causam ex divina justitia, atque ex aliis locis petitam supra reddidimus.

Quare non admittimus modos illos loquendi, quibus Calvinus sententiam nostram, ut eam odiosam faceret, explicavit. Non enim dicimus, remissionem peccatorum et reconciliationem semel fieri, quasi justificatio lapsorum post Baptismum, non sit vera peccatorum remissio, et reconciliatio. Neque dicimus post Baptismum resurgendum esse per Satisfactiones: non enim Satisfactio ad resurgendum a morte peccati, sed ad reatum pœnæ temporalis, qui post eam resurrectionem manet, expiandum adhibetur. Neque illud dicimus, sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per Ecclesiæ claves dispensatur: neque enim solum prodest in Sacramento Pœnitentiæ, in quo virtute clavium peccatores reconciliantur, sed etiam in Confirmatione, Eucharistia, cæterisque omnibus Sacramentis.

Deinde, §. 27. argumentum ducit ab honore Christi, et pace conscientiæ: « Ac duo, inquit, hic perpendere convenit: ut integer et illibatus suus honor Christo servetur; ut conscientiæ de peccati venia securæ, pacem apud Deum habeant etc. » allatis autem in medium testimoniis, Isaïæ, Petri, et Pauli, quibus peccatorum nostrorum purgatio Christo tribuitur, his verbis conficit argumentum: « Nunc tibi pestilentes eorum nœnias propone: Gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari; si postea ceciderimus, ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari. Hæc si locum habeant, ane quæ Christo superius sunt attributa, illi salva manent? Immane quantum hæc differunt: Iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur, et, nostris operibus expiari. Christum esse propitiationem pro peccatis nostris; et, Deum operibus propitiandum. »

Ad hanc priorem argumenti partem, quæ ab honore Christi ducta est, respondeo, multis modis peccasse Calvinum. Primum,

non recte sententiam Catholicorum exposuit, cum ait nos dicere, Gratiam Dei in prima peccatorum remissione solam operari: si postea ceciderimus, ad secundam veniam impetrandam opera nostra cooperari. Nam si agatur de remissione peccatorum quoad culpam, et debitum mortis æternæ; neque in prima, neque in secunda remissione, opera nostra cooperantur gratiæ Dei, per modum Satisfactionis proprie dictæ, et tamen cooperantur tum in prima, tum in secunda remissione, per modum impetrationis, et dispositionum. Quod enim in prima remissione, quæ videlicet fit in Baptismo, non sit gratia Dei sola, quæ operatur, sed opera etiam nostra, ut dispositiones, cooperentur; perspicuum est ex verbis illis Beati Petri Actor. II: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (1). Et ex illis Apostoli Pauli Actor. XX. *Testificans Judæis atque Gentibus in Deum Pœnitentiam, et fidem in Dominum nostrum Jesum Christum* (2). Cooperari autem fidem et Pœnitentiam, impetrando remissionem peccatorum, docet Augustinus in epist. 105. ad Sixtum, ubi sic ait: « Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat: neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori. » Et tract. 72. in Joan.: « Operanti in se Christo cooperatur homo salutem æternam, ac justificationem suam.

Itaque discrimen quod Catholici ponunt inter remissionem primam, et secundam, id est, in Baptismo, et post Baptismum in eo potissimum situm est, quod in prima condonatur omnis culpa, et pœna, et proinde nulla est necessaria Satisfactio: in secunda, condonatur culpa, et pœna æterna, remanente reatu pœnæ temporalis, pro qua Satisfactio exigatur. Atque hanc esse Catholicorum sententiam, agnoscit, et scribit idem Calvinus paulo infra in eodem cap. §. 30. sed maluit hoc loco fraudulenter eam proponere ut facilius impugnaret.

Deinde Calvinus non satis fideliter antitheses illas adduxit, cum ait: « Immane, quantum hæc differunt: iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur: et nostris operibus expiari: Christum esse propitiationem pro peccatis nostris: et, Deum operibus propitiandum. » Nam si ut paulo ante fecit opera nostra cooperari expiationi,

(1) Act. II, 38. — (2) Act. XX, 21.

et propitiationi Christi dixisset, non autem ea Christi Satisfactioni opposuisset; vidisset plane nullum esse locum exclamationi illi: « Inmane, quantum hæc differunt. » Neque enim hæc multum differunt, Iniquitates nostras positas esse in Christo, ut in ipso expiarentur: et, opera nostra a Spiritu Christi profecta, eidem Christo ad peccata expianda cooperari: neque illa multum differunt, Christum esse propitiationem pro peccatis nostris; et, opera nostra per Spiritum Christi facta, ejusdem Christi propitiationi cooperari. Certe S. Augustinus, qui præter cæteros gratiam Christi totis viribus ubique defendit, non abhorret ab his vocibus, quas hoc loco tantopere reprehendit Calvinus: « In melius, inquit in Enchiridio, cap. 70. est vita mutanda et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus. »

Tertio Scripturæ, quas ex Isaia, Petro, et Paulo Calvinus adducit, nihil minus probant quam quod ipse cupit. Quid enim Isaias dicit? *Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum, et livore ejus sanati sumus.* Isaiaë LIII. Quid Petrus? *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* I Petr. II. Quid Paulus? *De peccato damnavit peccatum in carne* (1), Rom VIII. Atqui hæc loca nihil aliud docent, nisi, Christi mortem fuisse pretium sufficiens ad omnia peccata mundi totius redimenda, sive sacrificium ad omnia omnium hominum crimina expianda: sed hoc pretium nemini prodest, nisi modo aliquo applicetur. Nam si nulla requiritur applicatio, et omnia omnino peccata Christi sanguis expiavit; unde tam multi sunt in mundo impii? cur tam multi detruduntur ad Inferos? cur tam pauci sunt qui salvantur? quid facit Baptismus? quid Eucharistia? quid fides? quid Pœnitentia? quid ipsa Evangelii prædicatio? Confitendum est igitur, Christi mortem, quæ per se ad omnia peccata abolenda sufficeret, nemini prodesse, nisi per fidem, et Sacramenta, cæteraque instrumenta divinitus instituta, singulis applicetur. Unum autem ex instrumentis divinitus institutis ad pœnam temporalem peccatorum expiandam, Satisfactionem esse, nos dicimus, nec solum dicimus, sed ex Scripturis, et omnium Patrum testimoniis comprobamus, ut ex iis quæ antea scripsimus, patuit.

Huc accedit, quod sacrificium crucis

Christi eo potissimum spectavit, ut nos Deo reconciliaret, ac de impiis et inimicis, justos et amicos Dei faceret: sic enim Apostolus loquitur: *Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus*, Rom. V. et: *De peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis*, Rom. VIII; et B. Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo per lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus* I Petr. II. (2). Id autem totum nos libentissime confitemur, non vi satisfactionis nostræ, sed solo Christi merito nos reconciliari, et justificari, sive per Baptismum, sive per absolutionem: sed cum hoc non pugnat quod dicimus, homines Christi sanguine reconciliatos, et justificados, operante in ipsis Christi spiritu et virtute, satisfacere Deo pro reatu pœnæ temporalis.

Denique quod initio argumenti Calvinus assumit, Providendum esse, ut integer et ilibatus suus honor Christo servetur; tantum abest, ut sententiæ nostræ de Satisfactione adversetur, ut eam potius stabiliat, et confirmet. Siquidem major est Christi gloria, si dicatur non solum pro peccatis nostris satisfacisse, sed etiam id membris suis donasse, ut per ejus gratiam et virtutem aliqua ex parte etiam ipsa satisfacerent: quemadmodum non derogat omnipotentiae Creatoris, sed eam potius commendat, et celebrat, qui dicit Deum non solum per se, sed etiam per servos suos miracula facere. Viderint igitur adversarii, ne dum pro Christi honore certare se credunt, operibus gratiæ, et Christi membris, et ipsi Spiritui sancto injuriam faciant: siquidem reprehensio fructuum, derivatur ad radicem, et injuria membrorum in caput redundat.

Jam vero posterior argumenti pars, quæ ducebatur a pace conscientiarum, his verbis a Calvino tractatur: « Quod si de pacificanda conscientia agitur: quæ isthæc erit pacificatio, si audiat peccata redimi satisfactionibus? quando tandem ille satisfactionis modus constare poterit? ergo semper dubitabit, an Deum habeat propitium, semper æstuabit, semper horrescet. Nam qui levibus satisfactiunculis acquiescunt, nimis contemptim judicium Dei æstimant, et parum reputant quanta sit peccati gravitas. Et ut ipsis concedamus, peccata aliquot justa satisfactione redimere, quid tandem facient ubi tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus

(1) Isai. LIII, 6; I Petr. II, 24; Rom. VIII, 3. — (2) Rom. V, 10; Rom. VIII, 3; I Petr. II, 24.

c centum vitæ, vel si totæ in hoc sint, sufficere queant? »

Respondeo: conscientiæ pax non pendet a reatu illo pœnæ temporalis, quem solum satisfactionibus nostris tollendum esse dicimus: qui enim culpæ remissionem accepit, ac de mortis æternæ periculo liberatus, in gratiam cum Deo rediit, magna sine dubio fruitur conscientiæ pace, etiamsi sciat se temporali aliqua mulcta ob peccata præterita castigandum. Quare Calvinus ita argumentatur, ac si nos diceremus, satisfactionibus nostris amicitiam Dei, gratiamque recuperandam: quod cum nos minime dicamus; ipse frustra sudat, et nihil præter aerem verberat.

In eo præterea Calvinus fallitur, quod existimat totam vitam, ac ne centum quidem vitas sufficere ad Satisfactionem, quam docemus. Fallitur, inquam, apertissime: siquidem tanti æstimatur a Deo Satisfactio, quæ in hac vita sponte, atque ex charitate suscipitur ut brevis hujus vitæ labor facile compenset acerbissimos, longissimosque cruciatus Purgatorii. Certe S. Martyr Cyprianus lib. iv. epist. 2. non dubitat affirmare, peccata omnia, quæ alioqui longissimam in Purgatorio pœnam exigent, unica Martyrii passione purgari: ac etiam præter Martyrium, Theologi docent ejusmodi esse posse in aliquo pœnitente contritionem, ut per eam peccata omnia quoad culpam et pœnam, plenissime deleantur.

His argumentis explicatis, Calvinus §. 28. ponit distinctionem peccati mortalis, et venialis, qua nos uti dicit ad argumentum supra positum dissolvendum, atque eam refutare conatur. De qua re nihil in præsentiarum dicemus, tum quod nos ea solutione non egemus, tum quod de distinctione peccati mortalis, et venialis plenum tractatum in 2. Tomo instituimus.

Hoc unum præterire non possum, ineptissima ratiocinatione uti Calvinum, ut probet non posse unquam pro venialibus satisfieri: « Si unius, inquit, dici est satisfactio peccati unius: dum illam meditantur, pluribus se involvunt; quando diem nullum præterit justissimus quisque, quo non aliquoties labatur: ad eorum vero satisfactiones dum se accingent, numerosa, vel potius innumera cumulabunt. Jam præcisa est satisfaciendi fiducia. Quid moramur? quomodo adhuc de satisfaciendo cogitare audent? »

Sed quis dedit Calvino illud principium; unum diem requiri ad satisfactionem unius

peccati venialis? Si unico actu contritionis, qui momento temporis fieri potest, interdum multa mortalia, ut diximus, expiantur: quanto facilius non, inquam, unus dies, sed una hora sufficet ad satisfactionem venialium plurimorum? « De quotidianis, » (inquit Augustinus in Enchiridio, cap. 71,) brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. » Certe non consumitur unus integer dies in oratione Domini recitanda: et tamen ea oratione pro venialibus peccatis, non uno aut duobus, sed multis satisfieri credit Augustinus: non igitur præcisa est satisfaciendi fiducia, neque sine causa de satisfaciendo cogitare audemus.

## CAPUT XV.

### *Solvuntur alia Calvinii argumenta.*

Jam vero in §. 29. propius ad rem accedit, et solutionem Catholicorum his verbis Calvinus proponit: « Conantur quidem se expedire: sed aqua, ut dicitur, illis hæret. Fingunt sibi distinctionem pœnæ, et culpæ: culpam remitti fatentur Dei misericordia; sed culpa remissa, pœnam restare, quam per solvi Dei justitia postulat: ad pœnæ igitur remissionem proprie spectare satisfactiones. » Deinde multis Scripturæ locis allatis, addit §. 30. quod deesse videbatur ad Catholicorum solutionem: « Scio, inquit, subtilius adhuc ipsos elabi, dum inter æternam pœnam et temporales distinguunt. Sed cum temporalem pœnam quodvis supplicium esse tradunt quod tam de corpore, quam de anima sumit Deus, excepto modo æterna morte; parum eos sublevat hæc restrictio. Nam superiores loci, quos citavimus, hoc nominatim volunt, hæc nos conditione recipi a Deo in gratiam; ut quicquid eramus pœnæ meriti remittat, culpam ignoscendo. »

Excutiamus igitur loca singula quæ adducit, ac videamus, utrum ex iis colligi queat, omnem temporalem pœnam nobis remitti quotiescumque nos Deus in gratiam recipit. Quæ quidem testimonia tanta confidentia Calvinus producit, ut dicat: « Subnectam quædam alia testimonia, quibus adeo constringantur tortuosi isti angues, ut ne summam quidem caudam complicare posthac queant. »

Primum testimonium est, Eierem. 31. Et

Ezech. 18. quod his verbis a Calvino proponitur : « Hoc est testamentum novum, quod Deus in Christo suo nobiscum pepigit, quod iniquitatum nostrarum non recordabitur. Quid his significaverit, dicimus ex alio Propheta, ubi Dominus : Si justus, inquit, a justitia sua deflexerit, omnium justitiarum ejus non recordabor : si impius ab impietate sua recesserit, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Quod se justitiarum recordaturum negat, utique hoc est, nullam se earum habiturum rationem, ut remuneretur : ergo et peccatorum non recordari, est ea non postulare ad pœnam. »

Ad hoc primum testimonium jam supra respondimus, cum Lutheri argumenta solveremus : atque ut Calvinus intelligat, quam parum hoc suo argumento nos contrinxerit : eadem nos ratiocinatione utimur in solutione qua est ipse usus in argumento. Cum enim justus a justitia sua deflexerit, justitiarum ejus Deus non recordabitur, non quia non remunerabit temporali aliquo præmio, sed quia non remunerabit æterna illa mercede, quam repromisit diligentibus se ; ergo ad eundem modum cum impius ab impietate sua recesserit, iniquitatum ejus Deus non recordabitur, non quia non castigabit temporaria aliqua pœna, ut Mosem, Aaronem, Davidem, et alios post reconciliationem castigavit, sed quia non punit sempiterna morte, et igne illo æterno, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Vide plura loco citato in solutione argumentorum Lutheri, cap. 11.

Alterum testimonium habetur Isaïæ 44, Micheæ 7. et in Psal. 31. « Id ipsum, inquit Calvinus, alibi dicitur, Projicere post tergum delere instar nubis, demergere in profundum maris, non imputare, tectumque habere : talibus loquendi formulis non obscure sensum suum nobis explicaverat Spiritus sanctus, si dociles aures illi accommodaremus. Certe si punit Deus, peccata imputat : si vindicat, recordatur : si ad judicium vocat, tecta non habet : si examinat, post tergum non projicit : si inspicit, non obliteravit instar nebulæ : si ventilat, non projecit in profundum maris. Atque in hunc modum interpretatur Augustinus claris verbis : Si textit peccata Deus, noluit advertere ; si noluit advertere, noluit animadvertere ; si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Tecta ergo peccata quare dixit ? ut non viderentur. Quid erat Deum videre peccata, nisi punire ? »

Recte dicit Calvinus, id ipsum in his locis contineri, quod in superioribus. Quare quemadmodum superiora testimonia Hieremiæ, et Ezechielis, significabant Deum non recordari iniquitatum eorum, qui per Pœnitentiam ad ipsum redeunt, non quia non puniat temporali aliqua pœna, ob eorum ipsorum, qui puniuntur, utilitatem, sed quia non retinet eum illis inimicitiam, neque sempiterno igni illos addicit, neque ab æterna felicitate excludit, sic etiam testimonia Isaïæ, Micheæ et Davidis : hoc tantum significant, Deum projicere, delere, non videre, non imputare, tegere peccata eorum, quibus amicitiam suam gratiamque restituit ; quia quod attinet ad reatum culpæ, et pœnæ æternæ, ita illos respicit, ac si numquam peccassent, licet ob eorum utilitatem, aliisque justissimis de causis, aut eos ipse temporaliter castiget, aut ut se ipsi castigent, velit.

Quocirca idem S. Augustinus, qui, tegere peccata, interpretatur, non punire : in alio loco scribit Deam omnino velle, ut peccatum non maneat impunitum, et tum non punire peccata nostra, cum nos ipsi ea punimus. In Psalm. 50. *Non impunitum erit peccatum meum, sed ideo nolo ut tu punias, quia ego peccatum meum punio.* Et ibidem : « Veritatem dilexisti, hoc est, impunita peccata eorum, quibus ignoscis, non dimisisti : sic prærogasti misericordiam, ut servares et veritatem. » Hæc ille. Non igitur apud Augustinum, tegere peccata, est, nullo modo punire : sed, non punire in æternum : vel non punire etiam temporaliter, si se ipse peccator puniat.

Tertium testimonium est Isaïæ 1. et Hierem. 50. « Audiamus vero, inquit Calvinus, et ex alio Prophetæ loco, quibus legibus peccata remittat Dominus. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix albescent, et si rubuerint ut vermiculus, erunt quasi lana. Apud Hieremiam autem sic legitur : In illa die requiretur iniquitas Jacob, et non invenietur peccatum Judæ, et non erit, quia propitiabor reliquiis quas servavero. Vis breviter tenere quis sit verborum istorum sensus ? expende quid e converso sibi velint locutiones illæ ; Dominum in sacco iniquitates colligare, in fasciculum colligere, et recondere, stylo ferreo exarare in lapide adamantino. Nempe si vindictam repensum iri significant, quod extra dubium est : neque etiam dubitandum est, quin contrariis sententis omnem vindictæ repensionem Dominus se remitte-

re affirmet. Hic mihi obtestandi sunt lectores, non ut glossis meis auscultent, sed tantum ut verbo Dei locum aliquem esse sinant. »

Utinam Calvinus quod ab aliis petiit, præstare ipse voluisset, ut verbo Dei locum aliquem esse sinens, illud suis glossis minime depravasset: certe enim ex istis ipsis locis Isaiaë, et Hieremiaë, quæ tunc adduxit, errorem suum deprehendere facile potuisset. Audi enim quibus legibus apud Isaïam peccata remittat Deus: « Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere, quærite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam; et venite, et arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, sicut nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. » Hæc Dominus per Isaïam, ubi promittit quidem perfectam peccati purgationem, ut nulla restet luenda pœna, ut cupit Calvinus; sed non promittit solum credentibus, et resipiscentibus, ut adversarii nostri docent, qui de capite suo loquuntur, et non de ore Domini: sed promittit iis, qui prius lavantur, et mundantur per veram Contritionem, et Pœnitentiam; deinde cessant a peccatis, quibus antea male assueverant; tum in bonis operibus assidue, ac diligenter exercentur, atque ita (ut hunc locum sanctus exponit Hieronymus) dignos Pœnitentiæ fructus faciunt. His inquam, Dominus dicit: *Venite, et arguite me: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, id est, ut idem exponit Hieronymus: « Si hæc omnia feceritis, arguite me, nisi præmia reddidero, quæ pollicitus sum, nimirum nisi peccata, quamvis maxima, plene, perfecteque demisero. » Cum igitur plena peccati remissio, quoad omnem pœnæ reatum, præmium sit operum bonorum, quæ post conversionem, et culpæ remissionem fiunt, quæque satisfactoria dici solent, qui non videt, ex hoc loco Isaiaë a Calvino adducto, non destrui, sed astrui prorsus, et stabiliri nostram de satisfactione doctrinam?

Porro Hieremias loquitur de peccato idololatriæ, ob quod totus populus in captivitatem Babylonicam ductus fuerat; ac prædicit, expiato peccato illo longa, durissimaque captivitate, tandem flagellum in ipsum regem Babylonis convertendum, et reliquias Israel et Juda liberandas, et ita liberandas, ut pec-

catum illud non amplius inveniatur, ut nimirum aliqua alia pœna mulctetur.

Quartum testimonium est, 1 Ptr. 2. Isaiaë 53. Rom. 1. 4. Corinth. 1. Ephes. 1. Coloss. 1. et 1 Tim. 2. « Quid quæso, inquit Calvinus, nobis præstitisset Christus, si adhuc pro peccatis pœna exigeretur? nam cum dicimus eum pertulisse peccata nostra in corpore suo super lignum, non aliud significamus, quam defunctum pœna et vindicta, quæ peccatis nostris debebatur. Id ipsum significantius declaravit Isaïas, cum dicit, castigationem pacis nostræ fuisse super eum, et quoties de de redemptione per eum facta meminit Paulus, vocare solet ἀπολύτρωσιν, qui non simpliciter redemptionem indicat, qualiter vulgo intelligitur, sed pretium ipsum, et satisfactionem. »

Respondeo, si Christo mortuo, adhuc pœna mortis æternæ a nobis exigeretur, non omnino inepte Calvinus quæreret, quid nobis præstitisset Christus; si adhuc pro peccatis pœna exigeretur. At cum sacrificio mortis suæ Christus nobis Deum reconciliaverit, et ex irato iudice patrem amantissimum fecerit; cum nos ab æterno interitu liberaverit et vitam sempiternam acquisierit, cum denique gratiam, et virtutem nobis dederit, qua Deo pro temporali pœna satisfacere ipsi possemus, ingratis sic necesse est, qui quærendum adhuc esse putat, quid nobis præstitisset Christus si pœna quædam temporalis pro peccatis nostris exigatur.

Porro testimonia illa Isaiaë, Petri et Pauli, jam supra iterum adducta, et explicata sunt: ac libentissime, gratissimeque agnoscimus, et fatemur, Christi mortem pretium, et satisfactionem esse pro peccatis nostris, quoniam, ut sæpe dictum est, solvit ipse pretium, et satisfecit; immediate (ut sic loquar) pro culpa, et reatu mortis æternæ eorum, quibus sanguis ejus per Sacramenta applicatur; mediate autem pro pœna etiam temporali, quatenus gratiam præbet, per quam ipsi nos Domino satisfacimus.

Quintum testimonium est in toto Levitico, de quo sic loquitur Calvinus: « Validum autem in primis arietem nobis suppeditat, quod de expiandis peccatorum noxis in lege Moisaica præscribitur. Neque enim illic Dominus hanc, aut illam satisfaciendi legem constituit, sed totam in sacrificiis compensationem requirit: ubi tamen alioqui diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus exequitur. Qui sit autem, ut nullis prorsus

operibus admissa delicta procurare jubeat, sed sola in expiatione sacrificia requirat, nisi quod ita testari vult, unicum esse satisfactionis genus, quo judicium suum placatur? nam quæ tunc immolabant sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur, sed a sua veritate, hoc est, unico Christi sacrificio æstimabantur.

Respondeo. Validus iste aries, pro veritate validus est, pro Calvini errore prorsus infirmus. Nam sacrificia illa Levitica (ut in 2. lib. de Sacramentis ingenere cap. 14. 15. 16. et 17. demonstravimus) non culpam, aut pœnam æternam, sed immunditiam tantum legalem, et pœnam temporariam expiabant proinde recte satisfactiones quædam dici poterant.

Quod culpam et pœnam æternam non expiarent, perspicuum est, tum ex Davide Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem: utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, et humiliatum Deus non despicies* (1), tum ex eo, quod ea sacrificia Deo grata non erant, nisi qui offerebat, Deo gratus, et per hoc justus esset; nam Proverbior. 15. victimæ impiorum dicuntur abominabiles Domino: tum denique ex testimonis plurimis Scripturarum, et Patrum, quæ loco citato adduximus.

Quod autem ut quædam satisfactiones, expiarent reatum pœnæ temporalis; sequitur ex ipsa Dei promissione. Promisit enim Deus offerentibus ea sacrificia, remissionem peccatorum: quæ promissio cum intelligi nequeat de remissione quoad culpam, et pœnam æternam, id restat, ut intelligatur de remissione peccati quoad pœnam temporalem. Accedit, quod Deus jubebat pro mensura delicti offerri sacrificia majoris, vel minoris pretii. Levitic. 6. quod est argumentum manifestum, illas oblationes imperatas fuisse in compensationem aliquam injuriæ Deo factæ.

Ex his autem sequitur, inulta falso affirmasse Calvinum, ut validum illum arietem contra satisfactiones extrueret. Primo falso asseruit, Deum in Levitico non constituisse hanc, aut illam satisfaciendi legem: quid enim sunt sacrificia variæ æstimationis pro varia mensura delicti, nisi variæ Satisfactiones? Secundo falso scripsit, Deum totam in sacrificiis compensationem exegisse: nam

Deus non instituit sacrificia pro omnibus peccatis expiandis, sed solum pro peccatis ignorantiae contra cæremonias legis, Levitic. 4. et 5. et pro peccatis circa damnum proximi in rebus externis, et pro perjurio, ex cupiditate habendi res alienas prolato, Levit. 6. pro aliis peccatis gravioribus, ut pro blasphemia, idololatria, homicidio, adulterio, et similibus, nulla inveniuntur sacrificia instituta; sed Prophetæ populum admonebant, pro his in cinere et cilicio Pœnitentiam esse agendam et elemosynis, aliisque bonis operibus peccata redimenda. Tertio falso Calvinus assumpsit, in Levitico Deum diligentissime, atque exactissimo ordine omnes expiandi ritus executum; id enim falsum esse constat ex his, quæ jam diximus. Quarto, falsum est quod ibidem posuit, nullis prorsus operibus admissa delicta procurari jussisse Deum: nam ipsa oblatio sacrificii, opus erat a Deo mandatum ad peccata admissa procuranda.

Quod denique Calvinus addit, oblationes illas, non hominum opera censeri; non minus est falsum, quam cætera. Nam tametsi sacrificia illa, divina opera dici possent, tum quia a Deo instituta erant, tum quia sacrificium Crucis significabant, tamen erant etiam ac censebantur opera humana, et laboriosa, ac proinde satisfactoria: quia non sine detrimento rei familiaris offerebantur; quia per ea cultus patriæ, Deo ad eo cujus erat oblatio, adhibebatur: quia ex fide et pietate offerentium grata erant: *Domina enim*, ut ait Sapiens Eccles. 34. *iniquorum, non probat Altissimus nec respicit in oblationes impiorum.* Et Genes. 4. *Respexit Deus ad Abel, et munera ejus* (2): in quem locum scribens, ita loquitur S. Gregorius lib. 22. Moral. cap.: 12 « Iram judicis placare nescit oblatio, nisi ex munditia placeat offerentis. » Et paulo post: « Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. » Atque hæc de valido Calvini ariete.

Sextum testimonium est Osee 14. « Qualem, inquit Calvinus, compensationem a nobis recipiat Dominus, paucis verbis eleganter Oseeas expressit: Omnem, inquit, tolles iniquitatem, o Deus: en peccatorum remissio; et vitulos labiorum persolvemus: en satisfactio. »

Respondeo, qui Deum rogat ut omnem tollat iniquitatem, jure pollicetur actionem

(1) Psal. L, 18. — (2) Eccl. XXXIV, 23; Gen. IV, 4.



gratiarum, sive laudis sacrificium. Sed quid hoc facit contra Satisfactionem? nam neque iniquitas reatum pœnæ, sed culpam significat proprie, neque si Deus culpam, et pœnam æternam tollat temporali manente, pro qua satisfieri debeat, non erunt labiorum vituli persolvendi; nec denique, si aliquando Deus culpam, et omnem pœnam ita condonet, ut nullam exigat satisfactionem, præterquam laudis, et actionis gratiarum, idcirco id perpetuum erit.

Septimum testimonium est Ezech. 36. « Superiores loci, inquit Calvinus, quos citavimus, hoc nominatim volunt, hac nos conditione recipi a Deo in gratiam, ut quidquid eramus pœnæ meriti, remittat, culpam ignoscendo. Et quoties David, aut alii Prophetæ peccatorum veniam petunt, simul pœnam deprecantur, imo divini iudicii sensus huc eos impellit: rursus cum a Domino misericordiam promittunt, semper fere ex professorum de pœnis, eorumque remissione concionantur. Certe cum Dominus apud Ezechielem pronuntiat, finem se impositurum Babylónico exilio, idque propter se, non propter Judæos: gratuitum esse utrumque satis demonstrat. Denique si a reatu liberamur per Christum, pœnas, quæ inde proveniunt, cessare oportet. »

Respondeo, quid superiores loci contineant, jam vidimus, nullum enim prætermisimus, et in nullo invenimus quod Calvinus hoc loco tam confidenter affirmat; hac nos conditione recipi a Deo in gratiam, ut quidquid eramus pœnæ meriti, remittat, culpam ignoscendo: et contra, nos multa exempla protulimus eorum, quibus Deus culpam, ignovit, et pœnam tamen temporariam non remisit, ut Mosis, Aaronis, Davidi, et aliorum.

Porro David, et Prophetæ cæteri, cum veniam peccatorum petunt, non simul pœnam temporalem semper deprecantur, Davidis illa vox est II Regum. 24. « Ego sum qui peccavi, et ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra domum patris mei. » Deinde David, et Prophetæ cæteri, nihil est mirum si pœnam sæpe deprecabantur, et ejus remissionem populo promittebant, cum simul ad pœnam sponte suscipiendam exemplo, et verbo populum hortarentur; æquum est enim, ut Deus parcat illis, qui ob ejus amorem sibi ipsi non parcunt.

Testimonium autem ab Ezechiele petendum

nihil omnino facit ad rem: nam eo loco Propheta de gratia novi Testamenti proprie vaticinatur; ait enim: « Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris et ab universis idolis vestris mundabo vos, et dabo vobis cor novum, spiritum novum ponam in medio vestri, et auferam cor lapideum, et dabo vobis cor carneum etc. » Hanc autem gratiam certum est, propter nomen suum, non propter merita Israelitarum, Deum fecisse humano generi. Deinde etiamsi ad litteram potissimum de liberatione a servitute Babylonica Propheta locutus fuisset, quid hoc faceret contra satisfactionem, quam nos defendimus ad expiandam pœnam temporalem alterius sæculi, et unicuique propriam? pœnas enim hujus sæculi, et præsertim communes toti populo, jam antea docuimus non semper Satisfactionibus expiari, quemadmodum non semper immitti.

Denique illa conditionalis assertio: « Si a reatu liberamur per Christum, pœnas quæ inde proveniunt, cessare oportet. » Si per reatum intelligamus obligationem ad pœnam verissima est; sed illud non est verum, per Christum semper liberari nos ab omni reatu pœnæ temporalis; etiamsi nulla interveniat Satisfactio. Si vero per reatum significetur culpa, sive offensio, ob quam debitum pœnæ luendæ contrahimus; falsa conditionalis assertio est. Si a reatu liberamur, pœnam cessare oportet; multa sunt enim, quæ tamen orta manent, causis pereuntibus. Ædificium sine ædificatore non fieret; quod si semel factum fuerit, manebit, licet continuo ædificator pereat. Itaque recte S. Augustinus tract. 124. in Joan.: « Productior, inquit, est pœna, quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna.

Atque ita soluta manent illa omnia argumenta, quæ Calvinus insolubilia esse, solita temeritate jactaverat; supersunt tamen adhuc alia quædam argumenta, quæ obiter Calvinus in sequentibus paragraphis, dum aliud ageret, id est, dum argumenta Catholicorum solvere niteretur, inseruit.

## CAPUT XIV.

*Solvuntur alia Calvinii argumenta.*

Igitur in eodem cap. 4. §. 35. adducit S. Joannis Chrysostomi testimonium ex lib. 3.

de providentia, ut probet Deum non inferre supplicia, ut peccatores excitet ad resipiscentiam: et idem confirmat testimonio Hieremias, et Osee Prophetarum; sic autem loquitur: « Stultissimus fuerit, si quis arbitretur, presentis vite calamitates in peccati noxam esse nobis impositas. Id mihi videtur Chrysostomus voluisse, cum ita scripsit: Si ob hoc penas infert Deus, ut in malis perseverantes ad Pœnitentiam vocet; ostensa Pœnitentia, superflua jam erit poena. Quare prout uniuscujusque ingenio expedire novit, ita hunc majori asperitate, illum benigniori tractat indulgentia. Itaque ubi docere vult, se non esse in pœnis exigendis immodicum, exprobrat duro et obstinato populo, quod percussus, non tamen faciat finem peccandi. Hoc sensu conqueritur, Ephraim esse quasi placentam ab una parte torridam ab altera parte incoctam: quia scilicet non penetrabant in animos ferulae, ut vitis excoctis, populus ipse capax veniæ fieret. Certe qui sic loquitur, ostendit, simul ac quisque resipuerit, se mox fore placabilem, sibi-que nostra pervicacia exprimi, quem exercet rigorem in castigandis delictis, cui voluntaria correctio occurreret. »

Respondeo: calamitates, quæ impiis immittuntur a Deo, sæpenumero ad eum finem immittuntur, ut illi resipiscant: id tamen non esse perpetuum, testantur mortes Sodomitarum, Pharaonis, Antiochi, Herodis; et aliorum, qui divino judicio percussi, misere interierunt. Cæterum, tametsi ejusmodi calamitates, quæ conversionem præcedunt, sæpe, ut dixi, ad resipiscentiam referantur: cæ tamen quæ post conversionem sequuntur, de quibus nos hoc loco agimus, non ad resipiscentiam, sed ad offensam aliquo modo compensandam referuntur. Sequi autem post conversionem penas aliquas temporales, vel in hac vita, vel in futura; satis supra probatum esse credimus.

Neque testimonium S. Joannis Chrysostomi cum nostra sententia pugnat: tum quia loquitur ipse de pœnis, quæ conversionem præcedunt, quas æquum est cessare, cum ii, qui flagellabantur, serio resipiscunt: tum etiam quia S. Chrysostomus per pœnitentiam non significat solam resipiscentiam, sed integram Pœnitentiam, quæ præter internam conversionem, et gemitum, externos etiam labores atque opera satisfactoria comprehendit: æquissimum autem est, ut ostensa Pœnitentia, id est, cum peccator

se ipse affligit, et punit, dignosque facit Pœnitentiæ fructus; poena divinitus inflictæ cesset.

Quod autem Deus queratur, durum obstinatum populum, qui a Hieremia et Osea sub nomine Ephraim reprehenditur, diu percussus, non fecisse peccandi finem, significat quidem, iis flagellis populum percussus, ut tandem aliquando resipisceret; sed non inde sequitur, non oportuisse eum populum post conversionem in cinere, et cilicio, in jejunio, fletu, et planctu Pœnitentiam agere, eaque ratione pro culpis præteritis Domino satisfacere.

Aliud argumentum in eodem §. 35. ducit Calvinus ab exemplis eorum, qui sine ulla imposita mulcta justificati leguntur: « Legitur, inquit, publicanus, descendisse e templo justificatus: poena nulla sequitur. Petrus delicti veniam obtinuit: « lacrymas ejus (inquit Ambrosius) legimus, satisfactionem non legimus. » Audit paralyticus, « Surge, remittuntur tibi peccata tua »: poena non imponitur. Omnes quæ in Scriptura commemorantur absolutiones, gratuita describuntur. Ex hac exemplorum frequentia, regula potius peti debuerat, quam ab unico illo, quod nescio quid singulare continet. »

Respondeo: regulam doctrinæ Catholicæ non ab unico Davidis exemplo petita est, sed a multis Scripturæ testimoniis et exemplis, ab usu vetustissimo omnium Ecclesiarum, a communi Patrum Latinorum Græcorumque consensu. Sed tamen unicum etiam Davidis exemplum, si quis recte judicare possit, plus valet ad sententiam nostram confirmandam, quam exempla omnia, quæ Calvinus protulit, ad infirmandam. Siquidem publicanus ille legitur quidem justificatus præ Pharisæo, non tamen ab omni reatu pœnæ liberatus. Deinde non sine satisfactione justificatus dici potest, qui pectus suam percussit, qui humillime Domino supplicabat, qui neque ad interiora templi accedere, neque oculos ad cælum sustollere audebat. Paralyticus audivit: « Confide fili, remittuntur tibi peccata tua »; sed quis novit, an peccatorum nomine sola culpa, et poena æterna eo loco non intelligatur? quis dicere audeat, ipsa paralyti tam diuturna æquo animo tolerata, non cum pro dilectis suis satis Deo fecisse? Quis neget denique, Christum pro arbitrio culpam, et omnem pœnam remittere potuisse? nec tamen ministris licere omnia, quæ Domino liceant? Petrus non solum re-

sipuit, sed etiam amarissime flevit : quo fletu Domino satisfacit.

Miror autem Calvinum vel impudentiam, vel malitiam, qui aut Ambrosii testimonium non legit, aut eo ad fallendum abuti voluit. Sanctus enim Ambrosius nomine Satisfactionis eo loco excusationem, sive defensionem criminis apertissime designavit : laudat enim Petrum, quod maluerit lacrymando confiteri, quam loquendo excusare delictum. Sic enim legimus lib. x. in Lucam cap. 96. « Maluit ipse suum accusare peccatum, ut justificaretur fatendo, quam gravaretur negando : » Et infra : « Non invenio quid dixerit, invenio quod flevit : lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego : sed quod defendi non potest, abluui potest. » Et in serm. 46. ubi eandem illam sententiam posuerat : « Lacrymas lego, satisfactionem non lego » subjecit : « Recte Petrus flevit, et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari. » Itaque Satisfactio eo loco defensio, et excusatio est ; quo sensu dicitur I. Petr. III. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est spe ; et* Act. XXIV. inquit Paulus : *Bono animo pro me satisfaciam* (1).

Argumentum postremum Calvinus petit ex quatuor Chrysostomi et Augustini testimoniis quæ tamen nullo negotio poterunt explicari. Primum testimonium Chrysostomi est homil. 2. in Psalm. 50. ubi sic legimus : « Ubi misericordia flagitatur, interrogatio cessat : ubi misericordia postulatur, judicium non sævit : ubi misericordia petitur, pœnæ locus non est : ubi misericordia, quæstio nulla : ubi misericordia, condonata responsio est. » Secundum testimonium ejusdem est hom. 10. in Genesim, ubi Chrysostomus dicit, nihil ultra a nobis Deum requirere, quam ut delicta nostra cum lacrymis apud se confiteamur. Primum testimonium Augustini est in lib. de dogmatibus Ecclesiasticis, cap. 54. ubi definitur Satisfactio ad hunc modum : « Pœnitentiæ Satisfactio est, causas peccatorum excindere, nec eorum suggestionibus aditum indulgere. » Secundum testimonium ejusdem, ex nescio quo libro ; neque enim certum locum notavit : « Caro Christi, inquit, verum est, et unicum pro peccatis sacrificium, non modo iis, quæ universa in Baptismate delentur, sed quæ postea ex infirmitate subrepunt, propter quæ

universa quotidie clamat Ecclesia, Remitte nobis debita nostra ; et remittuntur per singulare illud sacrificium. »

Respondeo primum : Chrysostomi testimonium misericordiam generatim commendat. Ac verissimum est, misericordiæ opponi judicium, et pœnam ; qui enim misericordiam quærit, non vult subire judicium ; et qui ex misericordia indulgentiam consequitur, non debet subire pœnam, quæ sibi condonata est. At ex hac generali commendatione misericordiæ, non potest recte colligi, non oportere pœnitentes satisfactione injuriam aliqua ex parte compensare, nisi aliunde constet, ex misericordia condonari illis a Deo non solum culpam, sed etiam omnem omnino pœnam temporalem, et sempiternam.

Itaque idem Chrysostomus in eadem homilia paulo inferius, hæc habet : « Miseretur quidem Deus, sed non passim miseretur : provocat nos, et dicit, Da et tu aliquid ; non quia ego tui egeo, sed quia volo, et te aliquid conferre ad tuam utilitatem. » Et infra : « Deus dicit : Da mihi confessionem tuam, et lacrymas Pœnitentiæ. » Et hom. in Psal. 6. explicans quantas lacrymas David Domino dederit, qui tamen misericordiam flagitabat : « Non tantum, inquit, lacrymatus est, sed etiam lacrymis lectum lavit, non uno, aut duobus, aut tribus diebus, sed etiam singulis noctibus. Et non solum dicit præteritum, sed etiam futurum. Ne putetis enim, quod cum hæc semel fecisset, deinceps se quieti tradiderit, et laxamento usus sit : sed hoc assidue fecit per totam vitam. » Et hom. in Psal. 106 : « Confessio, inquit, Pœnitentiam monstrat, Satisfactio veniam sibi divina pietate conciliat. » Et infra : « Pejus est, Dei offensam non Satisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. »

Alterum Chrysostomi testimonium docet, ad amicitiam Dei recuperandam, sufficere contritionem veram, quæ confessionem peccati coram Deo cum lacrymis factam, et propositum vitæ melioris complectitur : non excludit autem Chrysostomus opera laboriosa, post amicitiam Dei recuperatam ad reatum pœnæ temporalis delendum, ut ex multis ejus testimoniis supra probavimus.

Id ita esse, perspicuum erit ex homilia de B. Philogonio, ubi fusius habentur ea, quæ

(1) Pet. III, 45 ; Act. XXIV, 10.

ex hom. 10. in Genes. Calvinus adduxit, sic enim loquitur : « Ego testificor, ac fide jubeo ut si nostrum quisque, qui peccatis obnoxii sumus, recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo, se postea nunquam ad illa rediturum ; nihil aliud Deus requirat ad satisfactionem ulteriorem : benignus enim est etc. » quo loco per Satisfactionem intelligit excusationem, et sensus est ; Deum non requirere, ut peccatum defendamus, vel excusemus, et rationem reddamus, cur hoc, aut illud fecerimus, sed satis illi esse, si simpliciter peccatum confiteamur, et promittamus nos deinceps non peccaturos : dixerat enim paulo ante : « Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate, pollicere te posthac ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem. » In eadem autem homilia idem Chrysostomus antea docuerat, Satisfactionem, id est, opera laboriosa requiri, vel certe eorum propositum, si temporis angustiis quis excludatur : « Proinde, inquit, et tu quibus rebus provocasti Deum, per has rursus facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina, per eandem illum reconcilia : cumque et rapta restitueris, et alia insuper addideris, dicito juxta Zachæum ; Reddo, si quid rapui, quadruplum. Provocasti linguæ maledicentia multis contumelia affectis : vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus, annisve, sed solo animi proposito unico die perficiuntur. »

Testimonium Augustini, sive Gennadii potius, ex lib. de dogmatibus Ecclesiasticis, definit Satisfactionem veram ab effectu : illa enim est vera, seriatimque Satisfactio, ex qua sequitur, ut radices peccatorum evellantur, et boni habitus virtutum acquirantur, ex quibus fiet, ut non facile deinceps malis suggestionibus aditus patefiat. Nam alioqui in eodem libro capite proximo, id est, 53. Auctor illis disertis verbis Satisfactionem docet : « Quamvis, inquit, quis peccato mordeatur ; peccandi non habeat de cætero voluntatem, et communicaturus satisfaciat lacrymis, et orationibus. » Et paulo post : « Sed hoc de illo dico, quem capitalia, et mortalia crimina non gravant : Nam quem mortalia crimina

post Baptismum commissa premunt, hortor prius publica Pœnitentia satisfacere, et ita Sacerdotis judicio reconciliatum, communioni sociari, si vult non ad judicium et condemnationem sui, Eucharistiam percipere. Sed et secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, sed mutato prius sæculari habitu, et confesso religionis studio, per vitæ correctionem, et jugi, imo perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro hisquæpœnitet, agat. » Hæc ille.

Ex quo intelligi potest, quam intoleranda impudentia Calvinus post allegatum cap. 54. hujus auctoris, hæc verba subjunxit : « Quo apparet, illis quoque sæculis irrisam passim fuisse Satisfactionis doctrinam, quæ pro admissis delictis rependi diceretur : cum omnem satisfactionem, ad cautionem referat, se in posterum a peccatis abstinendi. » Sane qui mendacium scribere ausus est, quod ex eodem ipso loco, unde mendacii occasio sumpta est, tam evidentem coarguitur : in rebus paulo obscurioribus, qua temeritate grassabitur ?

Alterum Augustini testimonium nulla indiget expositione. Fatemur enim peccata omnia remitti per sacrificium Crucis. Nam ex eo sacrificio vim habent Baptismus, et Sacramenta cætera, quibus homines justificantur ; et ex eodem sacrificio spiritum gratiæ haurimus, sine quo pro reatu pœnæ temporalis satisfacere non possemus. Porro S. Augustinum ob Crucis sacrificium non existimasse satisfactiones excludi, perspicuum est ex his testimoniis, quæ cap. 9 protulimus.

Atque hæc de tota disputatione hoc loco sufficiant. Nam quæ Martinus Kemnitius de Satisfactione attulit, partim sunt a nobis cap. 8. et 10. refutata : partim sunt ea ipsa testimonia, quæ Lutherus, Philippus, et Calvinus protulerunt. Certe novum aliquod testimonium in tota Kemnitii disputatione reperire non potui : neque aliquam aliam sententiam, quæ speciem solidi argumenti præ se ferre videretur. Quemadmodum etiam quæ Kemnitius de Absolutione disseruit, ideo non excussimus, quod nihil attulerit præter ea, quæ in disputatione de Sacramentis in genere jam ante posuerat : ad quæ nos eo loco respondimus.

# INDEX

## LIBRORUM ET CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

### DECIMA CONTROVERSIA GENERALIS

#### DE MEMBRIS ECCLESIAE

#### LIBER I.

##### *De reali præsentia Christi Domini in sacramento Eucharistiae ex verbo Dei.*

Cap. I. De hæresibus.	2
II. Explicatur sententia Catholicæ Ecclesiæ.	7
III. Ex figuris Testamenti veteris demonstratur præsentia corporis Domini in Eucharistia.	10
IV. Refellitur solutio adversariorum ad argumentum nostrum	12
V. Quod Joan. vi. agatur de Eucharistia.	15
VI. Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex cap. vi. Joannis.	18
VII. Solvuntur objectiones adversariorum.	19
VIII. Referuntur variæ expositiones verborum Domini : Hoc est corpus meum.	24
IX. Proprie non figurate explicanda esse illa verba : Hoc est corpus meum.	25
X. Explicantur verba institutionis, et refelluntur hæreticorum depravationes.	29
XI. Solvuntur argumenta, quibus probant adversarii verba institutionis figurate accipienda.	36
XII. Probatur veritas corporis Domini in Eucharistia ex locis Scripturæ quæ continent usum hujus Sacramenti, ac primum ex cap. x. prioris ad Corinthios.	46
XIII. Idem probatur ex cap. xi. prioris ad Corinthios.	48
XIV. Solvuntur argumenta adversariorum de prompta ex verbo Dei.	52

#### LIBER II.

##### *De veritate corporis Domini in Eucharistia et testimoniis Patrum.*

Prima ætas Ecclesiæ ab anno Domini . usque ad 100.	64
Cap. I Testimonium discipulorum S. Andree Apostoli.	<i>Id.</i>
II. Testimonium S. Ignatii.	<i>Id.</i>
III Testimonium S. Dionysii Areopagitæ.	65
Secunda ætas Ecclesiæ ab anno Domini 100 ad 200.	66
IV. Testimonium S. Justini.	<i>Id.</i>
V Testimonium S. Pii I. Papæ.	68
VI. Testimonium sancti Irenæi.	69
Tertia ætas Ecclesiæ ab anno Domini 200 ad 300.	72
VII. Testimonium Tertulliani.	<i>Id.</i>
VIII. Testimonium Origenis.	75
IX. Testimonium S. Cypriani.	79
Quarta ætas Ecclesiæ ab anno Domini 300 ad 400.	85
X. Testimonium Nicæni Concilli.	<i>Id.</i>
XI. Testimonium S. Athanasii.	86
XII. Testimonium S. Hilarii.	87
XIII. Testimonium S. Cyrilli Hierosolymitani.	90
XIV. Testimonium S. Ambrosii.	91
XV. Testimonium S. Basillii.	94
XVI Testimonium S. Gregorii Nysseni	97
XVII Testimonium Beati Optati Milevitani.	98
XVIII. Testimonium S. Gregorii Nazianzeni.	<i>Id.</i>
XIX. Testimonium S. Ephrem.	99
XX. Testimonium S. Epiphani.	100
Quinta ætas Ecclesiæ ab anno Domini 400. ad 500.	101

XXI. Testimonium S. Gaudentii.	<i>Id.</i>	X. Solvitur altera obiectio. quæ sumitur ab indignitate rei.	162
XXII. Testimonium S. Chrysostomi.	<i>Ib.</i>	XI. De modo existentiae corporis Domini in Eucharistia, sententiae variae referuntur.	162
XXIII. Testimonium S. Hieronymi.	407	XII. Refellitur secundus error Berengarianorum.	166
XXIV. Testimonium S. Augustini.	409	XIII. Refellitur error Durandi.	167
XXV. Testimonium S. Cyrilli Alexandrini, et Synodi Ephesinae generalis.		XIV. Refellitur quartus error.	169
XXVI. Testimonium Procli Episcopi Constantinopolitani.	120	XV. Refellitur error Ruperti.	<i>Id.</i>
XXVII. Testimonium Theodoreti et Gelasii.	121	XVI. Refellitur error Joannis Parisiensis.	171
XXVIII. Testimonium S. Leonis.	122	XVII. Refellitur error Ubiquistarum.	<i>Id.</i>
XXIX. Testimonium Hilarii Papae.	123	XVIII. Explicatur sententia Ecclesiae.	173
XXX. Testimonium Eusebii Emisseni, seu Fausti Rhegiensis, seu Caesarii Arelatensis	<i>Id.</i>	XIX. Probatur ex verbo Dei transubstantiatio.	176
XXXI. Testimonia Patrum VI. aetatis, Remigii, et Primasii.	124	XX. Transubstantiatio probatur testimoniis Patrum	180
XXXII. Testimonia Patrum VII aetatis, S. Gregorii, et Isichii.	125	XXI. Probatur idem ex definitione, et consensu Ecclesiae ab annis quingentis.	184
XXXIII. Testimonia Patrum VIII aetatis, Joannis Damasceni, et Ephiphanii, ejus aequalis.	126	XXII. Probatur eadem veritas ex convenientia rationis.	186
XXXIV. Testimonia Patrum IX. aetatis, Theophylacti et Paschasii.	<i>Id.</i>	XXIII. Refelluntur Kemnitii objectiones.	188
XXXV. Testimonia Patrum X. aetatis, Stephani Eduensis, et Fulberti Carnotensis.	127	XXIV. Refelluntur objectiones Petri Martyris.	192
XXXVI. Testimonia Patrum XI. aetatis Anselmi et Oecumenii.	128		
XXXVII. Testimonia Patrum XII aetatis, Eutymii, et S. Bernardi.	<i>Id.</i>		
XXXVIII. Testimonia aetatum reliquarum.	129		
XXXIX. Compendium argumentorum, qui sumuntur ex Patribus.	130		
<b>LIBER III.</b>			
<i>De veritate corporis Domini in Eucharistia.</i>			
Cap. I. Proponitur quaestio : An possit fieri ut corpus Christi praesens constituatur in Eucharistia.	132		
II. Quae sit regula cognoscendi quid Deus possit.	<i>Id.</i>		
III. Posse unum corpus simul esse in pluribus locis.	134		
IV. Solvuntur objectiones, quibus adversarii probare conantur implicare contradictionem, ut unum corpus sit in pluribus locis.	139		
V. Proponitur, et explicatur secunda difficultas, quae in eo posita est, quod corpus non occupet locum.	142		
VI. Posse corpus alicubi esse, et locum non occupare.	144		
VII. Solvuntur objectiones adversariorum.	150		
VIII. Ostenditur Deum voluisse, et fecisse, ut reipsa corpus Domini in Eucharistia praesens adesset.	153		
IX. Solvitur obiectio deprompta ab inutilitate realis praesentiae.	160		
		<b>LIBER IV.</b>	
		<i>Qui est de sacramento Eucharistiae.</i>	
		Cap. I. Quid sit proprie Sacramentum Eucharistiae, et num extra usum sit vere corpus Domini sub specie consecrati panis.	200
		II. Probatur ex verbis institutionis Dominicae, Sacramentum Eucharistiae esse rem permanentem, et in eo corpus Domini permanentiter existere.	203
		III. Probatur ex dissimilitudine Baptismi, et Eucharistiae, Eucharistiam, rem esse permanentem.	207
		IV. Probatur eadem veritas testimoniis Patrum.	208
		V. Deluuntur responsiones adversariorum ad testimonia Patrum.	211
		VI. Explicatur quid proprie sit Sacramentum Eucharistiae.	214
		VII. De materia Eucharistiae, sitne azymo pane, an fermentato Sacramentum conficiendum.	216
		VIII. Probatur Christum instituisse Sacramentum 14. die mensis secundum legem, et secundum morem Hebraeorum	218
		IX. Solvuntur argumenta Graecorum, et aliorum, qui quocumque modo eis favent.	222
		X. De vino temperando aqua in sacro calice.	227
		XI. Solvuntur argumenta adversariorum.	231
		XII. Quibus verbis fiat consecratio Eucharistiae.	233
		XIII. Solis Domini verbis fieri consecrationem.	235

XIV. Solvuntur objectiones Græcorum et Latinorum contra formam consecrationis Eucharistiæ.	240
XV. Mendacia Kemnitii de forma Sacramenti Eucharistiæ.	244
XVI. De ministro Sacramenti Eucharistiæ.	245
XVII. De effectu Eucharistiæ, et de præparatione ad Communionem : sententiæ hæreticorum.	249
XVIII. Indigne sumere Eucharistiam omnes illos, qui accedunt cum conscientia peccati mortalis.	251
XIX. Solvuntur objectiones adversariorum.	255
XX. Proponitur quæstio, et sententia adversariorum de Communionem sub una, vel utraque specie.	257
XXI. Totum esse Christum sub utraque specie.	259
XXII. Totam Sacramenti rationem in vini specie inveniri.	263
XXIII. Non majorem utilitatem sumi ex Communionem sub utraque specie, quam sub una.	265
XXIV. Non pugnare cum divinis litteris, seu cum Christi mandato Communionem sub una specie, probatur variis rationibus.	269
XXV. Solvuntur objectiones ex Scriptura petitiæ.	277
XXVI. Refelluntur objectiones ex Patribus.	283
XXVII. Refelluntur objectiones ex ratione.	289
XXVIII. Ecclesiam justis de causis præcepisse Communionem sub una specie.	290
XXIX. De veneratione hujus Sacramenti.	291
XXX. Solvuntur objectiones.	293

## LIBER V.

*Qui est de sacrificio Missæ.*

Cap. I. De voce, Missa.	296
II. De sacrificii definitione.	300
III. Mortem Christi sacrificium esse proprie dictum.	306
IV. De partitione sacrificii.	307
V. Explicatur status controversiæ, et sententiæ referuntur Catholicorum et hæreticorum.	308
VI. In Missa verum sacrificium offerri, probatur ex primo testimonio Scripturæ, et ex sacerdotio Melchisedech.	309
VII. Probatur sacrificium Missæ ex figura agni paschalis.	320
VIII. Probatur sacrificium Missæ ex figuris variorum sacrificiorum Testamenti veteris.	325
IX. Probatur sacrificium Missæ ex vaticiniis Prophetarum.	327
X. Probatur idem ex Malachia.	328
XI. Idem probatur ex cap. 4 Joannis.	335

XII. Probatur sacrificium Missæ ex verbis institutionis.	336
XIII. Probatur sacrificium ex cap. XIII. Actorum.	34
XIV. Probatur sacrificium Missæ ex cap. x. prioris ad Corinthios.	341
XV. Probatur sacrificium Missæ ex traditione Patrum. ac primum ex vocibus sacrificii, oblationis, immolationis, etc.	343
XVI. Probatur sacrificium proprie dictum ex ritu altarium.	349
XVII. Idem probatur ex nomine Sacerdotis.	350
XVIII. Probatur sacrificium ex liturgiis.	351
XIX. Idem probatur ex iis, pro quibus sacrificium Missæ offertur.	352
XX. Probatur sacrificium Missæ ex conjunctione legis, et sacrificii.	<i>Id.</i>
XXI. Probatur sacrificium Missæ ex comparatione legis Christianæ ad Mosaicam.	354
XXII. Probatur idem ex differentia Sacramenti, et sacrificii.	355
XXIII. Probatur idem ex consensu Ecclesiæ.	
XXIV. Solvuntur objectiones Lutheri.	356
XXV. Solvuntur argumenta Joannis Calvini.	358
XXVI. Solvuntur objectiones Kemnitii.	363
XXVII. Solvitur ultima objectio, et explicatur in qua parte Missæ proprie consistat essentia sacrificii.	364

## LIBER VII.

*Qui est secundus de sacrificio Missæ.*

Cap. I. Ponitur controversia : An Missa sit propitiatorium sacrificium.	369
II. Probatur sacrificium Missæ propitiatorium esse.	370
III. Probatur idem sacrificium esse etiam impetratorium.	372
VI. Explicatur efficientia propria sacrificii Missæ.	373
V. Solvuntur objectiones adversariorum.	376
VI. Sacrificium Missæ omnibus viventibus prodest.	377
VII. Sacrificium Missæ pro defunctis in purgatorio degentibus, rite offertur.	378
VIII. Sacrificium Missæ recte celebrari pro Sanctis.	382
IX. De Missis privatis.	387
X. Solvuntur argumenta contra Missas privatas.	390
XI. De genere lingue.	395
XII. Non esse omnia necessario in Missa alta voce pronuntianda.	<i>Id.</i>
XIII. De cæremoniis Missæ quid hæretici sentiant.	398
XIV. Cæremonias, quæ Missam præcedunt, esse antiquas, et pias.	405

XV. De cæremoniis, quæ fiunt in Missa, et in actione consistunt.	405
XVI. De iis, quæ recitantur in Missa Catechumenorum.	408
XVII. De Offertorio, et Præfatione.	413
XVIII. De nomine Canonis.	414
XIX. De Auctore Canonis.	415
XX. De antiquitate Canonis.	417
XXI. De veritate primæ orationis Canonis.	419
XXII. De veritate secundæ orationis Canonis.	424
XXIII. De veritate tertiæ orationis Canonis.	425
XXIV. De veritate quartæ orationis Canonis.	426
XXV. De veritate quintæ orationis Canonis.	429
XXVI. De sexta oratione Canonis.	430
XXVII. De oratione Dominica, et sequentibus orationibus.	431

## CONTROVERSIARUM DE POENITENTIA

### LIBER PRIMUS.

#### *Qui est primus de sacramento Pœnitentiæ.*

Cap. I. Qui scripserint de Pœnitentia, tum Catholici, tum Hæretici.	437
II. Deteguntur imposturæ, et mendacia quædam crassiora Lutheri.	438
III. Calumniæ et mendacia Philippi Melancthonis.	441
IV. Calumniæ et mendacia Tilmanni Heshusii.	443
V. Calumniæ et mendacia Joannis Calvini, et Theodori Bezæ.	446
VI. Calumniæ et mendacia Martini Kemnitii.	449
VII. De nomine Pœnitentiæ.	454
VIII. Proponitur controversia prima. An Pœnitentia sit Sacramentum proprie dictum.	456
IX. Explicantur sententiæ Adversariorum de proposita quæstione.	458
X. Pœnitentiam Sacramentum esse proprie dictum.	460
XI. Solvuntur argumenta Calvini et Kemnitii.	465
XII. An Pœnitentiæ Sacramentum a Sacramento Baptismi diversum sit.	472
XIII. Probatur veritas.	473
XIV. Solvuntur objectiones.	477
XV. De partibus essentiæ Sacramenti Pœnitentiæ.	478
XVI. Solvuntur objectiones	481
XVII. De partibus materialibus Sacramenti Pœnitentiæ, Quæstio inter Catholicos.	484
XVIII. De partibus Pœnitentiæ, sententiæ variæ Hæreticorum.	485
XIX. Refelluntur sententiæ Hæreticorum, et Catholica confirmatur.	487

XX. Respondetur ad argumenta Adversariorum.	492
XXI. De tertia partitione Pœnitentiæ, in privatam, publicam, et solemnem.	494
XXII. De ritibus Pœnitentiæ solemnis.	496

### LIBER SECUNDUS.

#### *Qui est de contritione. — Præfatio.*

Cap. I. Proponitur doctrina Catholica.	499
II. Contritionem esse actionem bonam, et liberam, atque ad Evangelium pertinentem.	500
III. Contritionem sine speciali Dei auxilio haberi non posse.	505
IV. In Contritione includi odium, ac detestationem peccati præteriti.	507
V. Solvuntur objectiones.	509
VI. In Contritione includi propositum recte vivendi.	510
VII. Solvuntur objectiones.	513
VIII. Contritionem ad justificationem omnino necessarium esse.	516
IX. Solvuntur objectiones.	517
X. De quantitate Contritionis.	520
XI. De quantitate Contritionis ex sententiâ Catholicorum.	521
XII. Contritionem causam esse remissionis peccatorum.	524
XIII. Contritione perfecta cum voto Sacramenti suscipiendi, remitti peccata ante sacerdotis Absolutionem.	528
XIX. Solvuntur objectiones.	531
XV. Nullum esse peccatum, quod per veram Pœnitentiam non deleatur.	537
XVI. Solvuntur objectiones: ac de peccato in Spiritum sanctum breviter disputatur.	539
XVII. Contritionem imperfectam, sive attritionem ex timore pœnæ ortam, bonam atque utilem esse.	544
XVIII. Solvuntur objectiones.	548


### LIBER TERTIUS.


#### *In quo de Confessione Dissertitur.*

Cap. I. De erroribus circa Confessionis necessitatem.	552
II. Probatur Confessionis necessitas ex Evangelio.	554
III. Confirmatur eadem veritas ex figuris, qua confessionem Sacramentalem præceserunt.	560
IV. Confirmatur eadem veritas ex aliis locis novi Testamenti.	464
V. Idem probatur ex testimoniis Conciliorum.	568
VI. Idem probatur ex traditione veterum Pa-	




trum, qui floruerunt ab anno Domini 100. ab 200.	569	II. Quod sæpe remiss culpa, maneat debitum luendæ pœnæ.	603
VII. Testimonia Patrum ab anno 200. ab 300.	571	III. Reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet post amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi posse.	606
VIII. Testimonia Patrum ab anno 300 ab 400.	573	IV. Opera laboriosa, quibus reatus pœnæ temporalis expiatur, sponte suscipi posse.	607
IX. Testimonia Patrum ab anno 400. ab 500.	575	V. Opera quibus reatus peccati præteriti expietur, recte a Sacerdotibus injungi.	609
X. Testimonia reliquorum Patrum, ab anno 500. ab 1200.	578	VI. Opera Satisfactoria esse Orationem, Jejunium, et Eleemosynam.	611
XI. Refelluntur solutiones Kemnitii ad loca Patrum.	580	VII. Posse hominem justificatum vere Deo satisfacere pro reatu pœnæ temporalis.	613
XII. Confessionem esse juris divini, confirmatur aliquot argumentis.	583	VIII. Ex Scripturis probatur, Deo satisfieri posse pro pœna temporali, culpa dimissa.	615
XIII. Solvitur argumentum primum Joannis Calvini.	586	IX. Ex traditione veteris Ecclesiæ probatur Satisfactio.	617
XIV. Solvitur argumentum secundum Calvini, ubi tractatur historia de facto Nectarii.	587	X. Responsiones Hæreticorum ad testimonia Patrum.	623
XV. Solvitur argumentum tertium Joannis Calvini.	592	XI. Solvuntur argumenta quædam Lutheri concontra sententiam Ecclesiæ de Satisfactione.	626
XVI. Argumentum quartum Calvini.	594	XII. Solvuntur argumenta Philippi Melancthonis ex Locis communibus.	628
XVII. Diluitur argumentum quintum Calvini.	595	XIII. Solvuntur argumenta Philippi ex Apologia confessionis Augustanæ.	631
XVIII. Diluitur prima objectio Martini Kemnitii.	596	XIV. Solvuntur quædam argumenta Joannis Calvini.	633
XIX. Diluitur secunda objectio Kemnitii.	596	XV. Solvuntur alia Calvini argumenta.	637
XX. Diluitur tertia objectio Kemnitii, et simul objectiones Brentii.	598	XVI. Solvuntur alia Calvini argumenta.	641
XX. Solvitur quarta objectio Kemnitii.	599		
LIBER QUARTUS,			
<i>In quo de Satisfactione Agitur.</i>			
Cap. I. Status controversiæ explicatur.	604		





DOES NOT CIRCULATE

BOSTON COLLEGE



3 9031 01234038 6

95013

DO NOT CIRCULATE

Bellarminus

**Boston College Library**  
Chestnut Hill 67, Mass.

Books may be kept for two weeks unless a shorter period is specified.

If you cannot find what you want, inquire at the circulation desk for assistance.



